Digitized by Google

ANNALES
REGVM
HVNGARIAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES REGVM HVNGARIAE

AB

ANNO CHRISTI CMXCVII

AD

ANNVM MDLXIV.

DEDVCTI

AC MAXIMAM PARTEM EX SCRIPTORIBVS COAEVIS, DIPLOMATIBVS, TABVLIS PVBLICIS, ET ID GENVS LITTERARIIS INSTRVMENTIS

CONGESTI

OPERA, ET STVDIO

GEORGII PRAY

SOCIETATIS IESV SACERDOTIS.

PARS I.


COMPLECTENS RES GESTAS

AB

DIVO STEPHANO

AD

CAROLVM I. ROBERTVM



VINDOBONAE,

SVMPTIBVS AVGVSTINI BERNARDI, BIBLIOPOLAE VNIVERSITATIS.

MDCCLXIV.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Annales Regum Hungariæ ad eundem modum, quo veteres Hunnorum, Avarum, & Hungarorum annales congeſſeram, adornare mihi libuit. Cauſa, cur id facerem, propemodum eadem fuit. Ut enim ſcriptorum domeſticorum chronica, quibus Majorum noſtrorum res geſtas complexi ſunt, multis prorſus erroribus ſcatent, ita Hiſtoriam quoque Regum haud minoribus mendis refertam eſſe conſtat. Facile mihi conſentientes habebo, ſi qui BONFINIVM legere, a quo multa omnino præterita ſunt, quædam non rite conſignata, exaggerata non nulla, temporum autem ordo plerumque ſic luxatus, & confuſus, ut nihil mirum ſit, ſi errorem error, velut tracto filo, conſequeretur. Hos exterere conatus eſt SAMVEL TIMON S. J. vir multarum litterarum, &, qui patriam hiſtoriam ad criticen exegerit, omnium, quod ſciam, primus. Iſtum haud multo poſt excepit MATTHIAS BELIVS, graviſſimi judicii, diligentiæ incredibilis, &, quas ego partes in Hiſtorico primas exiſtimo, animi in utramvis partem liberi, ſcriptor elegans, ac plerisque anteponendus: cui id unum fortaſſe, quamquam ejus non ſit, vitio tribuas, quod nemo filiorum, quos ſuperſtites reliquit, pulcherrimos patris conatus pertendat.

Neuter tamen rem ad faſtigium adduxit, ſive tabularia, quod uterque crebro, & vere queritur, non perinde, ac optarant, paterent, ſeu exterorum annales, reſque geſtas, quæ cum noſtris magnopere implicantur, non haberent in promtu, ex quibus magnam domeſticæ hiſtoriæ acceſſionem facere potuiſſent. Mihi eatenus feliciori aliquanto eſſe licuit, quod non tenuendo numero litteras publicas, maximi in hoc genere auctoramenti, tum librorum copiam bene magnam nactus eſſem, quorum ope errores illuſtrarem, ſupplerem, quæ ab aliis omiſſa fuere, & chronologiam, quoad fieri poterat, in ordinem redigerem. Itaque diplomata, tabulas publicas, & ejuſmodi inſtrumenta litteraria, cum locus poſcebat, fere integra annalibus inſerui, ſic tamen, ut ea, quæ ad jus, ut vocant, poſſeſſionarium attinebant, & litibus præbere cauſam poſſent, fere omiſerim, quo metum adimerem iis, qui pretioſiſſimos hujus argumenti theſauros malunt tineis exedendos relinquere, quam ad illuſtrandas res patrias cum aliis communicare. Nullo autem diſcrimine habui, ſeu edita in libris exſtarent ejuſmodi litterarum inſtrumenta, ſeu ex tabulariis aliorum beneficentia adeptus eſſem: partim quod libros, ex quibus ea deprompſi, non omnibus eſſe ad manum ſcirem, partim ut fidem conciliarem annalibus, ſi quid, quod BONFINIVS, ceterique ſcriptores domeſtici non habent, apud me repererint. Atque hanc ob cauſam coævis auctoribus, ubi hos nanciſci poteram, ut plurimum uſus ſum, eorumque pene verbis rerum narrationes non unquam complector. Quare nihil iſthic, præter moleſtum colligendi laborem, & qualecumque, quod ex contentione rerum ſponte naſcitur, judicium, meum eſſe palam affirmo, ne me quis de plagio poſtulet, ut, cum veteres Hunnorum annales in lucem emiſi, a viro, qui in ſimili argumento nervos itidem contenderat, parum liberaliter vitio mihi datum fuit.

Scio

Scio non ita me omnia annalibus complexum fuiſſe, ut nihil acceſſionis deinceps ab aliis fieri poſſit, quoniam multa ſunt omnino, quæ humanam diligentiam fugiunt. Jacturam tamen hanc ſarcient, utque ſarciant, oratos vehementer cupio, qui obſeptos Tabulariorum aditus aliquando perrumpent. Plurimum operæ huc collocaturum, puto, Illuſtriſſimum JOSEPHVM GARAMPI, Baſilicæ Vaticanæ Canonicum, & in arce S. Angeli archivarium, ſi, quod cum operis eruditiſſimi, quod molitur cauſa, poſt luſtratam fere Europam omnem Viennæ fuit, Cl. ac Doctiſſ. KOLLARIO pollicitus erat, integra Pontificum Regeſta cum orbe litterato communicarit. Huic, ſi, ut re ipſa diligentiſſime facit, idem cujus nunc, cum laude memini, FRANCISCVS ADAMVS KOLLARIVS, Bibliothecæ Palatinæ Vindobonenſis Cuſtos Primarius, & AVGVSTAE MARIAE THERESIAE, MAXIMAE LITTERARVM INSTAVRATRICI a conſiliis ſtudium conjunxerit, næ ego polliceri auſim, Regum noſtrorum Hiſtoriam in clariſſima luce collocatum iri.

Mihi interea ſatis fuit, quid eatenus in profanis Regum noſtrorum annalibus fieri poſſet, periculum capere: quibus ſi ſacra interdum admiſceo, peto, ne mihi, ſi qui hæc forte faſtidiunt, ſuccenſeant: quoniam hæc cum illis ſic copulata erant, ut, quin manca, & informis redderetur narratio, ſeparari commodum non poſſent. Exterorum quoque res, quoad cum noſtris communionem habebant, non indiligenter perſtringo, quod iſthinc quiddam lucis annalibus acceſſurum mihi perſuaſerim. Ceterum illud maxime dedi operam, ut, quibus incrementis regni felicitas primum aucta, qua viciſſitudine deinceps intercepta, rurſumque inſtaurata fuerit, explanarem, adjectis ubique cauſis, ex quibus Lector facile de omnibus judicium poſſet conſtituere, quin propterea a me, cujus vitæ ratio ab hujuſmodi politicis animadverſionibus vehementer abhorret, ſolicite commonendus eſſet. Quæ ſi non improbari intellexero, ſumam mihi animos, ut reliquorum itidem Regum res geſtas, & ubertate, & viciſſitudinibus multo, quam priorum, magis refertas, eodem conatu litteris complectar.

ANNA-

ANNALES REGVM HVNGARIAE.

Annus Chriſti. 997.

LIBER I.

STEPHANVS I.

Geiſa primo omnium Hungarorum Chriſtiano Duce anno ſupra nongenteſimum ſeptimo, ac nonageſimo fatis functo, paternum regnum communi procerum ſuffragio (*a*) ad Stephanum, prærogativa Ducis tum inſignem, poſtea primum id nomima regem devolutum fuit. Magno id quidem ditionum ambitu porrectum, nondum tamen ſatis adverſus domeſticorum ſtudia, quorum indicia nec pauca, nec obſcura erant, & externorum injurias confirmatum. Nam & religionis Chriſtianæ haud ita dudum regno invectæ novitas converſioni animorum apud gentem, avitis ſacris ſupra modum deditam, locum præbuit, & tenera admodum Stephani ætas, necdum enim adoleſcentiæ annos prætergreſſus erat, minus idonea videbatur, quam ut præferocem armis populum in officio continere, aut regni jura adverſus finitimos ſatis tueri poſſet. *Stephanus in adoleſcentia regno potitur.*

Erat ea tempeſtate Hungaria haud paullum arctioribus, quam hodie, limitibus definita. Ab ortu hinc Savo flumine, (*b*) illinc Daria Patzinacitis, quibus *Hungariæ tum limites.*

A Tran-

(*a*) CARTHVITIVS in vita S. STEPHANI cap. I. §. 5. *convocatis pater ſuus Hungariæ primatibus cum ordine ſequenti communis conſilium colloquit filium ſuum Stephanum poſt ſe regnaturum populo præfecit, & ad hoc corroborandum a ſingulis ſacramentum exegit.* Et §. 6. *Poſt obitum vero Patris Stephanus adhuc adoleſcens favore Principum, & plebis in Patris ſolium laudabiliter provectus.* Recte igitur Tripartitum Hungariæ Parte I. Tit. 3. §. 6. in hæc verba habet: *Poſtquam inſpirante Spiritus S. gratia ad agnitionem veritatis, Catholicæque fidei profeſſionem, opera ipſius ſancti regis noſtri venere* (Hungari), *& eundem ſponte ſua regem eligere, pariter & coronare, omnis nobilitationis, & ex conſequenti poſſeſſionariæ collationis, qua nobiles decorantur, & ab ignobilibus ſegregantur, facultas, plenariaque poteſtas in juriſdictionem ſacræ coronæ regni hujus, & per conſequens in Principem, ac regem noſtrum a communitate, & communitatis auctoritate, ſimul cum imperio, & regimine tranſlata eſt.* Quamquam coronatio triennio poſt liberam electionem conſequuta eſt.

b) Videtur id confici ex litteris fundationis Epiſcopatus Quinque Eccleſienſis, in quibus D. rex partem limitum illius Diœceſis aſſignat ſuper Savum fluvium, idque anno M. IX. Niſi forte dicatur rex eam ditionem anno M. IV. occupaſſe, dum contra Bulgaros movit. Verum iſtos dicemus in Tranſilvania, non item in Bulgaria victos.

997. Tranſilvanorum nomen poſtea inditum, habitata claudebatur. Qua occiduum ſo-
lem ſpectat, ad Comagenum montem (*c*) excurrit, amne Morava a Behemannis,
& Marahanis Sclavis divulſa. Ad ſeptemtrionem immanes Chrobatorum montes,
quos Carpaticos nuncupamus, Polonis objecit, Chroatis & Carentanis a meridie
circumſepta. Omnem hunc terrarum tractum, quo facilior eſſet regiminis, & juris
dicundi ratio, in varias regiones, quas noſtri Scriptores Comitatus (*d*) dicunt,
diſcriminare veteribus placuit. Iſtorum numerus poſtea, quam Dacia in provin-
ciam redacta fuiſſet, &, quod interamnenſis Pannoniæ verſus Chroatas procurrit,
ſubjugatum, major minorve pro temporum ratione fuit. (*e*)

998. Hæ Stephano provinciæ a patris morte obtigerant, magnis poſtea incre-
Turbata regni initia. mentis, ut ſuo loco dicturi ſumus, ampliatæ. Sed ab adita poſſeſſione haud diu
pacato eſſe licuit. Oborta inter Hungaros, & Germanos ſeditio rem publicam fere
perditum ibat. (*f*) Quæ cauſa diſſidiorum, & qui Germani hi fuerint, a nemine,
quod ſciam, proditum eſt. Neque enim putem cum vicinis Bojoariis ab Geiſæ ex-
ceſſu quidquam Hungaris interveniſſe, quod *Carthuitius* pacem inter illum, & finiti-
mos, cujuſmodi Bojoarii erant, coaluiſſe diſerte ſcribat, nec nihil ad pacis vincu-
lum cum his firmandum contulerit nuptiarum pactio, quæ inter Stephanum, &
Giſelam vivo etiamnum patre inita eſt, ut alias prolixe a nobis monſtratum fuit. (*g*)
A Germanis domeſticis ortum habent. Itaque ad Teutones, qui Hungariam tum colebant, ea ſeditio veriſimiliter referen-
da eſt. Adveniſſe complures Germanorum in Hungariam, dum Geiſa in vivis age-
ret, alibi jam memoravimus, quorum opera partim ad coercendos refractarios,
partim impellendos ad Chriſtiana ſacra uſum fuiſſe conſtat. Inter quos, ſi *Thuroc-
zium* audimus, Wolfgerus cum fratre Hederico nobiliſſima Comitum Homburgen-
ſium ſtirpe ortus præcipue memoria dignus eſt, (*h*) qui cum trecentorum equitum
manipulo ex Alemannia ſuppetias Geiſæ veniens, inſulæ Cituorum eam partem,
quæ Jaurino adverſa eſt, colendam accepit. Ab hoc Wencelinus e Bojoaria adfuit,
militaribus diſciplinis egregie ornatus, magnumque poſtea a profligato, cæſoque

Simeg-

c) Nam Geiſam Melicio caſtro quidem ejectum in III. annalium parte monſtravimus, nuſpiam autem proditum eſt ultra Comagenum, ſive Cetium montem retruſum eſſe.

d) Ita dicuntur, quod incolæ regem, cum uſus, & neceſſitas tulit, comitari ſoliti fuerint, ſeu cum inferrentur, ſive cum propulſarentur bella.

e) In numero Comitatuum Scriptoribus non convenit. Quidam LXIV, alii plures, quidam etiam pauciores conſtituunt. Timoni in Imag. novæ Hungariæ Lib. I. Cap. 2. ordine litterarum ſequentes numerantur.

Abavivarienſis.
Albenſis Regalis.
Aradienſis.
Arvenſis.
Baachienſis.
Baranyienſis.
Barcſienſis.
Bekeſchienſis.
Bereghienſis.
Biharienſis.
Bodrogienſis.
Borſchodienſis.
Caſtri Ferrei.
Chonadienſis.
Chongradienſis.
Comaromienſis.
Craſchovienſis.
Graſhenſis.
Gömörienſis.
Horanienſis.
Heveſienſis major.
Heveſienſis minor.
Hontenſis.
Jaurinenſis.
Liptovienſis.
Marmoroſienſis.
Moſſovienſis.
Neogradenſis.
Nitrienſis.
Peſtienſis.
Piliſienſis.
Poſeganus
Poſonienſis.
Saroſienſis.
Saboltchenſis.
Saladienſis.
Satmarienſis.
Scepuſienſis.
Severinenſis alias
Szörönienſis.
Simighienſis.
Sirmienſis.
Szolnokenſis exterior.
Szolnokenſis media.
Solthienſis.
Sopronienſis.
Strigonienſis.
Temeſienſis.
Tolnenſis.
Tornenſis.
Torontalienſis.
Trenchinienſis.
Turoczienſis.
Valkovienſis.
Verecenſis.
Veſprimienſis.
Ugochienſis.
Ungenſis.
Zarandienſis.
Zemlnienſis.
Zolienſis.

Addit præterea Verböczius IV. Covinienſem, Machovienſem, Orbacenſem, & Zebernekienſem.

f) In Litteris enim Fundationis Archi Abbatiæ S. Martini in monte Pannoniæ his verbis D. Stephanus utitur: *ingruente namque bellorum tempeſtate, qua inter Theutonicos, & Hungaros ſeditio maxima excreverat.* - - -

g) Parte III. annal. veterum ad an. Chriſti 995.

h) THVROCZIVS Part. II. Chron. cap. XI. *Poſt hæc de Alemannia Wolfgerus cum fratre ſuo Hederico de comitibus Homburg ortus cum trecentis dextrariis pharetratis introivit. Cui dux Geiſa montem Kiscen, & inſulam Danubii circa Jaurinum dedit pro deſcenſu æterno, ubi caſtrum ligneum faciens, fecit quoque in eodem monte cœnobium, ubi & eſt tumulatus. De iſtis Hederici generatio derivatur.*

An. Chr. 998.

Simeghienſi duce adeptus nomen (*i*). Tum Hundium quoque (*k*), & Paznanum, aliosque (*l*) in Pannoniam delatos, miraque apud Stephanum gratia valuiſſe, noſtri inter comperta ponunt. Quos ut frequenti comitatu, magnisque clientelis ſtipatos adveniſſe veriſimile eſt, ita, dum ampliſſimis latifundiis, & honorum prærogativa ab Geiſa, & Stephano ornarentur, facile invidiam ſibi apud Hungaros concivere rint, qui, quod domeſtici eſſent, illos, tanquam novos homines, ac aliunde nuperrime advectos, quorumve fides nondum ſatis probata eſſet, ſibi anteponi impatienter ferebant. Hæc diſſidiorum crediderim initia, & cauſæ. Quæ quo magis clam primum gliſcebant, tanto facilius in apertam deinde ſeditionem eruperant, quod factionum capita adoleſcentiam Stephani aut non metuerent obfuturam ſuis conſiliis, aut deſpicatui etiam haberent. Quo autem ſeditio evaſerit, armisne compreſſa ſit, an contra mutua amicitiæ redintegratione exſtincta, omnino incompertum eſt. In ipſo tamen principio ſopitam fuiſſe, ex eo videtur confieri, quod Wencelinus, ceterique Teutones in pugna contra Simeghienſes anno ſequente inita, primas obtinerent.

Bellum cum Bohemis obortum: hoc profligato-

Hæc ad ſeditionem inteſtinam, quæ inter Hungaros & Germanos oborta fuit, attinent, quam, ut modo narratum eſt, in principio ſedatam fuiſſe facile mihi perſuadeo: verum quia ipſe Stephanus in litteris fundatæ Archi Abbatiæ ad D. Martinum, diſerte perhibet, ſe de exteris hoſtibus victorem exſtitiſſe, neceſſe eſt, id bellum extra Hungariam geſtum fuiſſe. Adverſus quem autem geſtum ſit, plane in obſcuro eſt, niſi forte putemus Stephano aliquid armorum cum Boleſlao ſecundo Bohemiæ duce collimitii cauſa interceſſiſſe. Etenim *de præfati ducis infortunio* (ſcribit Ditmarus (*m*) *res quædam narranda reſtat. Habuit hic quamdam urbem in confinio regni ſui, & Ungariorum ſitam, cujus erat cuſtos Procbnii ſenior, avunculus regis Pannonici a ſuis ſedibus ab ipſo, ut antea, nunc expulſus. Qui cum uxorem ſuam a captivitate non poſſet abſolvere, gratuito munere nepotis ſui, quamvis inimici eam recepit. Nunquam audivi quemquam victis tantum parcere, & ideo in civitate prædicta, ſicut & in multis, ſedulo DEUS ei victoriam conceſſit.* Qui locus etſi obſcurus admodum ſit, tamen perſpicue docet, Stephanum victoria ex hoſte relata, mira in victos clementia fuiſſe. Atque id puto bellum eſt, quod Stephanus ſe adverſus exteros geſſiſſe teſtatur, & ad hunc annum, quoniam Boleſlaum (*n*) ſequente conſtat rebus humanis exemtum, affigi debere arbitror.

999.

Domeſticum exardet a Cupa Simegienſi concitatum.

Vix eatenus domeſtica diſſenſio in ſemine præfocata, & res adverſus Boleſlaum feliciter geſta eſt, cum aliunde moleſtum, graveque bellum Stephano ab domeſticis conflatum fuit. Auctorem, caputque belli Cupam fuiſſe noſtri perhibent, Simeghienſis provinciæ Præfectum, virum præferocis ingenii, & avitis ſuperſtitionibus ſupra ceteros deditum. Is ex diſſidiis, quæ anno ſuperiore Hungaris & Germanis interceſſerant, occaſionem turbarum nactus, popularium animos, præſertim quod majorum ſuorum religionem bello ſpecioſe prætexeret, nullo negotio in ſuas partes pellexit. Erat Cupa, Bonfinio (*o*) teſte, Calvi Zirindi filius, &, ut Ranzanus refert, Stephano neceſſitudinis vinculo illigatus. Crediderim tamen Ran-

i) Idem ibid. cap. XII. *Aſcendit quoque de Bavaria Wenczellinus, videlicet, de Vazunburg, qui cum S. Stephano in Simighio Cupam ducem interfecit, Capitaneus enim exercitus exſtitit illo die. Ex iſtis Jak naſcitur principium & origo.*

k) Idem ibid. cap. XIII. *Adierunt etiam iſtis diebus Hunt, & Paznan, qui S. Stephanum regem in flumine Garam* (melius Goron, ſive Grano) *gladio, Theutonico more, accinxerunt. -- Iſtorum itaque comitum dux Geicha cum ſancto regi Stephano filio ſuo, fretus auxilio, & divino potius, quosdam rebelles armorum terroribus -- converterunt ad baptiſmum.*

l) Ms. Chronicon Simonis de Keza cujus apographum ex autographo codice membraneo bibliothecæ Kiſmartonienſis ad manum habeo, meminit etiam Comitis Tibold de Tanberg, & aliorum Teutonum qui ſub Geiſa in Hungariam venerint, quos Thuroczius nuſpiam memorat.

m) Lib. 8.

n) Balbinus in Epitome rerum Bob. Lib. II. cap XIV. pag. 152.

o) Dec. II. Lib. I.

999.

Ranzano ob ſimilitudinem nominis cum Ladislao (*p*) Calvo, filio Michaelis, quem
Geiſæ fratrem alibi (*q*) memoravimus, errorem obrepſiſſe.

Alioquin ſi Cupa, quod Ranzanus exiſtimat, natus Ladislai fuit, opor-
tebat illum Stephano aut ætate parem, aut inferiorem fuiſſe, quod an cum ambitu
nuptiarum, quibus ſibi Geiſæ viduam copulare voluerat, conciliari poſſit, vehe-
menter ambigo.

Cauſa inteſtini belli.

Quidvis ſit, Cupa facile neſario ſceleri conſentientes habuit pleroſque,
quod maximam partem metu ad Chriſtiana ſacra prius traducti fuiſſent, quæ latius
in dies (*r*) propagari, omnino moleſte ferebant. Itaque haud multo poſt datis
nominibus frequens ſub ſigna miles confluxit, qui ſpeciem juſti exercitus referret.
Quibus in unum concitis *ſe conjurationis principem deperdita quadam audacia profiteri, cri-*
minibus Stephanum (*s*) *ad augendam invidiam onerare, paſſim prædicans, hunc ſuæ*
gentis hoſtem patre perniciosiorem futurum, quando externæ, quam ſuæ gentis ſtudioſior,
& amantior eſſet: Martem, Herculem, patrioſque deos, quorum Numinibus res Hunga-
rica tantopere adoleverat, aboleri juſſiſſet, eorum ſacro ſancta ſimulacra ubique diſſeciſſet,
fatuam inducere ſuperſtitionem niteretur: quin & otio & deſidia bellicoſam gentem enerva-
ret, pacem indiceret ærumnoſam, cum & vi, & bello Ungari victum ſemper traxerint.
Hæc Cupa religionis prætextu palam, & in clanculariis coitionibus crebro, & furioſe
jactabat, re autem vera regnum affectare, & Stephanum de paterno ſolio dejicere
moliebatur.

Veſprimiũ a refractariis occupatur.

Et ſatis aperte, quæ animo prius conſilia agitaſſet, prodebat, cum viduæ,
quam Geiſa ſuperſtitem reliquerat (*t*), nuptias ambivit, ratus eo matrimonio tutius
ſe ad tyrannidem graſſaturum. Repulſam paſſus, quoniam machinationes clandeſti-
nas fruſtra cecidiſſe videret, ad vim apertam progreſſus, omnem, quæ inferior di-
citur, Pannoniam in nefarii conſilii & armorum partem trahens, agros, vicoſque
ſine diſcrimine fœdiſſima populatione vaſtabat. Tum, ut locum præſidio munitum,
ex quo inferre, & propulſare bellum poſſet, in poteſtate haberet, Veſprimium
urbem id temporis non incelebrem obſidione circumdat. (*u*) Stephanus, ubi certis
nunciis comperiſſet, quid ſeditioſi molirentur, quamquam metu nonnihil in princi-
pio perculſus, tamen ne religioni, quam eo bello in primis peti videbat, regnoque
deeſſet; quantum maximo numero potuit, militem ſub ſigna contrahit, caſtraque
ad Granum amnem defigit (*x*), ut Danubio divulſus exercitus interea ab hoſtis ma-
leficio tutus redderetur. Hic ipſe gladio ſuccinctus militiæ primum initiatur, tum
lectis

Stephanus comparato exercitu, voto ſe obſtringit, ſi victoria potiatur.

p) Thvroczivs Chron. cap. XXVII. Quo magis Andreæ primi, qui poſtea ſolio admo-tus eſt, jus ad regnum Hungariæ in conſpi-cuo ſit, juvat laterculum genealogicum hoc loco contexere ex patriis ſcriptoribus

Toxis
Geiſa — Michael
Stephanus — Ladislaus Calvus — Vazul
Emericus.
Andreas. *Bela.* *Leventa.* *Adalbertus* idem cum Bela. *Bonyzlo.*

De Adalberto nullus ſcriptorum domeſtico-rum, quos quidem viderim, memoriam in-jicit. Eum tamen litteræ fundationales Epiſ-copatus Quinque Eccleſienſis memorant. In illis enim Rado Palatinus fundator ſecundus teſtatur ſe *licentia piiſſimi regis Andreæ, ejusque fratris Adalberti invictiſſimi Ducis* dediſſe bona ſua Epiſcopatui prædicto. Perinde Bonyzlo pleriſque hactenus incognitus fuit, reperi illum in Ms. genealogia regum Hungariæ, quæ an-nexa Borichio itidem Ms. eſt. Sed hæc ex fide illius, qui hanc genealogiam contexuit.

q) Part. III. annal. vet.

r) Carthvitivs in vita S. Stephani diſerte hanc cauſam obmoti belli refert Cap. I. num. 6. *quoniam ejus* (diaboli) *inſtinctu plebs gentilis Chriſtianæ fidei jugo colla ſubmittere renuens cum principibus ſuis, a dominio ipſius ſe ſubtrahere moliebatur.*

s) Bonfinivs habet *regem.*

t) Noſtri plerumque ſcribunt matris Ste-phani nuptias Cupam ambiviſſe, ſed hanc præmortuam Geiſæ III. annalium veterum parte a nobis oſtenſum fuit. Itaque veriſi-milius Adelhaidem, quam defuncta Sarolta Geiſam duxiſſe ex Polonicis ſcriptoribus ibi-dem docuimus, Cupa matrimonio copulare ſibi voluerit.

u) Carthvit. in vita S. Stephani cap. I. §. VII.

x) Thvrocz. Chron. cap. XXVIII. & Bon-fin. Dec. II. Lib. I.

lectis Paznano, & Hundio ſpectatæ fidei ducibus, quorum in propulſando periculo, ſi quod in conflictu ſibi immineret, cura & ſtudium princeps eſſet, Wencelinum Alemannum univerſis copiis ſupremo jure præficit (*y*), nihilque eorum, quæ ad profligandum hoſtem accommodata videri poterant, prætermittit. Plus tamen a cælo, quam humano armorum apparatu præſidii ſperans, aſtantibus Dominico ad Archi-Epiſcopatum Strigonienſem deinde evecto, tum Paznano, Ciocio, & Orthio militum Præfectis votum ſolemnibus verbis palam concepit, ſe, ſi victoria potiretur, decimam partem fructuum omnium provinciæ Simeghienſis D. Marino, cujus honoribus cænobium in monte Pannoniæ pater ſuus ſtruere cæpiſſet, donum daturum. (z) Valuiſſe vota piiſſimi Principis exitus oſtendit.

Wencelinum copiis præficit.

Procurato hunc in modum rite exercitu profectionem continuo indicit, & tranſmiſſo Danubio acceleratis itineribus in Cupam movet. Collata haud multo poſt ad Veſprimium ſigna ſunt, & pugnatum utrinque acriter, his pro cauſæ æquitate, & religione Chriſtiana fortiter in hoſtem connixis, illis, ſi inferiores ex prælio excederent, ſuppliciorum metu temere magis, quam ex diſciplina dimicantibus. (*a*) Ita factum, ut ad neutram partem diu inclinaret victoria, quoad in medio pugnæ calore Wencelinus obvium Cupam nactus, ſingulari certamine victum capite truncaſſet. Eo caſu conſtornati facinoroſi remiſſius primum prælium redintegrare, tum in apertam fugam effundi. Palantium cædes ingens edita, conjurationis principes maximam partem capti, cæſique: in vulgus, quod errore potius, quam voluntate peccaſſet, remiſſius actum. (*b*) Ex cæſo Cupa præprimis pœnam ſumtam fuiſſe noſtri Scriptores paſſim perhibent. Siquidem ſecti quadriſariam corporis partem unam Strigonium, alteram Veſprimium, Jaurinum tertiam, quartam denique Albam Juliam in Tranſilvaniam miſiſſe Stephanum ſcribunt, mandaſſeque, ut pro urbium portis neſandas exuvias cives appenderent, quæ terrori & exemplo eſſent intuentibus, ne conſimili facinore ſeditioſorum conſiliis ſe a fide Pricipi obſtricta abduci paterentur. (*c*) Quæ narratio, quamquam Cupa ob conflatam ſeditionem pœna dignisſimus fuerit, tamen quod facinus primo obtutu prorſus inhumanum, & ab Stephani facilitate ac benevolentia abhorrens videatur, merito a quibuſdam in dubium vocari ſolet, certe ſuſpectam illud in primis reddit, quod quartam ſecti corporis partem Albam Juliam delatam eſſe perhibeat, cum tamen Tranſilvaniam ea tempeſtate Patzinacitarum imperio obnoxiam fuiſſe exploratum ſit, multiſque primum poſt annis a Stephano in poteſtatem redactam, & Hungariæ juribus illigatam eſſe ſuo loco narraturi ſumus.

Transmiſſoque Danubio in Cupam movet.

Anceps prælium caſo Cupa dirimitur.

Stephanus parta victoria, Wencelinum, ceteroſque, qui ſuam operam in proximo prælio egregie navaſſent, muneribus, liberaliſſime donavit, memorque cujus auſpicio hoſtem profligaſſet, voti concepti religione ſe exſolvit, aucto, donatoque ampliſſimis fundis D. Martini cænobio, cui Aſtricum alias Anaſtaſium quoque dictum, qui haud ita dudum ex Breunovienſi Bohemiæ monaſterio in Hungariam appulerat, primum omnium Abbatis prærogativa præfecit, quemadmodum litteræ altero abhinc anno datæ teſtantur. (*d*) Hinc cura in rem publicam converſa facile videbat regno felicitatem haud diu conſtaturam, niſi religio Chriſtiana in tuto locaretur. Inde enim nuperni belli ſementem jactam eſſe in conſpicuo erat, metuſque

A victoria res ſacras complexus.

fuit

y) Iidem ibid.

z) Ipſe S. Steph. in litt. fundat. Archi Abbatiæ S. Martini in monte Pannoniæ in hæc verba loquitur: *aſtantibus ducibus videlicet Paznano, Cincio, Orthio, domno quoque Dominico Archi Epiſcopo votum vovi S. Martino, quod ſi de hoſtibus interioribus ... ejus meritis victor exiſterem ſupranominati Comitatus* (Simeghienſia nimirum) *decimationem de omnibus negotiis, prædiis, terris, vineis, ſegetibus, vectigalibus, vinoque hoſpitum .. abbati ejusdem monaſterii .. absque ulla mora ſubjugarem.*

a) Eadem Bonfinivs loco cit. ſed more ſuo liberius narrat, miſcetque de votis & geſtis Stephani aliqua, quæ admodum incerta ſunt.

b) Bonfinivs Dec. II. Lib. I.

c) Idem ibid. Thvroczivs Chron. cap. XXVIII.

d) Mabillonivs Tom. IV. Annalium Benedictinorum monaſterium hoc cum Breunovienſi in Bohemia ſito aperte confundit, Aſtricum vocans Breunovienſem S. Martini Abbatem, aitque cœnobium quod D. Stephanus perfecit, non diſtare ab Praga viginti ſtadiis. Errorem hunc Stiltingvs detexit in prævio Comment. ad vitam S. Stephani §. XV. Num. 152.

999. fuit non de nihilo, mali labem, ſi tempore obviam non iretur, olim majora incre-
De inſtituendis Epiſcopatibus cogitat. menta ſumturam. Itaque regnum omne in certas portiones diſcriminare, erigere ſa-
cerdotia, paſtores eligere, certos annuosque iis reditus, ut curis ſoluti gentem in
fide nondum ſatis confirmatam, ad ſacra Chriſtiana magis erudire quirent, deſigna-
re conſtitutum habebat. Commodum in propoſito confirmarat Otto III. Imperator
Romanorum, ad quem cum victoriæ nuper relatæ nuncius pertinuiſſet, reſciſſet-
que, quid Stephanus ad corroborandam in Hungaria religionem moliretur, mirifice
gaviſus, hortator exſtitit, ut pulcherrimam deſtinationem, quam DEVS illi indi-
diſſet, opere ipſo exſequeretur. (e) Itaque viros a morum probitate, ac doctrina
præ ceteris conſpicuos, qui Epiſcopali deinceps prærogativa ornarentur, certis pro-
vinciis deſignat. Quæ cum rata ſine coofenſu Pontificis Max. eſſe non poſſent, pla-
Legato propterea Romam deſtinato. cuit Romam legatum mitti, qui regnum, gentemque univerſam recens ad Chriſtia-
na ſacra traductam protectioni ſummi in orbe Antiſtitis commendaret, peteretque,
quæ Stephanus apud animum ſuum de Epiſcopatibus ſapientiſſime deſtinarat, judi-
cio quoque Romano coofirmari. Ad hæc, quoniam optimatibus, & plebi placuiſ-
ſet, ut ipſe, qui titulo ducis tot populis præeſſet, magis honorata appellatione,
eaque regia deinceps uteretur, ageret pro viribus, ne Pontifex hac parte ſuorum
vota, nec inſolita, nec iniqua fruſtrare velit, utque animi, quo inHungaros fer-
retur, indicium exſtaret, coronam, donum iis temporibus uſitatum, mittere ne grava-
retur. (f)

1000. Aſtricus, quem Stephanus Colocenſi Cathedræ deſtinarat, ante alios lectus
Legati partes Aſtrico mandantur. eſt, qui legationem obiret. Additæ præterea ad ſummum Pontificem litteræ, qui-
bus mentem ſuam, & conſilia dux uberius explicarat, quas magno illuſtrandæ patriæ
hiſtoriæ damno intercidiſſe vehementer dolemus. Legatus omnia, quæ agenda eſſent,
ab duce ſingilatim edoctus, magnis itineribus Romam contendit. Præfuit tum Ec-
cleſiæ Silveſter ejus nominis II, non item, ut male Bonfinius ſcribit (g), Benedictus.
Illum pridie, quam Aſtricus adfuiſſet, per angelum nocturno ſomno divinitus præ-
monitum ferunt, ut diadema, quod Boleslao Poloniæ duci conſtituerat, Legato
poſtridie affuturo ſervatum vellet, ita cœlum jubere, ut Pannoniæ dux, qui meri-
tis anteſtaret reliquos, eo dono præ ceteris quoque ornaretur. Hinc opinioοem
apud pleroſque ſcriptores invaluiſſe puto, ut coronam, qua reges Hungariæ inſigni-
ri ſolent, angelicam dici, & cœlo delapſam fuiſſe exiſtimarent. (h) Quo magis
Dlugoſſi Poloni ſcriptoris dicacitatem miror, qui angelicam viſionem, qua Silveſter
de danda Stephano corona admonitus eſt, inter commenta reponit. Sed hominem,
quem Hungaris perinfenſum fuiſſe conſtat, refutare operæ precium non eſt. (i)
Cæle-

e) DITMARVS Lib. IV. *Imperatoris autem prædicti* (Ottonis III.) *gratia & hortatu gener Henrici ducis Bawariorum Waic* (Stephanus) *in regno ſuo epiſcopales cathedras faciens, coronam, & benedictionem accepit.*

f) CARTHVITIVS in vita S. Stephani cap. II. §. 1n. ita rem cnmplectitur. *Quarto poſt patris obitum anno* (hnc eſt 1000.) *divina commonente clementia eundem Aſtricum Præſulem, qui alio nomine Anaſtaſius dictus eſt, ad limina SS. Apoſtolorum miſit, ut a ſucceſſore S. Petri Principis Apoſtolorum poſtularet, quod novellæ Chriſtianitati exortæ in partibus Pannoniæ largam benedictionem porrigeret, Strigonienſem Eccleſiam in metropolim ſuæ ſubſcriptionis auctoritate ſanciret, & reliquos Epiſcopatus ſua benedictione muniret, regio etiam dignaretur ipſum diademate roborare, ut eo fultus honore, capta per DEI gratiam poſſet ſolidius ſtabilire.*

g) Dec. II. Lib. I.

h) Noſtri Scriptores paſſim habent Mieſconem, ſed erronee, cum id temporis Bnleslaus Polonis præfuerit. Cum enim Silveſter in litteris nomen ducis Poloniæ non expreſſerit, error Carthuitio obrepſit, ut Myſcham, quem alii Miſeconem, item Miecislaum, & Mjeſconem dicunt, ſcriberet, in quem errnrem Bonfinium quoque, & aliquot Polnnns ſcriptnres præterea induxit. Verum quidem eſt Miſeconem primum nmnium ducum Polniæ Chriſtianis ſacris imbutum fuiſſe, ſed aliquot jam ante annis defunctus erat, quam Stephanus coronam a Silveſtro petierit, ut Baronius in Annal. Eccleſ. ad an. 1000. jam dndum nbſervavit. Bnleslaum autem Miſecnnis filium Stephano coævum fuiſſe liquet & ex auctore vitæ Adalberti M. & Ditmaro coævo Lib. 4. ita ſcribente: *Anno autem Dominicæ Incarn. 992. - - præſatus dux* (Miſecn) *- - ab hoc exilio ad patriam cæleſtem tranſivit, relinquens regnum ſuum plurimis dividendum, quod poſtea Boleslaus. - vulpina calliditate contraxit in unum.*

i) Lib. 2. ita ſcribit. *Habet autem nonnullorum aſſertio, quod ſummus Pontifex non angelica viſione permotus, ſed ex certitudine, qua doctus erat Mieceslaum Poloniæ ducem obiiſſe, coronam illi non dederit, quod & ego in Polonorum aliqui-*

Is facilem in vota Stephani Silveſtrum Pontificem habet. Papa Stephanum Legati Apoſtolici auctoritate ornat.

Cæleſte monitum eventu confirmatum fuit. Poſtridie enim Aſtricus vrbem ingreſſus recta ad Pontificem adiit. Vbi, cum Senatus illi datus eſſet, quæ ab duce ſuo afferret, magna prudentia proloquutus, orabat magnopere, ut Stephanum diademate, ceteriſque inſignibus donatum regio quoque nomine cohoneſtatum vellet, *indicans eum dignum tali honore & dignitate, qui plures gentes per DEI adjutorium ſibi ſubjugaſſet, & multos infideles per ſuam potentiam ad Dominum convertiſſet. Quibus auditis valde gavíſus Romanus Pontifex, cuncta, prout fuerant poſtulata, benigne conceſſit. Crucem inſuper anteferendum regi velut in ſignum Apoſtolatus miſit, ego inquiens, ſum Apoſtolicus, ille vero merito Chriſti Apoſtolus, per quem ſibi tantum populum Chriſtus convertit. Quapropter diſpoſitionem ejuſdem prout divina gratia ipſum inſtruit, Eccleſias DEI una cum populis noſtra vice ei ordinandas relinquimus.* (k) Singularis, & digna prorſus poſterorum memoria prærogativa, qua haud ſcio, an ullus præterea Chriſtianorum regum unquam ornatus fuerit.

Aſtricus Legatione perfunctus præter coronam, & regia inſignia.

Aſtricus, poſtquam omnes Legationis partes ex ſententia confeciſſet, non diu in urbe moratus ad Hungariam properabat. Acceptus eſt non Stephani ſolum, ſed omnium incredibili ſolatio, & acclamatione. Aucta lætititia eſt non mediocriter, ubi coronam, & crucem Roma allatam intuerentur, audirentque, epiſtolam a Pontifice afferri, qua Duci regia dignitas, ceteraque, quorum cauſa Legatus Romam profectus fuiſſet, confirmarentur: adeſſe præterea Legatum comitem, qui alteras quoque ex urbe litteras tuliſſet, ex his optimates, populumque, qua benevolentiæ ſignificatione ſummus Antiſtes in eos ferretur, facile intellecturos. Has periiſſe extra dubitationem eſt, illas, quoniam quæ hactenus in medium attulimus, magnopere illuſtrant, annalibus inſerendas operæ precium eſſe duximus.

Litteras quoque ab Silveſtro affert.

Silveſter Epiſcopus Servus Servorum DEI Stephano Duci Ungarorum Salutnm, & Apoſtolicam benedictionem.

„ Legati nobilitatis tuæ, in primis vero cariſſimus confrater noſter Aſtricus, vene-
„ rabilis Colocenſis Epiſcopus, tanto majori cor noſtrum lætitia affecerunt, ac mi-
„ nori officium ſuum labore confecerunt, quanto divinitus præmoniti, cupidiſſimo
„ animo illorum adventum de ignota nobis gente præſtolabamur. Felix legatio,
„ quæ celeſti præventa nuncio, atque angelico pertractata miniſterio, prius DEI con-
„ cluſa eſt decreto, quam a nobis audita fuiſſet. Vere non volentis, neque cur-
„ rentis, ſed, ſecundum Apoſtolum, miſerentis eſt DEI: qui teſte Daniele, mu-
„ tat tempora & ætates, transfert regna, atque conſtituit: revelat profunda & ab-
„ ſcondita, & novit in tenebris conſtituta, quia lux cum eo eſt: quæ, ſicut docet
„ Joannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primum ergo
„ gratias agimus DEO Patri, & Domino noſtro JEſu Chriſto, qui temporibus no-
„ ſtris invenit ſibi David filium Geyſæ, hominem ſecundum cor ſuum, & luce ir-
„ radiatum cæleſti ſuſcitavit illum paſcere Iſraël populum ſuum, electam gentem
„ Ungarorum. Deinde laudamus pietatem ſublimitatis tuæ in DEum, & reverentiam
„ erga ſedem Apoſtolicam, cui divina patiente miſericordia, nullo meritorum no-
„ ſtrorum ſuffragio, præſidemus. Tum vero largitatem liberalitatis, qua B. Petro
„ Apoſtolorum principi regnum ac gentem, cujus dux es, cunctaque tua, ac te-
„ ipſum per eoſdem legatos & litteras perpetuum obtuliſti, digno præconio com-
„ mendamus. Hoc enim facto egregio aperte teſtatus es, & revera talem te me-
„ rito eſſe demonſtraſti, qualem ut nos te declarare dignaremur, ſtudioſe experi-
„ viſti. Sed parcimus. Neque enim neceſſe eſt, ut quem tot ac talia præclare

 „ pro

bus annalibus memini me legiſſe, ſed apparitionem angelicam ab Hungaris, quo coronæ miſſio eis a Benedicto Papa facta foret celebrior, confictam, & ſomniatam eſſe, quam etiam in hanc diem parum juſta appellatione ſanctam vocant, cum nullum metallum poteſt in ſe includere ſanctitatem, niſi uſurpatam, vel ementitam. Alioqui nemo ſanctam ideo dixit, quaſi intrinſecus ſanctimoniæ aliquid coronæ inſit, ſed vel quod a ſancto Pont. miſſa, aut ſancto rege, qualis certa Stephanus erat, primum obtenta, & geſtata fuerit.

k) CARTHVITIVS in vita S. Stephani. cap. II. §. 11.

„ pro Chriſto geſta facinora voce publica clamant, quemque DEUS ipſe com-
„ mendat, amplius commendemus.

„ Quare, glorioſe fili, cuncta a nobis, & ſede Apoſtolica expoſtulata, dia-
„ dema, nomenque regium, Strigonienſem metropolim, & reliquos epiſcopatus,
„ de omnipotentis DEI, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate,
„ præmonente atque ita jubente eodem omnipotente DEO, cum Apoſtolica & no-
„ ſtra benedictione libenter conceſſimus, concedimus & impertimur. Regnum
„ quoque a munificentia tua S. Petro oblatum, teque una ac gentem & nationem
„ Ungaricam præſentem, & futuram, ſub protectionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ
„ acceptantes, prudentiæ tuæ, hæredibus ac legitimis ſucceſſoribus tuis habendum,
„ tenendum, regendum, gubernandum, ac poſſidendum reddimus & conferimus.
„ Qui quidem hæredes, ac ſucceſſores tui quicumque, poſteaquam per optimates
„ legitime electi fuerint, teneantur ſimiliter nobis, & ſucceſſoribus noſtris per ſe,
„ vel per legatos, debitam obedientiam ac reverentiam exhibere, ſeque ſanctæ
„ Romanæ Eccleſiæ, quæ ſubjectos non habet ut ſervos, ſed ut filios ſuſcipit uni-
„ verſos, ſubditos eſſe oſtendere, atque in Catholica fide, Chriſtique Domini ac
„ Salvatoris noſtri religione firmiter perſeverare, eamdemque promovere.

„ Et quia nobilitas tua Apoſtolorum gloriam æmulando, apoſtolicum mu-
„ nus, Chriſtum prædicando, ejuſque fidem propagando, gerere non eſt dedignata,
„ noſtraſque & ſacerdotii vices ſupplere ſtuduit, atque Apoſtolorum Principem præ
„ ceteris ſingulariter honorare: idcirco & nos ſingulari inſuper privilegio excellen-
„ tiam tuam, tuorumque meritorum intuitu, heredes ac ſucceſſores tuos legitimos,
„ qui ſicut dictum eſt, electi atque a Sede Apoſtolica approbati fuerint, nunc &
„ perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes; ut poſtquam tu, & illi, co-
„ rona, quam mittimus, rite juxta formulam legatis tuis traditam, coronatus, vel
„ coronati extiteritis, crucem ante ſe, apoſtolatus inſigne, geſtare facere poſſis &
„ valeas, atque illi poſſint valeantque: & ſecundum quod divina gratia te, & illos
„ docuerit eccleſias regni tui præſentes & futuras noſtra ac ſucceſſorum noſtrorum
„ vice diſponere atque ordinare, apoſtolica authoritate ſimiliter conceſſimus, vo-
„ lumus, & rogamus, ſicuti in aliis litteris, quas in communi ad te, optimateſque
„ regni, & cunctum fidelem populum, per nuncium noſtrum, quem ad te dirigi-
„ mus, deferentis, plenius hæc omnia explicata continentur. Oramus omnipoten-
„ tem DEum, qui te de utero matris tuæ vocavit nomine tuo ad regnum & coro-
„ nam, quique diadema, quod duci Polonorum confectum per nos fuerat, tibi dan-
„ dum mandavit, augeat incrementa frugum juſtitiæ ſuæ, novellas plantas regni tui
„ rore ſuæ benedictionis perfundat largiter; regnum tuum tibi, teque regno ſervet
„ incolumem; ab hoſtibus viſibilibus, & inviſibilibus protegat; ac poſt terreni regni
„ moleſtias, in cæleſti regno corona adornet æterna. Data Romæ VI. Kal. April.
„ Indictione decima tertia.

Ex his non nulli arguunt, Hungariam fiduciario jure Pontificibus obnoxiam fuiſſe.

Scriptorum ea de re opiniones.

Hactenus Silveſtri litteræ, quæ quantas inter ſummos Pontifices, & reges Hungariæ lites poſtea conciverint, ex rerum conſequentium narratione patebit. Controverſiæ non minus intricatæ, quam invidioſæ caput in eo cum primis ſitum eſt, quod, qui Silveſtrum in Sede Romana deinceps conſequuti ſunt, regnum Hungariæ ab Stephani temporibus clientelari jure ſibi obnoxium eſſe contenderent, reges autem, optimateſque Hungari plerumque obniterentur, etſi ceteroquin ſumma in Pontifices obſervantia ſe ferri crebris & manifeſtis indiciis oſtenderent. Ex quo factum, ut ſcriptores in diverſas prorſus opiniones diſtraherentur. Quidam (*l*) enim donationem hanc nimis illiberaliter inter commenta reponunt, eam ob rem, quod Stephanus ſe, regnúmque, & gentem olim B. Petro Apoſtolorum Principi, ut ex Silveſtrinis litteris patet, perpetuum obtuliſſet, non aliam in Hungaros Petri ſucceſſoribus poteſtatem competere, ac quam in omnes Chriſtianos velut communes a DEO totius Eccleſiæ conſtituti Patres haberent. Alii contra donationem minime quidem controvertunt, dubium tamen, neque ſatis exactum eſſe volunt, quid-

nam

(*l*) SCHWARTZIUS apud Stiltingum in Comment. prævio ad vitam S. Stephani; immo funditus eam donationem convulſam vult, quod litteras Silveſtri genuinas eſſe neget. Quam opinationem idem Stiltingus iſthic egregie refellit.

nam ex ea juris in ſummos Antiſtites redundarit. Sunt præteres qui mediam inter
utroſque viam teneant, omnemque juris prærogativam in eo locent, ut libera opti-
matibus reges eligendi ſacultas olim fuerit, confirmatio autem ex Pontificum ar-
bitratu vim obtinuerit & suctoritatem. Quod ſi arbitrium confirmandorum re-
gum Pontifices propterea ſibi vindicarunt, ne gens ad Sacra Chriſtiana recens tra-
ducta quemquam eligeret, qui aut minus idoneus ad confirmandam religionem, aut
ad infirmandam illam etiam factus videretur, facilis prorſus eſſet ratio diſſentientes
eatenus ſcriptorum opiniones conciliandi. Sed hæc, qui annales texendos, non li-
tes ſumſimus, ad nos non attinent, viderique poſſunt apud eos, qui id argumen-
tum ex inſtituto tractandum ſuſcepere (*m*). Ceterum illud fortaſſe non improbabi- *Quid no-*
liter diceretur, nihil in utramvis partem ea de re, quod certum ſit, conſtitui poſſe, *bis videa-*
quod litteræ, quas Stephanus ad Silveſtrum dederat, & ex quibus ad liquidum di- *tur.*
rimi poſſet, quo animo, ſuaptene, an conſentientibus quoque optimatibus Stepha-
nus regnum obtulerit, quid denique juris ea donatione Pontificibus voluerit tranſcri-
ptum, interciderint: alioquin ſi patrias leges valere volumus, quæ poteſtatem re-
giam a communitatis auctoritate in primordio profectam eſſe docent, invitis pro-
ceribus fruſtraneam omnem donationem fuiſſe, non immerito videri poſſet. Atque
id eſſe ſuſpicor, cur regni primores, ubi lis hæc a ſummis Antiſtitibus ſuſcitata fuit,
contra obnixi ne nomen quidem fiduciarij juris audire ſuſtinerent, ut ſuo loco dili-
genter memorabimus. Illud compertum eſt, nihil unquam titulo annui cenſus Hun-
gariæ reges Pontificibus dare ſolitos fuiſſe, ut a quibuſdam regibus factum eſſe ple-
rique norunt. (*n*) Quæ res una omnium maxime facit, quo minus adduci poſſim, ut
credam, Hungariæ regnum feudi nomino unquam Pontificibus obnoxium fuiſſe. Sed
hæc magis ex aliorum arbitrio, quam mea opinatione exigi cupio.

Stephanus haud multo poſt, quam Aſtricus ex urbe rediiſſet, ipſa in cælos
aſſumtæ Virginis luce, ut domeſtici annales pene omnes ſcribunt, ſacro oleo unctus, *Stephanus*
& diademate redimitus ſumma omnium ordinum voluntate & lætitia rex ſalutatus eſt. *corona in-*
Quo ritu, aut quo loco, quoniam certi nihil afferri in medium poteſt, non attinet *cinctus,*
operoſe diſputare. Crediderim tamen Albæ Regalis, quam urbem Stephanus be- *rex inau-*
neficiis mirifice excoluit, regeſque, qui poſtea conſequuti ſunt, ſtatam coronatio- *guratur.*
nis ſedem eſſe voluere, cerimonias primum peractas, tametſi ritum, modumque, ad
decorem & majeſtatem, quæ hodie uſurpatur, pedetentim excreviſſe veriſimile ſit.

Aliter tamen de re Inchoferus exiſtimat. *Ritum in ungendo* ſcribit, (*o*) *&*
coronando Stephano ſervatum eſſe eundem, qui hodieque apud Hungaros in uſu eſt, dubium *Qui tum*
non videtur. Decuit enim Majorum mores conſuetudine per manus ducta, religioſe tueri, ut *in corona-*
brachio dextro, humeriſque, ſacro catechumenorum oleo perfuſis, gladio primum auctoritate *tione ri-*
Apoſtolica, conſecratus accingeretur, tum capiti corona impoſita, demum manus ſceptro arma- *tus obti-*
retur. Hoc denique peculiare in hujus regis coronatione ad ſucceſſores transmittendo ritu, *nuerit.*
pax aurea, & Apoſtolicum inſigne, crux item aurea, ſed gemmis diſtincta præferretur.
Quamquam ſucceſſu temporis plures etiam cerimoniæ, partim ornamenti, partim peculiaris
cujuſdam religionis ſignificandæ cauſa, fuerint adhibitæ. Illud conſtat, præter paludamen-
tum, quod regibus commune eſt, deinde reges Hungariæ coronandos habitum Divi Stephani
primi regis deferre ſolitos, aureiſque cothurnis indutos pallium quoque e ſerico cæruleo ſeu cæ-
leſtino geſtare conſueviſſe (*p*). *Hoc vero thronus majeſtate DEI inſignis, nec non Apoſtolo-*

m) Adamus Franciſcus KOLLAR Bibliothecæ Palatinæ Viennenſis Cuſtos primarius, in Jure patronatus regum Hungariæ. Viennæ edito An. Chr. 1762.

n) Hoc argumento TIMON in Epitome chronologica utitur.

o) Annal. Eccleſ. regni Hung. ad an. Chr. 1000. pag. 258. edit. Romanæ.

p) Inſcriptiones pallii hujus REWAIUS opuſculo de ſacra corona regni Hungariæ Tomo II. ſcript. rer. Hung. opera Cl. Schwandtneri, in hæc verba effert.

In dorſo circa circum infra cingulum hæc habentur verba:

Indictione XIV. a Stephano rege, & Geiſla regina, caſula hæc operata, & data Eccleſiæ S. Mariæ, ſitæ in civitate Albenſi.

Inter ſcapulas ad imaginem Chriſti, hæc exſtant

Hoſtibus en Chriſtus proſtratis emicat alte.

In humero dextro ad imaginem B. Virginis hæc leguntur.

Emicat in cælo ſanctæ genitricis imago

In humero ſiniſtro ad imaginem B. Joannis Evangeliſtæ

Dat ſummo regi famulatum concio cæli

rum imagines phrygio opere, auro intextæ, in palmatæ veſtis ſpeciem, non ſolum mirifice exornabant, verum etiam ſingularis myſterii repræſentatione longe reddebant auguſtiſſimum. Tenuit hic ornatus uniformi per aliquot ſucceſſiones uſu, deinde tamen arbitratu Principum varius evaſit, nec tam vetuſtate, & cenſu operis, quam religione, & venuſtate artis ſpectabilis habetur. Sed etiam, quod ad coronationem ſpectat, non omnia, quemadmodum fieri deinde poſteris conſuevit, eo ordine & lege circa Stephanum ſunt peracta, quando nondum erant omnes Epiſcopi conſtituti, quorum hodie ſingulorum diverſa ſunt in rege coronando munera rite obeunda. Addendum his erat, nec optimates ætate Stephani ad hodiernum morem fuiſſe, quorum in coronandis Hungariæ regibus partes non poſtremæ ſunt.

Coronæ regiæ forma, & precium. Non erit abs re, neque exteris moleſtum, ſi cujuſmodi formæ corona ſit, quam Silveſter donum Stephano miſerat, referamus. Petrus Rewaius vir non litteris modo, ſed genere etiam illuſtris, ac olim unus ex duumviris, quorum fidei ſacer hic theſaurus credi ſolet, omnium inſtar erit, cujus auctoritas, quoniam & cominus eam intueri, & contrectare, ſingulaque, ut erat rerum iſtiusmodi ſtudioſiſſimus, ad examen revocare integrum fuit, præ ceteris valere poſſit. *Eſt itaque*, ut ille ſcribit, *forma ſacræ coronæ, auro ſolido, artificio ſculpturæ magis cæleſti, quam humano in orbem fuſa, a cujus latiore circumferentia pariter pinnæ florentes forma triangulari ſimiliori circum eminent, quatuor angulis rectis ſe mutuo interſecantes deſinunt in crucem. In ipſa vero circumferentia, fronte recta, imago Salvatoris noſtri pomum tenentis, ex adverſo Divæ Matris Virginis, & deinde ſacerrimus Apoſtolorum ordo, regumque, ac Imperatorum, Martyrumque Chriſtianorum, ut videre licet litteris Græcis, cujuslibet imaginis aureis vultibus, ac propriis trophæis per corpus totum, uſque ad crucem ſummam mutuo conſequuntur, interjectis cuilibet ſacræ imagini gemmis ac unionibus candicantibus, ſmaragdo, atque item pretioſiſſimis lapidibus, Saphiro, Hiacintho, Chryſolitho, Rubino* (q). *Et quidem Saphirum*

In ſummitate ſupra fimbriam a tergo
Seſſio regnantem notat, & Chriſtum dominantem
Circa collum ex ſiniſtra parte Crucifixi
O Spes certa Salutis
A dextra parte crucifixi majuſculis litteris
R. R. E. T. O. B. VMBRA.

Harum litterarum notionem geminam Rewaius affert, prima ei præplacet in hæc verba: *Regina, Romanæ, Eccleſiæ, Totiusque, Olympi, Beata, Virgo, Maria, Bellicoſi, Regni, Advocata.*

Juvat cetera quoque Regum Hungariæ inſignia hoc loco ejuſdem Rewai verbis afferre. Suntque ſequentia.

Pomum aureum, aut ſphæra, cui crux inhæret, arcano rei ſacramento fortunæ volubilitatem denotat. - -

Gladius item D. Stephani, veteri forma in mucronem rectum deſinens, quem ille victis tot fidei Chriſtianæ hoſtibus, utendum futuris regibus in ſimili cauſa conſecravit. Quem more Hungarico peculiari rex coronatus, ſub dio, in illuſtri tumuli conſpectu eques pruno curſu verſus quatuor mundi plagas vibrare ſolet, ſignificans eo, ſe pro lege, & pro grege ſtrenue pugnaturum, a quacunque parte hoſtibus infeſtantibus bellum interminatur. - - Qui mos hodieque uſurpatur & Reginarum prima omnium, quod puto, poſt Mariam Ludovico I. prognatam uſa fuit, Auguſtiſſima Maria Theresia, Caroli VI. Imperatoris filia. Manifeſto argumento jam tum perſpexiſſe Hungaros, virilis animi feminam contra multiplices & acerrimos hoſtes nec ſibi, nec regno defuturam.

Chirothecæ candidæ monent regem ne ſubditorum bonis inhiet. - -

Calceamentum denique vigilantiæ, & induſtriæ ſymbolum eſt, quo rex admoneri debet, ne in rebus, quibus ſaluti, & regni commodo conſulitur, ſtudium & induſtriam ponere detrectet.

His ita ſubjungit. *Præter iſta, fuerant aliquando plura coronæ adjuncta ornamenta, ut pote, duplicata crux - - deinde cingulus, hyacinthus auro incluſus, monile lapidibus variis diſtinctum, ſericum ex auro & gemmis contextum. Verum cum illa inter alia regni clenodia non habeantur, nec amplius, quod ego ſciam, exſtent, quis eorum in coronatione uſus fuerit - - ſcrupuloſe indagare, meæ operæ non eſſe judicavi.*

Locus coronæ olim Alba Regia, tum Wiſſegradum fuit, nunc Poſonium eſt. Cuſtodiendam duumviri obtinent, qui jure jurando ſe obſtringunt, nulli coronam invitis rege, & regno ſe daturos, neque ullum ad eam viſendam admiſſuros, viſuroſque certis anni temporibus numquid ſuſpicionis aut periculi ad eam amittendam ſubſit, ſique ex hac cauſa, aut belli tumultu quod ſubeſſet, continuo Regem, aut Palatinum admonituros, ut periculo caveant.

q) In commentario de S. corona regni Hungariæ. Fridericus III. Rom. Imp. in diplomate Hamburgi Auſtriæ ſignato 3. Auguſti Anno Chr. 1440. quo teſtatur ſe ab Eliſabetha vidua Regina ſacram coronam Hungariæ pignoris loco accepiſſe pro 2500. Hungaricis florenis, neque iſtos ſe niſi elapſo biennio repetiturum, ait in laudata corona Saphiros LIII. Balaſios, aut Balaſſios, eſt certa Rubini ſpecies, L. unum Smaragdum, & 338. uniones eſſe, ipſamque coronam cum omnibus precioſis lapidibus quos recenſuit, ipſa-

rum, qui Matthiæ regis tempore ruptus fuit, eoque pacto cognoſcendæ & recipiendæ genuinæ
Ungarorum coronæ a Friderico III. , . . *indicium dederat, Matthias II. cujus auſpiciis fe-*
licibus ſacra corona in ſedem patriam rediit, inſertione alterius ſupplevit, qui etiam nunc in
averſa occipitii parte medius conſpicitur. . . . *Ab aurium naturali parte una quatuor, ab*
altera totidem gemmæ pretioſiores, octo ex catenulis aureis dependent appendicum velati loco,
quæ ad lenem ſacri capitis motum mutua quaſi harmonia ſeſe commovent, ut nimirum rex aures
divinæ, humanæque conſecrando juſtitiæ, accuſanti unam, reo commodaret alteram, &
omnia ad divini nominis gloriam, oppreſſorum levamen, famamque bonam, & exiſtimationem
referret. Nona vero ſingularis, a poſteriori parte coronæ, qua occiput circumdat, appenſa
catenulæ in modum reliquarum conſpicitur, eo ſymbolo, ut rex, Jani illius bifrontis imagi-
nem imitatus, ſiquidem ut plurima præteritis futura ſimilia ſunt, eo, quod in mundo eadem
ſemper luditur fabula, quando de rebus conſultatio incidit, reſpiciat ad acta ſuperioris ætatis,
ſicque memor præteritorum de futuris etiam rectius deliberet.

Hæc ſacræ coronæ imago & forma, quam idem nobiliſſimos auctor, quod *Illuſtris.*
græcos characteres referat, Græcanici quidem artificii, & a Conſtantino M. ad Sil- *Rewai de*
veſtrum I. Pontificem Maximum olim dono miſſam arbitratur. Cl. autem Kollarius *corona*
Silveſtrinum fuiſſe opus, ac in eo Conſtantini M. nomen græcis litteris propterea *auctore*
exaratum, quaſi ea ratione Græcos ob ſeceſſionem ab Eccleſia factam, minus dignos *opinio.*
imperio haberet, veriſimiliter exiſtimat, præſertim quod manifeſtum ſit, coronam
ob exilitatem græci characteris, qui multo ſerius uſurpari cœpit, ad Silveſtri I. &
Conſtantini M. ætatem pertinere non poſſe (*r*). Quidvis ſit, Schwartzius contra- *Schwart-*
riam omnibus rationem ſic ducit, ut coronam minime omniom a Romanis Pontifici- *zii cavil-*
bus ad Hungaros perveniſſe, ſed a Græcis Imperatoribus ducum alicui, qui ante *lationes.*
Stephanum in Hungaria rerum potiebantur, collatam eſſe ſibi perſuadeat. Juvat fu-
cum, quem aliorum oculis obtrudere conniſus eſt, hoc loco detergere (*s*). *Et*
vero qui Stephanum (inquit) *diadema a Pontifice obtinuiſſe perhibent, Silveſtri opus, quod*
duci Polonorum prius deſtinaverat, quam ad Stephanum, divino oraculo monitus, illud mit-
teret, uno omnes ore fuiſſe fatentur. Id ipſum charta Silveſtri, quæ una cum corona ad
Stephanum, ſi diis placet, fuit transmiſſa, nobis inſinuat. Sic enim in ea Pontifex: ora-
mus omnipotentem Deum (*inquit*) - - qui diadema, quod duci Polonorum confe-
ctum per nos fuerat, tibi dandum mandavit. - - *Hic vero Inchoferum, diplomatis*
Pontificii auctorem, ejuſque ſocios, diplomatis defenſores, concluſos teneamus, ut ſeſe, ſi
poſſunt, expediant, nobiſque dicant, cur Silveſter, non Conſtantini Magni tantum, ſed &
aliorum imperatorum Græcorum imagines, in ſui operis cimelio elucere voluit? cur græcis eas
litteris inſignivit? cur univerſam coronæ formam, contra occidentalium regum morem, Græ-
corum æmulam finxit? reſpondeant illuſtriſſimo Comiti de Rewa, ſine omni fuco ſignificanter
eam in rem diſſerenti, quod ſi Pontifex, inquit, ſive fuerit ille Benedictus VII. ſive
„Silveſter II. dictum diadema fieri curaſſet, tum habuiſſet cauſam, propter quam a
„characteribus linguæ græce in opere proprio abhorreret. Gentem enim græcam,
„imo terram ac linguam ipſorum, ob ſchiſma & divortium a Romana religione factum,
„graviter oderat eo magis, quod toties per Pontifices tentata concordia, nullo pacto
„ad conformitatem fidei reduci poterant. Quin potius Pontifex, velut opus ſuum,
„litteris latinis atque nominibus Romanis, imaginibuſque exornaſſet, quo & beneficium
„donumque poteſtati Romanæ & genti conforme, illuſtrius fuiſſet. Et quid magis
„ad probandam rei veritatem evidens, quam communis rerum diſcretio per notas,

„vel

ipſaque vita ſericea, qua coronæ interior pars veſtita eſt, appendere novem marcas, & tres uncias. En verba ipſa diplomatis germanici, ut habetur in ſanctiori Tabulario Aug. Dom. *Wir Fridreich von Gotes gnaden Römiſcher Kunig &c. bekennen für uns, und unſer Erben, und tun kunt offenlich mit dem brief, als wir der Durchleuchtigſten Fürſtinn unſerr lieben Mumen, Frawn Elizabethen, ze Hungern, Dalmacien, Croacien &c. Kuniginn durch irrer fleiziigen pet willen, und zu irn merkleichen notdurften, dritthalb tauſend guter newer ungriſcher guldein haben geliben, dafür ſie uns in unſer gewalt geben, und geantwurt hat ain guldaine Coron mit drein und funfczig Saphyrn, funfczig Palayſen, ainem Smaragd, und mit drein hundert, und acht und dreiſſig Perlein, und wiegt dieſelb coron mit ſampt demſelben edelngeſtein, Perlein, und dem ſeydein Hewblein, das drinn iſt, newn March, und ſechs Lot &c.*

r) Io jure Patronatus regum Hungariæ.

s) Apud Stiltino in Comment. prævio ad vitam S. Steph. §. XX. num. 205. & ſeqq.

1000.

„ vel poſſeſſoris vel auctoris proprias; ſiquidem hic & imago Conſtantini eſt, & in„ſigne ejuſdem crux invenitur. Quibus tanquam triumphato hoſte paucis interjectia in hæc verba ſubjungit: *hic murus aheneus eſto, quem Baronius, Inchofer, omneſque ſui ſimiles regnum Hungariæ pro auri pondere mercantes, regeſque ipſos in curiæ Romanæ ſervitutem addicentes arietare tentent* . . .

Refelluntur. Inhumanum, parumque prudens dictum, &, haud ſcio, an omnibus heterodoxis, præſertim quos liberale ingenium, & politior vitæ ratio ab vulgo ſecrevit, probatum. Murum hunc aheneum, ſed maximam partem ex paleis conſtructum, dudum ante Eruditiſſimus Hagiographus Stiltingus (*t*) a fundo ſubrutum, ſolo, cui innixus erat, æquavit. Ad coronam quod attinet, huc omnia argumenti vis redit denique. A Græcis confectam eſſe prodit litterarum græcarum inſcriptio, itaque certum eſt a Græcorum Imperatore, tametſi certum non ſit, a quo, non item Pontifice Romano, minimeque omnium ab Silveſtro Hungaris miſſam fuiſſe. Ludicra conſecutio. Nam ſi id jam Schwartzio daremus, coronam ob Græcam inſcriptionem græcanicæ artis eſſe, quod tamen exactum non eſt, alioquin, ſi tam acute velimus argutari, (*u*) templa & ejuſmodi monumenta, quæ Romæ alibique exſtant græcis litteris inſignita, transferri e Græcia in exteras regiones oportuerat, tamen confectaneum non eſt, a Pontifice Romano Hungaris non transmiſſam eſſe, præſertim ſi conjecturæ, quas ſupra adduximus, locum habent, quemadmodum nihil cauſæ eſt, cur habere locum non poſſint. Manet itaque certum, & indubitatum, coronam, cujus tantum a primordio apud Hungaros precium erat, ut eam ſplendidiſſimo ſacræ atque angelicæ cognomento honeſtarent, a Romanis Pon-

Auctoritate ſcriptoris coævi. tificibus ad Hungaros, a Silveſtro ad Stephanum perveniſſe. Cujus rei luculentum ſane coævi auctoris Ditmari Merſeburgenſis Epiſcopi, neque magno ab Hungaris intervallo remoti teſtimonium exſtat, qui Stephanum coronam, & benedictionem Ottonis III. hortatu obtinuiſſe perhibet, non utique a græcanico Cæſarum aliquo, aut Byzantino Patriarcha, cum conſtet illis ab exortu Romano Germanici imperii acerrima factionum ſtudia cum occidentis Imperatoribus, his autem ab Photii tempo-

Et regum noſtrorum luculento teſtimonio. ribus perpetuam cum Romanis Epiſcopis æmulationem interceſſiſſe. Adde quod Andreas & Ladislaus, ille id nominis ſecundua, hic quartus, Divi quondam Hungariæ regea, ſacrum coronæ pignus a Romana ſede obtentum litteria in lucem editis diſerte fateantur. (*x*) Ipſe adeo Protorex Stephanus condito honoribus Beati Mauricii in ſilva Baconienſi cænobio, ſententiæ huic adſtipulatur, *a Romanæ ſedis*, inquiens, *ſupremo Pontifice habui auctoritatem, ut quibus vellem Eccleſiis, ſeu monaſteriis libertates, & dignitates conferrem*, (*y*) ſine dubio Silveſtri litteria innixus, quibus donum miſſa corooa Stephano poteſtatem *eccleſias regni & præſentes & futuras ſui ac ſucceſſorum . . vice diſponere, atque ordinare apoſtolica auctoritate ſimiliter* conceſſit. Quare neceſſe eſt, alterutrum Schwartzius ut fateatur, aut Hungaroa coronam ab Pontifice Romano accepiſſe, aut Stephanum, & quos ſupra laudavimus, Divos Hungariæ reges, quoniam improbabile eſt, eos in re tam gravis momenti, & ad regnum attinente hallucinatos eſſe, impudentiſſimi mendacii arguere. Utrum malit, in illius arbitratu erit.

1001. *Rex Conſtitutis* Regiam cum corona dignitatem ab Silveſtro adeptus Stephanus curaodæ rei publicæ animum ſolerter applicuit. Primumque ab ſacris orſus, datam a Pontifice pote-

t) Loco laudato.

u) In jure patronatus regum Hungariæ, quod a Cl. Kollario Bibliothecæ Auguſtæ Cuſtode Primario editum eſt.

x) Apud Raynaldum ad an. Chr. 1233. Num. 51. ita Andreas II. ad Jacobum Præneſtinum Apoſtolicæ ſedis Legatum ſcribit. *Hunc regem ſanctæ & recolendæ memoriæ intelligimus beatiſſimum Stephanum, gentis Ungaricæ primum regem, qui ad regni ſolium auctoritate propria noluit ſublimari - - - & ideo non a quolibet, ſed a Vicario JESU Chriſti, & Petri beatiſſimi ſucceſſore per revelationem divinam ſummo Pontifici factam aſſumſit regni diadema.* - - Et Ladislaus apud eundem Raynaldum ad an. Chr. 1279. Num. 31. *Divinæ viſitationis exordium quo nos Dominus verus oriens viſitavit ex alto, quo ſanctæ matris Eccleſiæ viſceribus adunamur, lumine Catholicæ fidei illuſtrati in progenitore noſtro ſancto rege Stephano - - recognoſcimus, ut debemus. - - Et ut principatum fidei in ſacro ſancta Romana Eccleſia conſiſtere - - luculentius demonſtraret, non a ſe, vel ab alio, ſed ab eadem Romana Eccleſia, matre omnium & magiſtra, regni diadema revelatione divina meruit obtinere.*

y) In litteris fundationis cænobii Beel apud Peterfy S. J. Tom. I. Concil. Hung.

poteſtatem opere ipſo explet, evectis ad Epiſcopatus viris, quos a pietate, doctri- na, ac fide in primis ornatos eſſe uſu compererat. Strigonienſi urbi, quam metro- politanam eſſe voluit, Dominicum Archi-Epiſcopum præfecit, Aſtricum nuperna legatione cum laude defunctum, Colocenſibus pari honoris prærogativa Antiſtitem deſignavit. Ceteros Epiſcopatus, quoniam de numero lis non levis inter auctores eſt, neque ad argumentum noſtrum per ſe attinent, ſcripturis hiſtoriam eccleſiaſti- cam relinquimus. Pari ſolertia cœnobium D. Martini in monte Pannoniæ ſitum, quod patre auctore coeptum erat, hoc anno ad finem adductum, memor, cujus auſpicio victoriam ex Cupa nuper retuliſſet, beneficiis, quæ regiam munificentiam proderent, ampliſſimis donarat, datis quoque publicæ fidei litteris, quæ & cauſam & magnitudinem beneficiorum poſteris conſignarent. (z) His perfunctus non minore cura res profanas complexus eſt, conditis ſapienter legibus, quibus gentis ferocia partim refrænaretur, partim civili conſuetudine perpolita ſenſim, ſeu ad amplecten- dam, ſive firmandam fidem aptior evaderet. Quas etſi anno abhinc ſexto ac deci- mo promulgatas primum conſtet, ut tum memorabitur, credibile tamen eſt, quod Carthuitius ſatis aperte (a) inſinuat, eas continuo, ut regis nomen Stephanus ac dignitatem conſequutus fuit, vim tabularum uſu ipſo obtinuiſſe. Porro dubium non eſt, prudentiſſimum regem legum rationem ad veteres Hungarorum mores ſic attem- peraſſe, (b) ut & rudi populo, qui diſciplinam Chriſtianam partim amplexus erat, partim ab ea abhorrebat, congruerent, nec religionis integritas quidquam detrimenti inde pateretur. Abhinc pro temporum habitu, nonnullas ab regibus, qui poſtea conſequuti ſunt, correctas, quaſdam ſublatas, pleraſque confirmatas legimus, quem- admodum ſi ad Colomani res ventum fuerit, meminiſſe, quantum ratio annalium ſinet, non omittemus.

Epiſcopalibus.

Voti religione ad montem Pannoniæ ſe expedit.

Prima legum profanarum lineamenta.

Sancitis legibus ne quavis, aut dolus per deſidiam ac detrectationem ci- vium obreperet, ſenatum ex graviſſimis & primariis viris conflavit, regalem propte- rea (c) compellatum, quòd in gravioribus cauſis ſecundum jus & æquum in aula ut reor, præſente rege ſententia ferretur, cujuſque maxima cura eſſet, religionem Chriſtianam adverſus malevolorum conatus & ſtudia defendendi. (d) Cetera judicia ſic partitus eſt, ut diviſo in comitatus regno, ſingulis provinciis comites (e) Paro- chianos præficeret, qui, niſi conjectura nos fallit, ejuſdem auctoritatis fuiſſe viden- tur, ac qui hodie comitatus Hungariæ ſuprema poteſtate moderantur. Hæc ut juris dicundi ratio rite eatenus adminiſtrari poſſet. Haud minus in dignitatum prærogati- tiva diſcrimen: Comitem, cui palatii, tum ducendi in hoſtes exercitus curam credi- derat, alterum ab ſe in regno eſſe voluit, a quo Proregum ſeu, Palatinorum Hun- gariæ incunabula pleřique noſtrorum deducunt. Primum omnium, qui eam dignita- tem ſub Stephano adierit, Cebam fuiſſe Jongellinus prodidit, cujus nomen in privi- legio Archi Abbatiæ D. Martini poſt Dominicum Archi Epiſcopum Strigonienſem anno præſenti conſignatum ſe legiſſe teſtatur. (f) De ceteris, dignitatum gradibus qui hodie obtinent, tametſi veriſimile ſit, Stephanum ad recte gubernandum regnum multiplices præfecturas inſtituiſſe, tamen vix aliquid, quod extra dubitationem ſit, afferri poteſt. Illud certum, ærarii & fiſci (g) rationes ita ab æquiſſimo rege conſti-

Magiſtratuum regni ratio.

Palatinus a rege proximus dignitate.

D

tutas

z) Exſtant litteræ apud STILTINGVM Tom. I. S. S. menſis Sept. in Comment. prævio ad vit. S. Steph. §. XV.

a) In vita S. Steph. cap. II. §. 13. *Poſt acceptum regalis excellentiæ ſignum, qualis vitæ vir, & diſcretionis fuerit, cum Epiſcopis, & Primatibus Hungariæ ſtatutum a ſe Decretum manifeſtum fecit.*

b) Ipſe Protorex id in præfatione ad Decretum ſuum innuit his verbis: *Quoniam unaquæque gens propriis regitur legibus.*

c) Paſſim id in Decreto S. Stephani legas, præſertim Cap. XIX. XX. XXVII. VIII. & IX.

d) Ita Cap. XII. Decreti ſui.

e) Cap. VIII. Decreti. Hæc quidem non tam ad annales, quam juris prudentiam attinent, ne tamen Majorum noſtrorum ea in re rationes exteros laterent, omittenda non cenſuimus; quem morem deinceps etiam, cum uſus feret, obſervabimus.

f) Tomo II. ſcriptorum rerum Hung. in Catalogo Palatinorum. Quod ſi Jongellinus reſpiciat ad litteras Fundationis Archi Abbatiæ D. Martini, ut illæ typis excuſæ proſtant, manifeſtum eſt, Jongellinum errore lapſum eſſe, nuſpiam enim in illis poſt Dominicum Archi-Epiſcopum legitur Ceba ſubſcriptus. Itaque alias litteras videtur intelligere, eodem anno 1001. datas, alioquin fide merito eatenus careret Jongellinus.

g) De fiſco regio diſerte fit mentio cap. XVI. Decreti.

1001.

tutas, ut tametſi acceſſiones ex multatione non levea ad id factæ ſint, tamen cuilibet jus ſuum ita immune eſſe voluit, ut rerum omnium, ſive quas hæreditate acquiſiſſet, ſeu quas regum donatione nanciſceretur, dominium in cujuavis arbitratu eſſet. Quæ donationes litteris publicis, ſed magnem partem, ut ex diplomatibus illius (*b*) ævi tametſi perpaucis, licet colligere, græco charactere exaratis ad fidem publicam faciendam roborari conſuevere. Ex quo non vana conjectura eſt, Stephanum a manu & arcanis ut plurimum Græcorum ac Latinorum opera, quoniam tudia adhuc litterarum tum Hungaria erat, in primordio uſum fuiſſe.

Procurata re publica Giſelam uxorem ducit Stephanus.

Ita intentum ſuorum ac rei publicæ commodis regem, ſpooſio, quam anno abhinc ſexto, dum pater adhuc viveret, cum Giſela pactus eſt, tum ætas, erat enim propemodum jam vicenarius, ad ineundum matrimonium invitarant. Fuit Giſela Henrici Bavariæ Ducis cognomento Rixoſi filia, ſoror autem Henrici poſtea Imperatoris, a Wolfgango Ratisbonenſi Epiſcopo, qui mira eventuum futurorum ſcientia inclaruit, jam olim Regina compellata. Præter ſororem Brigittam Ratisbonenſis parthenonis antiſtitam, fratrem quoque illi fuiſſe Brunonem, Auguſtanum deinde Præſulem, coævi ſcriptores communiter perhibent. Atque Brunonem hunc cupio, ut ne e memoria elabi ſinamus, quod inter tot variantes ſcriptorum opiniones fere certam conjecturam ſuppeditaturus ſit de anno, quo matrimonium contractum fuerit, de qua re paullum poſt acturi ſumus, ſi prius, quæ noſtrorum de Giſela opinio ſit, viderimus.

Quæ noſtrorum Scriptorum de Giſela opinio ſit.

Eam plerique, ut Bonfinius memorat (*i*), perhibent fuiſſe *Guilielmi ducis filiam; . . Guilielmum S. Sigismundi Burgundionum regis fuiſſe fratrem, & poſt Sigismundi martyrium, ne interitum dixerim ad Henricum Imperatorem confugiſſe, ejus juſſu Venedis fuiſſe collocatum, Gertrudem Imperatoris ſororem in uxorem habuiſſe, & ex ea Giſlam filiam accepiſſe Ungariæ regi deſponſatam. Gertrude tempeſtiva morte ſubrepta S. Stephani ſororem ſibi copulaſſe, ex eaque genuiſſe Petrum, qui ad regni faſtigium evectus eſt.* Hæc fere noſtri, at quam recte ex illo perſpicuum ſit, quod Guilelmum Sigismundi Burgundiæ regis fratrem poſt hujus martyrium ad Henricum Imperatorem confugiſſe exiſtiment, quem tamen jam Seculo VI. martyrii coronam adeptum fuiſſe certum eſt. Quod temporis intervallum cum Bonfinius, ut credibile eſt, obſervaret, duas conjuges ejuſdem nominis Stephaoum habuiſſe conjectar, ſed coojectura hæc, quod illius nullum apud veteres veſtigium exſtet, merito inter commenta a pleriſque rejicitur.

Graviter plerique errant.

Credo ego ſcriptoribus noſtris errorem eam præcipue ob cauſam obrepſiſſe, quod Giſelæ hujus matrem cognominem cum filia confuderint. Nam Giſelam conjugis Stephani matrem, filiam fuiſſe Conradi Pacifici, Burgundiæ regis, qui juvenis admodum amiſſo Patre Rudolfo II. ad Ottonem I. Imperatorem Romanorum confugerit, ac poſtea Henrico Rixoſo copulatam ſynchroni annaliſtæ tradunt.

Erroris hujus origo.

Atque hinc error apud noſtros probabiliter natus, ut quæ Giſelæ matri tribuenda erant, filiæ itidem Giſelæ, quam ex Henrico rixoſo Bavariæ duce ſuſtulit, ac Stephanus deinde conjugem duxerat, perperam adſcriberent.

Statuitur annus initi matrimonii.

Annum vero, quo matrimonium inter Stephanum & Giſelam coaluerit, vehemeoter ſcriptores variant: Sigebertus (*k*) M. X. conſignavit, Aventinus (*l*) contra cum (*m*) Inchofero quintum ſupra milleſimum, Hanſizius (*n*) non definito ſingilatim anno conjugium id inter milleſimum & tertium, Stiltingus (*o*) denique ad milleſimum ære Chriſtianæ affigunt. Id certum eſt, nuptias ante annum M. III. jam celebratas fuiſſe. Nam Adelboldus Epiſcopus Ultrajectenſis temporum illorum ſcriptor, & Henrico Imperatori perquam familiaris, Brunonem, cujus ſupra a nobis memoria injecta eſt, ad Giſelam ſororem jam tum Hungariæ reginam, itaque Stephano matrimonii jure jam conjunctam, fugiſſe perhibet: *Dominus* inquit *Bruno - - apud Buliſlaum conſolationem non inveniens ad ſororem ſuam Ungaricam Regi-*

b) Patet id ex diplomate dato Monialibus in valle Veſprimenſi, tum in Colomanni quoque litteris, quibus idem diploma inſertum eſt. Ejuſdem comatis eſſe puto litteras nobilium de Mehes in Nyék qui pagus eſt inſulæ Cittuorum quas quidem videre mihi non contigit.

i) Dec. II. Lib. I.

k) In Chron. ad cit. ann.

l) In annal. Boicis.

m) In annal. Eccleſ. regni Hungariæ.

n) Tom. I. Germ. ſacræ.

o) In Commeot. prævio ad vitam S. Stephani §. XVII.

Reginam confugit. (p) Fugam autem hanc, etſi Adelboldus ad initia anni MIV. con- ſignet, veriſimilius tamen eſt ad exitum anni prioris eveniſſe. Cum enim hoc anno poſt captam ab Henrico Imperatore Cruzianam, Bruno cum Hezelone io Bohemiam ad Boleslaum hujus nominis III. fuga evaſiſſet, Imperator autem ineunte autumno magnis itineribus veniſſet in Miſniam, inde in refractarios Bohemos bellum moturus, veriſimile eſt, Brunonem male ſibi a fratre metuentem in Hungariam ad ſororem eodem autumno fuga evaſiſſe. Alioquin ſi, quod Adelboldus innuit, ſuga (q) Brunonis exeunte Februario anni M. IV. contigit, amicitiæ autem redintegratio ejusdem cum Henrico fratre ante diem Palmarum, difficile prorſus erit, hæc duo intra tam breve tempus conciliare, præſertim ſi itineris, quod Bruno ex Bohemia in Hungariam, ex hac porro ad collimitium Tyrolis confecit, rationem habeamus.

Hæc illo faciunt, ut oſtenderemus, matrimonium inter Giſelam & Stephanum ante annum MIII. fuiſſe initum, tametſi ex his confieri liquido non poſſit, quo *Aliter ſentientium rationes conciliantur.* præciſe anno initum fuerit. Mihi neuter ex duobus, ſive MII, ſive III. matrimonio huic videtur congruere, quod conſtet Stephanum utroque hoc anno cum Tranſilvanis bello implicitum fuiſſe, itaque magis curarum mole oppreſſum, quam ut his oblectamentis indulgeret. Neque cum Stiltingo auſim nuptias ad annum milleſimum priuſquam Stephanus coronam ab Silveſtro obtinuiſſet, conſignare, quod maximam fere partem in ordinando regno, deſignandis ſacerdotiis, miſſo Romam legato, hujus in Hungariam reditu, ac denique apparatu coronationis effluxiſſe, ex rebus narratis facile conficitur. Non me quidem latet, Stephanum a Ditmaro generum Henrici Bavarorum ducis, ſuperſtite etiamnum Ottono III. dici, cumque hujus hortatu coronam & benedictionem Roma conſequutum eſſe. Opinor tamen Ditmarum eo modo intelligendum, ut ceteros Chronographos, qui ſexto abhinc anno Giſelam Stephano deſponſatam perhibent, itaque generum duntaxat deſignatum, re autem ipſa nondum fuiſſe, præſertim quod Carthuitius hujus connubii mentionem haud ante faciat, quam de corona, Pontificia munere, narrationem pertexuiſſet. Itaque veriſimillimum mihi eſt, Stephanum anno ſupra milleſimum primo, poſteaquam curis, quas coordinando ſapienter regno impenderat, ſeſe explicuiſſet, & annus hic a belli metu vacuus videretur, connubium cum Giſela iniiſſe.

Nuptiarum ſolennia Schyræ (r) pervetuſto Bavariæ caſtro celebrata ferunt, *Nuptiæ in Bavaria celebratæ.* quo Stephanum præcipuorum virorum comitatu ſtipatum veniſſe, ac connubium regio celebraſſe apparatu a vero non abhorret, præſertim ſi celebritatem eam, quod credibile admodum eſt, Otto III. Imperator, ac Henricus Giſelæ frater Bojoariorum dux præſentes cohoneſtaruot. Adductam poſt nuptias in Hungariam conjugem, ſacro chryſmate delibutam, ac coronatam eſſe refert Chartuitius. (s) Opinor eodem fere ritu Giſelam corona redimitam eſſe, quem poſterius, cum Auguſtæ noſtræ coronarentur, uſurpatum fuiſſe comperimus, & a more, quem regibus inungendis adhibent, non nihil diverſus eſt. Impoſito enim dextro reginæ humero diademate Silveſtrino, *peculiari corona, quam ipſa regina in eum ſibi comparare conſuevit uſum, ab Epiſcopo Veſprimienſi, cui ex veteri conceſſo privilegio id competit, coronatur.* (t)

Mira profecto ſunt, quæ in Calendario Benedictino (u) de his nuptiis con- *Unde inſignis error Bavaricis Scriptoribus obrepſit.* ſignantur, nec temporis, nec rerum, ut oportebat, ſervata ratione. Poſt commemoratum Geiſæ in Chriſtianoa ſtudium, *hoc unum*, ita ſcribit, quiſquis auctor illius Calendarii fuit, *habebat ſolicitum Principem, quam filio, cui regnum moriens cederet, novam nuptam deſponderet. Giſela noſtra Henrici jam tum jura Bavariæ dantis ſoror - - Geiſæ arridebat. Commeant igitur deſtinati ex Ungaria proceres in Boicam, una novus ſponſus Geiſæ filius inter Legatos adeſt. Promuntur munera, expeduntur litteræ, petitur Henrici ſoror, Giſela ſiſtitur. Ut erat vultu venuſtiſſima; mirum, ut oculos Legatorum, & in primis procantis ſponſi occuparit. Quæritur ex puella Ducali, ut animata ſit, num libeat*

D 2 *po-*

p) In vita S. Henrici. Tom. III. SS. menſis Julii ad diem XIV.

q) Ibidem.

r) Hansiz. Tom. I. Germ. ſacræ, & Inchofer in annal. Eccleſ. ad an. 1005.

s) In vita S. Steph. cap. II.

t) Rewai in Comment. de ſacra regni Hungariæ corona.

u) Parte II. pag. 348. &c.

potentiſſimæ Ungariæ Principem eſſe? cum illa caput quatere, averſari ſe idolorum mancipia, quæ Chriſtianis legibus authorata ab incunabulis eſſet, dicere. Ceterum neque ſponſum, neque patriam, ſi modo a ſacris fidei alieni non ſint, abhorrere, factaque pro ſe fratri pluribus perorandi copia verecunda conticuit. Cum Henricus, audiſtis, inquit, quæ ſororis meæ vota ſint, quæ exceptio? Colimus, & amamus Ungares, fortiſſimam gentem, ſed - - de ſororis meæ ſententia certus ſum, neque enim in ſponſum ægre conſenſura eſt, ſi modo, ut in torum, ita in religionem Chriſtianam a ſponſo ſponſio dabitur. - - Par amborum cultus religionis eſto, & ſponſalia in promtu ſunt. Mollis jam, & in Giſelam, & ſacra fidei noſtræ animo ſponſus, nequidquam tergiverſatus, ſe in poteſtate ſoceri futurum promiſit. Advocantur ſacri Antiſtites, docetur fidei ſacramenta Stephanus, fonte luſtrico Schyræ - - Chriſto initiatur. Deſpondetur Giſela Geiſæ filio, & lætus hymen inter quam plurimos proceres ibidem celebratur. Diebus aliquot inter nuptiales epulas exactis, vale fecit Henrico fratri ſoror, abiitque nova nupta cum ſponſo.

Hæc ideo, quam neceſſe fuiſſet, prolixius, quia opinionem eam pleriſque rerum Bavaricarum ſcriptoribus penitus inſediſſe video. Sed quot verba, tot propemodum errorea, ut ex iis, quæ hactenus pertractavimus, perſpicuum eſt. Crediderim, primam Stephani, & Giſelæ ſponſionem, quam anno nonageſimo quinto ſeculi prioris coaluiſſe docuimus, & matrimonium hoc anno Schyræ confectum, occaſionem ſcriptoribus his præbuiſſe, ut, quæ ſecernenda erant, perperam confunderent.

Aventinus tamen omnium maxime hallucinatur.

Viam ad errorem, ut puto, omnibus præſtruxit Aventinus, qui, cum a rebus Henrici narrationem ad Hungaros traduxiſſet, in hæc verba ſubjungit: (x) *Rectori eorum filia Geyſonis - - Giſela ſoror Hainrici deſpondetur hac lege, atque ordine, ut ille exploſa falſorum deorum ſuperſtitione, Chriſti unius, & veri, & ſummi Dei cultum cum popularibus reciperet. Accepit conditionem Princeps Ungarus: ſtatimque aqua luſtrica tingitur, Stephanus appellatur, & a Cæſare rex nuncupatur.* Quoniam video hunc Aventini locum Conringio (y), & Ludewigo (z), celeberrimis ſcriptoribus impoſuiſſe, non erit abs re, ſi, quam magnopere Aventinus hic hallucinatus ſit, paucis expoſuero. Stephanum ab Adalberto baptizatum fuiſſe, coævua vitæ illiua ſcriptor prodidit, ut in veteribus Hunnorum annalibus ad annum 983. copioſe a me monſtratum eſt. Hunc autem anno 997. martyrio apud Pruſſos coronatum fuiſſe non modo laudatus vitæ illius auctor, ſed plerique illorum temporum Chronographi ſcripſere: proinde neceſſe eſt, Stephanum ante hunc annum ſacro fonte tinctum eſſe, quo certe anno Henricus, ut Aventino libuit ſomniare, Cæſar nondum erat, ut non inviti concedent, qui rerum Germanicarum ſcriptores vel a limine ſalutarunt. Neque, quæ altera Aventini hallucinatio eſt, Stephanus ab Henrico Cæſare rex nuncupari potuit. Etenim Stephanum anno M. ab ſuis regem ſalutatum, tum corona ab Silveſtro Pontifice miſſa redimitum eſſe, paullum ante confeci: Henricum vero Ottoni III. ſucceſſiſſe anno M. II. Adelboldus Epiſcopus Ultrajectenſis, auctor itidem coævus & Henrico perquam familiaris in hujus vita adnotavit.

Exemplo ſuo Conringium, & Ludewigum Cl. Juris conſultos in errorem inducens.

Fœdus Ludewigi lapſus.

Ex quo vehementer miror, doctiſſimum alioquin virum, & juris, ſi quem, conſultiſſimum Ludewigum, Aventini auctoritate in tam foedum errorem inductum fuiſſe, ut non modo crederet, Stephanum ab Henrico regem nuncupatum, ſed præterea ex familiaritate, quam Otto Friſingenſis utrique interceſſiſſe memorat, perſuaderi ſibi pateretur, non abhorrere a vero, Stephanum diploma regale ab Henrico accepiſſe, verum, ne Hungari quidquam de ſua libertate detractum putarent, id illis nunquam oſtenſum fuiſſe. (a) Profecto tam ſuperbe Henricum egiſſe cum Stephano, ut ei jam biennio ante legitime electo & coronato, diploma regale obtruderet, tum Stephanum hac fraude erga ſuos uſum fuiſſe, ut id Hungaros celaret, perſuaderi mihi non ſinam, quoad Ludewigus perſcrutatis omnibus Germaniæ tabulariis, in Hungaria enim fruſtra quæſierit, diploma in lucem educat.

Suomet teſtimonio refellitur.

Quid, quod ipſe nænias Pontificas de jure reges appellandi pertractans, diſerte ſcribat: *non alii - -, quam reipublicæ Hungarorum regalem dignitatem Stephanum debuiſſe.* (b) Si non alii debuit, cur

Poſt

x) Annal. Boic. Lib. V.

y) De finibus Imp. Rom. Germ. Lib. I. cap. XVII.

z) In Tractatu de auſpicio regum.

a) Ibid.

b) Cap. II. §. 5.

opus erat ſive Henrico diploma affingere, ſive regalem Hungariæ dignitatem illi in-
ſtruere? Hæc tam liquida ſunt, ut confutatione non egeant.

Poſt tædas nuptiales belli fax ex Tranſilvania Hungariæ illuxit. Coluit eam
plagam tribus Patzinacitarum, quæ Conſtantino Gyla, aut, ſi noſtrorum more ma- *Belli*
limus ſcribere, Gyula nuncupata fuit, origine quidem Hungari, ut alias a nobis di- *Tranſil-*
ctum eſt (*c*), ſed partium ſtudio jam olim ſecreta, Principibus parebat, Hungariæ *vanici ini-*
nunquam obnoxiis, & dum iſti ſacra Chriſtiana amplexi ferociam ſenſim ponerent, *tia.*
illi avitæ religioni perdite dediti, & contrariis acti ſtudiis nihil communionis abhinc,
quam Geiſa Saroltam ſibi matrimonio copulaverat, cum Hungaris habuere. Cau-
ſam religionis diſcrimen præbuit, &, ſi temporum rationem habemus, credibile eſt, *Cauſa.*
ſeditionem Cupæ ſimili de cauſa cœptam, magnos Tranſilvanis animos ſuffeciſſe ad
obmovendum bellum, quod noſtri communiter ad annum ſecundum ſupra milleſimum,
(*d*) Pagius contra ex Chronico Hildeaheimenſi (*e*), ad ſequentem conſignant. Sed
nullo negocio conſentientes reddi poſſunt, ſi cœptum quidem hoc anno bellum, ſe-
quente finitum dicamus, præſertim quod veriſimile non ſit, frequentes adeo Tran- *Et tem-*
ſilvanorum in Hungariam procurſiones, quarum noſtri memoriam faciunt, & oppo- *pus.*
ſita ab Hungaris arma, victoſque hoſtes unius anni ſpacio eveniſſe.

Præerat tum Tranſilvanis Gyula Stephani avunculus, qui cum moleſte fer-
ret, Hungariam a Majorum ſuperſtitionibus ad Chriſtiana ſacra tranſiiſſe, ſæpe nun- *Gyula*
cios ad Stephanum miſit, per quos, ſi Bonfinio fides, (*f*) acerrimis verbis regem *Tranſil-*
corripuerat, quod a Scythica religione deſciſcens univerſum populum in ſui conſecu- *vaniæ*
tionem traheret. Credo Gyulam cum ſuapte, tum eorum, quos Cupa duce ſedi- *Dux Ste-*
tionem commoſſe, illaque profligata in Tranſilvaniam receſſiſſe ſuſpicor, conſiliis *phanum*
illo permotum, ut vindicandam Majorum religionem adverſus pientiſſima Stephani *irritat.*
ſtudia & conatus, ſuſciperet. Itaque, dum nunciis nihil proficit, arma apparare,
infeſtis ſignis in Hungariam Tranſilvaniæ finitimam incurrere, agere rapinas, cædi-
bus promiſcue graſſari, & vaſtitatem circumferre. Excitus ſuorum querelis Stepha-
nus, ne quid præter neceſſitudinis vinculum, & hominis Chriſtiani morem gereret, *Monetur,*
Gyulam per feciales monuit, temperaret ſibi ab inferendis injuriis, neve bello, cui *ſed fru-*
cauſa data non fuiſſet, ſuos appeteret, alioquin ſi infeſtus eſſe porro pergeret, ſe, *ſtra, per*
quo iniquiſſimum maleficium a ſuorum capitibus propulſaret, ad corripienda arma, *legatos.*
coactum iri: hæc, ſi ſapiat, non alia via a ſe melius amoliturum, quam ſi miſſo
Scythicis ſuperſtitionibus nuncio cum gente, cui præeſſet, ſacris undis ablutus fidem
Chriſtianam amplectatur, idque ut facere velit, ſe magnopere orare, ut, qui ſan-
guine juncti eſſent, religionis quoque ſtudio conſentirent.

Hæc cum fruſtra, quamquam identidem Gyulæ ab rege nunciata eſſent, 1003.
bellum in Tranſilvanos decretum eſt. Collectis quantum ad domandam hoſtis vim *Hinc Bel-*
ſatis eſſe videretur copiis, profectio in Tranſilvaniam ſuſcepta, etſi Bonfinius neſcio *lum ab*
qua fide, regem ne mediocri quidem exercitu inſtructum profectionem ſuſcepiſſe *Hungaris*
ſcribat (*g*). Num collata ſigna ſint, an contra nihil habeo affirmare, brevi tamen *in Tran-*
tempore ſubjugatam provinciam noſtri pro comperto habent, quam ſenſim legibus Hun- *ſilvanos*
gariæ aſſuetam fidei quoque Chriſtianæ (*h*) Stephani opera nomen dediſſe veriſimile *decre-*
eſt, quod haud ita multo poſt a piiſſimo rege Epiſcopatum Tranſilvanienſem, qui *tum: illius*
Argenſis nomine alias inſignitur, fundatum probabile ſit (*i*). Gyula cum conjuge *exitus.*
ac duobus filiis in Hungariam traductus, & ſacro tinctus fonte, Tranſilvaniam dein-
ceps, ne res novas moliretur, nunquam vidit.

E Erat

c) Tertia annalium veterum parte Lib. I.
d) Ad an. 1002. num. 8.
e) Apud du CHESNIUM Tom. III. pag. 517. ad an. 1003.
f) Dec. II. Lib. I.
g) Dec. II. Lib. I.
h) THUROCZ. cap. XXIX. RANZANUS Indice VIII. Conſentit Chronicon Hildesheimenſe ita ſcribens: *Stephanus rex Ungariæ ſuper avunculum ſuum regem Julum cum exercitu venit, quem cum comprehendiſſet cum uxore & filiis duobus regnum ejus vi ad Chriſtianitatem compulit.* Et Ademarus Chabanenſis ita: *Stephanus etiam rex Ungriæ bello appetens Ungriam nigram,* (ita per errorem vocat Tranſilvaniam) *tam vi, quam timore & amore ad fidem veritatis totam illam terram convertere meruit.*

i) TIMON in Epitome Chronol. ad hunc annum.

1003.

Tranſilvaniæ ſitus, & incolæ.

Erat Tranſilvania Daciæ veteris nobilior pars, regio cum rerum omnium, tum in primis auri, & pecorum feraciſſima, Romanorum quondam deliciæ, ad extremum Patzinacitarum ſedes, quibus eadem quidem cum Hungaris olim fuere incunabula, partium tamen ſtudiis, dum in Aſia adhuc erant, diviſis perpetua armorum collatio interceſſit, quoad delati in Europam, quidquid Gepidæ & Gothi olim ad Pontum uſque Euxinum & Boryſthenem fluvium poſſedere, ſub jugum miſiſſent. Qui mediterraneam Daciæ partem obtinuerant, Tranſilvanorum poſtea nomen adepti ſunt, ceteros Cumanos fuiſſe nuncupatos conſtat: Hæc propterea, ut, ubi iſtorum procurſiones in Hungariam poſtea memorabimus, qua gente Cumani orti ſint, ne neſciamus. (*k*).

In provinciam redacta per Wayvodas regitur.

Ceterum Tranſilvania victo Gyula duce juribus Hungariæ ſemper obnoxia manſit, cui Stephanus Vayvodam vicaria poteſtate præfecerat. Opinor iſtos ejuſdem auctoritatis fuiſſe, cujus olim apud Hungaros, cum ex Aſia in Daciam delati ſunt, Boëbodi fuere, nomen enim illud ex hoc ortum trahere ob ſimilitudinem non improbabilis fortaſſe ſuſpicio eſt. Quis autem primus omnium hac dignitate ornatus fuerit, noſtri non perhibent, ſi conjecturæ tamen locus ſit, putem Zoltanum, cujus (*l*) Bonfinius meminit, hac prærogativa inſignem fuiſſe. Cum enim hunc laudatus ſcriptor Stephano cognatione junctum referat, eaque de cauſa profligato bello Bulgarico ab rege opulenta præfectura donatum, nullo autem documento confieri poſſit, Bulgariam Stephani ævo Hungariæ adjectam fuiſſe, opinor lapſum eſſe Bonfinium, & Zoltanum Tranſilvaniæ potius quam Bulgariæ ab Stephano cum poteſtate præfectum. Neque, quod ſibi Bonfinius perſuadet, Zoltanum hunc Stephani proavum fuiſſe veriſimile ſit. Nam cum is teſte Conſtantino circiter exitum Seculi IX. in lucem editus ſit, bene majorem centenario fuiſſe oportebat, dum præfecturam adiit, quod puto difficulter ſuaderi poſſe. Quare ne nihil Bonfinio tribuamus, non abhorret a vero, Zoltanum, quem Stephanus Tranſilvaniæ primum omnium præfecerat, regi quidem ſanguinis vinculo illigatum, ſed ex Zoltani proavi poſteris ſive nepotem, ſive, quod potius reor, & temporis ratio ſuadet, abnepotem fuiſſe. Ab hoc igitur Vayvodarum dignitas deinceps manavit, quorum nomina ad Belæ III. ætatem, quoniam inſtrumenta litteraria illius ævi aut nulla, aut rara, eaque tenebris obruta habemus, fere in obſcuro ſunt. Niſi Regum filios, ac propinquos ea dignitate intra id temporis intervallum ornatos fuiſſe ſuſpicari velimus. Emericum enim diſerte Ducem in vivis compellatum eſſe ex præfatione inſtitutionis paternæ liquet: Duces autem, quos ab Andreæ I. tempore tertiam regni partem adeptos infra dicturi ſumus, cum eam plagam, quæ trans Tibiſcum jacet, ſibi obnoxiam habuerint, credibile valde eſt, Tranſilvaniæ, quæ finitima fuit, jus quoque dediſſe.

Primus omnium Zoltanus fuit.

1004.

Imperator Henricus fratri, Stephano agente, conciliatur.

Exſtinctis turbis Tranſilvanicis pax inter Henricum & Brunonem fratres Stephani opera & ſtudio redintegrata eſt. Diſſidiorum cauſæ biennio abhinc jactæ ſunt. Ubi enim Henricus defuncto Ottone III. a pleriſque Imperii proceribus Romanorum rex electus eſſet, Hermannus Alemanniæ Princeps, quod regia dignitate excidiſſet, infeſtiſſimus Henrico fuit. Serpſit contagio ad plures, inter quos Hezelonem Franciæ optimatem fuiſſe Adelboldus prodidit. (*m*) Qui poſtquam cum Boleslao III. Bohemiæ Duce fœdus contra Henricum iniiſſet, Brunonem quoque hujus fratrem, & Auguſtana infula tum ornatum in fœderis communionem pertraxit. Profligato haud multo poſt ſeditioſorum exercitu, Hezelo cum Brunone in fugam conjecti ad Boleslaum ſe receperant. Cui dum Henricus infeſtis copiis immineret, Hezelo pœnitentia ductus, clementiæ illius ſe permiſit, Bruno contra fratris iram metuens, ad ſororem Hungariæ reginam, ut alias narravimus confugerat. Nihil non egit Giſela cum Stephano, ut fratrem Henrico conciliarent, veriti, ne diſſenſiones ipſo tempore incrementum acciperent. Commodum Henricus domitis aut pacatis Bohemis in Italiam contra Harduinum, qui Germanos crebris incurſionibus laceſſiverat, properare ferebatur. Eam occaſionem Stephanus occupans Brunonem cum Legatis, quos in eam rem legerat, ad Henricum miſit, juſſitque, darent ſedulo ope-

ram

k) Hæc prolixe tractavimus annal. vet. parte III. ad an. Chr. 889. & præfatione prævia ad hanc partem.

l) Dec. II. Lib. I.

m) In vita S. Henrici Tom. III. SS. menſis Julii ad diem XIV.

ram, ne quid diligentiæ in conciliandis fratribus prætermitterent. Interea Henricus magnis itineribus in Italiam properans ad Omugam (*n*) veris principio ſubſtitit, & copiis, quas iſthic coire juſſerat, præſtolatur. *Ibi ei Dominus Bruno*, ut Adelboldus habet (*o*) *cum legatis Ungarici regis, qui ad intercedendum pro eo veniebant, ad ſe rever-ſus obviam venit, & veniam pro commiſſis humiliter poſtulans, fratris viſcera movit, & celeriter ad ignoſcendum inflexit. . . Qua decuit ergo pietate recepit, & receptum, qua debuit, familiaritate ſibi colligavit.* Legati re feliciter patrata in Hungariam rediere.

Ab horum reditu *ingens a Bulgaris, Sclavorum genere natis bellum exoritur. Quippe qui inferiore Myſia quondam potiti, quæ ultra citraque Iſtrum ad Euxinum uſque Pontum effunditur, nunc iidem Cea duce*, aut ut alii habent Keano, *finitimos adoriuntur, prædas abigunt ingentes, & latrociniis, ac incurſionibus late vagantes pro viribus cunctos infeſtant, nunc Tranſilvaniam, nunc Ungariam diripere contendunt. Ad coercendam horum audaciam magnum ubique delectum rex habere cogitur. Nam non ſolum hoſtes numero, roboreque potentes, verum etiam locorum difficultate, munitioneque inacceſſibiles aditurus erat. Comparatis igitur magnis copiis inferiorem Myſiam ingreditur, durum hoſtem invenit. Sæpius manu æquo marte conſertum. Bulgari tandem noviſſimo prælio terga vertunt, lateque funduntur, fuganturque. Ceas eorum Princeps in pugna cæſus, caſtraque direpta, e quibus tanta præda acta eſt, ut nemo ſpoliis hoſtium inoneratus abierit, tantaque auri, argenti, ac lapillorum inventa copia, ut quidquid multis illis bellis congeſſerint, uno prælio amiſerint.* In hæc verba Bonfinius. (*p*)

Origo belli Bulgarici.

Sunt, qui id bellum cum Tranſilvanico idem eſſe velint, & Ceanum qui inter Bulgariæ reges nullum locum occupat, Gyulæ ſuppetias veniſſe, atque a Stephano, cum in Tranſilvanos moverat, eadem opera profligatum. (*q*) Verum quia noſtri communiter Bulgaricum bellum a priore ſecernunt, nihil cauſæ eſt, cur eatenus Bonfinio non adſtipulemur. Quamquam hunc in pluribus erraſſe perſpicuum ſit. Nam Mæſiam ultra citraque Iſtrum male omnino collocat, cum conſtet utramque hujus nominis provinciam ex citima Danubii ripa fuiſſe, & inferiorem poſterius in Bulgariam commigraſſe. Quare improbabile prorſus eſt, Stephanum cum copiis in Bulgariam profectum, cum, ut paullum infra idem Bonfinius refert, in Dacia prælium conſertum ſit. (*r*) Niſi dicamus Bulgaros trajecto Iſtro belli molem, & Stephanum infeſtis ſignis incumbentem in Tranſilvaniam traduxiſſe, quod tamen, quia illius affirmandi nulla, negandi contra plures cauſæ ſunt, aſſerere non auſim. Alioquin ſuppetias Tranſilvani a Patzinacitis multo commodius arceſſere poterant, quoniam & locorum intervallo præ Bulgaris vicinos, & ſanguine præterea illis conjunctos fuiſſe liquet, quippe unam in primordio cum Tranſilvanis gentem, & ſolum tribu diſtinctam, ut in veterum Hunnorum annalibus prolixe memoravimus. Iraque ſi quid conjectare licet, exiſtimo Keanum, quem nemo ſcriptorum, qui res Bulgaricas tractaſſent, inter Bulgariæ ſive reges, ſeu duces numerat, Patzinacitarum, qui Moldaviæ partem colebant, ducem fuiſſe, qui cum victos priore anno Tranſilvanos audiſſet, horum cladem obmotis armis hoc anno reparare voluerit. Bulgarorum autem nomen a noſtris ſcriptoribus per errorem Patzinacitis tributum inde puto, quod ea Valachiæ & Moldaviæ pars, quæ trans alpes ſecundo Iſtro verſus Pontum Euxinum procurrit, apud ſcriptores græcos medii ævi paſſim Bulgaria audierit.

Quod nonnulli cum Tranſilvanico confundunt.

Quidvis ſit, Stephanus victis Gyula & Keano, immenſis ſpoliis potitus, maximam eorum partem, quoniam victoriæ fructum cum DEO communicatum voluit, Eccleſiis donum dedit. Inprimis, ut ſcribit Thuroczius, (*s*) *Albenſem Baſilicam, quam ipſe fundaverat, aureis altaribus, crucibus quoque, & calicibus, indumentis etiam pontificalibus, contextis auro puriſſimo, & lapidibus pretioſiſſimis ditavit. Vaſa quoque miniſtratoria, & cetera utenſilia, eidem baſilicæ neceſſaria, nec non & aliis Eccleſiis DEI regali donavit largitate. Inter cetera vero dedit*

Hoc profligato ſpolia in Eccleſias rex diſtribuit.

E 2

n) Leibnitzius Ottingam legit.
o) Loco laudato.
p) Dec. II. Lib. I.
q) Stiltingus in Comment prævio ad vitam *S.* Steph. Tom. I. SS. menſis Septembr. §. XXV. Num. 277.
r) Dec. II. Lib. I. *& quum pugna*, ſcribit, *in ulteriori Dacia, quam Tranſilvaniam dicunt, geſta fuerit.*
s) Chronic. Cap. XXX.

1006.

dit eidem Albenſi Eccleſiæ quædam donaria ſempiternæ memoriæ digna, duo ſcilicet rationalia, (t) quorum utrumque habebat oram contextam ſeptuaginta quatuor marcis auri puriſſimi, & lapidibus pretioſis, quæ Benedictus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontifex ad preces ſancti Stephani regis, tantæ auctoritatis privilegio inſignierat, ut quicunque in celebrando Miſſam eis uteretur legitime, poſſet regem inungere, coronare, & gladio accingere. Hactenus ille.

Quorum quidem hic commemorandi, qui profanas res ſcribere nobis propoſuimus, locus non fuit, omittenda tamen non erant, quod imaginem nobis expingant regis, qui non minus in hoſtes fortis, quam adverſus DEum pius fuerit. Quæ duo ſi mutuo ſibi vinculo copulentur, non eſt facile dictu, quantum momenti ad regnorum felicitatem conferre ſoleant. Illud in Thuroczii narratione mirum videri poteſt, quod jus coronandorum regum illis ſine diſcrimine tribuat, quibus ſacri illius doni, cum ad aras operantur, uſus permiſſus eſſet, cum eam prærogativam Strigonienſibus Præſulibus, aut ſi iſtorum ſedes vacaret, Colocenſibus propriam eſſe omnibus compertum ſit. Quamquam poſterius, neſcio quam ob cauſam, priſcæ conſuetudinis ordo non nunquam præteritus fuit. (u)

Giſelæ in Veſprimienſem Eccleſiam munificentia.

Sed ad res Stephani revertamur. Giſelæ non minor, quam illius adverſus DEum amor, ac ſtudium exſtitit. Cum enim hic Albam Regiam ſumtuoſiſſima baſilica ornatum pergit, illa pari acta pietate Veſprimii Eccleſiam propriis, ut noſtri volunt, impenſis cœpit ex fundo educere. Eſt Veſprimium urbs ſalubri cælo, tum amœniſſimo ſita loco, ab ortu habens Balatonem, tota lacum Hungaria celeberrimum, & piſcium, ſi quem alium, feracem: ab occaſu & meridie colles vinetis ad elegantiam conſitos, a ſeptentrione ſilvam Baconienſem, ſaltuoſam inprimis & ab Danubio fere ad Stiriæ confinia porrectam. Sed maximum urbis ornamentum Antiſtes cum ſacerdotum collegio, quod ab Giſela rebus & ampliſſimis fundis, ut pro dignitate viverent, largiſſime donatum memoriæ proditum eſt. Atque hinc, niſi conjectura me fallat, opinor morem invaluiſſe, ut qui Veſprimienſes Præſules eſſent, iidem reginarum Hungariæ poſtea Cancellarii nuncuparentur, ut ſubſcriptiones veterum diplomatum paſſim docent.

1007. *Naſcitur Emericus, ceteris liberis ſuperſtes.*

Hæc Giſelæ in DEum munificentia. Haud minus ſe illi liberalem exhibuiſſe DEus videri poteſt, dum ſequente anno prolem maſculam felici partu enixa, regem regnumque univerſum recreavit. Albæ regiæ ſacro (x) fonte a templi præpoſito ablutus nomen Emerici tulit, quamquam veriſimilius ſit, in avunculi gratiam Henricum dictum, quod nomen deinde ex uſu gentis in Emericum abierit, Illyris autem neſcio quam ob cauſam Mircus ſit nuncupatus. (y) Quotus naſcendo fuerit, in obſcuro eſt, neque, fratrum aliorum quod ſciam, in annalibus memoria uſpiam exſtat, tametſi Stephanus plures ſe ex conjuge filios ſuſtuliſſe non obſcure innuat. (z)

Cre-

t) Rationale eſt veſtis Epiſcopalis, non abſimilis pallio, quo utuntur metropolitani in præcipuis feſtivitatibus.

u) Caſpar Urſinus Velius in opere poſthumo, quod de bello Pannonico inſcribitur, & nuper admodum in lucem bono rei litterariæ eduxit Cl. Adamus Franciſcus Kollarius Mariæ Thereſiæ Auguſtæ a Conſiliis, & Vindobonenſis Bibliothecæ Palatinæ cuſtos primarius, Lib. II. pag. 36. diſerte perhibet Ferdinandum I. a Nitrienſi Epiſcopo corona redimitum, cum tamen Paulus Archi Epiſcopus Strigonienſis præſens fuerit, niſi dicamus, quod Velius utcunque innuit, morbo prohibitum quo minus ſuis partibus fungi potuerit. Quod autem ad reginarum coronationem attinet, ſcribit Illuſt. Rewaius in Comment. ſuo de ſacra regni Hungariæ corona, Beatricem Mathiæ Corvini conjugem non a Veſprimienſi Epiſcopo, ut alias moris fuit, ſed a Palatino coronatam.

x) Inchofer in annal. Eccleſ. ad an. laudatum. Et Velius Urſinus de bello Pannonico Lib. II. pag. 36.

y) Tomcus Lib. de Illyr. ſanct. ſæc. in vita S. Emerici. Hoc nomine Emericum compellat, *quod nomen Illyricis manſuetum, ſeu pacis ſtudioſum ſonat.*

z) In diplomate, quod D. rex Monialibus monaſterii B. M. V. de valle Veſprimienſi dedit, lingua græca ſuper membrana ſcriptum, & ſigillo majori ceræ impreſſo, ipſiusmet regis ſedentis ac ſceptrum dextra, mundi vero globum ſiniſtra tenentis effigiem referente munitum cum adjecta, quantum legi poteſt, epigraphe latino charactere expreſſa: STEPHANVS. D. G. REX TOTIVS VNGARIAE. Præmiſſa in primo lineæ ductu cruce, ſic habet diploma:

In nomine Patris, & Filii, & Sancti Spiritus. . Conſtitus ego Stephanus Chriſtianus, qui & rex

Credo teneris admodum annis mortalitate exutos Emerico ſuperſtiti locum reliquiſſe, ut ſupremum paternæ dilectionis argumentum fieret.

Baſilii Græcorum Imperatoris in recens natum liberalitas.

Ceterum quo gaudio Hungariæ regnum, ut fere in ſimili eventu fieri ſolet, ſeſe ex nato ſibi hærede extulerit, nihil prorſus a noſtris memoratur, credibile eſt lætitiæ partem ad Henricum quoque Imperatorem (*a*) pertinuiſſe, quod ex ſorore ſua filium, qui in ſpem regni & religionis, cujus illum ſtudioſiſſimum fuiſſe conſtat, adoleſceret, editum eſſe videret. Ad hæc ferunt Baſilium orientis Imperatorem (*b*) Stephano ob recens natum filium impenſe gratulatum fuiſſe, & infanti Emerico munus magnificentia ſua dignum, auream nempe crucem precioſis gemmis diſtinctam, & portione ligni ſacro ſanctæ crucis radiantem dono miſiſſe, quam is deinceps e collo geſtare conſuevit. De quo munere cur Polonorum annales glorientur, non video. Certe Cromerus non inelegans, & caſtigatus ceteroquin ſcriptor, dum res Boleslai I. Poloniæ regis pertractat, refert ab hoc monaſterium in monte Lyſecio, ſeu calvó erectum fuiſſe *orante & hortante Emerico Stephani regis Hungariæ filio, viro ſancto & caſto, qui lubens cum Boleslao propinquo vitam degebat in Polonia. Atque is portionem crucis Chriſti, quam Conſtantinopolitanus Imperator patri ejus Stephano magni muneris loco miſerat, quaque ipſe pro amuleto utebatur, in eo loco repoſuit* (*c*). Sed cum id factum auctor ante bellum Ruſſicum; hoc eſt ad annum Chriſti MVIII. collocet, ante quem Emericus primum lucem aſpexit, neque ex noſtrorum ſcriptorum ſilentio credibile ſit, hunc in Polonia apud Boleslaum unquam commoratum fuiſſe, vix tuto fidem huic narrationi quiſquam tribuerit. Alioquin veriſimilius eſt, inſigne id Baſilii donum Adalberto Auſtriæ duci, qui cognomentum victorioſi adeptus eſt, dum pax inter Ovonem, & Henricum III. confieret, obtigiſſe, ut in loco narrabitur.

Stephanus condendis templis ſtudet: primum ad radicem montis ferrei in Hungaria. Tum Conſtantinopoli & Romæ.

Stephanus ut ob datam ſibi ſobolem gratum ſe DEO quoque exhiberet, vetere actus ſtudio, ſumtuoſum DEIparæ Virgini templum ad radicem montis ferrei, in provincia Tolnenſi erigere cœpit, adjecto quoque cœnobio, quod viris e Divi Benedicti (*d*) familia colendum poſtea tradiderat. Longum eſſet, & ab inſtituto noſtro fortaſſe etiam alienum, ſi piiſſimi regis munificentiam, qua octavo poſt anno Baſilicam ad finem adductam donarat, hoc loco referremus (*e*). Illud non eſt tacendum: Stephani curam ad externas quoque regiones hoc anno pertinuiſſe. Erecta Conſtantinopoli magnis ſubſtructionibus Eccleſia, Romæ itidem baſilicam magni-

rex totius Hungariæ curantem, & adminiſtrantem, & gubernantem monaſterium ſuperſanctæ Dei Genitricis Metropolitanum, quod eſt in Weſprem, & in illo collectam multitudinem monialium pro animæ meæ ſalute, una & contboralis, & filiorum meorum, & Pannoniæ univerſæ. Et do - - hic recenſet donationem - - *ad honorem ſacroſanctæ Deiparæ Metropolitano pro monaſterio, ut donec ſteterit cœlum & terra, ut ſint monaſterii.* Clauditur diploma in hæc verba: *Si vero quis præſumpſerit ex illis, quæ dedi ad hanc habitationem, abſcindere, aut abalienare aliquid, aut ex generatione mea, aut alter aliquis, ſive reges, ſive principes, ſive belli duces, ſive Epiſcopi, ſive alii aliqui, ut habeat anathema a Patre, & Filio, & ſancto Spiritu, a glorioſa Domina noſtra DEI genitrice, & ſemper Virgine Maria, glorioſis Apoſtolis, & trecentis decem & octo Patribus, & omnibus ſanctis, & a me peccatore.* Clareque id docet Carthuitius in vita S. Stephani num. 26. his verbis: *poſtquam inde propiciationis DEI medicamine convaluit, tamen judicio æterni perſecreti conſilii quandam examinationem in filiorum ſuorum obitu ſibi ſenſit immittere verbera, quos in ipſis infantiæ gradibus infantes, qui dedit, abſtulit.*

a) Non accipio Imperatoris nomen tam religioſe, ut Itali ſcriptores ſolent.

b) Inchofer ad an. laudatum.

c) De rebus Polon. Lib. 3.

d) Nomen deinceps accepit Abbatiæ Pechvaradienſis, utque ex diplomate Stephani liquet, honoribus B. Virginis, & D. Benedicti erecta, prius tamen nomen prævaluit.

e) Peterfius Tom. I. concil Hungariæ dona ſequentia recenſet. „ *Altaria his decoravimus ornamentis. Videlicet 29. caſulis* „ *Dalmaticis 14, Tunicis 18, Cappis 60, palliis altarium 27, mantilibus 29, palliis ad cooperiendum ſedilia 4, Albis 50, Camiſis de pallio 10, & aliis 15, tapetibus ante altaria 10, crucibus 9, Pulvinariis 7, Altaribus ad viam 5 thuribulis, 4 candelabris, 6. calicibus, 18 Bacollibus, 12 urceis, 4 ſcriniis, de argento tribus, ſtolis & manipulis 30, libris vero, quorum præcipue authoritas fulget in Eccleſia, tum Bibliotheca, duobus voluminibus nocturnalibus, 4 antiphonalibus, 5 Lectionariis cum evangeliis, Miſſalibus 6, Pſalteriis 5, regulis 2, Baptiſteriis 2. Gloſſariis 3. Omeliar. volumine uno* „ &c. diploma autem ſic finit: „ *hanc paginam manibus propriis roboravimus ſigilli munimine in ipſo die conſecrationis dicti monaſterii, per miniſterium Domini Aſtrici archi Epiſcopi Colocenſis, & Pauli abbatis prædicti monaſterii, nobiſcum omnibus regni principibus ibidem aſſiſtentibus confirmavimus anno ab Incarnatione MXV.* „

1007.

Neque tamen, quod aliqui volunt, unquam Romæ fuit.

ficentiſſimam eduxit, addita ingentibus ſumtibus domo, qua Hungari peregrinationis cauſa Urbem adituri & commode & liberaliter habereotur (*f*). An vero, quod Thoroczius, & Ranzanus prodidere (*g*), Romam ipſe Stephanus peregrinatus ſit, etſi id ab regis pietate, & exemplis illa ætate uſitatis (*b*) non abhorreat, tamen, quoniam veteres omnes ea de re ſilent, & Stephanus majore fructu domi reſiſtere, quam ad exteras provincias adire poterat, vehementer ambiguum eſt.

1009.

Fundat Epiſcopatus Veſprimienſem, & Quinque-Eccleſienſem.

Cum enim fides nondum firmis radicibus niteretur, eamque maxime cordi haberet, dubium non eſt, Stephano ſuorum commodis & ſaluti intentiſſimo, plus laborum domi fuiſſe, quam ut ſuæ apud exteros pietati vacaret. Atque hoc anno quidem ſolicitiſſimi regis erga res ſacras ſtudium inprimis enituit, dum Quinque-Eccleſienſem, ac Veſprimienſem Epiſcopatus, ampliſſimis redditibus donaret. Illum malim a quinque baſilicis dictum, quam, ut nonnulli exiſtimaot, quod quinto loco iſthic Epiſcopatus cooditus ſit. Neque enim ejus opinionis ullam veriſimilem conjecturam afferunt, & auctor converſionis Bojoariorum ac Carentanorum jam circiter annum Chriſti 872. loci, ad V. Baſilicas, iſthic meminit. Exſtant de eo Epiſcopatu ad faciendam fidem litteræ publicæ, quas, quibus rex pius, quamque exquiſitis prorſus comminationibus in rerum ſacrarum invaſores muoierit, dici facile non poteſt (*i*), ſatiſque oſtendunt, quo animo in DEUM, reſque divinas ferretur. Adjecta quoque munera ſunt, quæ & pretio, & magnificentia, tum copia in primis commendationem habuere (*k*). Quin donativa hujus generis Romam quoque miſſa, ex quibus, ſi Mabillonio (*l*) fides ſit, ſumtuoſiſſima veſtis, qua, qui ad aras operari ſolent, induuntur, Joanni ſummo Pontifici, prius quam hoc anno fatis functus eſſet, obvenerat, quæ modo in Metenſi S. Arnulfi baſilica ex dono, ut creditur, Leonis IX. viſitur, & Stephani ac Giſelæ nomen aureis litteris ex textili opere eleganter referens, pietatem utriuſque poſterorum memoriæ coosignat.

Sororem Ottoni Venetiarum Duci nuptui locat.

Non potuit tam inſigne erga DEUM regis ſtudium ad exteros ſecunda fama non vulgari, qua Otto Venetiarum dux permotus in Hungariam venerat, ut ſibi Stephani ſororem connubio jam maturam, uxorem peteret. Viſum eſt, Duci nihil negandum, quem præter ætatem, erat enim XVIII. annorum, potentia quoque commendaret, cujuſque opera, ſi quid inimicum a Croatia, aut Dalmatia regno im-

mineret,

f) Inchofer in annal. Eccleſ. Hung. ad hunc aooum, etſi probabilius ſit, utrumque ſerius eveniſſe. Barthol. Piazza in libro: *Opera pia di Roma*, refert portam hujus Eccleſiæ banc epigraphen referre: *Eccleſia boſpitalis S. Stephani regis Ungarorum*, quæ inſcribi ante Stephani apotheoſin non poterat. Domum autem Eccleſiæ vicinam ait hanc inſcriptiooem habere: *Domus Ungarorum renovata per D. Philippum de Bodrag, ſer. D. Uladislai regis proc. ex eleemoſynis peregrinorum, ſedente Alex. P. VI. 1497.*

g) Thvroczivs cap. XXXI. Ranzanus Indice VIII. *Agens ætatis annum tertium, & triceſimum, urbem Romam petivit, ut B. B. Apoſtolorum Petri & Pauli, aliorumque martyrum Chriſti ſacras reliquias viſeret. - -*

b) Conſtat enim Robertum Francorum regem temporibus Stephani Romam profectum eſſe.

i) Enarratis limitibus Epiſcopatus Quinque-Eccleſienſis ita babet: *Quos terminos ſi quis violare præſumpſerit impoſterum, componat 100. libras auri optimi - - - & ut plus divinæ iræ occurſum paveat, ſciat ſe a DEO Patre, Filio, & Spiritu S. & Glorioſa DEI Genitrice Maria, & a S. Petro Apoſtolo, in cujus honorem memoratus conſtructus eſt epiſcopatus, perpetuo anathemate damnandum, & ante tribunal Chriſti rationem redditurum. Datum X. Kal. Sept. Indictione VII. Anno Chriſti M. IX. Pio Stephano regnante an. IX. Actum in civitate Jauriana.* Donationem autem Epiſcopatus Veſprimienſis ſic finit. *Si quis igitur - - Veſprimienſis Eccleſiæ Stephanum Magnificum Epiſcopum, ſuosque ſucceſſores ex cunctis prænotatis rebus, Eccleſiis nec non dotibus moleſtare conaverit, 800. librarum auri cocti ſciat ſe compoſiturum, medietatem Cameræ noſtræ - - - trecentorumque decem, & octo Patrum anathemate feriendum, atque perpetuali ſupplicio puniendum, jugiterque barathri pœna perpetuo fore cremandum. - - Datum in Sooly apud capellam B. Stephani Protomartyris. Anno ab Incarnatione Domini M. IX.*

k) Eorum ſupra jam facta mentio eſt.

l) In annalibus Tom. IV. ad an. 1009. Ad prædictum Joannem, ſcribit, miſſam fuiſſe puto a Stephano Hungarorum rege, & Giſla ejus coojuge pretioſam caſulam, quæ modo in Metenſi S. Arnolfi baſilica, ex dono, ut creditur, Leonis Papæ IX. aſſervator, in cujus poſteriori parte bæc verba aureis litteris textili opera adſcripta ſunt. S. VNGARORVM. R. ET GISLA DILECTA SIBI CONIVX MITTVNT HAEC MVNERA DOMNO APLICO JOHI. Quia autem tres Pontifices ejusdem nominis Stephano regnanti coovixerint, non eſt ſatis certum, cui Joanni id munus miſſum ſit, nec quo anno.

mineret, non modo perutilis, ſed tempeſtiva quoque futura erat. Itaque dux voti compos, *traduxit uxorem*, ut Dandulus in Chronico ſcribit, *mulierem utique generoſi-tate ſerenam, facie facundam, & honeſtate præclaram.* Quo nomine inſignita fuerit, nihil uſpiam reperi, aliam tamen ab ea fuiſſe, ex qua Petrus, qui poſtea regnabat, editus fuit, rerum narratio, quam daturi ſumus, oſtendet.

Hæc anno præſente geſta annales perhibent: inter quæ illud fortaſſe primo loco citra dubitationem ponendum erat, quod fidei Chriſtianæ lumen Stephano re-gnante in Sinas ab Hungaro traductum feratur. Matthæus Eſcandeli civis Budenſis, ſtudio viſendi loca ſacra in Palæſtinam conceſſerat; hic anachoretico inſtituto aliquot annos vacans, ad Indos primum, tum Sinarum ditiones penetrans propagata multo conatu religione vitam pro Chriſto poſuit. Ejus memoriam ab loci incolis hodie etiam magna pietatis ſignificatione coli rerum Luſitanicarum ſcriptores prodidere (m). *Ex quibus facile quivis agnoſcat, quantum inde - - redundet honoris in Apoſtolicum Hunga-riæ regnum: protuliſſe nimirum circa ipſa religionis ſuæ primordia virum ejuſmodi, qui ſecun-dum primos illos a naſcente Eccleſia, & Chriſto in cælum recepto, Apoſtolos, alioſque dein-de - - Apoſtolicos viros diverſis temporibus in regna Sinarum penetrantes, non minimo in-tervallo ſucceſſit, & exſtinctum Evangelii lumen poſt diuturnam prædicationem, ſanguine etiam fuſo, velut ardentiori flamma ſubdita excitavit.* Hæc Inchoferus (n). Mihi, ſi quid conjectura aſſequor, illud vero videtur ſimile, Eſcandelium ad eam Sinarum partem, quæ Tangutano regno ad occidentem finitima eſt, penetraſſe, quam a po-pularibus noſtris, dum obortis factionum ſtudiis in orientales & occidentales divide-rentur, inſeſſam fuiſſe in veterum Hunnorum annalibus non prorſus improbabiliter oſtendi (o).

Eſcandeli Budenſis Civis in propaganda fide ſtudium.

Verum id ad exteros videtur attinere: in Hungaria Gerardum hoc anno An-tiſtitem Chanadienſem ab rege probabiliter deſignatum comperio; cujus Epiſcopatus primordia Inchoferus quidem ad annum XXX. non obſcure rejicit; (p) ſed quia im-probabile prorſus eſt, Stephanum tam ſero perfeciſſe, quod jam inde ab anno M. ſe perfecturum propoſuerat, neque ulla tam diuturnæ moræ cauſa reddi poſſit, erant enim a profligato bello Bulgarico ad Conradi Imperatoris ætatem quieta Stepha-no, & pacata omnia. Itaque vix locum Inchoſeri chronotaxim puto habere poſſe; ſed figendam potius ad præſentem annum eſſe, quod valde veriſimile ſit, Gerardum, ut ex factis ejus non obſcure conjicitur, Epiſcopali dignitate ornatum Stephano pe-ne ipſos triginta annos convixiſſe. (q) Erat Gerardus Venetiis quidem, haud ta-men certum, an ex nobili Sagredorum proſapia ortus. A puero D. Benedicti, non item, ut Lezana contendit, (r) Carmelitarum inſtitutum amplexus, vitam ſancti-monia conſpicuam ad virilem ætatem adduxit. Tum indita divinitus mente ad viſen-da ſacra loca Palæſtinam cum ſociis petere conſtituens, *pervenit*, ut auctor vitæ illius ſuppar refert, (s) *ad partes Pannoniæ, quarum habenam tunc Chriſti amiciſſimus Stepha-nus gubernabat, quem vir DEI humilis, atque ſupplex adiit, cauſamque ſui itineris ape-riens ampliore dilectione eſt ab eo receptus. Quem ubi rex moribus atque diſciplinarum docu-mentis Chriſti bonum odorem fragrare intellexit, clam dimiſſis ſui itineris comitibus hunc ſo-lum invitum retinuit, cuſtodiamque adhibuit.* Non crediderim tamen prorſus invitum manſiſſe Gerardum, ſed perſpecta piiſſimi regis mente, ſtudioque religionis, ejus conſilio & voluntati morem geſſiſſe. Hæc ad principium ſeculi hujus referri debere facile perſuadet iter Hieroſolymam inſtitutum. Nam ab anno nono ſupra milleſi-mum, ad octavum & decimum uſque nullos fere, aut paucos admodum ex Euro-pa in Palæſtinam conceſſiſſe ex Glabro illius plane ævi ſcriptore eruitur, quod eo

1010.

Chanadienſis Epiſcopatus initia probabiliter ab hoc anno repetenda, Gerardo primo omnium Antiſtite.

Hujus nativitas & religio.

Dum in Palæſtinam tendit, ab Stephano detinetur.

m) Lucena Lib. X. cap. 24. Et Jaricus Lib. IV. cap. VI.

n) In annal. Eccleſ. regni Hungariæ ad an. 1009.

o) In prævia Diſſertat. ad III. annal. vet. partem.

p) In annal. Eccleſ. ad an. 1030.

q) In vita enim illius hæc diſerte auctor: *Creſcente vero fidelium numero, eccleſias DEO per ſingulas urbes fabricavit.* Tum addit Ovonis tempore invitatum, ut regem coronaret, quæ prærogativa non alio ex capite illi vide-tur eſſe delata, quam quod abſente fortaſſis Strigonienſi omnium ſeniſſimus fuerit. Quæ duo conjecturam noſtram ſatis confirmant.

r) In annal. Eliani ordinis Tom. III. ſed illum Mabillonius ſolide refutat.

s) Ex Ms. Corſendoncano: apud Hagio-graphos Antwerpienſes Tom. VI. SS. menſis Sept. ad diem XXIV.

1010. temporis intervallo Hakemus Calipha, cui Syria cum Aegypto parebat, in ſacra loca,
& qui illorum cauſa advenere, homines crudeliſſime ſæviret (*t*). Itaque Gerardus

Monaſticam primum vitam profeſſus.

rogatu Stephani in Hungaria reſtiterat, ſed mooaſticæ diſciplinæ a teneris inſuetus,
frequentiam populi evitans in ſolitudinem ſilvæ Bacon profectus, ſeptennium orationi ac jejuniis cum Mauro, qui poſtea ad Quinque-Eccleſienſem cathedram evectus erat, continenter vacans exegit. Inde ab rege extractus Chanadienſi Epiſcopatui præficitur, quem in primordio a Maruſio flumine Moriſenum dictum conſtat. (*u*) Atque hujus *arbitrio* (ne id, tametſi nonnullis ad profanos annales minime videbitur pertinere, intactum ſinamus) *ab Hungarica generatione* (ut idem auctor potro ſcribit) *nomen matris Chriſti non auditur, tantum* DOMINA *reſonat: ſi vero auditur, ſtatim flexis genibus, & demiſſis in terram capitibus ſe inclinant, nam & Pannonia a ſuo ſancto Stepano rege, FAMILIA SANCTAE MARIAE appellata eſt.* Hæc Majorum noſtrorum priſca & vetus in Divam Virginem religio, & pietas. At de Ge-

Ad Sedem Epiſcopalem evehitur.

1011. rardo poſtea nobia ſermo redibit.

Emerici educatio.

Dum his ſtudiis piiſſimus rex ſuorum animos in fide confirmatum pergit, nihilo minore cura in filium, ac ſe ipſum intendiſſe credibile eſt. *Nam Emericus iam quadriennis, pia parentum cura ab optimis moderatoribus inſtitutus, quo ſanctitatis evaſurus erat, oſtendit. Nihil in eo puerile apparebat: longe a iocis, & ludicris, totus ingravitatem morum compoſitus, ſeria amabat, ac præcipue divinis auſcultans, concionibus, & ſermonibus eccleſiaſticis libenter aderat, & pro captu de auditis interrogabat, de cæleſti gloria, de inferno, de peccatis; a quibus divino quodam inſtinctu ita abhorrebat, ut ne nomen quidem audire, ſine odio ſuſtineret. Doctus Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & ſymbolum Apoſtolicum, de ſingulis dictis, & articulis ita curioſe pro captu inquirebat, ut nec cibum, nec ſomnum caperet prius, niſi eſſet, qui ad interrogata, quæ ipſi incidiſſent, reſpondiſſet. Ex omnibus autem ita proficiebat in dies, ut nihil unquam viſus ſit ab ore dicentis excipere perfunctorie, & quod non profunde in animum demiſiſſet. Illud jucundum erat viſu, quod adhuc tenellus puellus, & peccati expers, nunquam tamen aut cubitum ibat, aut e lectulo cònſurgebat, quin peccatorum veniam flexis genibus a Deo imploraret, atque, ut id etiam ephœbi ſui facerent, crebro moneret. Ex quibus illos præcipuo amore inſtar fratrum videbatur amare, qui nugis procul, modeſtiores eſſent, ac in devotionem propenſiores. Hæc & id genus ſanctæ pueritiæ argumenta univerſo regno ſingularem voluptatem pariebant, ſed præterea optimis parentibus ingentem ſanctiſſimi Regis futuri ſpem, ſi ita Deo viſum fuiſſet, faciebant.* Hæe prolixe Inchoferus, quæ etſi maximam partem ex Carthuitio depromta ſint, tamen, an quæ ad Emerici ætatem attinent, rite ſibi
1012. congruant, apud alios arbitrium eſto.

Benedictus eremita martyrio afficitur.

Illud certius: religionem, dum Gerardi ſtudio ad Maruſium late incrementa agit, Benedicti martyris ſanguine ad Vagum amnem irrigatam eſſe. Venerat is multis ante annis cum Zoerardo ex Polonia, non item, ut putat Bonfinius, ex Poliana Dalmatiæ parte in Hungariam. Hic cum vitam agerent admodum auſteram, ille in monte Zobor haud procul Nitria, placidam mortem obiit, hunc in Szkalczenſi ſpecu, quæ in Trenchinienſi provincia ab ſolitudine commendatiſſima eſt, latrones inflictis vulneribus in Vagum præterfluentem, quo cædes occultaretur, præcipitem ege-
1013. re. Sed DEus viri mortem haud diu occultam paſſus eſt, cujus corpus dum cæleſti portento ab aquila in flumioe cuſtoditum ſequente anno repertum eſſet, Nitriæ in templo D. Emerammi juxta Andream, vitæ & ſanctimoniæ antehac ſocium ab civi-
1014. bus conditum fuit.

Guntheri in Hungariam adventus.

Tam ſancti viri jacturam Guntherus Stephani cognatus, & a ſanctitatis fama tota late Bohemia celeberrimus adventu ſuo reſarſit. (*x*) In Thuringia nobili loco natus

t) Lib. III. cap. VII.

u) Auctor ſuppar apud Hagiographos laudato loco ita: *principalem autem Eccleſiam in honorem S. Georgii pretioſiſſimi Chriſti martyris ad litus Moriſii fluminis fundavit, unde & Moriſcenam* (melius Moriſenam) *ſedem appellavit, quam beatus rex Stephanus dotalibus muneribus nobiliter ditavit.*

x) WOLFERVS Gunthero ſynchroous apud Mabillonium ſeculo VI. parte I. pag. 482. ita ſcribit. „ *Cumque in auſteritate vitæ perſe-„ veraret, & exemplo ſuo quam plures ad viam „ veritatis incitaret - - fama ejus bona odore reſper„ ſa ad aures beati Stephani regis Ungarorum, „ ipſius venerabilis viri cognati emanavit, cujus ani„ mum magno dilectionis incitavit amore, ut hunc*

„ *facie*

An. Chr. 1014.

natus miſſo humanis rebus nuncio monaſterium Altahenſe, quod ad ripam Danubii
haud procul oppido Deckendorſio, qua parte Bohemiam reſpicit, ſitum eſt, ingreſ-
ſus brevi poſt laudem ſanctitatis adeptus eſt. Quam cum vir DEI impatienter fer-
ret, paucis, quos legerat, ſociis comitatus ſolitudinem petiit: verum cum hic quo-
que fama illius late vulgaretur, nemine conſcio in vaſtiſſimam provinciæ Prachenſia
ſilvam abiens, ſibi & DEO aliquamdiu vacabat, quoad a Bredislao Bohemiæ duce,
dum hic venatus cauſa eandem oberraret, forte fortuna repertus, & deincepa aliis
ab ſanctimonia cognitus eſſet. Cujus fama cum in Hungariam ad Stephanum, ejuſ-
modi virorum ſane curioſum, & ſtudioſiſſimum perveniſſet, videndi hominis percu-
pidus, nuncios miſit, qui eum, ut in Hungariam veniret, hortarentur. *Vir autem*
Domini, ut Wolferus auctor coævus ſcribit (y), *converſionis ſuæ non immemor, hæc*
ſibi minime licere reſpondebat, quæ Rex pius poſtulabat. His Rex auditis, majoris inflam-
matur caritatis amore, & velut antea nuncios direxit. Sed ille ſe venire etiam ſecundo de-
negavit. Tertio itaque poſt illum veluti primo, ſecundo tranſmittebat, & ut ipſius petitioni
aſſenſum præberet, humiliter poſtulabat. Igitur ſanctus Guntherus Regis tandem victus
precibus, ejus petitioni licet invitus annuit, & accepta abbatis & fratrum benedictione cum
tranſmiſſis legatis pariter & ipſe ad regem pervenit. Rex autem viſo ſancto Gunthero ga-
viſus eſt, & quomodo hunc arctius veluti juſtum & ſanctum diligebat, circa ipſum majorem
diligentiam habere ſatagebat.

A Stephano per Legatos invitatus.

Factum eſt autem, dum hora prandii ſanctus Guntherus menſæ Regis pariter conſe-
diſſet, Rex ſibi pavonem aſſatum appoſuit, & ut carnibus veſceretur, intime flagitare cœ-
pit. Sancto autem viro ſub regulari converſatione degente, & hujuſmodi cibis abſtinente,
penitus contradicebat, & illicitis cibis ſe contaminari nolle aſſerebat: cujus voluntati Rex
non minus reſiſtebat, ut appoſita manducaret, non ſolum rogando, verum etiam præcipiendo
laborabat. Quidnam facere poterat? Præcepto Regis ſe obtemperare promittebat, ſed in di-
vino adjutorio fiduciam retinebat. Quapropter factum eſt, ut inter prandentes hic ſolito
more orationi inſiſteret, caput manibus inclinaret, profuſis lacrymis, ne illicitis cibariis pol-
lueretur, divinam clementiam implorabat. Mira res atque ſtupenda! completa DEI famu-
lus oratione, caput de manibus elevabat, avis aſſata, menſæque ſuperpoſita, reddita vitæ
priſtinæ devolabat, & ab ejus uſu gratia divina virum liberabat. Quo viſo cuncti miraculo
inaudito, Deo gratias referebant, nec amplius ſancti viri voluntati reſiſtebant.

Mirum de eo portentum.

Fateor tamen id, quod auctor refert, Guntherum ingratiis ad edendas car-
nes ab rege coactum fuiſſe, videri mihi cum Stephani prudentia & pietate prorſus
non congruere, fortaſſe, cum rex viri virtutem appoſitis carnibus explorare vellet,
accumbentium non nemo, ut fit, importune rogarit, ut regis voluntati morem ge-
reret, quod Wolferus aut memoria, aut rumore deceptus regi deinceps perperam
adſcripſit.

De hoc tamen malim ut alii exiſtiment. Interea cœnobium cum Abbatia 1015.
Pecsvardienſi, ad radicem montia ferrei ſita, quam ſeptem ante annis rex inchoarat,
anno ſupra milleſimum decimo & quinto ad finem eduxit, ea de cauſa ad tam pium
opus potiſſimum perſuaſus, ut, quemadmodum ipſe in litteria loquitur, commodo,
& ſtabilitati regni conſuleret. Paulo reliquia Abbate præfecto diem conſecrationi
ſtatuit, cui, ne ſui neſcirent, quo ſtudio in religionem, & res ſacras ferretur, Prin-
cipes omnes cum ſummis Antiſtibus intereſſe voluit, ipſoque conſecrationis die litte-
ras erectionis confirmavit, in quibus Aſtrici Archi Epiſcopi nomen tamquam Cancel-

Abbatia Pech-Vardienſis fundatur.

larii

„ *facie ad faciem videret, quem ſic de virtute in*
„ *virtutem proficere frequens fama prædicaret.*
„ *Unde factum eſt, ut ad ipſum nuncios dirigeret,*
„ *&, ut ad eum venire non recuſaret, omni ſtu-*
„ *dio poſtularet.* „ Fortaſſe Guntherus Ste-
phano cognatus erat tituloGiſelæ ſororis Hen-
rici Imp. quem Saxonia oriundum conſtat.
Cur autem illius adventum in Hungariam affi-
xerim ad præſentem annum his ratiooibus
inductus ſum. Annaliſta Saxo ſcribit mooa-
chum factum an. 1006. altero autem abhinc
anno eremum petiiſſe, itaque anno 1008.
Hic ut Wolferus ſcribit moratus eſt tribos an-
nis, quibus abſolutis in Bohemiæ ſilvam ſe
recepit, igitur anno 1011. Cum autem ſo-
litariam vitam hic egiſſet, abierint facile duo
anni, quoad a Bredislao Bohemiæ duce dete-
ctus, & aliis cognitus eſſet. Fateor hac ra-
tione domeſticorom ſcriptorum epocham,
qui Guntherom ante Gerardum adveniſſe ſcri-
bunt, penitus convelli, niſi, cum iſti eum
ſæpius in Huogariam veniſſe perhibeant, hic
aditus poſtremus, aut noo primus fuerit.

y) Apud Mabillon. ſec. VI. loco cit.

larii regii ſubſcriptum (z) reperitur. Ex quo planum ſit eam dignitatis prærogativam jam in primordio regni ſub Stephano uſurpatam fuiſſe.

Stephanus conventum generalem regni indicit.

Anno hunc conſequente ut religioni & regno tutius conſuleret, conventum Epiſcopis, & regni primoribus Tolnam, aut ut aliis veriſimilius eſt, Strigonium indixit. Scio pleroſque comitium id ad annum ſeculi hujus triceſimum quintum rejicere, qua id tamen auctoritate faciant, fateor me ignorare. Ego præ illorum opinione malui MS. codicis, qui annum milleſimum XVI. diſerte refert, fidem ſequi, præſertim quod probabile non ſit, ut alio quoque loco jam innueram, regem curam hanc reipublicæ inprimis utilem & neceſſariam ad finem vitæ, cum morbis ſæpe & graviter implicaretur, rejicere voluiſſe. Itaque opinor magnam legum partem in regni primordio a ſapientiſſimo rege conditam, uſu tamen pro temporum, & gentis habitu, ut fere ſit, deinde auctam, hoc primum anno in Conventu vim tabularum obtinuiſſe. Earum pars prior ad diſciplinam Eccleſiaſticam attinet, neque noſtri argumenti ſunt, reliquæ ad profanam rem publicam ſpectant, & pœnas præcipue complectuntur. Nos eas ſolum delibabimus, quæ ad refrænandam gentia armorum cupidiſſimæ ferociam, & mulctanda majoris momenti crimina in primis attinebant.

Leges in eo ſancitæ.

Si quis cædem imprudens patraſſet, ne fraudi locus daretur, duodecim auri penſæ, æquabat autem penſa, ut peritioribus videtur, quadraginta denarios (*a*), perſolvendæ erant. Cum liber ſervum occiderat, aut alterum itidem, ſervum oportebat reddi, aut pretio lis omnis inter partes tranſacta (*b*). Quod ſi ſponte auctor necis quiſquam exſtitiſſet, mulcta centum & decem penſarum auri ex decreto Senatus regii pendenda fuit: ex his quinquaginta fiſco regis illatæ, decem arbitris donum datæ, reliquum trucidati parentibus in cædis ſolatium, & ſarcienda damna tributum (*c*). Aliquanto mitius cum Comitibus & primoribus viris actum. Nam qui uxoris paricidio ſe inquinaſſet, pœnam, præter jejunium ex præſcripto Eccleſiæ obitum, quinquaginta juvencis redemit. Si miles, quo nomine fortaſſe ingenui & nobiles veniunt, eodem crimine teneretur, decem (*d*), ſi contra ex vulgo eſſet, quinque datis juvencis gratiam cum cæſæ uxoris patre, matreque redintegravit. Sed has poſterius ab eodem Stepbano correctas liquet, dum citra gratiæ aut veniæ locum quiſquis alterum ex vita exturbaſſet, morte puniri (*e*) ſancitum voluit, qui contra corporis parte privaſſet aliquem, pœnæ talionis ſubjaceret (*f*).

Perjuri ſive ex nobilibus, ſeu ex plebe eſſent, manu amputata ut plurimum puniti ſunt, aut certe illis quinquaginta, his contra duodecim juvenci ſolvendi erant, ut manum periculo ſubducerent (*g*). Furtum quamquam omnibus, præcipue feminis vetitum. Uxorem ſemel atque iterum in furto deprehenſam, precio redimi (*h*) a marito oportuit, ſi tertium, venum dari (*i*). Malefici & ſortilegi Epiſcoporum arbitrio permiſſi. Oblatum virginibus ſtuprum ſive a libero, ſeu ſervo nova prorſus, nec ſcio, an aliis gentibus uſurpata pœna mulctatum. Nam qui feminam vitiaſſet, depilatione notabatur, ſin tertium illa conſentiente crimen repetiiſſet, uterque liber-

z) Litteræ erectionis ſic habent: „ Stephanus ſuperna favente clementia rex „ Hungarorum &c. credimus & vere dicimus, „ ſi locis divino cultui mancipatis poteſtates „ atque honores adaugmentaverimus, id „ non ſolum laude humana prædicandum „ &c. Quocirca omnes ſanctæ DEI Eccleſiæ, & fidelium noſtrorum præſentium at„ que futurorum conſpiciat intentio, quod „ nos per DEI ſubſidium, & animæ noſtræ re„ medium, & pro ſtabilitate regni noſtri, „ monaſterium ſanctiſſimæ DEI Genitricis „ Mariæ, & ſancti Benedicti ad radicem mon„ tis ferrei diligenter conſtruximus &c. Ea„ dem authoritate Apoſtolica mediante de„ crevimus, ut præfati cœnobii Abbas, ge„ nerali tamen, & ſolemni ſynodo duota„ xat, Strigonienſi Epiſcopo intereſſe tenea„ tur &c. Quod ut verius credatur, hanc „ paginam manibus propriis roboravimus „ ſigilli munimine in ipſo die conſecrationis „ dicti monaſterii, per miniſterium Domi„ ni Aſtrici Archi-Epiſcopi Colocenſis, & „ Pauli Abbatis prædicti monaſterii, nobiſ„ cum omnibus regni principibus ibidem aſſi„ ſtentibus confirmavimus. Anno ab Incar„ natione M. XV. „

a) Paterfy To. I. Concil. pag. 26.
b) Cap. XIII. Decreti.
c) Cap. XVI. Decreti.
d) Cap. XIV. Decreti.
e) Cap. XLVI.
f) Cap. XLVII.
g) Cap. XV.
h) Cap. XXIX. Decreti.
i) Cap. XXXII.

libertate privatus ſervitutem ſerviebant (*k*). Erat depilatio infamiæ & ſervitutis olim nota, major minorve pro ratione commiſſi facinoris, nam & mediam partem raſo capite aliorum juribus obnoxios factos eſſe ex veterum monumentis conſtat (*l*). Omnium autem legum ſeveriſſima merito illa cenſeri poteſt, quæ in eos lata eſt, qui fidem regi aut regno obſtrictam perfidia temeraſſent. *Si quis*, ita iſthic loquitur Stephanus (*m*) *in regem aut regnum conſpiraverit, refugium nullum habeat ad Eccleſiam. Si quis contra regis ſalutem, aut dignitatem quolibet modo aliquid conſpiraverit, aut conſpirare aliquid tentaverit, ſeu tentanti ſcienter conſenſerit, anathematizetur, & omnium fidelium communione privetur. Vel, ſi quis hujuſmodi aliquem noverit, & probare valens non indicaverit, prædictæ ſubjaceat damnationi.*

Atque hæ potiſſimum ſanctiones, quibus ſuos rex illigatos eſſe voluit, decretæ ſunt, maximam partem ad gentis haud ita dudum ſacra Chriſtiana amplexæ morem accommodatæ, quas deinceps partim antiquatas, partim conſervatas, auctaſque ab ceteris regibus fuiſſe, ut temporis & rerum ratio poſtulabat, dicturi ſumus.

Eodem anno Hungaria corpus S. Colomanni ab Henrico Marchione Auſtriæ Popponis opera donum accepit. Rem, quemadmodum geſta ſit, Aloldus, qui ea ætate vixit, in hæc verba narrat: *E Palæſtina rediens Poppo - - a rege Stephano ſancto tamdiu precibus fatigatus fuit, donec polliceretur ſe ſupplicaturum fratri ſuo Hainrico Marchioni, ut ſanctum Colomanni corpus regi cederet. Adfuere cum Poppone Legati Ungari cum donis apud Marchionem ſupplices, qui cum plurimum invitus videretur, auſi ſunt etiam minas addere. Qua importunitate motus Hainricus, dolens tandem aſſenſit, ſed DEUM cum fiducia oravit. Decore ergo, & reverenter ſacrum corpus Ungariæ infertur, & cum exultatione ſuſcipitur; cujus ſuffragiis regnum illud omnem fortunam ſperabat. Contra vero accidit. Exortæ ſunt calamitates graves, nec antea ceſſarunt, quam Stephanus rex pius, & ſui præſules agnoſcerent, nolle DEUM, ut in Pannonia colatur ſanctus, qui apud Auſtrales coronam meruit. - - - Nondum itaque emenſo unius integri anni ſpatio remiſſum eſt ad Auſtrales ſanctum corpus cum multis muneribus, & Medilikum hunc ſanctum Patronum ſuum cum maximo gaudio iterum recepit.* (*n*) Sunt, qui translationem corporis agente Petro factam eſſe perhibeant, minus autem recte hos ſentire ex laudato Aloldo patet, præſertim, cum certum ſit, Petrum rerum iſtiuſmodi magnopere incurioſum fuiſſe.

Rex corpus S. Colomani prodigiis clari ab Auſtriacis impetrat.

Iterum remittit.

In exitu præſentis anni filios Eduardi Angliæ regis in Hungariam delatos, & ab rege ſumma hoſpitalitate acceptos noſtri ſcriptores paſſim affirmant. Sed tam in conſignando anno, quam prodito nomine error obrepſit. Etenim Aelredus Abbas Rievallenſis temporum illorum ſcriptor, diſerte filios fuiſſe perhibet Edmundi, qui Ethelredo fratri in regno ſucceſſerat, & ab ſingulari corporis robore cognomentum ferrei lateris adeptus fuit. (*o*) Qui cum varia fortuna bellum cum Canuto Danorum rege geſſiſſet, facta conventione de partiendo regno clam a proditoribus cæſus eſt anno M. XVI. Ex quo conſectaneum eſt, filios ejus hoc quidem anno in Hungariam delatos non eſſe.

Stephani hoſpitalitas in filios regis Angliæ e regno profugos.

Etenim Canutus ubi comperta Edmundi morte, graviſſime in ſicarios animadvertiſſet; laudem eatenus obtentam immani feritate anno ſequenti temeravit, cum quoſcunque ex regio ſanguine nanciſci poterat, trucidari juſſiſſet, veritus, ne quo illo- 1017.

Ex Suecia in Hungariam deferuntur.

k) Cap. XXVI.

l) Vide Peteaf. pag. 9. ubi ſic habet: 1228. ubi ſervi Eccleſiæ S. Benedicti juxta Granum de villa Udvard, ſe a debita ſervitute ejuſdem loci, Abbatis Cend nominati, alienaſſent, Andreas rex cum Palatino Dionyſio ſententionavit contra infideles ſervos Abbatis, quod ſemi raſis capitibus eidem Eccleſiæ redderentur.

m) Cap. LI.

n) Poppo hoc loco dicitur Archi Præſul Trevirenſis, ſed id Aloldum liquet dixiſſe per prolepſin, cum hoc anno nondum hac dignitate ornatus fuerit. Illud forte majus dubium obmovet, quod dicatur e Palæſtina rediiſſe, cum tamen id temporis perſecutio ab Hakemo Calipha concitata fuerit, & Poppo, ut in ejus actis habetur, anno 1028. Hieroſolymam iverit. Opinor autem utrumque ſic conciliari poſſe, ſi dicatur Poppo ante annum 1016. iter ad ſacra loca quidem inſtituiſſe, audito tamen Hakemum iſthic in Chriſtianos furere, reflexiſſe iter per Hungariam, ac tandem, ut refertur in ejus actis, ſi tamen cum veritate referatur, anno 1028, quo liber jam omnibus aditus in Palæſtinam erat, re ipſa iſthuc conceſſiſſe.

o) Tom. III. SS. menſis Junii ad diem X. in vita S. Margaritæ Scotiæ Reginæ.

1017. illorum ſuperſtite quidquam quieti publicæ obturbaretur. *At puerulos filios Edmundi*, ut idem Aelredus habet (*p*) *ferire metuens ad regem Suavorum eos interficiendos tranſmiſit, rex vero Suavorum nobilium puerorum miſeratus ærumnam, ad Hungarorum* (*q*) *regem eos deſtinat nutriendos, quos ipſe benigne excepit, benignius fovit, benigniſſime ſibi in filios adoptavit.* Monet hoc loco Papebrochius in loco *Suavorum*, nomen *Sveonum* aut *Svecorum* ſubſtituendum, ut ex Bromptono anctore itidem coævo liquet, qui pueros Dano homini, cui Walgar nomen, in exilium deportandos, commiſſos eſſe ſcribit, præſertim quod Svecum Dano foedere copulatum fuiſſe, Svevorum autem id temporis nullum regem certum ſit exſtitiſſe. Itaque erronee domeſtici annales habent, dum eos primum in Sveviam, ex hac deinde in Hungariam veniſſe ſcribunt.

Uni regis, alteri fratris filia deſpondetur.

Edmundo uni, alteri Eduardo nomen fuiſſe ex eodem Aelredo habemus. (*r*) Illi, poſtquam maturus connubio fuiſſet, filiam ſuam Stephanus uxorem dedit, iſti contra Agatham fratris Henrici Romanorum Imperatoris filiam collocarat. Sed Edmundus paullum poſt, quam matrimonium iniſſet, fato functus eſt. Quid vidua deinceps factum, aut cujus nominis fuerit, non eſt proditum. Ceterum id non nihil dubii obmovet, quod Eduardi conjugem Henrici fratris filiam fuiſſe perhibeat, qui utique alius a Brunone Auguſtano Epiſcopo eſſe non potuit. Quare vero eſt ſimile ante initum Epiſcopatum filiam ex conjuge ſuſtuliſſe, quam, ubi victus a fratre in Bohemiam ad Boleslaum ducem, & hinc ad ſororem in Hungariam fugiſſet, redintegrata, ut ad annum ſeculi hujus III. narravimus, cum Henrico amicitia, apud Giſelam reliquerit, iſthicque cum ceteris reginæ prolibus liberaliter educta, nuptui Eduar-
1018. do data eſt.

Veneti res Dalmatas, ac Croatiæ turbant.

Hæc dum in Hungaria aguntur, Otto Venetiarum dux, idem puto, qui haud ita dudum Stephani ſororem ſibi junxerat, miras in vicina Dalmatia & Croatia armorum progreſſiones fecit. Maritimas urbes, ac Jaderam cum primis claſſe infeſtarat, quoad pleraſque tributarias redderet. (*s*) Præerat tum Croatis ac Dalmatis poteſtate regia Creſcimirus, qui, dum Jadrenſem agrum hoſtilem in morem populatur, ac-
1019. cepta ab Ottone clade in fugam cum Croatis conjectus, urbes in victoris poteſtate permiſit. Anno vix dum evoluto majus a Græcis damnum accepere. Baſilius Porphyrogenitus profligatis Bulgaris recta in Croatiam tendit, & defenſioni imparatam in jus ſuum redigit, duobus fratribus Creſimiro, & Sueſtilauo, qui Croatis imperabant, Conſtantinopolim miſſis, ac paulo poſt, ut jacturam levius ferrent, palatinali dignitate ornatis. (*t*) Hæc etſi ad Hungariam non attinent, inſinuanda tamen erant, ut, quæ deinceps de rebus Croaticis ac Dalmaticis ex annalium ratione narraturi ſumus, facilius queant intelligi.

Rex Abbatiam de Szala Benedictinis fundat.

Sub hæc Stephanus quo religio in dies latiora incrementa ſumeret, videretque ad id virorum ordinis D. Benedicti operam in primis valere, monaſterium cum Eccleſia a fundo in inſula Saladienſi eductum, & de Szala dictum, illis colendum attribuit. Abbatem primum omnium Petrum ex Latinorum gente fuiſſe reperio, Eccleſia beati Adriani honoribus, ut in litteris fundationis habetur, dicata. Quid inſulæ Saladienſis nomine veniat, fateor me non aſſequi, niſi paluſtris forte is locus ſit, & quibuſdam rivis interceptus, aut, quod ex donationibus, quarum diploma meminit, ſuſpicor in ipſo Dravo flumine ſita fuerit. (*u*) Quidvis ſit, pietatem cer-

te

p) Ibid.

q) BROMPTONVS diſerte ſcribit, regem *Salomonem*. Sed errorem eſſe ex Chronologia conficitur. Salomon enim Henrici Nigri gener ducta ejus filia Sophia non niſi poſt annum 1051. in lucem editus eſt, quando exulum puerorum pater, qui anno 1015. cæſus eſt, jam ab annis 36. obierat Qui error facile ab Scriba committi potuit, qui in Ms. litteram S. legens, arbitratus Salomonem tum regem, non Stephanum fuiſſe.

r) In vita S. Margaritæ Num. 2. „ Porro Edmundo filiam ſuam dedit uxorem, „ Edwardo filiam Germani S. Henrici Imperatoris in matrimonium junxit. Sed paulo poſt Edmundus de temporalibus ad æterna transfertur, Edwardus ſoſpitate & proſperitate fruitur. „

s) DANDVLVS in Chronico.

t) SCYLITZES & ZONARAS, in annal.

u) Litteræ fundationis ex cœnobio Gotwicenſi, cui laudatum monaſterium incorporatum eſt, Reverendiſſimo D. Bonaventuræ PITTER communicatæ ita habent in vita S. Guntheri pag. 162.

Digitized by Google

te & ſingulare Stephani in propaganda religione ſtudium poſteris commendat. Litte-
rarum tenor hujusmodi eſt:

In nomine Domini DEI ſummi. Stephanus ſuperna providente clementia Hunga-
rorum rex. Credimus, & vere ſcimus, quod ſi locis divino cultui mancipatis, poſſeſſiones
atque honores adaugmentaverimus, id non ſolum laude humana predicandum, verum divina
mercede eſſe remunerandum, quocirca omnium ſancte DEI Eccleſie fidelium, noſtrorumque
preſentium, atque futurorum ſolers comperiat intentio, quod nos divino inſtinctu fundavimus
monaſterium in Inſula Saladienſi ordinis S. Benedicti, quod ab anno Incarnationis Domini
Milleſimo decimo nono per DEI ſubſidium, & anime noſtre remedum pro ſtabilitate regni
noſtri ad finem perduximus, in quo juſſu noſtro dedicata eſt Eccleſia Beati Adriani, que
eſt in Sala, ſimul cum duabus capellis, una, que eſt in honore Sancti Georgii, altera, que
eſt in honore ſancti Laurentii, a duobus Epiſcopis Modeſto, & Bomiperto, ubi ordinavimus
Abbatem latinum, nomine Petrum, conferendo eidem poteſtatem, ut in dieceſi capellarum
antedictarum proceſſu temporis, quod neceſſe eſt fieri, plures capelle poſſint edificari, que
tamen ad jam nominatas capellas tenebuntur habere reſpectum. Contulimus etiam eidem au-
thoritate apoſtolica nobis annuente, ut in precipuis ſolemnitatibus ornamentis Pontificalibus ute-
retur. Condonavimus etiam, ut capellas ſacerdotibus poſſit inveſtire, & dedimus S. Adria-
no ad ſerviendum predia, decimas, & piſcinas (x) - - Tum recenſitis omnibus ſin-
gillatim quæ dono dederat, prærogativas in hunc modum addit: - - *Et ne Epiſcopus*
Parochianus injurias, querimoniaſve in collectione decimationis predictarum villarum patere-
tur, ſibi alios terminos decimationis aſſignando contulimus, quod ſi ipſe contra noſtra ſtatuta,
quod abſit, inique agere, vel querere voluerit, ante DEum judicem vivorum, & mortuo-
rum in die judicii ſe contendere nobiſcum ſciat, ſit id ipſum monaſterium ab omni inquietudine ſe-
motum. Precipimus etiam ſub teſtificatione Domini noſtri JEſu Chriſti, ut nullus Potentum, vel
aliquis Magnus ſive parvus, de jam dicto monaſterio aliquo modo ſe intromittere in mancipiis,
terris, vineis, decimationibus, piſcationibus, ripis, placitis, ſine conſenſu ejusdem Abbatis
audeat, vel preſumat. (y) *Si quis autem potens voluerit auſſerre, vel deſtruere de hoc,*
quod nos rex Stephanus dedimus ſancto Adriano, ira DEI, & noſtra ſit contra illum, &
componat quinquaginta libras auri optimi, medium Camere noſtre, ac medium præfato mona-
ſterio, ſuiſque Rectoribus, maledictioniſque perpetuo vinculo eternaliter feriatur. Et ut
verius credatur, hanc paginam ſigillo noſtro autentico corrigie appenſione juſſimus ſigilla-
ri. (z)

Et diplomate confirmat.

Id Stephani in rebus ſacris ſtudium fuit: Neque minor adoleſcentis Emerici 1020.
conatus, qui quartum ac decimum ætatis annum ingreſſus, cum Veſprimii in templo D.
Georgii pro more noctu preces fundit, divino Numinis illapſu admonitus votum per-
petuæ virginitatis nuncupat. Integerrimus adoleſcens ſub cura eorum, quibus tam
litteris, quam virtutibus informandum pater dederat, in pulcherrimas ſpes excre-
vit. Quas cum pater lætus intueretur, videretque filium gravioribus diſciplinis jam
idoneum, ipſe ſibi erudiendum deinceps ſumſit, ut regno hæredem, in quo religio-
nis & curarum moles tuto niteretur, poſt ſe relinqueret. Præceptiones, quibus te-
nerum adoleſcentem bonus pater inſtituerat, & magno poſterorum commodo ad nos
pervenere, adeo Numinis, ſapientiæ, prudentiæ, ac ſanctitatis plenæ ſunt, ut,
qui eas legunt, facile intelligant, qualem, quantumque in Emerico regem, niſi

Emericus voto Caſtitatis ſe obſtringit.

A patre ad rem publicam inſtituitur.

x) Sequitur autem in diplomate ita: *quorum nomina hec ſunt: Tiſciam cum Eccleſia S. Adriani, Raada, Steiger, Salavar, Chaſch, Benul, Cendi, Nymigh, Beſenien, Tyzogh cum duodecim aratris, & etiam dedimus redditus fori Cham, Chergoro, & redditus Colonienſis aque, & pontis civitatis, & decimas equorum noſtrorum in Inſula, que vocatur Chepel, in Poledris, & ducentas ulnas de ſubtili panno pro indumentis fratribus de Camera noſtra. Ville decimarum he ſunt: Pobor, Kurkow, Szolos. Kiſitban, Maud, Devecher, Egrugh, Path, Keſtell, Korumthal, Varcous, Hydweg, Maggrad, Schot, Kolon, Kamar, Kolombouch, Schopi, Stolez, Byqui, Volupna, Reche, Merenga, Karus, Gelſe, Zobor, Sobor, Kerbon, Urcuzhin, Wrigh, Merenya, Kerchen, Gelſe, Rayk, Byqui, Batha, Igrych, Radub, Geſtred, Sclavonica Rokolyan, Hungarica Rokolyan, Legel, Getye, Pyſteka, Horvat, Iſſobor, Kal, Polkoya, Aracha.*

y) Piſcine autem hæ ſunt: „ Alba piſcina
„ cum quinquaginta piſcatoribus, & in In-
„ ſula, item in Drava, duodecim libras co-
„ re, & duodecim pelles vulpinas, & duo-
„ decim pelles ſpinolarum. „

z) Idem Stephanus omnia hæc confirmavit novo diplomate de anno M. XXIV. ut videre eſt in litteris Ladislai regis datis Simigii anno M. CI.

DEus amantiſſimum ſibi juvenem terris eripuiſſet, habituri fueramus. Non erit abs re, ſi eas annalibus inſeruerimus, forte iſthinc, tametſi non erunt undequaque ad politices hodiernæ rationes accomodatæ, normam tamen quandam ii, qui rerum potiuntur, ſibi poſſunt præſtituere, quo ſtudio in regnaturas olim proles, eos ferri oporteat. (*a*)

Quæ, & quibus capitibus institutiones contineantur.

„ Cum cuncta Dei nutu condita, (ita inſtitutionem Stephanus orditur) ſuaque evidentiſſima præordinatione diſpoſita, tam in amplitudine cæli, quam in iſtis aptiſſimis terrarum climatibus, ratione intelligentiæ funditus ſentiam vigere, atque ſubſiſtere: cumque affatim univerſa hujus vitæ utilicati, dignitatique, gratia Dei conceſſa, ſcilicet regna, conſulatus, ducatus, comitatus, pontificatus, cæterasque dignitates, partim divinis præceptis atque inſtitutis, partim legalibus, partim juridicis, partim civilibus, ac nobiliorum, ætateque provectorum conſiliis, ſuaſionibus regi, defendi, dividi, coadunari videam; & cum omnes ordines ubique terrarum, cujuscunque ſint dignitatis, non ſolum ſatellitibus, amicis, ſervis, præcipere, conſiliari, ſive conſulere, ſuadere; ſed etiam filiis pro certo ſciam: Tunc me ne pigeat, fili amabiliſſime, hac vita comite, tibi documenta, præcepta, conſilia, ſuaſiones parare, quibus tuæ vitæ mores, tibique ſubjectorum exornes, quando ſumma concedente potentia, poſt me regnabis. Te autem ſtudioſe adhibita audientia, patris præcepta, juxta divinæ ſapientiæ ſuaſum, condecet obſervare, dicentis per os Salomonis: Audi fili mi patris tui diſciplinam, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & multiplicentur tibi anni vitæ tuæ. Ex hac ergo ſententia animadvertere poteris, ſi ea, quæ paterna pietate tibi præcipio, contemſeris (quod abſit,) quod jam amplius amicus DEI, & hominum non eris. Audi vero inobedientium prævaricatorum præcepti caſum, & præcipitium. Adam quidem, quem Dominus conditor, totiusque creaturæ plaſmator, ad ſuam formavit ſimilitudinem, eumque univerſalis fecit hæredem dignitatis vinculum fregit præceptorum, ſtatimque dignitatum ſublimitatem, ac manſionem Paradiſi perdidit. Antiquus quoque populus a Deo electus, & dilectus, quia ligamina mandatorum digitis DEI condita, disjecit, idcirco diverſis interiit modis, partem quidem terra deglutivit, partem quoque exterminator mortificavit, & pars invicem ſe interfecit. Filius quoque Salomonis, abiiciens pacifica verba patris, ac ſuperbia elatus, minatus eſt populo percuſſiones frameæ, pro maſtigiis, idcirco multa mala paſſus eſt in regno, & ad ultimum dejectus. Hoc tibi ne accidat, obedi fili mihi: puer es, divitiarum vernula, pulvinaris accola, fotus, educatuſque in deliciis cunctis, expeditionum, laboris, atque diverſarum gentium incurſionis expers, in quibus ego jam fere totam meam contrivi ætatem (*b*). Jam tempus adeſt, in quo tibi non ſemper pulvinarium mollities, quæ te hebetem, & delicatum reddant, adhibendæ ſunt; quod eſt diſſipatio virtutum, & vitiorum fomentum, atque contemptio mandatorum; ſed interdum aſperitas tribuenda eſt, quæ tuam intelligentiam ad ea, quæ præcipio, reddant attentam. His itaque præfatis redeamus ad propoſitum.

Fidem in primis filio commendat.

„ Quoniam ad regalis dignitatis ordinem non oportet niſi Fideles, & Catholica Fide imbutos accedere, idcirco ſanctæ Fidei in noſtris mandatis primum damus locum. In primis præcipio, conſulo, ſuadeo, fili cariſſime, ſi regalem cupis honeſtare Curiam, ut Fidem Catholicam, & Apoſtolicam, tali diligentia, & cuſtodia conſerves, ut omnibus tibi a Deo ſubjectis exemplum præbeas, cunctique Eccleſiaſtici filii merito te verum Chriſtianæ profeſſionis nominent virum, ſine qua (pro certo ſcias) Chriſtianus non diceris, vel Eccleſiæ filius: qui enim falſe credunt, vel Fidem in bonis non implent, & ornant operibus (quia Fides ſine opere moritur) nec hic honeſte regnant, nec æterno Regno, vel corona participantur. Si vero ſtatum retines Fidei, habes etiam galeam ſalutis. His quidem armamentis contra inviſibiles, & viſibiles legitime dimicare poteris inimicos.

„ Nam

a) Habetur in Corpore Juris Hungarici ſub titulo Libri I. Decretorum S. Stephani.

(*b*) Innuit hic Stephanus ſatis aperte plura, & graviora bella ſe geſſiſſe, quam quæ litteris prodita exſtent. Quod autem ea ignoremus, oſcitantiæ noſtrorum Majorum debemus, qui res ſuas, & regum conſiggara in primordio via ſolebant.

„ Nam ait Apoſtolus: Non coronabitur niſi qui legitime certaverit.
„ de qua loquor, hæc eſt: ut Patrem DEum omnipotentem, factorem totius
„ cturæ; & unigenitum ejus filium, Dominum noſtrum JEſum de Maria Virgine,
„ Angelo annunciante, natum, & pro totius mundi ſalute, in Crucis patibulo paſ-
„ ſum; & Spiritum ſanctum, qui per Prophetas, & Apoſtolos, & Evangeliſtas lo-
„ cutus eſt, unam Deitatem perfectam, indiſſolubilem, incontaminatam eſſe firmi-
„ ter credas, & ſine omni ambiguitate teneas. Hæc eſt Fides Catholica, (quam
„ ſicut Athanaſius dicit) niſi quis fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non
„ poterit. Si aliquando infra tuam inveniantur potentiam (quod abſit) qui hanc
„ collationem Sanctæ Trinitatis dividere, vel minuere, ſive augere conantur; hos
„ ipſos ſcias eſſe hæreſiarchæ ſervos, & non ſanctæ Eccleſiæ filios. Tales vero nec
„ nutrias, nec defendas, ne tu etiam videaris amicus, & fautor. Hujuſmodi enim
„ viri ſanctæ Fidei filios omnino reddunt morboſos, & iſtam novellam ſanctæ Ec-
„ cleſiæ plebem miſerabiliter deſtruunt, ac etiam diſſipabunt. Hoc ne fiat, prin-
„ cipaliter cura.

Illius profeſſio.

Hæreticorum conſortio jubet abſtinere.

„ In regali quidem palatio poſt Fidem, Eccleſia ſecundum tenet locum,
„ a Capite noſtro, ſcilicet Chriſto, Eccleſia prius ſeminata, deinde per ejus mem-
„ bra utique Apoſtolos ſanctoſque Patres transplantata, & firmiter ædificata, atque
„ per totum orbem diffuſa: & quamvis ſemper novam habeat prolem, in certis ta-
„ men locis, quaſi antiqua habetur. Hæc autem fili cariſſime, in noſtra Monar-
„ chia, adhuc quaſi juvenis, & novella prædicatur, atque idcirco cautioribus, evi-
„ dentioribusque eget cuſtodibus, ne bonum, quod Divina clementia per ſuam im-
„ menſam clementiam nobis conceſſit immeritis, per tuam deſidiam, & pigritiam at-
„ que negligentiam deſtruatur, & annihiletur. Nam qui minuit, aut foedat ſan-
„ ctæ Eccleſiæ dignitatem, ille Chriſti corpus, mutilare nititur. Ipſa enim Domi-
„ nus dixit Petro, quem cuſtodem, magiſtrumque eidem poſuit ſanctæ Eccleſiæ:
„ Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Seipſum qui-
„ dem nominabat Petram; verum non ligneam, vel lapideam ſuper ſe ædificatam
„ Eccleſiam dixit, ſed populum acquiſitionis, gentem electam, divinam, gregem
„ Fide doctum, Baptiſmate lotum, chryſmate unctum, ſanctam ſuper ſe ædifica-
„ tam Eccleſiam dixit, & appellat. Si quis infelix hujus ſanctæ Eccleſiæ membra,
„ vel parvulos ſcandalizat, juxta Evangelii præceptum dignus eſt, ut mola ſuſpen-
„ datur aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris, id eſt, ajiciatur
„ de poteſtatis dignitate, & maneat extra Eccleſiam juſtorum, in illa mundiali mi-
„ ſeria, ſicut ethnicus, & publicanus. Ac per hoc fili mi ferventi ſtudio debes in-
„ vigilare in ſancta Eccleſia, de die in diem, ut potius capiat augmentum, quam
„ detrimentum patiatur: inde quidem in primis Reges Auguſti dicabantur, quia au-
„ gebant Eccleſiam. Hoc & tu facias, ut tua corona laudabilior, & vita beatior,
„ & prolixior habeatur.

Quanto honore in Eccleſiam eum ferri deceat.

„ Regium ſolium ornat ordo Pontificum, ac per hoc in regali dignitate ter-
„ tium poſſident locum Pontifices, chariſſime fili: Seniores illos ita cuſtodias, ſicut
„ oculorum pupillas. Si illorum benevolentiam habes, neminem adverſariorum ti-
„ mebis. Illis quidem te obſervantibus eris ſecurus in omnibus; illorum precatio
„ commendabit te omnipotenti Deo. Illos enim Deus divini generis conſtituit cu-
„ ſtodes, fecitque ſpeculatores animarum, ac totius Eccleſiaſticæ dignitatis, ac di-
„ vini Sacramenti diſpenſatores, & datores. Sine enim illis, nec conſtituuntur Re-
„ ges, nec principantur; per illorum interventum delicta delentur hominum. Si
„ illos perfecte amas, te ipſum ſine dubio ſanas, tuumque Regnum honorifice gu-
„ bernas. In manus enim illorum poſita eſt poteſtas ligandi nos in peccatis, & a
„ peccatis ſolvendi. Teſtamentum vero ſempiternum ſtatuit illis Deus, eoſque ſe-
„ gregavit ab hominibus, & ſui nominis, atque ſanctitatis fecit participes, & ab hu-
„ mano die interdixit reprehendendos eſſe, per David Deificum Regem: Nolite
„ tangere Chriſtos meos, &c. Ille autem tangit chriſtos Dei, qui contra divinum,
„ atque Canonum inſtitutum, ſacri ordinis viros falſis criminibus fœdat, atque in
„ publicum protrahit. Quod te omnino, fili mi, agere prohibeo, ſi vis beatus
„ vivere, & tuum Regnum honeſtare: quia in his rebus inprimis offenditur Deus.

Qua reverentia Epiſcopos & viros Eccleſiaſticos coli velit.

 Si

Si accidente caſu, culpa, reprehenſione digna, ſuper aliquem horum, de quibus ſermo eſt, ceciderit (quod abſit) corripe eum, ter, quater inter te, & ipſum ſolum, juxta præceptum Evangelii. Si tunc ſecrete renuerit audire monita, adhibenda tibi ſunt publica, ſecundum hæc: Si te non audierit, dic Eccleſiæ. Nam ſi tu hunc ordinem ſervabis, glorioſam tuam penitus exaltabis coronam.

Ab his Magnates & Proceres honorandos eſſe.

„ Quartus decor regiminis eſt fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, confidentia Baronum, Comitum, Militum, Nobilium: illi enim ſunt Regni propugnaculum, defenſores imbecillium, expugnatores adverſariorum, augmentatores Monarchiarum. Illi enim tibi, fili mi, ſint patres & fratres. Ex his vero neminem in ſervitutem redigas, vel ſervum nomines: illi tibi militent non ſerviant, eorum omnibus ſine ira, & ſuperbia, atque invidia pacifice, humiliter, manſuete dominare; memoria retinens ſemper, quod omnes homines unius ſunt conditionis, & quod nil elevat niſi humilitas, & nihil dejicit niſi ſuperbia, & invidia. Si eris pacificus, tunc diceris Rex, & Regis filius, atque amaberis a cunctis militibus. Si iracundus, ſuperbus, invidus, impacificus, ac ſuper Comites, & Principes cervicem erexeris, ſine dubio fortitudo militum, hebetudo erit Regalium dignitatum, & alienis tradent Regnum tuum. Hoc timens cum regula virtutum dirige vitam Comitum, ut tua dilectione angulati, ſemper Regali dignitati adhæreant inoffenſi, & ut tuum Regnum per omnia ſit pacificum.

Jus ſine partium ſtudio ex æquitatis legibus pronunciandum.

„ Patientiæ, & judicii obſervatio quinta regalía Coronæ eſt ornatio. David Rex atque Propheta dicit: Deus judicium tuum Regi da. Et idem alibi: Honor Regis judicium diligit. De patientia Paulus Apoſtolus loquitur: Patientes eſtote ad omnes: & Dominus in Evangelio: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Ad hoc tende, fili mi; ſi vis Regni habere honorem, dilige judicium: ſi animam tuam poſſidere vis, eſto patiens. Quotieſcunque fili cariſſime, cauſa digna judicari ad te venerit, vel aliquis capitalis ſententiæ reus, noli impatienter portare, vel cum juramento firmare, illum punire; quod inſtabile, & fragile debet eſſe, quia ſtulta vota frangenda ſunt; vel per te ipſum dijudicare ne tua Regalis dignitas uſurpatione inferiorum negotiorum fœdetur; ſed potius, hujuſmodi negotium ad judices mitte, quibus hoc commiſſum eſt, quod ipſi ſecundum ſuam hoc diſcernant legem. Time eſſe judex, gaude vero Rex eſſe, & nominari. Reges patientes regnant: impatientes vero tyrannizant. Quando autem aliquid, quod tuæ convenit ad judicandum dignitati, tibi venerit, cum patientia, & miſericordia, ſive miſerantia, hoc judica, ut tua Corona laudabilis ſit, & decora.

Suadet hoſpitalitatem adverſum exteros.

„ In hoſpitalibus, & adventitiis viris tanta ineſt utilitas, ut digne ſexto in Regalis dignitatis loco poſſit haberi. Unde in primis Romanorum crevit Imperium, Romanique Reges ſublimati fuerunt, & glorioſi? niſi, quod multi nobiles, & ſapientes, ex diverſis illuc confluebant partibus? Roma vero uſque hodie eſſet ancilla, niſi Aeneades ipſam feciſſet liberam. Sicut enim ex diverſis partibus provinciarum veniunt hoſpites: ita diverſas linguas, & conſuetudines, diverſaque documenta, & arma ſecum ducunt, quæ omnia Regiam ornant, & magnificant Aulam, & perterritant exterorum arrogantiam. Nam unius linguæ, uniuſque mortalis Regnum imbecille, & fragile eſt. Propterea jubeo, fili mi, ut bona voluntate illos nutrias, & honeſte teneas, ut tecum libentius degant quam alicubi habitent. Si enim tu deſtruere, quod ego ædificavi, aut diſſipare, quod congregavi, ſtudueris, ſine dubio maximum detrimentum tuum patietur Regnum. Quod ne fiat, tuum quotidie auge Regnum, ut tua Corona ab omnibus auguſta habeatur.

Tum regiminis rationem ex ſenum conſiliis inſtituendam.

„ In tribunalibus Regum, conſilium ſibi ſeptimum vendicat locum: conſilio enim conſtituuntur Reges, gubernantur Regna, defenditur patria, componuntur prælia, ſumitur victoria, propelluntur inimici, appellantur amici, civitates conſtruuntur, & caſtra adverſariorum deſtruuntur. Ut vero conſiliis inſit utilitas, a ſtultis, & arrogantibus ac mediocribus (ut mihi videtur) non valent componi viris, ſed a majoribus, & melioribus, ſapientioribuſque, ac honeſtiſſimis ſenioribus exprimi debent, & poliri. Idcirco, fili mi, cum juvenibus, & minus ſapientibus

noli

„ noli conſiliari, aut de illis conſilium quærere; ſed a ſenioribus, quibus illud negotium
„ propter ætatem, & ſapientiam ſit aptum. Nam conſilia Regum in præcordiis ſa-
„ pientum debent claudi, non ventoſitate ſtultorum propagari. Si enim gradieris
„ cum ſapientibus, ſapiens efficieris; ſi verſaria cum ſtultis, ſociaberis illis;
„ fatente Spiritu ſancto, per Salomonem: Qui cum ſapientibus graditur, ſapien-
„ tum erit amicus, nec ſtultorum erit ſimilis. Et David pſallit: Cum ſancto ſan-
„ ctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & electo electus eris, & cum
„ perverſo perverteris. Ad hoc quidquid negotii unicuique conveniat ætati, in
„ hoc ſe exerceat: ſcilicet, juvenes in armis, Senatores in conſiliis: omnino tamen
„ juvenes non ſunt expellendi a conſiliis. Quoties vero cum illis conſilium inibis,
„ etiamſi ſit habile; tamen ſemper ad Majores differas, ut omnes actus tuos norma
„ ſapientiæ menſures.

„ Imitatio Majorum in Regali dignitate octavum poſſidet locum. Regale
„ ornamentum ſcito eſſe maximum, ſequi anteceſſores Reges, & honeſtos imitari
„ parentes. Qui enim anteceſſorum Decreta ſpernit patrum, divinas nec procurat
„ leges, peribit. Patres enim idcirco ſunt patres, ut nutriant filios, ideoque ſunt
„ filii, ut obediant patribus: qui patri ſuo reſiſtit, inimicus Dei conſiſtit. Omnes
„ enim inobedientes, Deo ſunt reſiſtentes. Spiritus enim inobedientiæ diſperget
„ flores Coronæ. Inobedientia enim totius Regni eſt peſtilentia. Propterea,
„ fili chariſſime, edicts patris tui ſemper tibi ſint prompta, ut proſperitas tua ubique
„ Regalibus dirigatur habenis. Mores quidem meos, quos Regali vides convenire
„ dignitati, ſine vinculo totius ambiguitatis ſequere. Grave enim tibi eſt hujus cli-
„ matis tenere Regnum, niſi imitator conſuetudinis ante regnantium extiteris Re-
„ gum. Quis Græcus regeret Latinos græcis moribus, aut quis Latinus Græcos la-
„ tinis regeret moribus? nullus. Idcirco conſuetudines ſequere meas, ut inter
„ tuos habearis præcipuus, & inter alienos laudabilis.

Magnam regentium felicitatem eſſe, ſi Majorium virtutes ſectentur, novas contra fugiant.

„ Obſervatio orationis, maxima acquiſitio eſt Regalis ſalutis, & ideo no
„ num & nonaria regiæ dignitatis canit regula: Continua oratio eſt peccatorum ab-
„ lutio, & remiſſio. Tu autem, fili mi, quotieſcunque ad templum Dei curris,
„ ut Deum adores, cum Salomone filio Regis, & ipſe Rex ſemper dicas: Emitte
„ Domine ſapientiam de ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret,
„ ut ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore. Et iterum: Domine pater,
„ & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno: extollentiam oculo-
„ rum meorum ne dederis mihi, & deſiderium malignum meum averte a me Do-
„ mine: aufer a me concupiſcentiam, & animo irreverenti, & infrunito ne tradas
„ me Domine. Hac itaque oratione antiqui utebantur Reges. Tu quoque hac ea-
„ dem utere, ut Deus cuncta vitia a te auferre dignetur, ut invictiſſimus Rex a
„ cunctis nomineris. Ora etiam, ut deſidiam, & hebetudinem a te depellat, &
„ ſupplementum omnium tibi tribuat virtutum, quibus viſibiles, & inviſibiles vin-
„ cas inimicos; ut ſecurus, & expeditus ab omni incurſione adverſariorum, cum
„ omnibus tibi ſubjectis, curſum ætatis tuæ vitæ cum pace poſſis finire.

Orationis ſtudium cum regni curis nare conſentire.

„ Modus virtutum ornat coronam Regum, & in præceptis ponitur deci-
„ mus. Nam Dominus virtutum ipſe eſt Rex Regum. Sicut ergo ſui exercitus
„ cæleſtis plenitudo, in denis conſiſtit choris: ſic tuæ vitæ converſatio in decem
„ perſiſtat mandatis. Oportet Regem eſſe pium, miſericordem, & cæteris virtuti-
„ bus imbutum, & ornatum. Rex enim impietate, & crudelitate ſœdatus, incaſ-
„ ſum ſibi vendicat nomen Regis, quia tyrannus eſt dicendus. Ob hoc ergo, fili
„ mi amabiliſſime, dulcedo cordis mei, ſpes futuræ ſobolis, precor, jubeo, ut per
„ omnia, & in omnibus pietate fultus, non ſolum parentelæ, & cognationi, vel
„ principibus, ſive ducibus, ſive divitibus, ſeu vicinis, & incolis ſis propitius,
„ verum etiam extraneis, & cunctis ad te venientibus: nam opus pietatis ad ſum-
„ mam te ducit beatitudinem. Sis miſericors omnibus vim patientibus, ſemper illud
„ Domini in tuis præcordiis habens exemplum: Miſericordiam volo, & non ſacri-
„ ficium. Patiens eſto ad omnes, non tantum potentes, ſed etiam poteſtate caren-
„ tes. Sis denique fortis, ne te proſperitas nimis elevet, aut adverſitas dejiciat.
„ Sis quoque humilis, ut Deus te altum faciat, hic, & in futuro. Sis vero mode-

Uti & ceteras virtutes.

1020. „ ſtus, & ultra modum neminem punias, vel damnes. Sis mitis, & nunquam juſtitiæ repugnes. Sis honeſtus, & nunquam alicui ſpontaneum inferas dedecus. Sis pudicus, & cunctos libidinis fætores, ſicut ſtimulum mortis evites. Hæc omnia ſuperius libata Regalem componunt Coronam, ſine quibus valet nullus hic regnare, nec ad æternum pertingere Regnum. „

Hactenus documenta Stephani regis. In quibus cum ſingularem in primis ſapientiam, & incomparabilem pietatem, tum charitatem erga ſuos & filium, quem ſibi ſucceſſorem parabat, admireris, neque ſine dolore cogitare queas, hac ſolicitiſſimum patrem ſpe fruſtratum, paucoſque poſt annos ſibi præmiſiſſe, quem ſupereſſe regni & religionis cauſa, ſi DEO ita videretur, impenſe optabat. Sed hæc in
1021. DEI arbitratu ſunt.

Bulgaricum bellum imminere.

Gravis hoc anno e Boſnia tempeſtas Tranſilvaniæ incubuit. Boſni, ſeu Beſſi, aut Byſſeni, nam promiſcue ſcriptoribus dicuntur, ſæpe alias, ut veriſimile eſt, infeſtis armis in Hungariæ ditiones procurreraot, nunc ex Bulgaria, non item, ut noſtri paſſim habent ex Hungaria, egreſſi prædarum ſpe Tranſilvanos ad ictum deſtinabant, feciſſentque citra dubium jacturam memorabilem, niſi Stephanus ea de re e coelo edoctus cladem ab eorum jugulo avertiſſet. Eam incurſionem Bonfinius prolixa oratione complexus eſt, verum quia plerisque exaggerata, & ob locorum intervalla etiam improbabilis ex parte videtur, neque Carthuitius omnium ſingilatim meminerit, malui auctoris prope ſupparis narrationem ex MS. Mellicenſi, quam illius in annales transferre. Relatis igitur Byſſenorum in confinia Hungariæ molitionibus, *rex vero*, ſubjungit laudatus auctor, *illos ante dies in remotis partibus venatui inſiſtebat, ut ſaltem poſt multas curas, quibus opprimebantur, aliquantiſper membra infirma relaxarentur. Cum igitur circa mediam horam diei ſopori indulgeret, per voluntatem DEI, qui ea, quæ futura ſunt, ſpiritu viſionis ſuæ manifeſta, & cognita fidelibus ſuis oſtendit, videbatur aſtantibus - - inimicis paterne loqui, & quaſi eos terrendo præferre: cur vana veſtra coborte clauſtra ſanctæ Eccleſiæ irrumpere vultis? cur gregem paſtoris magni, & ovilia ejus deſolari veniſtis? recedite, recedite, quia impetravi ob Imperatore meo virum defenſorem, & ducem meum, ſcilicet Martinum, qui non patietur morſibus veſtris paſcua juſtorum lacerari.*

Ex revelatione Dei cognoſcit.

Hæc ubi rex cæleſti afflatus Numine, ſomno oppreſſus dixiſſet, *evigilans alacri vultu, qui ſua præferret nuncia, adeſſe mandavit. Cui aſſiſtenti, non meæ, inquit, legationis cauſas explere poteris, ſed alius, qui fidelior inveniatur, accedat. Præſentatum vero eisdem verbis redire præcepit. Amoto & tertio, perge, ait, abire, feſtina propere, & mea tollens mandata, dic Tribuno plebis in ulterioribus moranti, ut provideat, viros ad pugnam eligat, & hoſtium cuneos in me bellum moventes propellat. Aſcendit ille velociter, ad locum pervolavit, quod acceperat, indicavit, idemque diligenter factum eſt. Jam hoſtis propius aderat, jam mænia urbis vallaverat, tam inopinata incurſio eſt. Tribunus cum copiis ſuis illum invadit, tunc utrimque decertatum eſt: iſti protectione DEI roborati accinguntur, illi amentia ſua obligati disjunguntur, poſtremo terga fugæ dederunt. Plures autem eorum corruerunt, plures in capitivitatem ducti ſunt. Cæde peracta is, qui venerat, ad regem regreditur, ut nunciaret ei. Rex audito eventu belli, grates habuit omnipotenti, qui victoriam fidelibus ſuis dedit ex inimicis.*

Ac illius auxilio profligat.

Hæc ex Ms. Mellicenſi: ex quo Bonfinius corrigendus, qui Tranſilvaniam omnibus injuriis, quas bellum ſecum trahit, affectam fuiſſe ſcribit. Credibile eſt Beſſos, tranſita Servia, quæ tum Bulgaris obnoxia fuit, trajectoque Danubio per provinciam Temeſienſem in Tranſilvaniam ſeſe effudiſſe, ut incautos, nihilque tale metuentes opprimerent: Stephanum autem, quem opinor, ne quid res publica detrimenti caperet, veterum more regni partes obiviſſe, atque iſthuc, qua Beſſi irrupturi erant, delatum, divinitusqne admonitum, eam cladem a ſuorum jugulo propulſaſſe.

Beſſi victorem Stephanum legatione placare ſtudent.

Beſſi accepta clade domum reverſi, veritique ne Hungari supernas injurias obmoto bello ulciſcerentur, ſexaginta viros ex ſuis legunt, qui auro, argentoque, ac ceteris muneribus pacem ab Stephano & veniam efflagitarent. Haud multo poſt, quam ingreſſi Hungariam eſſent, militum facinoroſorum manu circumveniuntur, auro & argento omni per ſummum nefas ſpoliati, & amiſſis non paucis ſuorum ægre incolu-

An. Chr. 1021.

columes ad regem perveniunt, de injuria queruntur, & cauſas, cur adeſſent, pro
tempore breviter exponunt. *Rex ut erat prudentioris animi*, ſcribit Carthuitius (c)
*non vultu, non verbis minatus eſt eis, ſed ſuſtinens, ut ſcribitur, prudens ſpiritum reſer-
vat in poſterum, miſit ocius ad illum, ſub quo militabant, Tribunum, & die conſtituto omnes
perditionis viros juſſit conſpectibus ſuis præſentari. Factum eſt, ut imperaverat, & ad diſ-
cutiendum in præſentia ſui conſtituti ſunt. Quos alloquens, cur, inquit, legem præcepto-
rum DEI tranſgredientes, non intellexiſtis miſericordiam, & viros innocentiæ condemnaſtis?
ſicut feciſtis, ita faciet Dominus vobis coram me hodie, tranſgreſſores enim legis feriendi ſunt.
Accepta ſententia educti ſunt, & per omnem regni ingreſſum duo & duo ſuſpendio perierunt,
quod ob terrorem incutiendum reliquis, zelo eum juſtitiæ feciſſe credendum eſt, ut quia re-
gnum omnibus hoſpitibus potens aſylum eſſe volebat, ſic liber omnibus introitus eſſet, ut nul-
lus ingredientem quemlibet in aliquo læderet, vel moleſtare præſumeret, quod & factum
eſt.* Per hoc, ut adjicit Ms. Mellicenſe, *denique volens intelligi, ut quicunque non ac-
quieſceret judicio juſtitiæ, quod a Domino propoſuerat, ſic fieret illi. Audierunt habitatores
terræ judicium, quod judicaſſet rex, & timuerunt.* Biſſeni contra cumulatiſſime donati
& voti compotes rediere, quos nunquam deinceps Hungariæ infeſtos fuiſſe comperio.

Legatis injuria affectis.

Pœna ex violatoribus ſumitur.

Sub idem tempus Adalbertus, qui Marchionis nomine tertius e Babenber-
gicis rerum in Auſtria potiebatur, Albaidem Comitis Pictavienſis ex Giſela Stepha-
ni ſorore filiam matrimonio ſibi copularat. (d) Ipſam hanc eſſe Alhaidem, cui Pe-
trus, qui poſt Stephanum regnabat, frater fuerit, in conſpicuo eſt, quique apud
Adalbertum, cujus levir erat, cum ab Ovone regno ejiceretur, opem & ſuppetias
rogabat, ut, cum illo ventum fuerit, narrabitur.

Rex cum Adalberto Auſtriæ Duce affinitatem contrahit.

1022.

Stephanus nihil a more ſuo remittens res ſacras gnaviter curabat, utque
filium ſenſim ad eadem condocefaceret, ſibi itineris ſocium, dum ad Eccleſias in-
viſeret, adlegit. Hunc in modum Budam hoc anno rex, & *regina cum filio venerunt,
ubi cum nullum veri DEI templum conſpicarentur, in quo pia ſacra operarentur, exædifi-
candum, ampleque donandum continuo cœnobium cum æde cenſuere, quam divo Petro, Pau-
loque dicarunt. Artifices omnes e Græcia acciti, ut opus memorabile facerent, ſtatuarii,
ac plaſtici undique magna mercede conducti. Ut magis ferveret opus, Stephanus, & Giſla
Budæ conſtiterat. Verum cum huic operi, ſignis, tabulis, ac ornamentis illa incumberet,
neuter voti compos eſſe potuit. Nam cum ante mortem ipſorum perfici nequiverit tanta moles,
a Ladislao tandem rege ſanctiſſimo pronepote ſuo conſummatur.* In hæc verba Bonfinius.
Sed illud non recte, quod Stephanum Ladislai proavum ſcribat: hunc enim ex po-
ſteris Michaelis, qui Stephani patruus erat, ortum traxiſſe extra dubium eſt. Bu-
dam autem veterem per planiciem pone Danubium excurrentem hoc loco accipi ipſa
temporis ratio ſuadet, cum novæ Budæ primordia, quæ per montem ſolido e ſaxo
natura conflatum, & ab ceteris divulſum amoeniſſimo ſitu porrigitur, regumque po-
ſtea ſedes, & Hungariæ metropolis fuit, ad Belæ IV. ætatem affigi oportere ex hujus
rebus geſtis conficietur.

Budam cum conjuge, ac filio inviſit.

Neque mirum cuiquam videri debet, regem tam tenero, & ſolicito in res
ſacras animo ſemper extitiſſe. Etenim *perpetuum - - Stephano inſtitutum hoc fuiſſe fe-
runt, ter quotannis baſilicas, & cœnobia, quæ fundarat, reviſere ſolitum: ad aras pri-
mum omnes pias preces, & ſacra feciſſe, ut magnis numinibus* (ſanctos Bonfinius ſcribere
volebat) *ſupplicia debita exſolvere videretur. Dein ſingulatim templa luſtraſſe, ne qua
quidquam negligentia collaberetur, ſi quid vitii, imminentiſque ruinæ tectis, & parietibus
intuebatur, extemplo inſtauraſſe: peculiares ſemper loculos a latere circumtuliſſe, ex hiſque
propria manu mendicantibus, & egenis erogaſſe pecuniam: Emericum quoque regali habitu
indutum, cum templa cum patre luſtraret, ante aras ſe continuo exuiſſe, ut altaria excole-
ret. Pari quoque ſtudio Giſela utebatur, cui nihil erat antiquius, quam cum viri probitate
certare, ſacras veſtes & ornamenta ſacerdotum diligentiſſime recognoſcere, ut abſumpta reſi-
ceret, aut lacera reſarciret.* Tam pium utriuſque ſtudium Benedictus ejus nominis Pon-
tifex IX. mirum in modum exacuit, cum anno ſequente variorum ſanctorum lipſana 1023.

Singulare ejus in res ſacras ſtudium.

regi

c) In vita S. Steph. Cap. IV. Num. 25.

d) Aloldus ad an. 1021. „ Adalber-
„ tus Marchio nuptias fecit cum Alhaide,
„ quæ fuit filia Guilielmi Comitis Pictavien-
„ ſis, & Geiſelæ ſororis Stephani primi re-
„ gis Hungariæ, & ſancti. Hujus Alhaidis
„ frater erat Petrus, qui poſt Stephanum in
„ regno Hungariæ ſucceſſit.

1023. regi & Giſelæ dono in Hungariam miſiſſet, quæ illi, ut beneficii pars ad plures pertineret, in varias baſilicas diſtribuere.

Templum, ac domum Jeroſolymis condit, fundiſque locupletat.

Hoc quoque fortaſſis anno templum Jeroſolymis ab Stephano ſtrui cœptum fuerit, Georgio, magno martyri poſtea dicatum. Adjectæ cum cœnobio domus, quæ Hungaros iſthuc pietatis cauſa peregrinaturos exciperent, neve quidquam ad ſtabilitatem deeſſet, coemti præterea in (*e*) Palæſtina fundi, unde commeatus peregrinis liberaliter ſuppeditaretur. Scio a pleriſque noſtrorum hanc Stephani muoificentiam ad aonum MX. revocari, ſed quia id temporis rex fuodandia potius regni ſui Eccleſiis videtur inteotus fuiſſe, & Hakemus in Chriſtiaooa dirutis paſſim templis barbare graſſaretur, ſtructuram eam ad præſentem annum referri debere exiſtimo, quoniam anno iſtum antecedente idem Hakemus commutata voluntate dirutas Eccleſias inſtaurandi, novsſque a fundo educendi poteſtatem Chriſtianis fecit (*f*), quod ubi per Europam diditum eſſet, ingens hominum multitudo rurſus ad ſacra loca adire, & Chriſtisnorum iſthic degentium peouriam ære ac muneribus levare occæpit. Inter quos Stephanum ooo poſtremum fuiſſe mihi valde veriſimile eſt.

1024. *Henrici Imperatoris obitus.*

Quartus ac viceſimus annus ſupra milleſimum Germaniæ quidem præ primis, tum Hungariæ quoque luctuoſus fuit, cum Heoricus Imperator, Grunæ primum morbo correptus, tum incredibili totius orbis Chriſtianl mœrore defunctus magnum ſui apud optimos quoſque deſiderium reliquiſſet (*g*), anno ætatis ſecundo ac quinquageſimo, regni romani viceſimo ſecundo, imperii autem decimo (*h*). Credibile eſt luctum ad Giſelam quoque ſororem, tum Stepanum, qui Henrico ea ætate ſtudio pietatis certabat, pertinuiſſe, tametſi noſtri nihil de ea re ſingilatim litteris conſignatint.

1026. *Emericus patre jubente matrimonium init.*

Sed dolor hac parte acceptus, altero abhinc anno domi mitigatus eſt; dum filium, quem unicum ſuperſtitem habuere, matrimonio illigaſſent. Stephanus enim, *ut publicæ ſaluti de ſucceſſore conſuleret, Emericum parandis liberis haud intempeſtivum, digno conjugio obligandum eſſe cenſuit, ratus, neminem regno commodiorem futurum, ſi viveret: ſin minus, ſanctiſſimam hinc prolem ſperari poſſe, & regendis Ungaris accommodatiſſimam. Quare excellentiſſimam forma, & virtute virginem, ac regali genere natam huic deſponſat pater - - ne legitimus, idemque optimus Pannoniæ regno ſucceſſor deſit.* (*i*) Sed

Conjugem ad colendam caſtimoniam perſuadet.

patris vota, quamquam juſta, eatenus fruſtra fuere. Nam Emericus noo modo procreandis liberis operam oon dedit, ſed conjugi quoque, ut illibatum caſtimoniæ florem ſervaret, auctor fuit, quod eum nullo oegotio a virgine impetraſſe Scriptores paſſim narrant. Facile mihi perſuadeo apud caſtiſſimum adoleſcentem, voto alioquin illigatum, Henrici Imperatoris exemplum valuiſſe, qui dum bienoio abhinc antequam fato fungeretur, virginitatem ab eo, & Cunegunde ſervatam audiſſet, eo

Incertum eſt, cujus nominis, aut generis ſponſa fuerit.

comperto, ad ſimilem pulcherrimæ virtutis conſecutionem inſlammaretur. Cujus nominis, aut qua gente orta Emerici conjux fuerit, in obſcuro eſt. Si Illyrico (*k*) ſcriptori vitæ illius, qui ſe hæc ex Dalmaticis mooumeotis accepiſſe teſtatur, fides tuto haberi poſſit, credibile eſt, cum omnes regio ſanguine procreatam ſcribant, Creſimiri Dalmatiæ regis filiam ſuiſſe. Ea tamen opinio intricatiſſima prorſus difficultate involvitur. Reges enim Dalmatiæ hujus nomioia, qui ad ætatem Stephani congruant, duos apud Illyricos ſcriptores habemus, Creſimirum alterum, qui poſt Godemirum

e) Inchofer io annal. ad an. 1010. alt ex MSS. ſe habere, fundos in Palæſtina eum in finem ab Stephano coëmtos.

f) Glaber. qui tum vixit, pag. 394. in hæc verba ſcribit: „Dirutæ fuerant Eccleſiæ „ anno Martyrum DCCXXVII. (id eſt anno Chriſti MXII.) reſtitutæ ſunt anno „ DCCXXXVII.„ (ſeu an. Chr. MXXI.) Credibile autem eſt perſecutionem non inchoaſſe a dirutis Eccleſiis, quare perſecutionis initium probabiliter cœpit an. Chr. MX. Ex quo veriſimile fit, Stephanum hoc anno laudatum cænobium Jeroſolymis ſtruere non cœpiſſe.

g) Auctor vitæ S. Henrici ad diem V. Junii apud Hagiographoa. „S. Heoricus cum „ totius Chriſtianitatis inæſtimabili mœrore „ anno vitæ ſuæ 52, regui 22, imperii 10, „ Dominicæ Iocaroationis 1024. defunctus„ - -

h) Annales Hildesheimenſea. „ MXXIV. „ Indict. VII. Heinrichus Imperator nativitatem Chriſti Babenberg, Paſcha Partenopoli, Pentecoſten vero Goſlare honorifice celebravit. Qui poſtea Gruna venit, „ & ibi languore correptus, decubuit, & „ cum totins regni mœrore ah ah - - hominem poſuit „ - -

i) Bonfin. Dec. II.

k) Joannes Tomcus in vita S. Emerici.

demirum regno præfuit, alterum qui Petri præterea nomine inſignitus erat. Ille anno ſeculi hujus XIX. a Baſilio orientis Imperatore profligatus Conſtantinopolim cum fratre abductus quinto poſt anno vertente uxorem quoque pari fato involutam accepit. Si his filia erat, vehementer dubito, Emerico deſpoſam fuiſſe, quod captiva, & alieno juri obnoxia eſſet. Creſimirus vero alter, cum a Lucio (*l*) po- natur regnum adiiſſe anno MLII. tempori huic quadrare non videtur. Itaque Ste- phani, Dalmatiæ regis, cui Dircislaus pater erat, filiam fuiſſe oportuit. Atque hunc in modum ſoror potius Creſimiri, non item filia, cujuſmodi nullam illi fuiſſe ex Scriptorum ſilentio probabiliter conficitur, dicenda fuit, quam *Cichæ* nomine compellatam ex diplomate anni MLXXII. conſtat, (*m*) primaque omnium erat, quæ monaſterio Jadrenſi a ſe fundato præficeretur. Quæ res conjecturæ, quam daturi ſumus, veriſimilitudinem utcunque conciliare poteſt. Cum enim conjugem Emerici caſtimoniam illibatam ſervaſſe, neque Creſimirum filiam, ſed ſororem, quæ virgi- nitatem itidem intemeratam tumulo intulerit habuiſſe, exploratum ſit, non abhorret a vero, eandem hanc Cicham ab Stephano uxorem filio datam, quo defuncto ad fratrem in Croatiam redux, ac caſtimoniæ ſive ſuapte ſive in Emerici memoriam retinens, conditi ab ſe virginum cœnobii prima omnium præfecturam capeſſiverit. Sed hæc intra conjecturam.

Noſtra in ea re conjectura.

1027.

Sub hæc diſſenſionibus inter Stephanum & Conradum Imperatorem, cogno- mento Salicum, initium datum eſt. Operæ precium fuerit, rem, quemadmodum geſta fuit, auctoris, qui ea ætate vixit, verbis referre. *Eodem tempore*, inquit, *Werinharius Argentinæ civitatis Epiſcopus ab Imperatore legatus Conſtantinopolim mittitur. Qui dum cauſa orationis Hieroſolymam pergere ſe fingeret, ut putavimus, judicio Domini, quem fallere nemo valebit, mirabiliter probibitus eſt. Nam dum magnum comitatum homi- num, majorem quoque mutorum animalium, equorum, boum, porcorum, multaſque delicias ſeculares ultra modum ſecum educeret, perveniens in Ungariam, a rege Stephano contradicta eſt ſibi via, quod eo tempore nulli oratorum accidit* (*n*). Hæc diſſidiorum initia: quam autem ob rem Stephanus Legarum commeatu intercluſerit, difficile eſt conjecturam capere: niſi forte ea legatione aliquid adverſum ſe apud Græcos a Conrado cudi ſu- ſpicatus fuerit, quod, ut affirmare non auſim, ita fere certum eſt, occaſionem fu- turi belli præbuiſſe, ut mox memorabimus.

Stephanus Legatum a Conrado Imp. Conſtantinopolim miſſum commeatu excludit.

Hinc belli Germanici initia, & cauſa.

1029.

Remiſſo in Bavariam Werinhario, Stephanus rurſum ad res ſacras conver- ſus, locum Beel in ſilva Baconienſi ſitum, in quo Gerardum prius, quam Chana- dienſi Eccleſiæ præficeretur, ſeptem ipſos annos caſtigatiſſimam vitam duxiſſe perhi- buimus, quoniam divino cultui peridoneus videbatur, pro exſtruendo cœnobio de- ſignavit (*o*), regiis, ut ipſe rex in litteris (*p*) loquitur, munificentiis poſtea uberri- me ditatum. Sed de hoc alias narratio inſtituetur.

Cœnobium Bakon Beelienſe conditur.

1030.

Haud multo poſt ſibi & pietati intentiſſimum belli ſtudia alioſum avocarunt. Conradus enim infeſtis ſignis in Hungariam appropinquare ferebatur. Belli cauſas video a ſcriptoribus tam varias referri, ut utri rectius ſentiant, difficile ſit conſtituere. Aloldus ob hæreditatem, quam Stephanus in Bojoariam habuerit, arma utrinque correpta ſcribit (*q*). Opinor tamen minus recte: nam cum Hezelo Bertholdi filius Bavariæ Ducatum ab Henrico Giſelæ fratre ſibi petiiſſet, hanc unam ob rem repul- ſam paſſum eſſe ſcriptor ſynchronus memorat (*r*), quod Bojoarii legem haberent, ſecun-

Conradus bellum in Hungaros parat.

Illius cauſam ab hæreditate Stephani

K

l) De regno Dalm. & Croat. Lib. II. Cap. 8.

m) Du Fresne Cap. VI. de familiis Dalm. & Sclavonicis.

n) Wippo in rebus Conradi Salici ad. an. 1027.

o) Timon in Epit. Chronol. Pazman apud Peterfy Part. II. Concil. Hung. Bakon-Beel S. Mauritii in Veſprimenſi Diœceſi a S. Stephano rege fundata (Abbatia) circa annum Domini MXXX.

p) „ Igitur inter cætera in illo loco, „ qui Beel dicitur, in ſilva Bacon, quia „ divino cultui videbatur mancipari valde „ idoneus, ſub titulo B. Mauricii Chriſti „ martyris monaſterium incepi conſtruere, „ quod & per DEI adjutorium conſumavi, „ regiis quoque munificentiis, ſicut potui „ ditavi.„ Hæc rex in litteris fundationis, quæ quidem annum exhibent MXXXVII., ſed diſerte dicit hoc anno ſe Abbatiam conſumaſſe, quam veriſimiliter MXXIX. inchoaverit, nec finire potuerit ante dictum annum partim ob bellum cum Conrado, partim quod morbis implicitus fuerit.

q) Ad an. 1030.

r) Adelboldus Epiſcopus Trajectenſis in rebus

ſa Bavari-am male repetunt ſcriptores.

ſecundum quam libera illis eligendi Ducis poteſtas eſſet. Wippo contra ſcriptor Germanus, & illius ævi cauſas omnes in Bojoarios rejicit. *Eodem tempore*, inquit, *multæ diſſenſiones inter gentem Pannonicam, & Bojoarios, culpa tamen Bojoariorum facta ſunt, ita, ut Stephanus rex Ungarorum multas incurſiones, & prædas in regno Noricorum, id eſt, Bojoariorum faceret.* Præerat tum, niſi fallor, Bojoariis Hezelo, quo regnante incurſiones, quarum auctor meminit, in Hungariam contigerint, non credo tamen vivo Henrico, cujus cum levir eſſet, & in gratiam poſt concitatam rebellionem acceptus, quidquam illo vivo inimicum in Stephanum, cui Henrici ſoror nupta erat, tentaſſe. Itaque poſtquam Henricus anno ſeculi viceſimo quarto defunctus eſſet, ut erat inquietis vir animi, ac dominandi cupidus, & fortaſſe a Conrado quoque concitatus, in Hungariam arma Hezelo corripuerit. Juſta proinde cauſa fuit Stephano injuriam repellendi, cum viciſſim in Bojoariam infeſtus procurreret.

Imperator cum Germanis caſtra ad Arabonem prope Jaurinum metatur.

Aliter tamen Conradus, ſive non rite cognita cauſa, ſive Legatum triennio abhinc ab itinere prohibitum fuiſſe impatienter ferret, rem accepit, & clades illatas bello ulciſci decreverat. Itaque collecto exercitu Noricum emenſus in Hungariam ſigna infert, & ad Arabonem uſque omnia ferro, ignique foedum in modum populatur. Quo minus porro vaſtitatem proferret, fluvio, & ſilvis prohibitus eſt. *Rex autem Stephanus*, ut ſubjungit Wippo, *minime ſufficiens adverſus Imperatorem, orationibus, & jejuniis in univerſo regno ſuo indictis, præſidium Domini tantummodo flagitabat.* Valuiſſe pia regis ſtudia idem memorat, quoniam *Imperator tam munitum regnum fluviis, & ſilvis intrare non valens, multis tamen prædationibus, & incendiis circa terminos regni injuriam ſuam ulciſcens reverſus eſt, volens tempore opportuniori coepta ſua peragere.*

Vincitur Stephani precibus, non armis.

Eodem modo bellum id noſtri complexi ſunt, niſi quod aliam cauſam, cur Conradus re infecta redierit, perhibeant. Carthuitius, quem ob apertum narrandi candorem, quam Bonſinium conjecturas fere de ſuo addere ſolitum, ſequi malo, poſtquam temporis, & rerum anguſtias, quibus rex interceptus erat, nihilque præſidii poſt DEum, præter virginis opem, reliquum deſcripſiſſet, ita Stephanum loquentem inducit. *Si placet tibi Domina mundi, tuæ partem hæreditatis ab inimicis devaſtari, & novellam plantationem Chriſtianitatis aboleri, non meæ, precor, imputetur deſidiæ, ſed potius diſpoſitioni voluntatis tuæ. Si paſtoris culpa quid mereatur, ipſe luat, inſontibus parce, precor, omnibus. His dictis, quaſi conſolatus ab ipſa, fiducialiter adverſus hoſtes arripuit. Altera mox die nuncius ad unum quemque ducem Germanorum, & in caſtra Teutonicorum ab Imperatore venit, qui eis redeundi mandatum detulit. Regredientibus adverſariis vir ſanctus reſpectu miſerationis DEI ſe viſitatum intelligit. Chriſto, ſuique Genitrici, terræ proſtratus gratias egit, cujus ſe cum regni proviſione tutamini precibus aſſiduis commendavit. Imperator vero ſuorum tam repentina perterritus defectione ſciſcitans, qualiter res facta fuerit, cum nuncium reverſionis eorum non ſuum fuiſſe veraciter ſciret, per conſilium Divinitatis, ad corroborandam fideliſſimi regis ſpem, factam non dubitavit, ſeque dehinc ab invaſione regni - - abſtinuit.* Hucuſque Carthuitius. (s) Bonſinius cæleſtem internuncium fuiſſe ſcribit, qui teſſerarii ſpeciem indutus, Germanos Imperatoris nomine ſolutis caſtris domum repetere juſſerit. Ego, quamquam non diffitear, Stephanum in tam præſenti periculo imploratam opem divinitus perſenſiſſe, ægre tamen inducor, ut credam, cæleſtem ſpiritum ementito Imperatoris nomine Germanos juſſiſſe miſſa militia domum redire, præſertim, quod Wippo presbyter, qui hæc ex hominibus, quibuſcum res acta eſt, intelligere poterat, nihil prorſus iſtorum memoret.

Hungaros a Bohemis bello impetitos fuiſſe improbabile eſt.

Altero præterea bello, ſi annaliſtæ Saxoni fides habenda ſit, hoc anno impetitum Stephanum a Prædislao Bohemorum duce oportuit, qui emenſa Moravia infuſis Hungariæ copiis plagam trans Danubium ſitam ad Strigonium uſque foediſſima populatione vaſtarit. (t) Sed cum noſtri ſcriptores ea de re ſileant, Bohemici autem, qui eam profecto omiſſuri non erant, nihil quoque meminerint, & Udalricus

Præ-

rebus geſtis Henrici ad an. MII. „ Legem „ habent (Bavarii) & ducem eligendi po- „ teſtatem ex lege tenent, hanc - - qui- „ cunque frangere tentaverit, me inimicum „ habebit „.

s) In vita S. Stephani Cap. IV. num. 23.

t) Ad an. MXXX.

Prædislai deceſſor ex ipſius annaliſtæ Saxonia ſententia altero poſt anno rerum potitus
ſit, neque Prædislaum ante annum MXXXIV. juxta Pagii calculum Bohemiæ impe-
raſſe conſtet, aut fictitium id bellum eſt, aut cum eo, quod Conradus Stephano ob-
moverat, manifeſto errore confuſum.

Poſtquam Conradus, re nulla præter illatam regno vaſtitatem patrata exer- *Pax inter*
citum in Germaniam reduxit, Stephanus, tametſi prior læſus eſſet, ad ineundam pa- *Stephanū*
cem animum adjecit. Miſſis Legatis facile confecta eſt, &, quod mirere, Conrado *& Conradi*
prorſus imprudente. Rem eveniſſe Wippo ita narrat. *Sed filius* (Conradi) *rex Hen-* *filium per*
ricus adhuc puerulus, Eigelberto Friſingenſi Epiſcopo creditus, legatione Stephani regis pacem *Legatos*
rogantis accepta, unico conſilio Pincipum regni, patre neſciente, gratiam reconciliationis an- *concilia-*
ſuit, juſte & ſapienter agens, qui regem injuſte injuriatum, ultro petentem gratiam, rece- *tur.*
pit in amicitiam. Ex quibus perſpicuum fit, Stephanum quidem Legatos ad Conra-
dum deſtinaſſe, pacem autem, cum is neſcio quam ob cauſam abeſſet, a filio con-
ſentientibus Germaniæ proceribus conceſſam, quam patrem deinde, cum nihil vivo
Stephano in Hungaroa tentarit, ratam habuiſſe vero eſt ſimillimum. Quamquam
magnas partes in concilianda pace Adalberto Auſtriæ Marchionis fuiſſe Aloldus (*u*) me-
moret, quem copias præterea, dum Conradus in Hungariam moveret, in promtu
habuiſſe ſcribit, an autem has Conrado, quod non putem, conjunxerit, reticet.

Tot bellis, ac morbo identidem recrudeſcente feſſus Stephanus regno ſe ab- *Emerici*
dicare, & omnem imperii molem in filium devolvere conſtituerat, ut procul mole- *obitus.*
ſtiſſimis curis, quibus publica rerum adminiſtratio fere obnoxia eſt, ſibi, ac DEO
vacaret, ratus per filium, quem ſapientiſſimis legibus a teneris eduxit, regno optime
conſultum iri. (*x*) Sed DEO aliter viſum. Repente enim in adverſam valetudi-
nem Emericus incidit, paucisque poſt diebus exſpirat. Caſtiſſimum ſpiritum angelo-
rum ope in cælos elatum græco Epiſcopo, cujus nomen memoriæ non eſt proditum,
DEum (*y*) revelaſſe Carthuitius memorat. Adoleſcens incredibili totius regni, ſed
Stephani potiſſimum luctu, qui ſenectutis ſuæ ſolatium, hæreditatis ſpem in eo ſibi *Ejus vir-*
ſuccisſam vidit, elatus, & quod Thuroczius elegantiſſime omnium complexus eſt, *tutes, &*
(*z*) in illo ætatis vigore, viceſimum enim & quartum agebat annum, omni virtutum *laudes.*
genere, ſed cumprimis *juſtitia, prudentia, fortitudine, temperantia, ſapientia, ſcientia,*
manſuetudine, miſericordia, benignitate, largitate, humilitate & patientia patri per omnia
ſimillimus. Corpus procurato rite funere Albam Regiam deductum, & in Baſilica D.
Virginis conditum eſt.

Mirum eſt ſcriptoris annalium Hildesheimenſium, quamquam ſynchroni, ſive *Nonnulli*
commentum, ſeu error, qui Emericum, cum venatum exerceret, ab apro corre- *ab apro*
ptum, & miſerrima laniena in partes diſtractum obiiſſe memorat. (*a*) Sed cum ab *caſum*
ejusmodi oblectamentis indolem Emerici fere abhorruiſſe ſit veriſimile, ut ex iis, *falſo com-*
qui de eo ſcripſere, liquet, neque ullus præterea inauditum eatenus mortis genus in *menti*
litteras retulerit, credibile eſt, ſcriptorem aut maligna fama deceptum, aut errorem *ſunt.*
in nomine commiſiſſe, dum præterea Emericum Ruſſorum Ducem novo errore com-
miniſcitur.

Rex a morte filii, tametſi juſtiſſimum paternæ naturæ dolorem ad DEI vo- 1032.
luntatem temperaret, tamen ſive animo æger, ſive corpus tot laboribus exercitum *Stephanus*
ſuopte attenuaretur, in languorem moleſtiſſimum incidit, ex quo pedibus inſiſtere ne- *Proceres*
quibat. (*b*) Itaque aliquanto, quam vellet, remiſſius publicam rem adminiſtrari ſe- *in ſuam*
re oportuit. *Videntes autem*, ſcribit Carthuitius, (*c*) *quatuor nobiliſſimi palatinorum diu,* *necem*
graviterque laborantem, nam ipſi in perfidia cordis adhuc errantes conſilium iniquitatis duxe- *conſpiran-*
runt, occaſumque ejus in mortem conati ſunt tractare, jam die adveſperaſcente, antequam in *tes.*
domo lucerna accenderetur, unus eorum audacter ſub obſcuro ingreſſus eſt, & ad jugulan-
dum regem enſem nudatum ſub chlamyde tegebat. Dum pedem inhiberet, ubi rex quieſcebat
re vera, cæleſti impulſu gladius corruit, percuſſusque terram tinnitum reddidit. Statim-

que

u) Ad an. 1030.
x) Dlugossus, ſed male ad an. 1022. Ranzan. Ind. VIII. Thurocz. cap. XXXIII.
y) In vita S. Steph. Cap. IV. Num. 27.
z) Laudato cap.

a) Ad an. 1031. „Heinricus Stephani re-
„gis filius dux Ruizorum in venatione ab
„apro diſciſſus periit flebiliter mortuus„.
b) Carthuitius cap. V. Num. 29.
c) Ibid.

1032.

Partim indemnes præſtat, partim punit.

que rex audiens cauſam requiſivit, cum, quid fuerat, præſciebat. Ille vero anxius corruit, conſilium furoris ſui recognovit, doluit, acceſſit, procubuit, veſtigia amplexatus eſt, ſe deliquiſſe confeſſus, ſibi indulgeri precatus eſt. Veniam quærenti non avertit faciem, facile dimiſit. In ceteros quæſtionem haberi juſſit, & criminis attentati convictos digno ſupplicio puniri.

Ne tamen latius vis ſerpat, cognatis auctor eſt, ut fuga ſalutem quærant.

Veriſimile eſt, Stephanum detecta ea conjuratione ſuis metuentem, Andreæ, Belæ, & Leventæ Ladislai Calvi, patrui ſui, filiis ſuaſiſſe, ut fuga in Poloniam adornata periculo ſe ſubducerent. Fugæ hujus cauſam noſtri ſcriptores paſſim in Giſelam rejiciunt, a qua cum neceſſarios ſuos odiis exerceri videret Stephanus, Petrumque, ut poſt ſe regnaret, deſignari, auctor iis fuerit, ne præſentia ſua feminæ animum magis irritarent, aliorſum abeundi, iſtoſque dictis audientes ad Polonos abiiſſe. Ego, quamquam Petrum ex ſorore Stephani filium, quod Chriſtianis parentibus ortus novellam religionem adverſum avita ſacra optime tuiturus videretur, Giſelæ opera regem deſignatum eſſe non diffitear, immo ſatis perſpicuum ſit, ipſum adeo Stephanum Giſelæ voto non ingratiis ſubſcripſiſſe, minime tamen perſuaderi poſſum, ea de cauſa Giſelam in cognatos Stephani tam crudeliter deſæviſſe, ut, quod Thuroczius refert (*d*), Vazuli erutis oculis plumbo aures obturari juſſerit, quo minus regimini habilis videretur, ceteros autem, ne quid Petro in adeundo regno obturbarent, ex Hungaria expuliſſe.

Giſela male criminis a noſtris ſcriptoribus inſimulatur.

Tam multa enim in hac narratione (*e*) hallucinatur Thuroczius, ut prudens conjectura ſit, eum, dum Giſelam tam crudelem expingit, pariter erraſſe, quam alioquin tum ipſe, tum ceteri ſcriptores lectiſſimam feminam, & ſanctimonia cum Stephano certaſſe perhibent. Neque credibile eſt, Hungaros in eam deſtinationem, qua Petrus rex futurus credebatur, unquam fuiſſe conſenſuros, ſi regnum tanto ſcelere illi acquiſitum fuiſſet.

Petrus ad regnum evocatus.

Itaque illud vero ſimillimum eſt, Petrum ab Stephano, & Giſela regem deſignatum, ut illius opera, quamquam inſigniter fruſtratos ſua exſpectatione dicemus, Chriſtiana religio ab Stephani obitu, ſalva & incolumis eſſet. Eam ob rem hoc anno, ut (*f*) Ms. Mellicenſe habet, Petrum in Hungariam accitum Stephanus militiæ præfecit, quo illi viam ſenſim ad regnum complanaret.

1033.

Bela cum fratribus ad Polonos profugus rem contra Pomeranos ſtrenue gerit.

Itaque Andreas cum fratribus magis ob conjurationis periculum, quam Petri cauſa in Poloniam regis conſilio abſceſſit. Præerat tum Polonis Miecislaus Boleslai, quo cum Stephanus magna neceſſitudine conjunctus erat, filius, ut felix in primordio adverſus Ruſſos, ita ad deſidiam, ac voluptates in exitu prolapſus, rerum belli prorſum incurius. Quare Andreæ & ceterorum fratrum adventus Miecislao plane percommodus fuit, eo tempore in Pomeranos, qui creato ſibi duce factioſo ſeceſſionem fecerant, bellum meditanti. Nec multo poſt in Pomeranos collecto exercitu promotum eſt: interfuere exules Hungari pondus ad victoriæ conſecutionem addituri. Oborto prælio acriter utrinque dimicatum, Pomeranis, ne defectionis, & novi dominatus pœnam darent, qua vi poterant reſiſtentibus, Polonis contra Belæ in primis hortatu & exemplo in confertiſſimos hoſtes non tam ad cædem, quam victoriam graſſantibus, qui cum in medio prælii fervore Pomeranum ducem forte fortuna nactus eſſet, ſingulari certamine congreſſus, equo deturbatum vicit, & interfecit. Abhinc in fugam conjectus hoſtis; capti plerique,. & Bela, cujus eo die virtus atque opera ſingularis enituiſſet, a Miecislao data filia in generum adlectus Pomeraniam dotis nomine accepit. (*g*) Hæc noſtri & Cromerus rerum Polonicarum ſcriptor, quamquam hic pugnam poſt Stephani obitum non recte conſignavit, cum bellum Pomeranicum ante annum MXXXIV. profligatum eſſe diſerte ſcribat.

hic

d) In Chron. Cap. XXXIII. & IV.

e) Ladislaum enim Calvum vocat patruelem cum tamen patruus eſſet, Vazulem contra patruelis Stephani filium, quem tamen patruelem fuiſſe conſtat. Tum Vazulem ad regnum ab Stephano deſignatum ſcribit, quem tamen ob juvenilem laſciviam, & ſtultitiam Nitriæ in carcerem ab eodem conjectum narrat, id quod de Stephano credi non poteſt.

f) „*Primum tractavit* (Stephanus) *de ſubſtituendo rege pro ſe, Petro videlicet ſororis ſuæ* „*filio, quem in Venetia genitum, ad ſe vocatum, jam dudum exercitui ſuo præfecerat du-* „*cem, deinde monuit illos paterne fidem orthodo-* „*xam ſervare*„. Loquitur hæc de morituro jam Stephano, itaque ad annum MXXXVIII. Itaque cum dicat Petrum jam dudum ante in Hungariam vocatum, veriſimile eſt hoc anno accitum eſſe.

g) De rebus Polonorum Lib. 3.

An. Chr. 1034.

Paullum post turbata republica Poloniæ regis filius ad Stephanum in Hungariam profugit.

Quid deinde Andrea, cum fratribus factum ſit, quoad in Hungariam evo- cati eſſent, nihil uſpiam conſignatam reperio, neque qua fortuna abhinc in Polonia uſi ſint, quod Miecialao poſt annum e vivis erepto ad ſeditionem res ſpectaret. Ri- xa enim defuncti conjux pro filio regnum adminiſtrans gravibus exactionibus ſuoa onerare, & Polonos aperte deſpicatui habere coepit. Hæc cum indigne ferrent Po- loni, neque precibus quidquam proficerent, obtrectare primum, tum ad apertam vim progreſſi regias poſſeſſiones tumultuarie invadere, ſenſimque alios ad ſimilia pa- tranda concitare. Regina, ne in tanta licentia, & irritatis in ſe hominum animis, gravius malum perpeti cogeretur, convaſatia theſauria, & duabus coronis, quibus rex & regina incingi ſolent, in Saxoniam, tum Magdeburgum evadit. Caſimirus contra reginæ filius, etſi primum reſiſtere vellet, tamen, cum eos, qui matri fu- 1035. gæ auctores exſtiterant, impotentius agere vidiſſet, ad Stephunum in Hungariam confugit, ab hujus deinde obitu, ut ſcriptores Poloni volunt, Petri opera in regnum reſtitutus. (*b*)

1036.

Stephani liberalitas in Ravennatenſem agrum.

Interea Stephanus, quamquam ex morbo laborare gravius in dies occipe- ret, nihil tamen ab ſtudio pietatis, & munificentia in res ſacras remiſit, ac ob ean- dem rationem, qua olim Conſtantinopoli, nunc in Ravennatenſi agro templum cum domo peregrinorum cauſa ingenti ſumtu extruxit. Adjecit vectigal, quo non ſolum monachi ibidem ab ſe conſtituti alerentur, ſed ſuppeditaretur etiam victus Ungaris omnibus, religionia cauſa Romam proficiſcentibus. Quamquam ipſe rex ſatis aper- te innuat, ſe Legatorum ſuorum cauſa, quos Romam mittere, atque iſthinc acci- pere conſueverat, ad ſundandam apud Ravennates domum adductum eſſe. Ex quo facile conjicimus, multas ab Stephano legationes cum in Italiam, tum alîorſum quo- que miſiſſe; quarum tamen res geſtæ oſcitantia hominum id temporis penitus oblit- teratæ ſint. Juvat ipſum diploma, quoniam id apud neminem noſtrorum ſcriptorum exſtare puto, huc inſerere, ut quo conſilio hæc ab Stephano facta ſint, ne ignore- mus. Sic autem habet (*i*)

Erecto iſthic cœnobio & domo pro iis, qui Romam ex Hungaria proficiſcerentur.

Stephanus DEI gratia Ungariæ rex – venerabilibus viris abbatibus, & conven- tui monaſterii ſancti Petri ad vincula, quod in territorio Ravennæ ſitum eſt, & eorum ſuc- ceſſoribus in perpetuum. Quoniam illo Domino nos illuminante, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, præfatum monaſterium veſtrum, per adjutorium noſtrum, ad conſilium Gerardi venerabilis Epiſcopi eccleſiæ Moriſanæ, Fidelis noſtri, una cum nobili viro Romano duce Ravennæ conſtrui fecimus, & per prædicti Gerardi manus proprias, ac au- ctoritate Romanæ Eccleſiæ conſecrari, idcirco nos decet illud regali munificentia honorare, ac vobis, ac veſtris poſteris providere, quod ideo in ipſo monaſterio ſervire poſſitis, peregrinos Ungaros, ac nuncios noſtros charitative valeatis tractare. Quapropter proprio motu, & liberalitate regali vobis, veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum concedimus, & donamus pro anima noſtra, & parentum noſtrorum, tam antecedentium, quam ſubſequentium, ut DEus & beatus Petrus Apoſtolus Domini ab omni vinculo delictorum nos ſolvat, viginti quinque marchas puri argenti de Camera noſtra, quas per vos vel nuncium veſtrum recipere debeatis propter competentes expenſas, quæ vobis, aut nuncio veſtro de eadem regali camera noſtra, pro hujuſmodi itinere faciendo, cum prædictis viginti quinque ſemper annuatim dabuntur, pro hoc anno eleemoſyna noſtra, quam vobis facimus, & in perpetuum fieri volumus, eccleſiam reparare parantis, cum fuerit neceſſe, reſiduum ſit pro indumentis veſtris. Et nos ac ſuc- ceſſores noſtri, veſtris ſemper erunt orationibus commendati. Hoc quoque auctoritate regali ſtatuimus, & firmiter præcipimus, atque pronunciamus, quod nec nos aliquatenus contra prædicta veniamus, nec ſucceſſores noſtri, & nullus aut camerarius, ſive conſiliarius con- cedere hoc ſit auſus.

Conjectura de anno hujus fundationis.

Hactenus litteræ: quibus cum annua non ſit additua, difficile eſt tempus do- nationis conſtituere. Mihi veriſimile ſit, cum liberorum ſuorum in litteria mentio- nem rex non faciat, templum cum domo, qua Ungari exciperentur, a morte Eme- rici ſtrui coeptam, & utramque fabricam hoc anno ad finem adductam litteris publi- cis confirmatam eſſe. Neque diploma ob memoratum Ravennæ ducem Romanum,

tametſi

b) Thvrocz. Bonfin. Cromervs Lib. 4.

i) Hieron. Rvbevs in hiſt. Ravennate Lib. V. etſi male prorſus id conſignet ad annum 963., quo certe anno Stephanus nondum natus fuit.

„ Si accidente caſu, culpa, reprehenſione digna, ſuper aliquem horum, de quibus ſermo eſt, ceciderit (quod abſit) corripe eum, ter, quater inter te, & ipſum ſolum, juxta præceptum Evangelii. Si tunc ſecrete renuerit audire monita, adhibenda tibi ſunt publica, ſecundum hæc: Si te non audierit, dic Eccleſiæ. Nam ſi tu hunc ordinem ſervabis, glorioſam tuam penitus exaltabis coronam.

Ab his Magnates & Proceres honorandos eſſe.

„ Quartus decor regiminis eſt fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, confidentia Baronum, Comitum, Militum, Nobilium: illi enim ſunt Regni propugnaculum, defenſores imbecillium, expugnatores adverſariorum, augmentatores Monarchiarum. Illi enim tibi, fili mi, ſint patres & fratres. Ex his vero neminem in ſervitutem redigas, vel ſervum nomines: illi tibi militent non ſerviant, eorum omnibus ſine ira, & ſuperbia, atque invidia pacifice, humiliter, manſuete dominare; memoria retinens ſemper, quod omnes homines unius ſunt conditionis, & quod nil elevat niſi humilitas, & nihil dejicit niſi ſuperbia, & invidia. Si eris pacificus, runc diceris Rex, & Regis filius, atque amaberis a cunctis militibus. Si iracundus, ſuperbus, invidus, impacificus, ac ſuper Comites, & Principes cervicem erexeris, ſine dubio ſortitudo militum, hebetudo erit Regalium dignitatum, & alienis tradent Regnum tuum. Hoc timens cum regula virtutum dirige vitam Comitum, ut tua dilectione angulati, ſemper Regali dignitati adhæreant inoffenſi, & ut tuum Regnum per omnia ſit pacificum.

Jus ſine partium ſtudio ex æquitatis legibus pronunciandum.

„ Patientiæ, & judicii obſervatio quinta regalis Coronæ eſt ornatio. David Rex atque Propheta dicit: Deus judicium tuum Regi da. Et idem alibi: Honor Regis judicium diligit. De patientia Paulus Apoſtolus loquitur: Patientes eſtote ad omnes: & Dominus in Evangelio: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Ad hoc tende, fili mi; ſi vis Regni habere honorem, dilige judicium: ſi animam tuam poſſidere vis, eſto patiens. Quotieſcunque fili cariſſime, cauſa digna judicari ad te venerit, vel aliquis capitalis ſententiæ reus, noli impatienter portare, vel cum juramento firmare, illum punire; quod inſtabile, & fragile debet eſſe, quia ſtulta vota ſrangenda ſunt; vel per te ipſum dijudicare ne tua Regalis dignitas uſurpatione inferiorum negotiorum fœdetur; ſed potius, hujuſmodi negotium ad judices mitte, quibus hoc commiſſum eſt, quod ipſi ſecundum ſuam hoc diſcernant legem. Time eſſe judex, gaude vero Rex eſſe, & nominari. Reges patientes regnant: impatientes vero tyrannizant. Quando autem aliquid, quod tuæ convenit ad judicandum dignitati, tibi venerit, cum patientia, & miſericordia, ſive miſerantia, hoc judica, ut tua Corona laudabilis ſit, & decora.

Suadet hoſpitalitatem adverſum exteros.

„ In hoſpitalibus, & adventitiis viris tanta ineſt utilitas, ut digne ſexto in Regalis dignitatis loco poſſit haberi. Unde in primis Romanorum crevit Imperium, Romanique Reges ſublimati ſuerunt, & glorioſi? niſi, quod multi nobiles, & ſapientes, ex diverſis illuc confluebant partibus? Roma vero uſque hodie eſſet ancilla, niſi Aeneades ipſam feciſſet liberam. Sicut enim ex diverſis partibus provinciarum veniunt hoſpites: ita diverſas linguas, & conſuetudines, diverſaque documenta, & arma ſecum ducunt, quæ omnia Regiam ornant, & magnificant Aulam, & perterritant exterorum arrogantiam. Nam unius linguæ, uniuſque mortalis Regnum imbecille, & ſragile eſt. Propterea jubeo, fili mi, ut bona voluntate illos nutrias, & honeſte teneas, ut tecum libentius degant quam alicubi habitent. Si enim tu deſtruere, quod ego ædificavi, aut diſſipare, quod congregavi, ſtudueris, ſine dubio maximum detrimentum tuum patietur Regnum. Quod ne fiat, tuum quotidie auge Regnum, ut tua Corona ab omnibus auguſta habeatur.

Tum regiminis rationem ex ſenum conſiliis inſtituendam.

„ In tribunalibus Regum, conſilium ſibi ſeptimum vendicat locum: conſilio enim conſtituuntur Reges, gubernantur Regna, defenditur patria, componuntur prælia, ſumitur victoria, propelluntur inimici, appellantur amici, civitates conſtruuntur, & caſtra adverſariorum deſtruuntur. Ut vero conſiliis inſit utilitas, a ſtultis, & arrogantibus ac mediocribus (ut mihi videtur) non valent componi viris, ſed a majoribus, & melioribus, ſapientioribuſque, ac honeſtiſſimis ſenioribus exprimi debent, & poliri. Idcirco, fili mi, cum juvenibus, & minus ſapientibus

noli

„ noli conſiliari, aut de illis conſilium quærere; ſed a ſenioribus, quibus illud negotium
„ propter ætatem, & ſapientiam ſit aptum. Nam conſilia Regum in præcordiis ſa-
„ pientum debent claudi, non ventoſitate ſtultorum propagari. Si enim gradieris
„ cum ſapientibus, ſapiens efficieris; ſi verſaris cum ſtultis, ſociaberis illis;
„ fatente Spiritu ſancto, per Salomonem: Qui cum ſapientibus graditur, ſapien-
„ tum erit amicus, nec ſtultorum erit ſimilis. Et David pſallit: Cum ſancto ſan-
„ ctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & electo electus eris, & cum
„ perverſo perverteris. Ad hoc quidquid negotii unicuique conveniat ætati, in
„ hoc ſe exerceat: ſcilicet, juvenes in armis, Senatores in conſiliis: omnino tamen
„ juvenes non ſunt expellendi a conſiliis. Quoties vero cum illis conſilium inibis,
„ etiamſi ſit habile; tamen ſemper ad Majores differas, ut omnes actus tuos norma
„ ſapientiæ menſures.

„ Imitatio Majorum in Regali dignitate octavum poſſidet locum. Regale
„ ornamentum ſcito eſſe maximum, ſequi anteceſſores Reges, & honeſtos imitari
„ parentes. Qui enim anteceſſorum Decreta ſpernit patrum, divinas nec procurat
„ leges, peribit. Patres enim idcirco ſunt patres, ut nutriant filios, ideoque ſunt
„ filii, ut obediant patribus: qui patri ſuo reſiſtit, inimicus Dei conſiſtit. Omnes
„ enim inobedientes, Deo ſunt reſiſtentes. Spiritus enim inobedientiæ diſperget
„ flores Coronæ. Inobedientia enim totius Regni eſt peſtilentia. Propterea,
„ fili chariſſime, edicta patris tui ſemper tibi ſint prompta, ut proſperitas tua ubique
„ Regalibus dirigatur habenis. Mores quidem meos, quos Regali vides convenire
„ dignitati, ſine vinculo totius ambiguitatis ſequere. Grave enim tibi eſt hujus cli-
„ matis tenere Regnum, niſi imitator conſuetudinis ante regnantium extiteris Re-
„ gum. Quia Græcus regeret Latinos græcis moribus, aut quis Latinus Græcos la-
„ tinis regeret moribus? nullus. Idcirco conſuetudines ſequere meas, ut inter
„ tuos habearis præcipuus, & inter alienos laudabilis.

Magnam regentium felicitatem eſſe, ſi Majorium virtutes ſollicitur, nevos contra fugiant.

„ Obſervatio orationis, maxima acquiſitio eſt Regalis ſalutis, & ideo no
„ num & nonaria regiæ dignitatis canit regula: Continua oratio eſt peccatorum ab-
„ lutio, & remiſſio. Tu autem, fili mi, quotieſcunque ad templum Dei curris,
„ ut Deum adores, cum Salomone filio Regis, & ipſe Rex ſemper dicas: Emitte
„ Domine ſapientiam de ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret,
„ ut ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore. Et iterum: Domine pater,
„ & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno: extollentiam oculo-
„ rum meorum ne dederis mihi, & deſiderium malignum meum averte a me Do-
„ mine: aufer a me concupiſcentiam, & animo irreverenti, & infrunito ne tradas
„ me Domine. Hac itaque oratione antiqui utebantur Reges. Tu quoque hac ea-
„ dem utere, ut Deus cuncta vitia a te auferre dignetur, ut invictiſſimus Rex a
„ cunctis nomineris. Ora etiam, ut deſidiam, & hebetudinem a te depellat, &
„ ſupplementum omnium tibi tribuat virtutum, quibus viſibiles, & inviſibiles vin-
„ cas inimicos; ut ſecurus, & expeditus ab omni incurſione adverſariorum, cum
„ omnibus tibi ſubjectis, curſum ætatis tuæ vitæ cum pace poſſis finire.

Orationis ſtudium cum regni curis nare conſociare.

„ Modus virtutum ornat coronam Regum, & in præceptis ponitur deci-
„ mus. Nam Dominus virtutum ipſe eſt Rex Regum. Sicut ergo ſui exercitus
„ cœleſtis plenitudo, in denis conſiſtit choris: ſic tuæ vitæ converſatio in decem
„ perſiſtat mandatis. Oportet Regem eſſe pium, miſericordem, & cæteris virtuti-
„ bus imbutum, & ornatum. Rex enim impietate, & crudelitate fœdatus, incaſ-
„ ſum ſibi vendicat nomen Regis, quia tyrannus eſt dicendus. Ob hoc ergo, fili
„ mi amabiliſſime, dulcedo cordis mei, ſpes futuræ ſobolis, precor, jubeo, ut per
„ omnia, & in omnibus pietate fultus, non ſolum parentelæ, & cognationi, vel
„ principibus, ſive ducibus, ſive divitibus, ſeu vicinis, & incolis ſis propitius,
„ verum etiam extraneis, & cunctis ad te venientibus: nam opus pietatis ad ſum-
„ mam te ducit beatitudinem. Sis miſericors omnibus vim patientibus, ſemper illud
„ Domini in tuis præcordiis habens exemplum: Miſericordiam volo, & non ſacri-
„ ficium. Patiens eſto ad omnes, non tantum potentes, ſed etiam poteſtate caren-
„ tes. Sis denique fortis, ne te proſperitas nimis elevet, aut adverſitas dejiciat.
„ Sis quoque humilis, ut Deus te altum faciat, hic, & in futuro. Sis vero mode-

Uti & ceteras virtutes.

1020.

„ ſtus, & ultra modum nemioem punias, vel damnes. Sis mitis, & nunquam ju-
„ ſtitiæ repugnes. Sis honeſtus, & ounquam alicui ſpootaneum inferas dedecus.
„ Sis pudicus, & cunctos libidinis fætores, ſicut ſtimulum mortis evites. Hæc
„ omnia ſuperius libata Regalem componunt Corooam, ſine quibus valet nullus hie
„ regnare, nec ad æternum pertingere Regnum. „

Hactenus documenta Stephani regis. In quibus cum ſingularem in primis ſapientiam, & incomparabilem pietatem, tum charitatem erga ſuos & filium, quem ſibi ſucceſſorem parabat, admireris, neque ſine dolore cogitare queas, hac ſolicitiſſimum patrem ſpe fruſtratum, paucoſque poſt anoos ſibi præmiſiſſe, quem ſupereſſe regni & religionis cauſa, ſi DEO ita videretur, impenſe optabat. Sed hæc in

1021. DEI arbitratu ſunt.

Bulgaricum bellum imminens.

Gravis hoc anno e Boſnia tempeſtas Tranſilvaniæ incubuit. Boſni, ſeu Beſſi, aut Byſſeni, nam promiſcue ſcriptoribus dicuntur, ſæpe alias, ut veriſimile eſt, infeſtis armis in Hungariæ ditiones procurrerant, nunc ex Bulgaria, non item, ut noſtri paſſim habent ex Hungaria, egreſſi prædarum ſpe Tranſilvanos ad ictum deſtinabant, feciſſentque citra dubium jacturam memorabilem, niſi Stephanus ea de re e coelo edoctus cladem ab eorum jugulo avertiſſet. Eam incurſionem Boofinius prolixa oratione complexus eſt, verum quia plerisque exaggerata, & ob locorum intervalla etiam improbabilis ex parte videtur, neque Carthuitius omnium ſingilatim meminerit, malui auctoris prope ſupparis narrationem ex MS. Mellicenſi, quam illius in annales transferre. Relatis igitur Byſſenorum in confinia Hungariæ molitionibus, *rex vero*, ſubjungit laudatus auctor, *illos ante dies in remotis partibus venatui inſiſtebat, ut ſaltem poſt multas curas, quibus opprimebantur, aliquantiſper membra infirma relaxarentur. Cum igitur circa mediam boram diei ſopori indulgeret, per voluntatem DEI, qui ea, quæ futura ſunt, ſpiritu viſionis ſuæ manifeſta, & cognita fidelibus ſuis oſtendit, videbatur aſtantibus - - inmicis paterne loqui, & quaſi eos terrendo præferre: cur vana' veſtra coborte clauſtra ſanctæ Eccleſiæ irrumpere vultis? cur gregem paſtoris magni, & ovilia ejus deſolari veniſtis? recedite, recedite, quia impetravi ob Imperatore meo virum defenſorem, & ducem meum, ſcilicet Martinum, qui non patietur morſibus veſtris paſcua juſtorum lacerari.*

Ex revelatione Dei cognoſcit.

Hæc ubi rex cæleſti afflatus Numine, ſomno oppreſſus dixiſſet, *evigilans alacri vultu, qui ſua præferret nuncia, adeſſe mandavit. Cui aſſiſtenti, non meæ, inquit, legationis cauſas explere poteris, ſed alius, qui fidelior inveniatur, accedat. Præſentatum vero eisdem verbis redire præcepit. Amoto & tertio, perge, ait, abire, feſtina propere, & mea tollens mandata, dic Tribuno plebis in ulterioribus moranti, ut provideat, viros ad pugnam eligat, & boſtium cuneos in me bellum moventes propellat. Aſcendit ille velociter, ad locum pervolavit, quod acceperat, indicavit, idemque diligenter factum eſt. Jam boſtis propius aderat, jam mœnia urbis vallaverat, tam inopinata incurſio eſt. Tribunus cum copiis ſuis illum invadit, tunc utrimque decertatum eſt: iſti protectione DEI roborati accinguntur, illi amentia ſua obligati disjunguntur, poſtremo terga fugæ dederunt. Plures autem eorum corruerunt, plures in capitivitatem ducti ſunt. Cæde peracta is, qui venerat, ad regem regreditur, ut nunciaret ei. Rex audito eventu belli, grates babuit omnipotenti, qui victoriam fidelibus ſuis dedit ex inimicis.*

Ac illius auxilio profligat.

Hæc ex Ms. Mellicenſi: ex quo Bonfinius corrigendus, qui Tranſilvaniam omnibus injuriis, quas bellum ſecum trahit, affectam fuiſſe ſcribit. Credibilc eſt Beſſos, tranſita Servia, quæ tum Bulgaris obooxia fuit, trajectoque Daoubio per provinciam Temeſienſem in Tranſilvaniam ſeſe effudiſſe, ut incautos, nihilque tale metuentes opprimerent: Stephaoum autem, quem opinor, ne quid res publica detrimenti caperet, veterum more regni partes obiviſſe, atque iſthuc, qua Beſſi irrupturi erant, delatum, divinitusque admonitum, eam cladem a ſuorum jugulo propulſaſſe.

Beſſi victorem Stephanum legatione placare ſtudent.

Beſſi accepta clade domum reverſi, veritique ne Hungari nupernas injurias obmoto bello ulciſcerentur, ſexaginta viros ex ſuis legunt, qui auro, argentoque, ac ceteris muneribus pacem ab Stephano & veniam efflagitarent. Haud multo poſt, quam ingreſſi Hungariam eſſent, militum facinoroſorum manu circumveniuntur, auro & argento omni per ſummum neſas ſpoliati, & amiſſis ooo paucis ſuorum ægre incolu-

columes ad regem perveniunt, de injuria queruntur, & cauſas, cur adeſſent, 1021.
tempore breviter exponunt. *Rex ut erat prudentioris animi*, ſcribit Carthuitius (c) pro
non vultu, non verbis minatus eſt eis, ſed ſuſtinens, ut ſcribitur, prudens ſpiritum reſer- *Legatis injuria affectis.*
vat in poſterum, miſit ocius ad illum, ſub quo militabant, Tribunum, & die conſtituto omnes
perditionis viros juſſit conſpectibus ſuis præſentari. Factum eſt, ut imperaverat, & ad diſ-
cutiendum in præſentia ſui conſtituti ſunt. Quos alloquens, cur, inquit, legem præcepto-
rum DEI tranſgredientes, non intellexiſtis miſericordiam, & viros innocentiæ condemnaſtis?
ſicut feciſtis, ita faciet Dominus vobis coram me hodie, tranſgreſſores enim legis feriendi ſunt.
Accepta ſententia educti ſunt, & per omnem regni ingreſſum duo & duo ſuſpendio perierunt,
quod ob terrorem incutiendum reliquis, zelo eum juſtitiæ feciſſe credendum eſt, ut quia re- *Pœna ex*
gnum omnibus hoſpitibus potens aſylum eſſe volebat, ſic liber omnibus introitus eſſet, ut nul- *violatoribus ſumitur.*
lus ingredientem quemlibet in aliquo læderet, vel moleſtare præſumeret, quod & factum
eſt. Per hoc, ut adjicit Ms. Mellicenſe, *denique volens intelligi, ut quicunque non ac-*
quieſceret judicio juſtitiæ, quod a Domino propoſuerat, ſic fieret illi. Audierunt habitatores
terræ judicium, quod judicaſſet rex, & timuerunt. Biſſeni contra cumulatiſſime donati
& voti compotes rediere, quos nunquam deinceps Hungariæ infeſtos fuiſſe comperio.

Sub idem tempus Adalbertus, qui Marchionis nomine tertius e Babenber-
gicis rerum in Auſtria potiebatur, Alhaidem Comitis Pictavienſis ex Giſela Stepha- *Rex cum*
ni ſorore filiam matrimonio ſibi copularat. (d) Ipſam hanc eſſe Alhaidem, cui Pe- *Adalberto*
trus, qui poſt Stephanum regnabat, frater fuerit, in conſpicuo eſt, quique apud *Auſtriæ*
Adalbertum, cujus levir erat, cum ab Ovone regno ejiceretur, opem & ſuppetias *Duce affinitatem*
rogabat, ut, cum illo ventum fuerit, narrabitur. *contrahit.*

Stephanus nihil a more ſuo remittens res ſacras gnaviter curabat, utque 1022.
filium ſenſim ad eadem condocefaceret, ſibi itineris ſocium, dum ad Eccleſias in- *Budam*
viſeret, adlegit. Hunc in modum Budam hoc anno *rex, & regina cum filio venerunt,* *cum conjuge, ac*
ubi cum nullum veri DEI templum conſpicarentur, in quo pia ſacra operarentur, exædifi- *filio inviſit.*
candum, ampleque donandum continuo cœnobium cum æde cenſuere, quam divo Petro, Pau-
loque dicarunt. Artifices omnes e Græcia acciti, ut opus memorabile facerent, ſtatuarii,
ac plaſtici undique magna mercede conducti. Ut magis ferveret opus, Stephanus, & Giſla
Budæ conſtiterat. Verum cum huic operi, ſignis, tabulis, ac ornamentis illa incumberet,
neuter voti compos eſſe potuit. Nam cum ante mortem ipſorum perfici nequiverit tanta moles,
a Ladislao tandem rege ſanctiſſimo pronepote ſuo conſummatur. In hæc verba Bonfinius.
Sed illud non recte, quod Stephanum Ladislai proavum ſcribat: hunc enim ex po-
ſteris Michaelis, qui Stephani patruus erat, ortum traxiſſe extra dubium eſt. Bu-
dam autem veterem per planiciem pone Danubium excurrentem hoc loco accipi ipſa
temporis ratio ſuadet, cum novæ Budæ primordia, quæ per montem ſolido e ſaxo
natura conflatum, & ab ceteris divulſum amoeniſſimo ſitu porrigitur, regumque po-
ſtea ſedes, & Hungariæ metropolis fuit, ad Belæ IV. ætatem affigi oportere ex hujus
rebus geſtis conficietur.

Neque mirum cuiquam videri debet, regem tam tenero, & ſolicito in res *Singulare*
ſacras animo ſemper extitiſſe. Etenim *perpetuum - - Stephano inſtitutum hoc fuiſſe fe-* *ejus in res*
runt, ter quotannis baſilicas, & cœnobia, quæ fundarat, reviſere ſolitum: ad aras pri- *ſacras ſtudium.*
mum omnes pias preces, & ſacra feciſſe, ut magnis numinibus (ſanctos Bonfinius ſcribere
volebat) *ſupplicia debita exſolvere videretur. Dein ſingulatim templa luſtraſſe, ne qua*
quidquam negligentia collaberetur, ſi quid vitii, imminentiſque ruinæ tectis, & parietibus
intuebatur, extemplo inſtauraſſe: peculiares ſemper loculos a latere circumtuliſſe, ex hiſque
propria manu mendicantibus, & egenis erogaſſe pecuniam: Emericum quoque regali habitu
indutum, cum templa cum patre luſtraret, ante aras ſe continuo exuiſſe, ut altaria excole-
ret. Pari quoque ſtudio Giſela utebatur, cui nihil erat antiquius, quam cum viri probitate
certare, ſacras veſtes & ornamenta ſacerdotum diligentiſſime recognoſcere, ut abſumpta refi-
ceret, aut lacera reſarciret. Tam pium utriuſque ſtudium Benedictus ejus nominis Pon-
tifex IX. mirum in modum exacuit, cum anno ſequente variorum ſanctorum lipſana 1023.

regi

c) In vita S. Steph. Cap. IV. Num. 25.

d) ALOLDVS ad an. 1021. „ Adalbertus Marchio nuptias fecit cum Alhaide, „ quæ fuit filia Guilielmi Comitis Pictavienſis, & Geiſelæ ſororis Stephani primi re- „ gis Hungariæ, & ſancti. Hujus Alhaidis „ frater erat Petrus, qui poſt Stephanum in „ regno Hungariæ ſucceſſit.

1023. regi & Giſelæ dono in Hungariam miſiſſet, quæ illi, ut beneficii pars ad plures pertineret, in varias baſilicas diſtribuere.

Templum, ac domum Jeroſolymis condit, fundiſque locupletat.

Hoc quoque fortaſſis anno templum Jeroſolymis ab Stephano ſtrui cœptum fuerit, Georgio, magno martyri poſtea dicatum. Adjectæ cum cænobio domus, quæ Hungaros iſthuc pietatis cauſa peregrinaturos exciperent, neve quidquam ad ſtabilitatem deeſſet, coemti præterea in (e) Palæſtina fundi, unde commeatus peregrinis liberaliter ſuppeditaretur. Scio a pleriſque noſtrorum hanc Stephani munificentiam ad annum MX. revocari, ſed quia id temporis rex fundandis potius regni ſui Eccleſiis videtur intentus fuiſſe, & Hakemus in Chriſtianos dirutis paſſim templis barbare graſſaretur, ſtructuram eam ad præſentem annum referri debere exiſtimo, quoniam anno iſtum antecedente idem Hakemus commutata voluntate dirutas Eccleſias inſtaurandi, novaſque a fundo educendi poteſtatem Chriſtianis fecit (f), quod ubi per Europam diditum eſſet, ingens hominum multitudo rurſus ad ſacra loca adire, & Chriſtianorum iſthic degentium penuriam ære ac muneribus levare occæpit.
1024. Inter quos Stephanum non poſtremum fuiſſe mihi valde veriſimile eſt.

Henrici Imperatoris obitus.

Quartus ac viceſimus annus ſupra milleſimum Germaniæ quidem præ primis, tum Hungariæ quoque luctuoſus fuit, cum Henricus Imperator, Grunæ primum morbo correptus, tum incredibili totius orbis Chriſtiani mœrore defunctus magnum ſui apud optimos quoſque deſiderium reliquiſſet (g), anno ætatis ſecundo ac quinquageſimo, regni romani viceſimo ſecundo, imperii autem decimo (h). Credibile eſt luctum ad Giſelam quoque ſororem, tum Stepanum, qui Henrico ea ætate ſtudio pietatis certabat, pertinuiſſe, tametſi noſtri nihil de ea re ſingilatim litteris con-
1026. ſignarint.

Emericus patre jubente matrimonium init.

Sed dolor hac parte acceptus, altero abhinc anno domi mitigatus eſt; dum filium, quem unicum ſuperſtitem habuere, matrimonio illigaſſent. Stephanus enim, *ut publicæ ſaluti de ſucceſſore conſuleret, Emericum parandis liberis haud intempeſtivum, digno conjugio obligandum eſſe cenſuit, ratus, neminem regno commodiorem futurum, ſi viveret: ſin minus, ſanctiſſimam hinc prolem ſperari poſſe, & regendis Ungaris accommodatiſſimam. Quare excellentiſſimam forma, & virtute virginem, ac regali genere natam huic deſponſat pater - - ne legitimus, idemque optimus Pannoniæ regno ſucceſſor deſit.* (i) Sed patris vota, quamquam juſta, eatenus fruſtra fuere. Nam Emericus non modo procreandis liberis operam non dedit, ſed conjugi quoque, ut illibatum caſtimoniæ florem ſervaret, auctor ſuit, quod eum nullo negotio a virgine impetraſſe Scriptores paſſim narrant. Facile mihi perſuadeo apud caſtiſſimum adoleſcentem, voto alioquin illigatum, Henrici Imperatoris exemplum valuiſſe, qui dum biennio abhinc antequam fato fungeretur, virginitatem ab eo, & Cunegunde ſervatam audiſſet, eo comperto, ad ſimilem pulcherrimæ virtutis conſecutionem inſlammaretur. Cujus nominis, aut qua gente orta Emerici conjux fuerit, in obſcuro eſt. Si Illyrico (k) ſcriptori vitæ illius, qui ſe hæc ex Dalmaticis monumentis accepiſſe teſtatur, fides tuto haberi poſſit, credibile eſt, cum omnes regio ſanguine procreatam ſcribant, Creſimiri Dalmatiæ regis filiam fuiſſe. Ea tamen opinio intricatiſſima prorſus difficultate involvitur. Reges enim Dalmatiæ hujus nominis, qui ad ætatem Stephani congruant, duos apud Illyricos ſcriptores habemus, Creſimirum alterum, qui poſt Go-

Conjugem ad colendam caſtimoniam perſuadet.

Incertum eſt, cujus nominis, aut generis ſponſa fuerit.

demirum

e) Inchofer in annal. ad an. 1010. ait ex MSS. ſe habere, fundos in Palæſtina eum in finem ab Stephano coëmtos.

f) Glaber. qui tum vixit, pag. 394. in hæc verba ſcribit: „Dirutæ fuerant Eccleſiæ „ anno Martyrum DCCXXVII. (id eſt anno Chriſti MXII.) reſtitutæ ſunt anno „ DCCXXXVII.„ (ſeu an. Chr. MXXI.) Credibile autem eſt perſecutionem non inchoaſſe a dirutis Eccleſiis, quare perſecutionis initium probabiliter cœpit an. Chr. MX. Ex quo veriſimile ſit, Stephanum hoc anno laudatum cænobium Jeroſolymis ſtruere non cœpiſſe.

g) Auctor vitæ S. Henrici ad diem V. Julii apud Hagiographos. „S. Henricus cum „ totius Chriſtianitatis inæſtimabili mœrore „ anno vitæ ſuæ 52, regni 22, imperii 10, „ Dominicæ Incarnationis 1024. defunctus„ - -

h) Annales Hildesheimenſes. „ MXXIV. „ Indict. VII. Heinrichus Imperator nativitatem Chriſti Babenberg, Paſcha Partenopoli, Pentecoſten vero Goslare honorifice celebravit. Qui poſtea Gruna venit, „ & ibi languore correptus, decubuit, & „ cum totius regni mœrore ah ah - - hominem poſuit „ - -

i) Bonfin. Dec. II.

k) Joannes Tomcva in vita S. Emarici.

demirum regno præfuit, alterum qui Petri præterea nomine inſignitus erat. Ille 1026.
anno ſeculi hujus XIX. a Baſilio orientis Imperatore profligatus Conſtantinopolim
cum fratre abductus quinto poſt anno vertente uxorem quoque pari fato involutam
accepit. Si his filia erat, vehementer dubito, Emerico deſponſam fuiſſe, quod
captiva, & alieno juri obnoxia eſſet. Creſimirus vero alter, cum a Lucio (*l*) po-
natur regnum adiiſſe anno MLII. tempori huic quadrare non videtur. Itaque Ste-
phani, Dalmatiæ regis, cui Dircislaus pater erat, filiam fuiſſe oportuit. *Noſtra in*
hunc in modum ſoror potius Creſimiri, non item filia, cujuſmodi nullam illi fuiſſe *ea re con-*
ex Scriptorum ſilentio probabiliter conficitur, dicenda fuit, quam *Cicha* nomine *jectura.*
compellatam ex diplomate anni MLXXII. conſtat, (*m*) primaque omnium erat, quæ
monaſterio Jadrenſi a ſe fundato præficeretur. Quæ res conjecturæ, quam daturi
ſumus, veriſimilitudinem utcunque conciliare poteſt. Cum enim conjugem Emerici
caſtimoniam illibatam ſervaſſe, neque Creſimirum filiam, ſed ſororem, quæ virgi-
nitatem itidem intemeratam tumulo intulerit habuiſſe, exploratum ſit, non abhorret
a vero, eandem hanc Cicham ab Stephano uxorem filio datam, quo defuncto ad
fratrem in Croatiam redux, ac caſtimoniæ ſive ſuapte ſive in Emerici memoriam
retinens, conditi ab ſe virginum cœnobii prima omnium præfecturam capeſſiverit.
Sed hæc intra conjecturam.

Sub hæc diſſenſionibus inter Stephanum & Conradum Imperatorem, cogno- 1027.
mento Salicum, initium datum eſt. Operæ precium fuerit, rem, quemadmodum *Stephanus*
geſta fuit, auctoris, qui ea ætate vixit, verbis referre. *Eodem tempore*, inquit, *Legatum*
Werinharius Argentinæ civitatis Epiſcopus ab Imperatore legatus Conſtantinopolim mittitur. *a Conrado*
Qui dum cauſa orationis Hieroſolymam pergere ſe fingeret, ut putavimus, judicio Domini, *Imp. Con-*
quem fallere nemo valebit, mirabiliter prohibitus eſt. Nam dum magnum comitatum homi- *ſtantinopo-*
num, majorem quoque mutorum animalium, equorum, boum, porcorum, multaſque delicias *lim miſſum*
ſeculares ultra modum ſecum educeret, perveniens in Ungariam, a rege Stephano contradicta *commeatu*
eſt ſibi via, quod eo tempore nulli oratorum accidit (*n*). Hæc diſſidiorum initia: quam *excludit.*
autem ob rem Stephanus Legatum commeatu intercluſerit, difficile eſt conjecturam *Hinc bel-*
capere: niſi forte ea legatione aliquid adverſum ſe apud Græcos a Conrado cudi ſu- *li Germa-*
ſpicatus fuerit, quod, ut affirmare non auſim, ita fere certum eſt, occaſionem fu- *nici initia,*
turi belli præbuiſſe, ut mox memorabimus. *& cauſa.*

Remiſſo in Bavariam Werinhario, Stephanus rurſum ad res ſacras conver- 1029.
ſus, locum Beel in ſilva Baconienſi ſitum, in quo Gerardum prius, quam Chana- *Cœnobium*
dienſi Eccleſiæ præficeretur, ſeptem ipſos annos caſtigatiſſimam vitam duxiſſe perhi- *Bikon*
buimus, quoniam divino cultui peridoneus videbatur, pro exſtruendo cœnobio de- *Beelienſe*
ſignavit (*o*), regiis, ut ipſe rex in litteris (*p*) loquitur, munificentiis poſtea uberri- *conditur.*
me ditatum. Sed de hoc alias narratio inſtituetur.

Haud multo poſt ſibi & pietati intentiſſimum belli ſtudia alioſum avocarunt. 1030.
Conradus enim infeſtis ſignis in Hungariam appropinquare ferebatur. Belli cauſas *Conradus*
video a ſcriptoribus tam varias referri, ut utri rectius ſentiant, difficile ſit conſtituere. *bellum in*
Aloldus ob hæreditatem, quam Stephanus in Bojoariam habuerit, arma utrinque *Hungaros*
correpta ſcribit (*q*). Opinor tamen minus recte: nam cum Hezelo Bertholdi filius *parat.*
Bavariæ Ducatum ab Henrico Giſelæ fratre ſibi petiiſſet, hanc unam ob rem repul- *Illius cau-*
ſam paſſum eſſe ſcriptor ſynchronus memorat (*r*), quod Bojoarii legem haberent, *ſam ab hæ-*
reditate
Stephani

K secun-

l) De regno Dalm. & Croat. Lib. II. Cap. 8.

m) Du Fresne Cap. VI. de familiis Dalm. & Sclavonicis.

n) Wippo in rebus Conradi Salici ad. an. 1027.

o) Timon in Epit. Chronol. Pazman apud Peterfy Part. II. Concil. Hung. Bakon-Beel S. Mauritii in Veſprimenſi Diœceſi a S. Stephano rege fundata (Abbatia) circa annum Domini MXXX.

p) „ Igitur inter cætera in illo loco, „ qui Beel dicitur, in ſilva Bacon, quia „ divino cultui videbatur mancipari valde „ idoneus, ſub titulo B. Mauricii Chriſti „ martyris monaſterium incepi conſtruere, „ quod & per DEI adjutorium conſumavi, „ regiis quoque munificentiis, ſicut potui „ ditavi.„ Hæc rex in litteris fundationis, quæ quidem annum exhibent MXXXVII., ſed diſerte dicit hoc anno ſe Abbatiam conſumaſſe, quam veriſimiliter MXXIX. inchoaverit, nec finire potuerit ante dictum annum partim ob bellum cum Conrado, partim quod morbis implicitus fuerit.

q) Ad an. 1030.

r) Adelboldus Epiſcopus Trajectenſis in rebus

ia Bavari am male repetunt ſcriptores.

ſecundum quam libera illis eligendi Ducis poteſtas eſſet. Wippo contra ſcriptor Germanus, & illius ævi cauſas omnes in Bojoarios rejicit. *Eodem tempore*, inquit, *multæ diſſenſiones inter gentem Pannonicam, & Bojoarios, culpa tamen Bojoariorum facta ſunt, ita, ut Stephanus rex Ungarorum multas incurſiones, & prædas in regno Noricorum, id eſt, Bojoariorum faceret.* Præerat tum, niſi fallor, Bojoariis Hezelo, quo regnante incurſiones, quarum auctor meminit, in Hungariam contigerint, non credo tamen vivo Henrico, cujus cum levir eſſet, & in gratiam poſt concitatam rebellionem acceptus, quidquam illo vivo inimicum in Stephanum, cui Henrici ſoror nupta erat, tentaſſe. Itaque poſtquam Henricus anno ſeculi viceſimo quarto defunctus eſſet, ut erat inquietis vir animi, ac dominandi cupidus, & fortaſſe a Conrado quoque concitatus, in Hungariam arma Hezelo corripuerit. Juſta proinde cauſa fuit Stephano injuriam repellendi, cum viciſſim in Bojoariam infeſtus procurreret.

Imperator cum Germanis caſtra ad Arabonem prope Jaurinum metatur.

Aliter tamen Conradus, ſive non rite cognita cauſa, ſive Legatum triennio abhinc ab itinere prohibitum fuiſſe impatienter ferret, rem accepit, & clades illatas bello ulciſci decreverat. Itaque collecto exercitu Noricum emenſus in Hungariam ſigna infert, & ad Arabonem uſque omnia ferro, ignique foedum in modum populatur. Quo minus porro vaſtitatem proferret, fluvio, & ſilvis prohibitus eſt. *Rex autem Stephanus*, ut ſubjungit Wippo, *minime ſufficiens adverſus Imperatorem, orationibus, & jejuniis in univerſo regno ſuo indictis, præſidium Domini tantummodo flagitabat.* Valuiſſe pia regis ſtudia idem memorat, quoniam *Imperator tam munitum regnum fluviis, & ſilvis intrare non valens, multis tamen prædationibus, & incendiis circa terminos regni injuriam ſuam ulciſcens reverſus eſt, volens tempore opportuniori coepta ſua peragere.*

Vincitur Stephani precibus, non armis.

Eodem modo bellum id noſtri complexi ſunt, niſi quod aliam cauſam, cur Conradus re infecta redierit, perhibeant. Carthuitius, quem ob apertum narrandi candorem, quam Bonfinium conjecturas fere de ſuo addere ſolitum, ſequi malo, poſtquam temporis, & rerum anguſtias, quibus rex interceptus erat, nihilque præſidii poſt DEum, præter virginis opem, reliquum deſcripſiſſet, ita Stephanum loquentem inducit. *Si placet tibi Domina mundi, tuæ partem hæreditatis ab inimicis devaſtari, & novellam plantationem Chriſtianitatis aboleri, non meæ, precor, imputetur deſidiæ, ſed potius diſpoſitioni voluntatis tuæ. Si paſtoris culpa quid mereatur, ipſe luat, inſontibus parce, precor, omnibus. His dictis, quaſi conſolatus ab ipſa, fiducialiter adverſus hoſtes arripuit. Altera mox die nuncius ad unum quemque ducem Germanorum, & in caſtra Teutonicorum ab Imperatore venit, qui eis redeundi mandatum detulit. Regredientibus adverſariis vir ſanctus reſpectu miſerationis DEI ſe viſitatum intelligit. Chriſto, ſuique Genitrici, terræ proſtratus gratias egit, cujus ſe cum regni proviſione tutamini precibus aſſiduis commendavit. Imperator vero ſuorum tam repentina perterritus defectione ſciſcitans, qualiter res facta fuerit, cum nuncium reverſionis eorum non ſuum fuiſſe veraciter ſciret, per conſilium Divinitatis, ad corroborandam fideliſſimi regis ſpem, factam non dubitavit, ſeque dehinc ab invaſione regni - - abſtinuit.* Hucuſque Carthuitius. (*s*) Bonfinius cæleſtem internuncium fuiſſe ſcribit, qui teſſerarii ſpeciem indutus, Germanos Imperatoris nomioe ſolutis caſtris domum repetere juſſerit. Ego, quamquam non diffitear, Stephanum in tam præſenti periculo imploratam opem divinitus perſenſiſſe, ægre tamen inducor, ut credam, cæleſtem ſpiritum ementito Imperatoris nomine Germanos juſſiſſe miſſa militia domum redire, præſertim, quod Wippo presbyter, qui hæc ex hominibus, quibuſcum res acta eſt, intelligere poterat, nihil prorſus iſtorum memoret.

Hungaros a Bohemis bello impetitos fuiſſe improbabile eſt.

Altero præterea bello, ſi annaliſtæ Saxoni fides habenda ſit, hoc anno impetitum Stephanum a Prædislao Bohemorum duce oportuit, qui emenſa Moravia infuſis Hungariæ copiis plagam trans Danubium ſitam ad Strigonium uſque foediſſima populatione vaſtarit. (*t*) Sed cum noſtri ſcriptores ea de re ſileant, Bohemici autem, qui eam profecto omiſſuri non erant, nihil quoque meminerint, & Udalricus

Præ-

rebus geſtis Henrici ad an. MII. „ Legem „ habent (Bavarii) & ducem eligendi po- „ teſtatem ex lege tenent, hanc - - qui- „ cunque frangere tentaverit, me inimicum „ habebit „.

s) In vita S. Stephani Cap. IV. num. 23.

t) Ad an. MXXX.

Prædislai deceſſor ex ipſiua annaliſtæ Saxonia ſententia altero poſt anno rerum potitus
ſit, neque Prædislaum ante annum MXXXIV. juxta Pagii calculom Bohemiæ impe-
raſſe conſtet, aut fictitium id bellum eſt, aut cum eo, quod Conradus Stephano ob-
moverat, manifeſto errore confuſum.

Poſtquam Conradus, re nulla præter illatam regno vaſtitatem patrata exer-
citum in Germaniam reduxit, Stephanus, tametſi prior læſus eſſet, ad ineundam pa- *Pax inter*
cem animum adjecit. Miſſis Legatis facile confecta eſt, &, quod mirere, Conrado *Stephani*
prorſus imprudente. Rem eveniſſe Wippo ita narrat. *Sed filius* (Conradi) *rex Hen-* *& Conradi*
ricus adbuc puerulus, Eigelberto Friſingenſi Epiſcopo creditus, legatione Stephani regis pacem *filium per*
rogantis accepta, unico conſilio Pincipum regni, patre neſciente, gratiam reconciliationis an- *Legatos*
nuit, juſte & ſapienter agens, qui regem injuſte injuriatum, ultro petentem gratiam, rece- *concilia-*
pit in amicitiam. Ex quibus perſpicuum fit, Stephanum quidem Legatos ad Conra- *tur.*
dum deſtinaſſe, pacem autem, cum is neſcio quam ob cauſam abeſſet, a filio con-
ſentientibus Germaniæ proceribus conceſſam, quam patrem deinde, cum nihil vivo
Stephano in Hungaros tentarit, ratam habuiſſe vero eſt ſimillimum. Quamquam
magnas partes in concilianda pace Adalberto Auſtriæ Marchionis fuiſſe Aloldus (*u*) me-
moret, quem copias præterea, dum Conradus in Hungariam moveret, in promtu
habuiſſe ſcribit, an autem has Conrado, quod non putem, conjunxerit, reticet.

Tot bellis, ac morbo identidem recrudeſcente feſſus Stephanus regno ſe ab-
dicare, & omnem imperii molem in filium devolvere conſtituerat, ut procul mole- *Emerici*
ſtiſſimis curis, quibus publica rerum adminiſtratio fere obnoxia eſt, ſibi, ac DEO *obitus.*
vacaret, ratus per filium, quem ſapientiſſimis legibus a teneris eduxit, regno optime
conſultum iri. (*x*) Sed DEO aliter viſum. Repente enim in adverſam valetudi-
nem Emericus incidit, paucisque poſt diebus exſpirat. Caſtiſſimum ſpiritum angelo-
rum ope in cælos elatum græco Epiſcopo, cujus nomen memoriæ non eſt proditum,
DEum (*y*) revelaſſe Carthuitius memorat. Adoleſcens incredibili totius regni, ſed *Ejus vir-*
Stephani potiſſimum luctu, qui ſenectutis ſuæ ſolatium, hæreditatis ſpem in eo ſibi *tutes, &*
ſuccifam vidit, elatus, & quod Thuroczius elegantiſſime omnium complexus eſt, *laudes.*
(*z*) in illo ætatis vigore, viceſimum enim & quartum agebat annum, omni virtutum
genere, ſed cumprimis *juſtitia, prudentia, fortitudine, temperantia, ſapientia, ſcientia,*
manſuetudine, miſericordia, benignitate, largitate, humilitate & patientia patri per omnia
ſimillimus. Corpus procurato rite funere Albam Regiam deductum, & in Baſilica D.
Virginis conditum eſt.

Mirum eſt ſcriptoris annalium Hildesheimenſium, quamquam ſynchroni, ſive
commentum, ſeu error, qui Emericum, cum venatum exerceret, ab apro corre- *Nonnulli*
ptum, & miſerrima laniena in partes diſtractum obiiſſe memorat. (*a*) Sed cum ab *ab apro*
ejusmodi oblectamentis indolem Emerici fere abhorruiſſe ſit veriſimile, ut ex iis, *cæſum*
qui de eo ſcripſere, liquet, neque ullus præterea inauditum eatenus mortis genus in *falſo com-*
litteras retulerit, credibile eſt, ſcriptorem aut maligna fama deceptum, aut errorem *menti*
in nomine commiſiſſe, dum præterea Emericum Ruſſorum Ducem novo errore com- *ſunt.*
miniſcitur.

Rex a morte filii, tametſi juſtiſſimum paternæ naturæ dolorem ad DEI vo- 1032.
luntatem temperaret, tamen ſive animo æger, ſive corpus tot laboribus exercitum *Stephanus*
ſuopte attenuaretur, in languorem moleſtiſſimum incidit, ex quo pedibus inſiſtere ne- *Proceres*
quibat. (*b*) Itaque aliquanto, quam vellet, remiſſius publicam rem adminiſtrari fe- *in ſuam*
re oportuit. *Videntes autem*, ſcribit Carthuitius, (*c*) *quatuor nobiliſſimi palatinorum diu,* *necem*
graviterque laborantem, nam ipſi in perfidia cordis adbuc errantes conſilium iniquitatis duxe- *conſpiran-*
runt, occaſumque ejus in mortem conati ſunt tractare, jam die advesperaſcente, antequam in *tes.*
domo lucerna accenderetur, unus eorum audacter ſub obſcuro ingreſſus eſt, & ad jugulan-
dum regem enſem nudatum ſub chlamyde tegebat. Dum pedem inbiberet, ubi rex quieſcebat
re vera, cœleſti impulſu gladius corruit, percuſſusque terram tinnitum reddidit. Statim-

que

u) Ad an. 1030.
x) Dlvgossvs, ſed male ad an. 1022. Ranzan. Ind. VIII. Thvrocz. cap. XXXIII.
y) In vita S. Steph. Cap. IV. Num. 27.
z) Laudato cap.

a) Ad an. 1031. „Heinricus Stephani re-
„ gis filius dux Ruizorum in venatione ab
„ apro diſciſſus periit flebiliter mortuus„.
b) Carthvitivs cap. V. Num. 29.
c) Ibid.

1032.

Partim indemnes præſtat, partim punit.

que rex audiens cauſam requiſivit, cum, quid fuerat, præſciebat. Ille vero anxius corruit, conſilium furoris ſui recognovit, doluit, acceſſit, procubuit, veſtigia amplexatus eſt, ſe deliquiſſe confeſſus, ſibi indulgeri precatus eſt. Veniam quærenti non avertit faciem, facile dimiſit. In ceteros quæſtionem haberi juſſit, & criminis attentati convictos digno ſupplicio puniri.

Ne tamen latius vis ſerpat, cognatis auctor eſt, ut fuga ſalutem quærant.

Veriſimile eſt, Stephanum detecta ea conjuratione ſuis metuentem, Andreæ, Belæ, & Leventæ Ladislai Calvi, patrui ſui, filiis ſuaſiſſe, ut fuga in Poloniam adornata periculo ſe ſubducerent. Fugæ hujus cauſam noſtri ſcriptores paſſim in Giſelam rejiciunt, a qua cum neceſſarios ſuos odiis exerceri videret Stephanus, Petrumque, ut poſt ſe regnaret, deſignari, auctor iis fuerit, ne præſentia ſua feminæ animum magis irritarent, aliorſum abeundi, iſtoſque dictis audientes ad Polonos abiiſſe. Ego, quamquam Petrum ex ſorore Stephani filium, quod Chriſtianis parentibus ortus novellam religionem adverſum avita ſacra optime tuiturus videretur, Giſelæ opera regem deſignatum eſſe non diffitear, immo ſatis perſpicuum ſit, ipſum adeo Stephanum Giſelæ voto non ingratiis ſubſcripſiſſe, minime tamen perſuaderi poſſum, ea de cauſa Giſelam in cognatos Stephani tam crudeliter deſæviſſe, ut, quod Thuroczius refert (*d*), Vazuli erutis oculis plumbo aures obturari juſſerit, quo minus regimini habilis videretur, ceteros autem, ne quid Petro in adeundo regno obturbarent, ex Hungaria expuliſſe.

Giſela male criminis a noſtris ſcriptoribus inſimulatur.

Tam multa enim in hac narratione (*e*) hallucinatur Thuroczius, ut prudens conjectura ſit, eum, dum Giſelam tam crudelem expingit, pariter erraſſe, quam alioquin tum ipſe, tum ceteri ſcriptores lectiſſimam feminam, & ſanctimonia cum Stephano certaſſe perhibent. Neque credibile eſt, Hungaros in eam deſtinationem, qua Petrus rex futurus credebatur, unquam fuiſſe conſenſuros, ſi regnum tanto ſcelere illi acquiſitum fuiſſet.

Petrus ad regnum evocatus.

Itaque illud vero ſimillimum eſt, Petrum ab Stephano, & Giſela regem deſignatum, ut illius opera, quamquam inſigniter fruſtratos ſua exſpectatione dicemus, Chriſtiana religio ab Stephani obitu, ſalva & incolumis eſſet. Eam ob rem hoc anno, ut (*f*) Ms. Mellicenſe habet, Petrum in Hungariam accitum Stephanus militiæ præfecit, quo illi viam ſenſim ad regnum complanaret.

1033.

Bela cum fratribus ad Polonos profugus rem contra Pomeranos ſtrenue gerit.

Itaque Andreas cum fratribus magis ob conjurationis periculum, quam Petri cauſa in Poloniam regis conſilio abſceſſit. Præerat tum Polonia Miecislaus Boleslai, quo cum Stephanus magna neceſſitudine conjunctus erat, filius, ut felix in primordio adverſus Ruſſos, ita ad deſidiam, ac voluptates in exitu prolapſus, rerum belli prorſum incurius. Quare Andreæ & ceterorum fratrum adventus Miecislao plane percommodus fuit, eo tempore in Pomeranos, qui creato ſibi duce factioſo ſeceſſionem fecerant, bellum meditanti. Nec multo poſt in Pomeranos collecto exercitu promotum eſt: interfuere exules Hungari pondus ad victoriæ conſecutionem addituri. Oborto prælio acriter utrinque dimicatum, Pomeranis, ne defectionis, & novi dominatus pœnam darent, qua vi poterant reſiſtentibus, Polonis contra Belæ in primis hortatu & exemplo in confertiſſimos hoſtes non tam ad cædem, quam victoriam graſſantibus, qui cum in medio prælii fervore Pomeranum ducem forte fortuna nactus eſſet, ſingulari certamine congreſſus, equo deturbatum vicit, & interfecit. Abhinc in fugam conjectus hoſtis; capti plerique, & Bela, cujus eo die virtus atque opera ſingularis enituiſſet, a Miecislao data filia in generum adlectus Pomeraniam dotis nomine accepit. (*g*) Hæc noſtri & Cromerus rerum Polonicarum ſcriptor, quamquam hic pugnam poſt Stephani obitum non recte conſignavit, cum bellum Pomeranicum ante annum MXXXIV. profligatum eſſe diſerte ſcribat.

hic

d) In Chron. Cap. XXXIII. & IV.

e) Ladislaum enim Calvum vocat patruelem cum tamen patruus eſſet, Vazulem contra patruelis Stephani filium, quem tamen patruelem fuiſſe conſtat. Tum Vazulem ad regnum ab Stephano deſignatum ſcribit, quem tamen ob juvenilem laſciviam, & ſtultitiam Nitriæ in carcerem ab eodem conjectum narrat, id quod de Stephano credi non poteſt.

f) „*Primum tractavit* (Stephanus) *de ſubſtituendo rege pro ſe, Petro videlicet ſororis ſuæ filio, quem in Venetia genitum, ad ſe vocatum, jam dudum exercitui ſuo præfecerat ducem, deinde monuit illos paterne fidem orthodoxam ſervare*„. Loquitur hæc de morituro jam Stephano, itaque ad annum MXXXVIII. Itaque cum dicat Petrum jam dudum ante in Hungariam vocatum, veriſimile eſt hoc anno accitum eſſe.

g) De rebus Polonorum Lib. 3.

Quid deinde Andrea, cum fratribus factum ſit, quoad in Hungariam evo- 1034.
cati eſſent, nihil uſpiam conſignatam reperio, neque qua fortuna abhinc in Polonia
uſi ſint, quod Miecislao poſt annum e vivis erepto ad ſeditionem res ſpectaret. Ri-
xa enim defuncti conjux pro filio regnum adminiſtrans gravibus exactionibus ſuos
onerare, & Polonos aperte deſpicatui habere coepit. Hæc cum indigne ferrent Po-
loni, neque precibus quidquam proficerent, obtrectare primum, tum ad apertam
vim progreſſi regias poſſeſſiones tumultuarie invadere, ſenſimque alios ad ſimilia pa-
tranda concitare. Regina, ne in tanta licentia, & irritatis in ſe hominum animis,
gravius malum perpeti cogeretur, convaſatis theſauris, & duabus coronis, quibus
rex & regina incingi ſolent, in Saxoniam, tum Magdeburgum evadit. Caſimirus
contra reginæ filius, etſi primum reſiſtere vellet, tamen, cum eos, qui matri fu-
gæ auctores exſtiterant, impotentius agere vidiſſet, ad Stephanum in Hungariam 1035.
confugit, ab hujus deinde obitu, ut ſcriptores Poloni volunt, Petri opera in regnum
reſtitutus. (b)

Paullum poſt turbata republica Poloniæ regis filius ad Stephanum in Hungariam profugit.

Interea Stephanus, quamquam ex morbo laborare gravius in dies occipe- 1036.
ret, nihil tamen ab ſtudio pietatis, & munificentia in res ſacras remiſit, ac ob ean-
dem rationem, qua olim Conſtantinopoli, nunc in Ravennatenſi agro templum cum
domo peregrinorum cauſa ingenti ſumtu extruxit. Adjecit vectigal, quo non ſolum
monachi ibidem ab ſe conſtituti alerentur, ſed ſuppeditaretur etiam victus Ungaris
omnibus, religionis cauſa Romam proficiſcentibus. Quamquam ipſe rex ſatis aper-
te innuat, ſe Legatorum ſuorum cauſa, quos Romam mittere, atque iſthinc acci-
pere conſueverat, ad fundandam apud Ravennates domum adductum eſſe. Ex quo
facile conjicimus, multas ab Stephano legationes cum in Italiam, tum alioſum quo-
que miſiſſe; quarum tamen res geſtæ oſcitantia hominum id temporis penitus oblit-
teratæ ſint. Juvat ipſum diploma, quoniam id apud neminem noſtrorum ſcriptorum
exſtare puto, huc inſerere, ut quo conſilio hæc ab Stephano facta ſint, ne ignore-
mus. Sic autem habet (i)

Stephani liberalitas in Ravennatenſem agrum.

*Stephanus DEI gratia Ungariæ rex. venerabilibus viris abbatibus, & conven-
tui monaſterii ſancti Petri ad vincula, quod in territorio Ravennæ ſitum eſt, & eorum ſuc-
ceſſoribus in perpetuum. Quoniam illo Domino nos illuminante, qui illuminat omnem hominem
venientem in hunc mundum, præfatum monaſterium veſtrum, per adjutorium noſtrum, ad
conſilium Gerardi venerabilis Epiſcopi eccleſiæ Moriſanæ, Fidelis noſtri, una cum nobili viro
Romano duce Ravennæ conſtrui fecimus, & per prædicti Gerardi manus proprias, ac au-
ctoritate Romanæ Eccleſiæ conſecrari, idcirco nos decet illud regali munificentia honorare, ac
vobis, ac veſtris poſteris providere, quod ideo in ipſo monaſterio ſervire poſſitis, peregrinos
Ungaros, ac nuncios noſtros charitative valeatis tractare. Quapropter proprio motu, &
liberalitate regali vobis, veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum concedimus, & donamus pro
anima noſtra, & parentum noſtrorum, tam antecedentium, quam ſubſequentium, ut DEus
& beatus Petrus Apoſtolus Domini ab omni vinculo delictorum nos ſolvat, viginti quinque
marchas puri argenti de Camera noſtra, quas per vos vel nuncium veſtrum recipere debeatis
propter competentes expenſas, quæ vobis, aut nuncio veſtro de eadem regali camera noſtra,
pro hujusmodi itinere faciendo, cum prædictis viginti quinque ſemper annuatim dabuntur, pro
hoc anno eleemoſyna noſtra, quam vobis facimus, & in perpetuum fieri volumus, eccleſiam
reparare parantis, cum fuerit neceſſe, reſiduum ſit pro indumentis veſtris. Et nos ac ſuc-
ceſſores noſtri, veſtris ſemper erunt orationibus commendati. Hoc quoque auctoritate regali
ſtatuimus, & firmiter præcipimus, atque pronunciamus, quod nec nos aliquatenus contra
prædicta veniamus, nec ſucceſſores noſtri, & nullus aut camerarius, ſive conſiliarius con-
cedere hoc ſit auſus.*

Erecto iſthic cœnobio & domo pro iis, qui Romam ex Hungaria proficiſcerentur.

Hactenus litteræ: quibus cum annus non ſit additus, difficile eſt tempus do-
nationis conſtituere. Mihi veriſimile fit, cum liberorum ſuorum in litteris mentio-
nem rex non faciat, templum cum domo, qua Ungari exciperentur, a morte Eme-
rici ſtrui coeptam, & utramque fabricam hoc anno ad finem adductam litteris publi-
cis confirmatam eſſe. Neque diploma ob memoratum Ravennæ ducem Romanum,

Conjectura de anno hujus fundationis.

tametſi

b) Thvrocz. Bonfin. Cromervs Lib. 4.

i) Hieron. Rvbevs in hiſt. Ravennate Lib. V. etſi male prorſus id conſignet ad annum 963., quo certe anno Stephanus nondum natus fuit.

1036.

tametſi certum de illo nihil dici poſſit, ſuſpectum videri cuiquam debet. Conſtat enim ex Muratorio (*k*) in exarchatu, & Ravennæ potiſſimum circa id tempus complures duces floruiſſe, qui illuſtres hujusmodi titulos hæreditario etiam jure uſurpa-

1037. rint.

Abbatia Bakon Beelienſis abſolvitur.

Interea Stephanus cænobium, Guntheri conſilio in ſilva Bakon (*l*) coeptum, qui locus Béel ante dictus, & ſeptennium integrum a Gerardo cultus erat, cum Abbatia ad finem adduxit, ac concurrentibus undique externarum gentium viris, quos ſanctioris vitæ deſiderium inceſſerat, ne cura terrenarum rerum a pietatis cultu avocarentur, ampliſſimis fundis donavit. Juvat litteras ejus rei teſtes, quoniam Stephani imaginem nobis ex parte adumbrant, in medium proferre. (*m*)

Et privilegiis ornatur.

In nomine Domini DEI ſummi. Stephanus ſuperna providente clementia Ungarorum rex. Univerſorum Chriſti fidelium ſane intendat diſcretio, quod dum in terra Hungariæ Chriſtianæ religionis per DEI gratiam nova pullularet profeſſio, multi Catholici, & religioſi viri ex vicinis provinciis ſancti ſpiritus dono illuminati ceperunt ad me confluere, quorum conſilio, & monitione in diverſis locis ad DEI ſervitium aptis, Eccleſias & monaſteria incepi conſtruere, in quibus a ſeculo fugientes, regulariter poſſent converſari, & DEO omnipotenti famulari. Igitur inter cetera in illo loco, qui Béel dicitur, in ſilva Bakon, quia Divino cultui videbatur mancipari valde idoneus, ſub titulo B. Mauritii Chriſti martyris, monaſterium incepi conſtruere, quod & per DEI adjutorium conſummavi, regiis quoque munificentiis, ſicut potui, ditavi. In quo Gerardus monachus de Venetia veniens primus cepit converſari: & ſicut habui poteſtatem, ut ubicunque vel in quocunque vellem loco, Eccleſias, aut monaſteria conſtruerem, ita nihilominus a Romanæ ſedis ſummo Pontifice habui authoritatem, ut quibus vellem Eccleſiis, ſeu monaſteriis libertates, & dignitates conferrem. Quamobrem in futurum præcavens, ne idem monaſterium multorum temporum ſucceſſione aliquomodo gravaretur, ab omnium Epiſcoporum poteſtate, & jurisdictione illud liberum eſſe ſtatui. Quæ autem in dotem ipſius contuli, propriis volui vocabulis exprimere - (*n*) - - Expreſſis deinde nominatim fundis monaſterio donum datis, prærogativas; quibus Abbatem ornatum vellet, ſubdit in hæc verba: *Adhuc autem ſubjungens ſtatuo: ſit ipſum monaſterium ab omni inquietudine ſemotum, Abbaſque a monachis illius loci partis ſanioris libere eligatur. Electus vero, a quo voluerit, conſecretur Epiſcopo. Infula quoque annulo, baculo paſtorali decoretur, nullius Epiſcopi ſubjaceat poteſtati, niſi Strigonienſis Archi-Epiſcopi tantummodo generali aſſiſtat ſynodo, ut ibi ſalutaria monita audiendo, ſe, ſuoſque ſubjectos valeat ſalubriter inſtruere. Sitque illius loci monachis, & clericis licitum ſacros ordines accipere, a quo voluerint Epiſcopo, dummodo Catholicus ſit. Populus quoque eidem loco ſubjectus, & omnes ſupervenientes hoſpites, qui ad ejusdem monaſterii capellas, terras, predia, ſeu quascunque poſſeſſiones habitandi gratia acceſſerint, in cujuſcunque Epiſcopi dioeceſi fuerint, decimas ſuas de vino, de ſegetibus, ſive aliis naſcentiis, & de pecudibus, vel animalibus nulli Epiſcopo dent, niſi proprio monaſterio, ſuoque Abbati. Liceatque eidem etiam Abbati in prediis, & poſſeſſionibus monaſterii ſui oratoria, & capellas*

con-

k) Tom. IV. Antiquit. Italiæ ad diploma quoddam donationis anno 896.

l) Carthvitivs in vita S. Stephani.

m) Exhibet id communicatum ſibi ab Archi-Abbatiæ S. Martini Cl. viro Daniele Somogyi Priore Reverendiſſimus D. Bonaventura Pitter monaſterii ordinis S. Benedicti Rayhradenſis Præpoſitus in vita S. Guntheri Anno 1762. edita Brunæ.

n) Bona autem hæc ſunt: „*videlicet tributa de ſoro reginæ, & de foro Zyl, & de portu Arpas in Raba, de portu & de foro in Comarin, piſcinas duas in Drava cum piſcationibus, quarum una Zvalin, & altera Toplonea, que ſeparantur rivulo nomine Burſy. In portu Modoſa dedi liberam piſcationem, que vulgo Tara dicitur. Præterea ſtatui, ut in Zelip detur ſeptimus piſcis, uſonum, & de piſcina Nandur in Tyſia detur ſimiliter ſeptimus piſcis, ſive ſeptimus annus ad piſcandum, de fructibus vero arborum, que ibi ſunt, detur ſeptima pars. Piſcinam vero Tenerere dedi totaliter, has omnes piſcinas cum piſcationibus ſuis dedi Beato Mauritio: villarum autem, vel prediorum nomina ſunt hec, que S. Mauritio contuli: Cuppan, Pannanad, Arpas, Mogos, Quar, Nuut, Ocoz, Poloſnuk. In his villulis, ſive prediis cujuſcunque conditionis homines ſunt ad me pertinentes, ſancto Mauritio dedi, qui ſecundum ordinem conditionis ſue ita plane ſerviant Abbati ſancti Mauritii, ſicut ſolebant ſervire regie Majeſtati: do etiam licentiam famulis ejuſdem monaſterii, & prediorum ejus. Porci quoque Abbatis in eadem libere paſcantur. Sunt præterea quatuor lapides viciniores, ad monaſterium, qui vulgariter his vocabulis nuncupantur: Hygerky, Keresky, Teérky, Odvasky. In his a quocunque homines fuerint ſere interſecte, dimidiam partem illarum miniſtri Abbatis accipiant cum cutibus earundem*„ - - -

Digitized by Google

conſtruere, conſecrationem vero earum, a quo voluerit, Epiſcopo petere, alioquin ultionem
divine indignationis incurrat. Precipuo itaque firmiter ſtatuendo ſub teſtificatione ſalvatoris
Domini Noſtri JEſu Chriſti, ut nullus Archi-Epiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio,
Comes, Vice Comes, prefectus, nec aliquis potens homo, ſive magnus, ſive parvus, de
prefato monaſterio, & ejus jure infra ſcripto ſe aliquomodo intromittat in tributis, in reddi-
tibus, in prediis, in mancipiis, in terris, in vineis, in decimationibus tam populi ſui, quam
hoſpitum ſuorum, quam prediorum, in piſcationibus, in rippis, in ſtattis, & in univerſis bo-
nis ſibi collatis, ſive conferendis, ſed ita libere poſſideat, ſicut Epiſcopi ſua poſſident jura. Si
quis autem Chriſtiane religionis de hujus monaſterii libertate, & noſtra conſtitutione aliquid
ſubtrahere, vel minuere tentaverit, circumvallet anathema perpetuale, & componat viginti
marcas puriſſimi auri, medium Camere regie, mediumque Abbati, & rectoribus ſepe dicti
monaſterii, cunctis autem ſervantibus illius jura ſit pax a DEO Patre, & JEſu Chriſto Filio
Ejus Amen. Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Triceſimo ſeptimo, Indictione V. Epa-
cta I. Concurrent. V. exiſtentibus Hungarie Primatibus Dominico Archi-Epiſcopo, Mode-
ſto Epiſcopo, Urſgo, Guncio, Thomogno Comitibus (*o*). Hæc ideo prolixius in medium
allata a nobis ſunt, ut, præter regis, tanquam Legati Apoſtolici in rebus ſacris aucto-
ritatem, regni præterea dignitates tum uſurpatæ, ac in primis Stephani erga DEum
munificentia in conſpicuo eſſet.

Atque hoc poſtremum omnium pietatis opus illi fuit. Altero enim abhinc 1038.
anno, dum febri tentaretur, paullum poſt mortalium numero exemtus in cælum *Rex letali*
traductus eſt. Ubi inſtare ſibi mortem præſenſiſſet, concitis Epiſcopis, ac præcipuis *morbo*
palatinalium, quos religioni Chriſtianæ vere deditos noſſet, primum omnium de Pe- *correptus*
tro ſibi ſubſtituendo egit, neque, ut poſtea liquebit, ea in re difficiles habuit: tum *de Petro*
gravi adhortatione commonefactos oravit; ut juſtitiam ſecundum æqui leges populo *ſubſtitu-*
adminiſtrarent, ſe invicem poſitis factionum ſtudiis aperta charitate complecterentur, *endo cum*
ante omnia autem fidem, cui ſponte ſe ſe initiari voluiſſent, omni ſtudio ſalvam & *Proceri-*
incolumen conſervatum irent: ad extremum levatis in cælum oculis, manibusque *bus agit.*
precantis ritu, primum ſe, tum adſtantes, ac regnum Divæ Virgini, quod illi du-
dum ante hæreditarium eſſe voluit, impenſe commendabat (*p*).

Aderat dies aſſumtæ in cælos Virgini ſacer, quo cum ſæpe alias ſe rebus
humanis eximi petiiſſet, vim mali ingraveſcere, & ſe votorum compotem fieri ſen- *Ac paul-*
tiens, ex Eccleſiæ ritu extremis ſe communiri præſidiis petüt: neque multo poſt in- *lum poſt e*
ter cœtum Pontificium, & Procerum coronam ſacris rite procuratis, anno ſupra mil- *vivis ex-*
leſimum trigeſimo octavo exſtinctus eſt. (*q*) Didita per Hungariam fama de regis *cedens.*
morte ingenti deſiderio deploratus incredibilem ordinum omnium multitudinem ad
exequias concivit. *Corpus ſuccollantibus Pontificibus, ſupremiſque magiſtratibus Albam de-*
latum. Cum nondum Divæ Genitricis baſilica rite ſacrata foret, metropolita cum Pontifi-
cibus, & collegiis ſacerdotum prius eam ex more dicarunt. Mox in medio templi marmoreo *Albæ Re-*
ſepulcro condidere - -. (*r*) Haud multo poſt funerationem tempore editis prodigiis la- *giæ condi-*
tiſſime inclaruit, quæ rea ſatis declarat, Stephani ſanctimoniam cælo probatam fuiſſe, *tur.*
adeo, ut poſt non multos annos inter Divos relatus regibus exemplo eſſet, ſancti-
moniæ cum reipublicæ curis quam optime convenire.

o) In calce hæc habentur
† *Signum Domini Stephani Inclyti Regis.*

p) CARTHVITIVS in vita S. Stephani. Cap. V.

q) Idem, niſi quod annum emortualem erronee ponat 1034., quem errorem etiam BONFINIVS poſtea adoptavit. Conſtat autem ex Wippone, Mariano SCOTO, Hermanno CONTRACTO, Alberto Stadenſi, Annaliſta Saxone, MS. Mellicenſi, Thuroczio, aliiſque, defunctum eſſe anno 1038. Annos regni varii varie numerant, ſed facile conciliantur, ſi epocham triplicem ſtatuamus. Primam an. 997. quo Geiſæ ſucceſſit Stephanus Ducis titulo ornatus: alteram a corona accepta, quam obtinuit anno 1000. in Martio: tertiam a coronatione, quæ contigit eodem anno ſed, ut paſſim creditur, XV. Auguſti.

r) BONFIN. Niſi quod illud male ponat, Stephanum jam tum inter Divos relatum, quod ſerius poſtea eveniſſe oſtendetur.

PETRVS.

Petrus regni initia inbumanitate in Giſelam Stephani viduam temerat.

Petrus, quem noſtri jam Venetum, jam Allemannum vocant, re autem ipſa Guilielmi Pictavienſis Comitis ex ſorore Stephani filius (*s*) fuit, regni poſſeſſionem a Stepbani morte non invitis proceribus adiit, cui fidem pene omnes jurejurando obſtrinxere, ſi Abam, qui vivo Stephano Comes palatii erat, demas, quem jam tum de regno arripiendo cogitaſſe, non vana conjectura erat (*t*). Initia Petro ſatis pacata fuere, fuiſſetque illi deinceps, ut ſpes erat, regimen haud infelix, niſi parum beneficiorum memor turbas ipſe ſibi conſciviſſet.
1039. Nam cum morituro Stephano pollicitus eſſet, ſe Giſelæ ſuperſtitis conjugis rationem, quam par eſſet, habiturum, *vixdum elapſo a Stephani morte anno, cum ſimulato luctu fidem, curamque Giſelæ poſuit, & ex tutore prædo factus, cultum ei a marito relictum, vitæque non ornamenta modo, ſed etiam ſubſidia miſeræ abſtulit, & liberæ cuſtodiæ anguſtiis circumſcriptam non ſatis habuit arcere publico, ſed etiam familiarium congreſſu, & alloquio excluſit. Proceres indignam reginæ ſortem miſerati, regem officii ſui, datæque fidei admonuere. - - Surdum ad has voces execrati, quod obſideri aures illius a Budone nequiſſimo palatinorum ſatis ſcirent, eum ad necem depoſcunt, regeque contra hiſcere non auſo fruſtillatim concidunt, liberis ejus oculos excludunt.* Hæc Brunerus ex Altahenſi Chronico auctoris ut videtur, ſupparis (*u*). Quæ narratio fateor multum ab Thuroczii opinione abhorret, qui Budam, cum a Stephano ad Vazulem e carcere Nitrienſi educendum mitteretur, a Giſela auro corruptum ſcribit, illique per Sebum Budæ filium oculos erutos, ut regimini ineptus redderetur (*x*). Malim tamen Chronico Altahenſi, quam Thurozio, quem in conſignandis regum factis ſæpe lapſum conſtat, ea in re fidem habere. Giſela igitur inhumanis plane modis exagitata, cum videret haud diu proceribus cum rege convenire poſſe, relicta Hungaria Paſſavium conceſſit, iſthicque cœnobio virginum ſeſe includens vitam ſanctimonia conſpicuam duxit (*y*).

Hinc prima Hungarorum in Petrum odia.

Hinc prima odii in Petrum origo, qui cum inviſum ſe proceribus pleriſque videret, ne tempus aut modum in ſe conſpirandi illis daret, collectis copiis in Noricorum ditiones incurrit, profectioni eam cauſam prætexens, quod Conradus Henrici pater Hungariam vivo Stephano per ſummam injuriam armis vexaſſet. Poſtquam cædibus, ac rapinis hoſticum percurriſſet, immanem captivorum numerum ducens in Hungariam revertit (*z*). Veriſimile eſt, procurſionem hanc aut juvante, aut connivente Adalberto Auſtriorum Marchione factam eſſe, quando qua ratione Petrus,
1040. niſi per Auſtriorum ditiones, in Noricum procurrerit vix intelligi poteſt.

Quæ cum abolere ſtudet.

Altero quoque anno, ut ſuorum mentem, & ſtudia alio converteret, belli, & armorum rationes prudens, volenſque quærebat. Commodum Henricus Niger Imperator, a Polonis in Bohemos concitatus bellum apparabat. Bredislaus ejus nominis primus rerum in Bohemia tum potiebatur, militaris quidem, & intrepidi animi Princeps, ſed a milite, qui adventantis Henrici vim repelleret, non ſatis comparatus. Itaque a Petro ſuppetias poſtulat, & facile obtinet (*a*). Comparatis auxiliis, ſilva-

s) Aloldus in Chronico ad an. 1021. „Adalbertus marchio nuptias fecit cum Alhaide, quæ fuit filia Guilielmi Comitis Pictavienſis & Geiſelæ ſororis Stephani - - - bujus Alhaidis frater erat Petrus„ - - - Inde errorem puto noſtris obrepſiſſe, ut Giſelam Stephani conjugem putarent filiam fuiſſe Guilielmi.

t) Auctor ſuppar in vita S. Gerhardi Tom. VI. SS. menſ. Sept. ad diem 24. §. 8. „Rex „Petrus ſucceſſit, cui cum omnes Pannoniæ Principes fidem, ac dilectionem conjuraſſent, unus ex eis dejecto rege (trienmo poſt) regalem cathedram injurioſe „uſurpavit.„

u) In annal. Boicis Part. II. Lib. V.

x) Cap. 33.

y) Timon in epit. Chronol. ad hunc annum.

z) Herman. Contract. ad hunc an. „Petrus rex Ungariorum hyeme terminoa „regni ſui (Henrici) invadens, prædis, „incendiis, & captivitate depopulatur.„

a) Hermann Contractus ad an. 1040. „Henricus rex, Boemiæ ducem bello petit, ſed multis Proceribus, & militibus „in præſtructione ſylvæ citra, & ultra occiſis vel captis nihil dignum efficere potuit. „Petrus quoque Hungarornm rex eidem „Duci contra Henricum regem auxilia mittit „.

An. Chr. 1040.

ſilvaque, qua hoſti in Bohemiam ex Germania irrumpendum fuit, occupata iter præ-
ciſis arboribus impeditiſſimum fecit. Mox in inſidias pertractos Germanos Ungaro-
rum ope agreſſus partim cedit, partim in fugam conjicit, omnemque Bohemiam
hoſte liberat.

1041.

Hungaris re bene patrata ad ſuos reverſis, Petrus militaris fortitudinis lau-
dem ac nomen conſequutus in dies inſolentior evaſit, *neque regiæ majeſtatis officium
cum decoro ſervare ſtuduit. - - Nobiliſſimum quemque habere ludibrio, intumeſcere ſuperbia
plus quam barbara, Alemannis plus æquo credere, gerere cuncta eorum arbitrio, ſuos aſper-
nari, & habere pre ſervis, magnifacere peregrinos, & externis uſquequaque blandiri. Arci-
cus & oppidis Teutonum præſidia cunctis imponere, ex his quoque creare magiſtratus, &
ſibi cuſtodiam adhibere, peculiarem populum abominari. Accedebat intemperantiſſima libido,
ingensque laſcivia hominis, quo imperante ne ulli quidem ingenuæ matronæ tuta poterat eſſe
pudicitia, quin & virgines, & mulieres a ſuis ſatellitibus, prætorianisque militibus paſſim
inceſtabantur.* (b) Quantum ab Stephani ætate tam exiguo temporis intervallo mo-
rum diſcrimen! Hæc cum tam palam, & impudenter a Petro fierent, adiere homi-
nem Antiſtites cum optimatibus, & ſummia precibus primum contendere, ne ſe re-
gnumque diſcrimini objiceret, parceret mulierum pudicitiæ, & populum, ab Stepha-
no fidei ſuæ creditum, exemplo ad virtutis conſecutionem pelliceret, ad extremum
graviter monere, ne ſibi tam exquiſita intemperantia malum conſciſceret, cujus pœ-
nitentia in poſterum ſera admodum, & inutilis eſſet. *Contra rex optima conſilia ſper-
nere, & præ inſolenti levitate interminari, ſe, niſi monitis abſtinerent, quæ ex ingenita
iniquitate, ac ſcythica improbitate darent, eo indignationis evaſurum, ut potiſſimos ordines,
item præfecturas, & magiſtratus omnes Teutonica tantum gente compleret, ut ne minima
quidem munia Ungari domi militiæque gererent, immo ſe in eorum poteſtatem univerſam Pan-
noniam redacturum.* (c)

Magis in dies adverſus ſe irritat.

Monetur propterea ab Antiſtitibus.

Ea res Hungarorum animos alioquin jam vehementer irritatos à Petro ſic
abalienarat, ut quidvis, quam illius tyrannidem, perpeti mallent. Itaque clande-
ſtinis coitionibus capita conferre, tum de exauthorando Petro agitare. Nec inviti
erant Antiſtites, quod regis ſocordiam religioni plurimum obfuturam providebant.
Conjurationis principes Viſconem, Toizlanum, & Pesluczium fuiſſe Bonfinius me-
morat, (d) qui, cum gentis ſalutem præ aliis cordi haberent, Abam, Stephano ob
ſororem Saroltam, quam matrimonio ſibi copularat, neceſſitudine conjunctum le-
gunt, ut libertatis patriæ adverſus tyrannum aſſertor eſſet. Neque is, quod digni-
tati huic jam dudum ante inhiaſſet, multis moratus copias in Petrum ducit: ſed hic,
ubi, quid ageretur, comperiſſet, matura fuga periculo ſe ſubducens in Auſtriam ad
Adalbertum ſororis ſuæ maritum evaſit. (e) Ab hoc, quia veriſimile eſt, Adalber-
tum noluiſſe ſe non cognita cauſa turbis iſtis implicare, ad Henricum Imperatorem,
contra quem anno abhinc auxiliares Bohemis copias ſubmiſerat, confugere neceſſe
habuit. Ad quem cum appuliſſet, genibus affuſus præteritæ injuriæ gratiam popoſ-
cit, & impetravit. (f)

Sed cum fruſtra eſſent, Abam communi voluntate regem eligunt.

Petro ad Auſtriacos, tum ad Imperatorem confugiente.

Aliter tamen clariſſimus Ludewigus de re opinatur, cum ſcriberet, Petrum
ab æmulo Hungaria expulſum ad Henricum confugiſſe, tanquam *litigioſæ ſucceſſionis
judicem;* (g) niſi fallor, innuere volens, Hungariam abhinc, ad Germaniæ Cæſares
pertinere, quam Henricus ſanctus diploma regale Stephano obtuliſſet. Sed jam ſu-
pra perſpicue monſtratum eſt, quam vanis, & de nihilo ſumtis conjecturis hæc opi-
natio nitatur. Ceterum tam ſupinam Ludewigi oſcitantiam prorſus impatienter fero,

Ex quo male Ludewigus arguit, Hungariam ad Germaniæ Im-

M qui,

b) Bonfin. Dec. II. Lib. II. Neque ex-
cedere eum in veritate modum oſtendit Alol-
dus tempori illi ſuppar, qui ad an. 1039. ita
ſcribit: „ Petrus in Ungaria Stephano ſucce-
„ dit, ejus ex ſorore Giſela nepos. Sed vi-
„ tiis plurimis ſcatens ſubditis brevi inviſus
„ evaſit. „

c) Bonfin. loco cit.

d) Dec. II. Lib. II.

e) Aloldus ad an. 1040. „ Idem (Petrus)
„ dum Ungari ab eo ad Ovonem, ſua lin-
„ gua Abam deficiunt, regno privatur. Fu-
„ git vero ad Adalbertum, cujus levir erat,
„ ſive frater uxoris. „

f) Herm. Contract. ad an. 1041. - -
„ Primo ad marchionem - - Adalbertum ſo-
„ roris ſuæ maritum profugus venit, iode-
„ que ad Regem Heinricum venicos, pedi-
„ buſque ejus provolutus veniam, & gra-
„ tiam imploravit, & impetravit. „

g) In Germania Principe Lib. I. cap. II.

1041.

peratores clientelari jure pertinuiſſe.

qui, cum ex Hermanno Contracto, & Aloldo temporum illorum ſcriptoribus Germanis facile potuerit iotelligere, Petrum eam ob cauſam ad Henricum confugiſſe, ut ob illatam regno illius vaſtitatem, cujus in loco meminimus, veniam, ac gratiam conſequeretur, majore, quam Criticum decet, fidentia ſcripſerit, veniſſe ad Henricum, ut de jure ſucceſſionis inter ſe & Ovonem, quem male Ottonem dicit, judicem ageret.

SAMVEL ALIAS ABA.

Aba, alias Samuel dictus, omnes Petri res antiquat.

Cum Petrus extorris apud Henricum pro recuperando regno precariam operam impendit, Aba, qui exteris paſſim Ovo, vero autem nomine, ut ejus nummus refert (*b*) & anonymus Belæ regis notarius (*i*) diſerte inſinuat, Samuel dictus eſt, communi omnium voluntate rex ſalutatus regni adminiſtrationem acceperat. Ab adita republica, quo ſuorum gratiam iniret, quaſcunque leges Petrus condidiſſet, antiquavit, ex quo manaſſe reor, ut deinceps vim omnem tabularum in jure Hungarico amitterent. Interea Petrus nulli ſtudio parcere, ut acceptis ab Henrico ſuppetiis regnum recuperaret. Adalbertus quoque tum cognationis nomine, tum exulis ærumna commotus, apud Imperatorem non indiligenter egit, ut
1042. ea in re Petro gratificaretur. (*k*)

Cædibus tamen inhumaniter ſævit.

Henricus, quod arma ipſa hieme Burgundis inferre meditaretur, diu anceps hæſit, quoad intellecto, Samuelem in eos, qui Petro abſenti impenſe ſtuderent, crudeliſſime ſævire, utrique pollicitus, ſe, cum primum Burgundicam expeditionem confeciſſet, Petri cauſa in Hungaros moturum. Interea turbis Hungaria & cædibus miſerrimum in modum miſcebatur. Samuel, ut regni poſſeſſionem ſtabilem ſibi redderet, quoſcunque noſſet exuli regi ſavere, quin ſuos etiam, qui ſibi a conſiliis erant, nulla ſanguinis, aut dignitatis habita ratione palis ac ſudibus affixos ipſo verni jejunii tempore per ſummam barbariem necari juſſit. (*l*) Inde velut re præclare geſta, quoniam corona nondum redimitus erat, in Præſulum ac optimatum ſibi faventium comitatu ad Maruſium amnem properat, ut a Gerardo, qui Chanadienſi ſedi primus Antiſtes & ſumma ſanctitate præfuit, diademate incingeretur (*m*)

Dum Chanadinum coronationis cauſa contendit.

Agebatur dies Chriſto reſurgenti ex Eccleſiæ more ſacer, cum iſthuc pervenerat, præmiſitque ex epiſcopia & Principibus, qui Gerardo referrent, cujus cauſa veniſſet. At ille hominem innocentum ſanguine pollutum averſatus, negabat ſe facturum, ut coronam, quæ Stephanum olim cinxiſſet, capiti illius imponeret. Audita Gerardi ſententia ceteri Præſules Samuelem tumultuarie magis, quam ex ritu, corona redimunt, & magna cleri, populique caterva ſtipatum in Eccleſiam Divo Geor-

b) Exſtat in cimelio Collegii S. J. Tyrnaviæ.

i) Cap. XXXII. - - „ex quorum etiam „ progenie longo poſt tempore rex Samuel „ deſcendit, qui pro ſua pietate Oba vocabatur.„ Rectius forte *Aba*, quod patrem notat itaque aut a pietate in populum, quod mihi ax ejua rebus geſtis difficulter videtur creditu, aut cum palatio præfectus fuerit ſub Stephano, a domeſticis, qnorum gratiam captarit, patris, ſeu Abæ nomine compellatum puto.

k) ALOLDVS ad an. 1041. „Adalbertus „ marchio pro Petro apud Heinricum tertium Romanorum regem, ei pariter affinem intercedens ei auxilium impetrat.„

l) Auctor ſuppar vitæ S. Gerardi, apud Hagiographos ad diem XXIV Sept. Num. 8. „ Heu ſanctis quadrageſimæ diebus honeſtiſſimos ſui conſilii viros ſudibus, ac palis, „ velut immunda animalia, interficere auſus „ eſt.„

m) Aut vacaſſe tum ſedem Strigonienſem, aut Archi-Epiſcopum abſuiſſe, aut coronare noluiſſe regem oportuit, alia enim cauſa reddi non poteſt, cur Aba a Gerardo Chanadienſi, qui tum, ut ex epocha conditi Epiſcopatua liquet, ſeniſſimus omnium fuit, coronari petierit. Peterfy Tom. I. Conc. Hung. pag. 12. ait ex diplomatibus ejus ætatis conſtare, ſedem Strigonienſem annis 1046. & 47. vacaſſe. Quid ſi ex hoc confici poſſit hoc quoque anno 1042. vacaſſa.

Georgio ſacram inducunt. (*n*) Tum vero Gerardus plus quiddam homine ſpirans,
candidam ſtolam indutus imprudentibus omnibus Eccleſiæ ſe inſert, conſcenſaque ca-
thedra Samuelem hia verbis per interpretem intrepidus alloquitur. *Obſervatio ſanctæ qua-*
dragefimæ peccatoribus pro venia, juſtis autem pro præmio conſtituta eſt. Sed quia, tu
rex, eam in occiſione tui gladii polluiſti, mihique nomen patris tuliſti, eo, quod meis dulciſſi-
mis natis caream, nil bodie indulgentiæ mereris. Verum, quia pro Chriſto meo hac die mo-
ri paratus ſum, ventura tibi pronunciabo. Anno tertio gladius ultionis excitabitur in te,
qui tibi regnum, fraude nequam per vim acquiſitum, auferet, & vitam. Cumque talia
regis amici, liberalibus litteris imbuti, attoniti mirarentur, innuebant interpreti tacere, Epiſ-
copum ab ira, & indignatione regis defendentes, quibus interpres timens aſſenſit. At verus
paſtor inobedientem ſibi interpretem perurgere, atque compellere cœpit, dicens: DEum time,
regem bonora, paterna verba prode. Tandem interpres coactus Paſtoris declaravit ſenten-
tiam, regisque metum haud levem tulit (*o*). Adjecit, haud multo poſt tempore Hun-
gariam ſeditione perturbatum, magnamque partem ad avitas ſuperſtitiones relapſum
iri, ſuoque adeo ſanguine fidem, ac religionem ſe conteſtaturum. Quæ omnia even-
tu confirmata in loco dicemus (*p*).

A Gerardo acri oratione perſtringitur.

Henricus ſub hæc compoſitis in Burgundia rebus, Petri & Adalberti preci-
bus exoratus cum victore exercitu in Auſtriam promovit. Hic ſe illi Adalbertus cum
copiis conjunxerat, & filium Leopoldum, ut militiæ rudimenta ſub patre poneret,
comitem accepit. Primis caſtris ad Hamburgum perventum eſt, quo facile expug-
nato copiæ Poſonium promotæ, hac quoque urbe per deditionem capta, in ſepten-
trionalem Danubii plagam, quoniam auſtralem fluvii, & lacus munierant, procur-
ſum eſt, & ad Granum uſque vaſtitas circumlata. Semel atque iterum ab Hunga-
ris objectæ copiæ: ſed ut tumultuarie magis, quam ex diſciplina militari concitæ
erant, oborta dimicatione facile in fugam conjiciuntur. Adalberti, & Leopoldi filii
virtus inprimis hoc bello enituit, qui, quidquid Poſonio ad Granum uſque tenditur,
Petro aſſeruere. (*q*) Noſtri ad propulſandum bellum imparati conditiones a victo-
re Henrico, quæ illi libuiſſent, coguntur accipere. Querum illa præcipua: ut, Sa-
muele in ordinem redacto, Petrum, quem injuria expuliſſent, regno reſtituant. Sed,
ubi id perinvite Hungaros videret facturos, neque autumni tempus moram longiorem
pateretur, alium, ex Hungaris, qui apud Bohemos exul eſſet, in Samuelis loco ut
eligerent, optionem dedit. Sunt, qui acceptum fuiſſe ſcribant, ſed ab Samuele,
cum primum Henricus in Germaniam rediſſet, rurſus expulſum: alii contra ab exu-
le pleroſque Procerum abhorruiſſe perhibent, adduntque, Samuelem, ubi optima-
tum tergiverſationem comperiſſet, ad preces converſum, placatoque Henrico regnum
recepiſſe; ea tamen conditione ut hominem illa parte Auſtriæ, quæ ad Leitam flu-
men procurrit, mulctaret. Non nihil huc operæ Adalbertum Marchionem contu-
liſſe Aloldus prodidit, cui Samuel, ut ſe gratum pro beneficio exhiberet, inſignem
ſanctæ crucis portionem, Stephano olim a Baſilio, ut diximus, obletam, donum
dederit. Quidvis ſit, Samuel ſive bona Henrici gratia, ſive armis regnum retinuit.
Petrus, poſtquam Imperator copias reduxiſſet, apud Adalbertum reſtitit, eminus
æmulum, & regni turbas ſpectaturus (*r*).

Henricus Imp. Petri cauſa in Hungaros movet.

Petrum tamen, quamquam victi, recipere tergiverſantur.

M 2 Quam-

n) Auctor vitæ S. Gerardi loc. cit. „Die
„ vero Dominicæ Reſurrectionis, ut pater
„ ejuſdem loci regio capiti diadema impoſi-
„ turus advenit ab Epiſcopis, & Principi-
„ bus per honeſtiſſimos viros invitatur. Quo
„ renuente reliqui pontifices coronam im-
„ ponunt, magno cleri, populique comi-
„ tatu rex decoratus Eccleſiam ingreditur.„

o) Idem. ibid.

p) Ex quo vaticinio liquet, Bonfinium,
ac ceteros domeſticos ſcriptores, temporum
ordinem vehementer perturbaſſe, cum hæc
ad ultimum Ovonis annum plerumque eſſi-
gant.

q) Herman. CONTRACT. ad an. 1042.

„ Heinricus quoque autumno Pannonias pe-
„ tens, Heimenburg, & Brecesſpurg evertit,
„ ſeptentrionalem Danubii partem, quia flu-
„ mine Auſtralem & paludes munierant, uſ-
„ que ad Grane flumen vaſtavit - - & pars
„ exercitus bis numero Ungariam incurſan-
„ tibus congrediens, ſtrages magnas effecit.
„ Et ſubactis partium illarum Ungariis, cum
„ Petrum recipere nollent, quendam alium
„ ex illis, item apud Boemos exulantem,
„ ducem eis conſtituit, quem tamen Ovo
„ ſtatim poſt diſceſſum regis reſiſtere non va-
„ lentem in Boemiam repulit.„

r) ALOLDVS ad an. 1042. „Hainricus
„ rex cum exercitu per Oſterricham intrat
„ in

1042.

Commentitiæ hujus nuptiæ.

Quamquam, ſi Dubravio (*s*) fides, de nuptiarum oblectamentis hoc tempore Petrum cogitaſſe mirum videri poteſt, cui Juditha Bretislai Bohemiæ ducis vidua, a Spitigneo filio regno ejecta, ut Bohemia ægre faceret, matrimonii fidem obſtrinxerit. Sed cum Bretislaus, ut Coſmas Pragenſis perhibet (*t*), anno primum quinquageſimo quinto ſupra milleſimum fato functus ſit, Petrum autem illo vitam non adduxiſſe conſtet, conſectaneum eſt, Dubravium, & qui cum eo ſentiunt, non rite hæc conſignaſſe, niſi putemus Juditham ſuperſtite etiamnum marito, regno & thoro expulſam, cujus tamen nemo ſcriptorum illius temporia meminit.

1043.

Aba in regno confirmatus crudeliter ſævit.

Samuel ob initam apud Henricum gratiam confirmatum ſibi adverſus omnium injurias regnum exiſtimans, minus æquum ſe ſuis præbuit. Pro libidine agere omnia, ſævire in optimates præſertim, nobiles plebejis poſtponere, & religionem in primis innovare velle. Qua re non pauci pœnitentia ducti, ſe homini ſupra modum crudeli regnum ſuffragio ſuo confirmaſſe in Germaniam ad Henricum evadunt, & Petri partes amplexi, ſtudio & clientelis exulem in regnum reducere moliuntur. Nihil his permotus Samuel, in Auſtriam, ubi Petrum reſiſtere, & occaſioni, ſi qua ſe ad recuperandum regnum offerret, incubare moleſte tulit, bellum apparabat. Diviſis bifariam copiis ex utraque Danubii ripa fere Mellicium uſque omnia igni ferroque vaſtat magis ex ritu vindicantia, quam bellum inferentis. Adalbertus ex collucentibus undique flammis hoſtem adeſſe intelligens, rapto ſecum milite obviam hoſti progreſſus, eam partem quæ ultra Cambium fluvium prædas agebat, inito, & producto utrinque pertinaciter prælio fere ad internecionem cecidit, altera, cognito ſociorum interitu, ſponte in fugam prolapſa. Ex hoc Adalbertus nomen victorioſi adeptus eſt, & Auſtriæ partem, quæ forte ad Comagenum montem Hungaris ea tempeſtate parebat, ſui juris fecit (*u*).

Et in Auſtriam populationē infert.

Sed cum clade rejicitur.

Inde in Carenthanos movet, perindē, ut prius inauſpicato.

Sed adverſa hac fortuna nihil territus rex, rurſum copias Carinthiæ immittit (*x*), quæ ubi nihil inimicum reperiſſent, acta immenſa præda domum repetunt, In reditu a Bojoariis, qui ad primum hoſtis rumorem militem coegere, damnum aliquod cum ſpoliorum jactura faciunt. Meminit ejus procurſionis Thuroczius, ſed lapſus ſine dubio, cum Hungaros ad Petovium ab Godefrido Auſtriæ marchione cæſos ſcribit, quando id temporis Adalbertum Auſtriis præfuiſſe certum eſt (*y*).

1044.

Henricus rurſum Petri cauſa bellum Hungaris ohmovet.

Bello infeliciter geſto multorum in ſe iram, ſibi vero interitum conſcivit Samuel. Henricus enim cognita hominis perfidia, Petrique, & Adalberti conſilio, cujus ditiones nuperrime barbarum in morem pervagatus eſſet, perſuaſus, rurſum infeſtis copiis, etſi numero, quam prius, paucioribus in Hungariam properat, nemineque,

„ in Hungariam, & comitem belli ſecum „ accipit Adalbertum. Cum patre vadit & „ filius Liupoldus, Vaſtatur regnum, & „ Ovo maximam cladem accipit, ubi Adal„ berti, & Liupoldi fortitudo maxime eni„ tuit. Pannonii coguntur vel Petrum re„ cipere, vel alium e ſuis Ducem ſequi, „ quem rex Heinricus deputavit depoſito „ Ovone. Sed quia Ungari neque Petrum, „ neque novum ducem volebant, Ovo tan„ dem ſe valde humilians impetravit ab Hein„ rico, ut ſibi regnum permitteret. Addi„ derat ille precibus etiam dona, e quibus „ Adalbertus magnam ſalvificæ crucis parti„ culam accepit, quæ olim S. Stephano re„ gi donata fuit. Petrus cum Imperatore, „ & Marchione reverſus manſit in terra Au„ ſtrali „.

s) Hiſt. Boh. Lib. VIII. pag. 66. Idem error Bonfinii eſt Dec. II. Lib. II.

t) Apud Bohuslaum BALBINVM Epitom. rerum Bob. Lib. III. Cap. VIII.

u) Herm. CONTR. ad an. 1042. „ Ovo „ Ungariorum tyrannus ob ſuſceptum a no„ ſtro rege Petrum, diviſit bifariam exerci„ tum ſuum, fines Bojoariæ ex utraque parte „ Danubii deprædans, & incendens depopu„ latur. Sed una pars exercitus ejus a ſe„ ptentrionali parte Danubii ab Adalberto „ Marchione, & filio ejus Luitpoldo ad in„ ternecionem cæſa eſt. „ Aloldus ad an. 1043. „ Ovo fiduciam habens de gratia „ ſibi apud regem Heinricum firmata erga „ ſubditos ſuos inſoleſcit, & religionem „ quoque Chriſtianam tollere nititur. Petri „ quoque rivalis necem quærens inopinata „ Oſterricham hoſtiliter invadit. Sed Adal„ bertus Marchio, & Liupoldus filius con„ ſtanti animo ejus furorem excipiunt, & „ magna victoria deprimunt. Inde Adalbertus „ dictus victorioſus, & Luipoldus fortis miles. „

x) Lambertus SCHAFNABVRG, ad an. 1041. „ Uban (ita Ovonem vocat) qui Ungario„ rum regnum invaſerat, eruptionem in fines „ Bojoariorum, & Carentinorum fecit, mul„ tamque prædam abegit. Sed Bojoarii co„ adunatis viribus inſequuti prædam excuſ„ ferunt, multiſque occiſis reliquos in fugam „ coegerunt.

y) In Chron. cap. XXXVI.

mineque, qui ſe aditu prohiberet, reperto, recta ad Arabonem fluvium tendit, eoque haud difficulter trajecto in Samuelem, qui ingenti cum exercitu ad Jaurinum adventanti præſtolabatur, ducit. Obortum non multo poſt prælium eſt, in quo cum fortiter utrinque dimicatur, rege pro retinendo regno nihil non auſo, pene vi- ctoria potitus eſt, niſi turbo, quem divinitus coortum ſcribunt, in adverſam Hun- garorum aciem delatus, tum præfectorum perfidia, qui projectis ſignis, cum magna parte ad Henricum tranſierant, interveniſſet: tum vero inclinare acies, & in aper- tam fugam agi (z).

Profligato Aba.

Samuel ægre periculo ſubductus ad Tibiſcum fuga evaſit, ubi dum inſtauran- dis copiis operam navat, coeuntibus plerique nobilium, quorum neceſſarios prius per ſummam injuriam trucidari juſſiſſet, multis inflictis vulneribus obtruncatus eſt. (a) Ferunt corpus ejus, cum aliquot poſt annos exhumatum eſſet, ſanatis vulneri- bus incorruptum manſiſſe, ac in cœnobio quod vivens prope Sáar extruxerit, hone- ſto tumulo reconditum (b). Mihi id de homine, qui religionem Chriſtianam e re- gno tollere ſummo ſtudio conniſus, præterea tot innocentum cruore pollutus fuiſſet, prorſus incredibile eſt. Itaque rem Bonfinio, & Thuroczio ejus auctoribus tuendam permitto. Ceterum Gerardi vaticinium, quo tertio anno Samuelem cæſum iri præ- dicebat, eventu ipſo confirmatum eſt.

Et in fuga ab Hungaris cæſo.

PETRVS RESTITVTVS.

Henrico victoria quamquam non incruenta potito, Hungariæ primo- res veriti, ne Cæſar regno vaſtitatem porro inferret, Legatos ad victorem miſere, qui pacem deprecaturi Petrum regem repe- terent, ſeque, quoniam Ovonis ſcelere in tranſverſum acti eſſent, morem geſturos pollicerentur, modo a vi deinceps abſtineret. Facilem ſe illis præter exſpectationem Henricus præbuit, iter- que Albam Regiam adornans, cum iſthuc ventum eſſet, Petro in regnum reſtituto, regem Hungaris, & Hungaros regi reconciliavit (c).

Petrum non invitis Proceribus regno reſtituit.

1045. Compoſitis in hunc modum rebus Cæſar in Germaniam rediit: at altero anno, cum a Petro invitaretur, rurſum in Hungariam delatus ſummo apparatu ipſis Penteco- ſtes diebus a rege acceptus eſt, qui, cum res ſuas in Hungaria parum firmas eſſe vi- deret, ne rurſum de regno periclitaretur, id Henrici voluntati jure jurando obno- xium, & ex Bojoariorum legibus regendum obtulit, (d) ea conditione, ut ſe de- fun-

Qui propterea Hungariam Imperatori fiduciario

z) Contractvs ad an. 1044. „Ovo rex „ cum jusjurandum, pactumque infregiſſet, „ Henricus rex cum perpaucis copiis Pan- „ nonias petiit: quem Ovo, qui maximum „ paraverat exercitum, in tantum deſpexit, „ ut eum quaſi facile occidendum, ſeu ca- „ piendum, provinciam ingredi ſineret. Sed „ Henricus cum parte copiarum Rabam fl. „ feſtine - - tranſvadavit: pugnam cunctis „ militibus paſſim feſtinantibus iniit, & in „ prima coogregatione inoumerabilem Hun- „ garorum exercitum fugavit, atque pro- „ ſtravit, & pauciſſimis ſuorum amiſſis - - „ glorioſiſſimam victoriam adeptus eſt III. „ Nonas Julias„ - -

a) Bonfin. Dec. II. Lib. II.

b) Idem ibid. & Thvrocz. Chron. cap. XXXVII.

c) Bonfin. & Thvrocz. loc. cit.

d) Contractvs ad an. 1044. „ Omnes „ Hungari ad deditionem Henrico regi ca- „ tervatim coneurrerunt, ſubjectionem, ſer- „ vitiumque promittunt.„ Idem ad eund. an. Sed alio charactere: „Ungarios peten- „ tes lege Bojoarica dooavit„ - - Et ad an. 1045. „ Petrus rex Ungarorum Henrico re- „ ge ad ſe invitato regnum Pannoniarum „ tradidit, quod tameo ab eo, ipſe dum „ viveret, poſſidendum recepit.„ Sed cum Piſtorius, & Urſtiſius Chronici hujus edito- res teſtentur, vetus cum novo ad annum 375. congruere, in ceteris autem annis diſcre- pare, præterea Caniſius, qui locupletiorem editiooem fecit, fateatur, deſcriptores hu- jus Chronici pro ſuo captu jam quædam ad- jeciſſe, quædam contra reſecuiſſe, incertum prorſus eſt, quæ editio præ ceteris fidem me- reatur, cum una ex his ſolum habeat, Uo- garos petiiſſe, ut ad normam Bojoariorum regerentur, ex quo opinor non recte dedu- citur.

Jure obnoxiam facit, ut aliqui ſcribunt.

functo jus omne ad Cæſarem pertineret. In hanc fere ſententiam Chronographi Germani. Sed cum noſtri hæc ſilentio prætereant, & credibile non ſit, Hungariæ Proceres, niſi armorum vi adactos, in hæc pacta conſenſiſſe, præterea nemo Cæſarum, præter Henricum, quod ſciam, ſibi quidquam prærogativæ in Hungariam arrogarit, veriſimile eſt, aut nihil ex Petri ceſſione juris in Germanorum reges traductum fuiſſe, aut ſi quid iſthinc juris obortum fuit, magis ex Petri libidine, quam Hungarorum conſenſu obortum eſſe cenſendum eſt.

Ea re, & Petri ſævitia irritati Hungari.

De annuo tamen cenſu, quoniam hunc Andreas, ſi ſibi tuta, & pacata poſſeſſio permitteretur, ſe daturum pollicitus fuit, inter Petrum, & Henricum transactum eſſe facile adducor, ut credam. Ea res Optimatum, & plerorumque nobilium animos a rege vehementer alienavit. Accedebat, quod Petrus in priora vitia relapſus, (*e*) nihilo mitius cum ſuis egerit. Itaque vixdum annus evolutus eſt, ex quo Henricus Hungaria exceſſerat, cum averſari Petri tyrannidem pene omnes, & de alio ſibi capite circumſpicere. Commodum Andreas, & Leventa, quos vivo Stephano in Poloniam abiiſſe narravimus, inde in Ruſſiam Hungariæ finitimam, ex qua matrem illis fuiſſe Bonfinius perhibet, conceſſere, credo, ut ſi quæ ſpes ſe offerret in patriam revertendi, in propinquo ut eſſent. Id ubi ab Hungaris compertum eſt, inter quos Viſcam, Buam, & Buhnam præcipuos fuiſſe ferunt, concire ſenſim plures, in ſuam ſententiam flectere, & Andreæ, cui regnum ob ſanguinis cum Stephano conjunctionem jure debebatur, regiam poteſtatem conferri oportere ſuadebant. Facile conſentientes babebant, quod plerique regem, & ejus vitia odiſſent. Verum res ita clam agi non potuit, quin indicia ad Petrum perferrentur. Itaque homines comprehendi jubet, & acerbiſſimis quæſtionibus exerceri, quoſdam equuleis ſuſpenſos interfici, ceteros effoſſis oculis mulctari, nemine, qui ſuſpicionis crimen incurriſſet, impune prætermiſſo. Tum vero in apertas turbas omnia proruere.

Habito Chanadini conventu Andream ad capeſſendum regnum evocant.

Optimates inſalutato rege Chanadinum confluunt, & babito conventu, in id pene omnes conſpirant, ut Petro exauctorato regnum Andreæ Ladislai Calvi filio deferretur. Neque multis morati Legatos in Ruſſiam expediunt, qui Andreæ, quæ in Conventu conſpirantibus omnium voluntatibus geſta eſſent, diſerte nunciarent, orarentque, ne tempus occupandi regni pulcherrimum tergiverſatione corrumpat, ſe, ut primum Hungariæ fines ingreſſus fuerit, fidem jure jurando obſtricturos. Andreas ſive fidem verſatili hominum ingenio non haberet, ſive fraudem ſubeſſe ratus, clam omnibus, in Hungariam ſuorum quendam abire jubet, qui videret, ſatin tuto ſe illis poſſet permittere. Ubi hic tuta omnia nunciaſſet, continuo arrepto itinere ad novum caſtrum, quod Aba conſtruxerat, & ex ejus nomine gentili vocabulo Aba-uivár dictum eſt, promovit, incredibili omnium pene ordinum concurſu, qui velut poſtliminio ex exilio reducem ſumma congratulatione ſalutarunt (*f*). Neve ſpes ulla Petro ſupereſſet regni recuperandi, aut Andreæ mora obfutura videretur, continuo regem inaugurant, ut ejus rei diploma fidem facit (*g*).

AN-

citur, Cæſaribus quidquam juris in Hungariam fuiſſe, niſi ad ſummum protectionis, ut dicimus, quod ipſum tamen ex Andreæ rebus vehementer dubium fuiſſe liquet.

e) Aloldvs ad ano. 1045. „ Petrus apud „ Ungaros io priora vitia relabitur, & no- „ va apud ſubditos odia contrahit. „

f) Bonfin. Thvroczivs, & ceteri domeſtici ſcriptores paſſim. Conſentiunt Chronographi Germani, niſi quod circumſtantias ita ſingilatim non exponant.

g) Quo nimirum Radonis Palatini donatiooes Epiſcopatui Quinque-Eccleſienſi factas confirmat, cujus bæc clauſula eſt: *Datum II. nonas Junii Indictione X. Anno Incarnationis MLVI. regni noſtri anno XII.* Si annus MLVI. regni illius fuit XII., neceſſe eſt anno MXLV. jam coronatum fuiſſe, contra quam Timon, & plerique hactenus exiſtimabant.

ANDREAS I.

Ea occaſione perditiſſimum hominum genus, avitia ſacria adhuc in-
quinatum duce omnium conſceleratiſſimo Vatha in rem ſuam uſi,
adjectia quoque minis ab Andrea poſtulant, ut ſibi in Petri fauto-
res, tum Epiſcopos; ac Clerum impune graſſari liceret, regno
felicitatem conſtare non poſſe, quamdiu illorum potentia, & ho-
rum auctoritas valeret. Andreas ſive metu, ſive regnandi deſi-
derio, neque abnuere, neque probare impiiſſima hominum poſtulata auſus, quod
unum potuit,* connivebat, ulturus nefariorum audaciam, ubi id temporis ratio cum
ſpe fructus polliceretur. Itaque tanquam ruptis repagulis nefarii homines in omnem
licentiam effundi, templa convellere, profanare ſacra, graſſari in ſacerdotes & Epi-
ſcopos, atque iſtos potiſſimum ad necem deſignare, exquiſitisque cruciatibus ne-
care. Sed Vathæ barbaries inprimis notatu digna eſt; qui, cum omnium maxime
veterem ſuperſtitionem revocatam vellet, *caput ſcythico more raſit, cincinnos pagano
ritu tres dimiſit, quo nunc Turci more utuntur. Multo poſt tempore Janus ejus filius ex
inſtituto paterno ſibi magos, magaſque, ac aruſpices adhibuit, quorum carminibus magnam
principum gratiam ſibi venabatur. Præ ceteris incantatricem præveneratus eſt, quam Va-
raſolo* (b) *appellabant. Quæ a Chriſtiano deinde Bela in carcerem conjecta, tanta fame
confecta eſt, ut pedibus, lacertiſque comeſis ſe interemerit. Horum igitur opera populus fe-
re univerſus a vera fide defecit.* (i).

Hinc turbata republica vulgus in res ſacras graſſatur, & ad avitas ſuperſtitiones deſciſcit.

Atque in iſtorum manus Gerardum incidiſſe prodidit ſcriptor illius vitæ, tem-
poribus his plane ſuppar, dum Chanadino Albam regalem properaret, non item, ut
Bonfinius, ceterique putant, inde obviam Andreæ profectus eſſet. *Qui ubi ad flu-
men Danubii perrexit, ecce magna turba populorum circumfunditur, lapideſque in Patrem in
plauſtro ſedentem projiciunt, qui eum DEO protegente non tetigere. At contra pater bene-
dictionem, ac ſignum ſanctæ crucis opponebat; ac demum collis equorum retortis plauſtrum ſub-
vertunt, patremque humi projiciunt, ac magno impetu lapidare conantur.* (k) Qua re viſa
ſanctiſſimus vir fuſis ad DEum precibus, a proximo lancea perfoſſus, cruentam mor-
tem oppetiit. Domeſtici annales ad Budam in ripa fluminis interceptum ſcribunt,
ac primum ludibrio habitum, tum in montem, qui Peſtino adverſus, rupibusque
horrens Danubio imminet, adductum, & in præterlabentes undas præcipitem actum.
Lapidem quoque, cui illiſus erat, Athletæ cruorem tenaciſſime combibiſſe, adeo, ut
aqua Danubii ſeptem ipſos annos ablui non poſſet, (l) quoad ope ſacerdotum colle-
cto ſanguine lapis Chanadinum avectus decenti loco reponeretur. Hæc, tametſi
vitæ illius auctor non memoret, veritati tamen conſentanea eſſe, inde probabile eſt,
quod hodie etiam montem eum D. Gerardi nomine compellare loci illius incolæ ex
Majorum conſuetudine ſolent. Neque unius Gerardi morte ſatiari impia plebs potuit,
eadem die ingentem Chriſtianorum multitudinem, inter quos præcipue viri religioſi,
& duo Pontifices, quos Thuroczius eum Bonfinio Beztritum, forte rectius Bene-
tham Nitrienſem, & Buldum Agrienſem nuncupat, (m) religionis cauſa trucidatam
idem auctor perhibet (n). Dedam quoque Quinque-Eccleſienſem Epiſcopum fidei
cauſa interemtum conſtat (o).

Sævities in ſacros viros, & in primis adverſus Gerardũ Epiſcopum.

Petrus cum cædibus omnia permiſceri, ſeque adeo ante alios a facinoroſis 1046.
ad necem peti videret, Albam primum regiam cogitarat; ſed excluſus ab civibus,
cum bona Germanorum manu, quibus familiariter utebatur, magnis itineribus Moſo-
nium contendit, inde in Auſtriam eluctaturus. Hungari, credo ex ſeditioſorum nu-

Petrus fuga conlens evadere.

b) Thuroct. Chron. cap. XXXIX. vocat *Raſdi.*

i) Bonfin. Dec. II. Lib. II.

k) Auctor vitæ S. Gerardi ad diem XXIV. Sept.

l) Thuroct. Chron. cap. XL.

m) Ibid.

n) Auctor vitæ S. Gerardi. „ Eodem die
„ maxima ſtrages Chriſtianorum facta eſt:
„ nam duo Pontifices, multique viri religioſi
„ interempti ſunt, quorum numerum, &
„ nomina ſola DEI ſcientia collegit. „

o) Catalogus Abbatum monaſterii S. Martini in monte Pannoniæ apud Péterfy Tom. I. Concil. Hung. pag. 12.

1046.

Capitur, & oculis orbatur.

merò fuiſſe, fugam Petri ſubodorati omoes aditus, ne qua elaberetur, obſepiunt. Interclusum ſe rex videns locum prope villam Zamur muoitum occupat, & triduo hoſtium inſultus viriliter repellit: ad extremum, cæſis omnibus ſuorum, vivus capitur, oculiſque orbatus Albæ regiæ ſequenti anno præ dolore obüt (*p*). Quinque-Eccle-
1047. ſiis poſtea, ut creditur, tumulo illatus.

Andreas in Petri ſicarios animadvertit.

Aodreas Petro e vivis erepto, ante omnia curam illo convertit, ut regnum, quod Petri, & Samuelis diſſidio, ac crudelitate pene exinanitum, & domeſtico partium ſtudio diſtractum fuit, quieti ac priſtinæ dignitati reſtitueretur (*q*). Etſi autem id arduum ſactu videret, quod recens adhuc memoria eſſet obtenti ab aliis regni, multaque in principio nefariis hominibus diſſimulare opus fuerit, tamen animo conſtitutum habebat, ſenſim obſtacula perrumpendi, omniumque maxime religionem Chriſtianem, qua eliminata fruſtra ſe omnem operam locaturum vidit, ad priorem ſplendorem revocandi. Opportune mors Leventæ fratris interceſſerat, qui, quod ſcythicis moribus, & cerimoniis perdite deditus eſſet, multum conſiliis Andreæ incommodaturus videbatur. Hoc e vivis erepto poſitis armis quemvis rem ſuam privatim curare jubet, tum ſicarii, qui Petro indignis modis accepto oculos eruiſſent, ne impune in reges graſſandi vulgo deinceps daretur licentia, coodigna morte e medio ſublati. Ea re maxime popularium animi perculſi ſunt, qui intellecto, quam ſevere rex in criminoſos, tametſi eorum opera regni poſſeſſionem adierit, & ſioe diſcrimine animadvertiſſet, ferociam pedetentim & audaciam poſuere.

Et Henricum Imp. in Hungaros bellum apparantem legatione placare nititur.

Interea Henrico, Petrum regno privatum, orbatumque oculis interiſſe, & Andream rerum potiri, nunciatum eſt. Iodoluit fato homiois Imperator, collectoque exercitu vindictam parabat, ratus dignitatis ſuæ iotereſſe, ut, cujus cauſa, dum viveret, toties expeditionem in Hungariam ſuſceperat, illius mortem quoque ulciſceretur. Iter apparantem Godefridus, & Balduinus, qui novas res in Flandria moliri aſſerebantur, magno Hungariæ bono reflexerunt (*r*). Neque enim ſatis adhuc firmæ res Andreæ domi erant, ut hoſti, ſi bellum in Hungariam inferret, quiret reſiſtere. Cognito igitur Henrici animo, legatos ad eum mittit, qui, quibus optime poſſent modis, cooficiendæ paci ſtuderent, idque ante omoia Cæſari planum facerent, ſe haudquaquam per injuriam regnum invaſiſſe, quin ingratiis ſuis eo adactum, ut illius poſſeſſionem adiret. De ſeritate in Petrum exercita ſe nihil prius ſciſſe, quam patrata eſſet, idque bona fide ab ſe dici vel ex eo cooſtare, quod ſceleris auctores partim neci dediſſet, partim comprehenſos teneret, quos, ſi modo Cæſar vellet, ejus arbitrio traditurus eſſet. Ad hæc, ſe ab annuo cenſu non abhorrere, ſi pacatam ſibi regni poſſeſſionem Cæſar ſineret, nihilque innovatum vellet. Hæc Andreas per Legatos ſemel, atque iterum Imperatori nunciarat. Conditiones, quibus acerbiores oec victor præſcribere poterat, ouſpiam ab Henrico, niſi ſero poſt,

cum

p) Thvrocz. Chron. cap. XXXIX. & XLI. Aloidus ad an. 1046. „Fugientem (Petrum) „ in Oſterricbam deprehendunt, & oculis „ privant.„ Contractvs, addit conjugem Petri itidem carceri incluſam fuiſſe. Ego, quoniam alienos thoros tam impudenter invaſerat, & Juditbam Bohemiæ ducis viduam non potuiſſe illius conjugem eſſe demonſtravi, ſuſpicor Petro nullam uxorem fuiſſe. Noſtri autem ſcriptores, dum Petro ſororem Adalberti Auſtriaci conjugem tribuunt, errant, quoniam conſtat, Petri ſororem Adalberto collocatam eſſe.

q) Andream hoc anno coronatum cum noſtri, tum Germani Chronographi pene omnes conſentiunt. Aloldvs ad an. 1047. in hæc verba: „ Petro in carcere mortuo & „ Levenza etiam defuncto coronatur Andreas, & corde ſuo per gratiam DEI converſo ſaluberrima pro Chriſti religione edicta condidit. Sed Imperator Hainricus „ Petri injuriam vidicaturus, & etiam ſuam, „ quia regnum ad ſe redire debuerat, bellum „ parat, nec Andream audit, qui culpam „ in alios conferebat.„ Coronatum tamen prius fuiſſe, ſupra ex diplomate, quo certius argumentum dari non poteſt, demonſtravi.

r) Herm. Contractvs ad eundem an. „ Per idem tempus cum expeditionem (Henricus) in Pannonias ad Petrum ulciſcendum diſponeret, Gotefridus Dux cum „ Balduino de Flandris, & aliis nonnullis „ innovaſſe . . præterea Andreas, qui regnum Petri obtinuit, jam crebro legatos „ ſupplices miſerat, regnum ſe ab Hungaria „ coactum ſuſcepiſſe confirmans, de Petri „ ſeſe injuriis excuſans, quique adverſus „ eum conjuraverant, partim a ſe trucidatos, partim Imperatori tradendos denuncians, ſuamque Imperatori ſubjectionem, „ annuum cenſum & devotam ſervitutem, „ ſi regnum ſe habere permitteret, mandans, „ Quibus ex cauſis dilata expeditione . . .

cum Andreas jam renueret, acceptas lego. Quæ res ſatis momenti ad perſuadendum 1047.
habet, Hungaros nunquam ſervitutis jure Germanorum regibus obnoxios fuiſſe, præ-
ſertim quod Andreas haud multo poſt cenſum diſerte negaret ſe daturum, neque Hen-
ricus poſt initam utrinque nuptiarum ſponſionem, ut narrabimus, repeteret, aut quis-
quam Cæſarum deinceps fiduciarii juris meminiſſet. Credibile enim non eſt, Impe-
ratores, qui jura ſua feudataria in Exarchatu Italiæ armis ſæpe vindicatum ibant, tam
deſides in aſſerenda ſibi Hungaria futuros fuiſſe, ſi quidquam prærogativæ in eam ſe
habere crediſiſſent.

Sed id utcunque ſit: Andreas ut regnum adverſus externos hoſtes tutum præ- 1048.
ſtaret, domeſtica mala tollere, & factionum, præcipue autem religionis ſtudio in di- *Amoto*
verſa abreptos conciliare ſatagebat. Itaque inter leges alias ſapienter & pro tempo *tenus*
rum ratione conditas, graviſſime edixit: *Ut quicunque Ungarus ſeu peregrinus* *periculo*
in Ungaria depoſito ſcythico gentili, & ethnico ritu, ad veram JEſu Chriſti fidem il- *comitia*
lico non rediret, ac ſacram legem a Divo rege Stephano traditam non reciperet, capi- *celebrat,*
te, & bonis mulctaretur. Civitates, oppida, villæ, templa demolita, dirutaque refice- *legeſque*
rentur. Pontifices, & collegia ſacerdotum priſtino more obſervarentur, & illis parerent. *condit.*
Ritus omnes Chriſtiani revocarentur. Profanas, & ſcythicas ceremonias, falſoſque Deos
abrogarent, & ſimulacra demolirentur. Si quis DEO, ſanctisque ejus & ſacerdotibus ma-
lediceret, aut in eos mali quid patraret, DEI primum, tum vindictam ſuam incurſurum
ſe ſciret. Ad hæc, *quicunque ſacris addictum, aut etiam profanum hominem occidiſſet, pec-*
catum more veteri expiaret, omnes demum a cædibus, latrociniis, ac ceteris injuriis, &
vi abſtinerent. Qui vero conſtitutionem hanc contemneret, & ei animo reluctaretur, capi-
tis, & rerum omnium reus eſſet - -. (s) Abhinc ſplendor religioni ſenſim redditus,
valere Antiſtitum auctoritas, ſacerdotes officiia rite perfungi, monachi, quos ſediti-
oſorum furor in ſaltus, & ſolitudinem abegerat, cœnobia ſua ſine periculo repetere,
& DEum pro ſalute publica deprecari, quies denique regno reſtituta; ipſe autem
Andreas cognomentum *Chriſtianiſſimi ſceptriferi* adeptus (t).

Commodum res domi jam pacatæ erant, cum ſequente anno bellum inter 1049.
Hungaros, & Germanos recruduit. Henricus nihil legationibus Andreæ delinitus *Imperator*
certum habebat Petri mortem, & injurias armis ulciſci. Decreta expeditione, Eber- *rurſus*
hardum Ratisbonenſem Epiſcopum, Conradum ducem Bavariæ, & Adalbertum Au- *bellum in*
ſtriæ Marchionem cum copiarum parte præmittit, ipſe cum robore exercitus paullum *Hunga-*
poſt conſequutus. Illi Hamburgum in collimitio ſitum, nuperque, cum mutua utrin- *riam tra-*
que armorum concurſatio ferveret, dirutum, interea reparant, quo & coercere Hun- *duxit.*
garos, & bellum provinciæ, quoties & quando libuiſſet, inferre poſſent. Hungari *Occupatis*
contra, cum inde rebus ſuis permultum incommodari viderent, facto in operas im- *Hambur-*
petu molitionem impedire ſtudent, cum clade (u) tamen rejecti, bello, quod inſta- *go.*
re certum erat, ſummo ſtudio ſe parant. Nec multo poſt Henricus cum exercitu *Et Poſo-*
Poſonium defertur, urbemque obſidione circumdat, nullo tamen operæ precio, *nio, ob in-*
quod noſtri, prius hoſtis quam appropinquaſſet, quacunque iter Henricus facturus *opiam a-*
erat, herbam omnem & ſegetes exuri, tum armenta, ne Germania alimentum ſup *nonæ in*
peteret, in invios ſaltus abigi curarint. Itaque deſtituta anona & commeatu ho- *Germani-*
ſtis re infecta in Germaniam remeavit (x). Quamquam non nihil ad victoriam hanc *am redit.*
Andreæ votum contuliſſe veriſimile ſit, (y) quo ſe, ſi Henrico res e ſententia non
caderet, honoribus D. Virginis & S. Aniani Eccleſiam cum Abbatia ſtructurum pol-
licitus eſt. Hungari injuriarum memores ſero autumno in Auſtriam procurrunt, præ-

O daſ-

s) In corpore Juris Hungarici.

t) In litteris Fundationis Abbatiæ Tyho-
nienſis apud Péterfy Tom. I. Concil. Hung.
pag. 13.

u) Herm. Contract. ſed ad an. 1051.,
qui error videtur eſſe Interpolatoris, ita:
„ Gebehardus Ratisbonenſis Epiſcopus cum
„ Conrado duce Bojoariæ, & Adalberto
„ Marchione - - Heimenburgum reædifi-
„ cant, & magnam Ungarorum copiam ſa
„ invadentem proſternunt. „

x) Aloldus ad an. 1048. „ Hainricus
„ Imperator Brecesburgum obſidet comite
„ Adalberto Marchione. Sed paſcuis, &
„ frugibus deficientibus pro ſuo exercitu re-
„ verti cogitur. „ Ad annum vero 1049.
„ Imperator Adalbertum Marchionem de-
„ nuo arma in Hungariam expedire mandat,
„ & ipſe milites ſubmiſit, quibus tamen An-
„ dreas aditum caute præcluſit. „ - -

y) Peterfy Tom. I. Conc. Hung. p. 13.

1049. daſque immenſas abigunt; Hamburgo tamen, quod Germani armorum ſedem conſtituerant, potiri non poterant, manſitque abhinc illorum juri obnoxium.

Non eſt veriſimile Hungaros in Dalmatiam profectionem ſuſcepiſſe.

Sopito magis quam profligato bello Germanico, Andream in Dalmatiam arma intuliſſe, partemque ſibi ſubjugaſſe Dandulus perhibet (z). Sed veriſimile non eſt, Hungaris, qui Henrico non ſatis reſiſtendo erant, tantum ſive roboris, ſive otii fuiſſe, ut Dalmatas impeterent, cum ab hoſte extero premerentur, neque apparet, quem in modum in Dalmatiam movere potuerint, Croatia nondum ſubjugata, de bac vero in provinciam redacta temporum illorum ſcriptores nihil prorſus memoriæ prodiderunt.

Andreas Agmundam Ducis Ruthenorum filiam ſibi matrimonio jungit.

Hoc, aut priore anno ad propagandam ſobolem animum Andream adjeciſſe credibile eſt. Uxorem duxiſſe Agmundam Ruthenorum ducis filiam noſtri produnt, (a) tametſi in conſignando anno videantur mihi magnopere aberraſſe. Si enim, quod illi exiſtimant, poſt advocatum e Polonia Belam id factum ſit, hujus autem adventum iidem ad annum quinquageſimum primum ſupra milleſimum referant, non potuit anno hunc conſequente altero Salomon ex hoc matrimonio editus quinquennis eſſe, dum corona incingeretur, (b) quod tamen plerique ex noſtris tanquam rem
1050. extra dubium poſitam affirmant, etſi de hoc poſtea viſuri ſimus.

Belam fratrem ex Pomerania revocatum Ducem Hungariæ conſtituit.

Andreas pacato utcunque regno, fratrem Belam cum liberis e Polonia & Pomerania evocat, vt quem exilii ſocium habuiſſet, ſecundarum quoque rerum faceret participem. Suſceperat is ex conjuge Geiſam & Ladiſlaum, utrumque, ut poſtea dicetur, ad regni dignitatem evectum. Nihil poterat Belæ accidere gratius fratris voluntate, qui ſive Pomeranorum moribus conſveſcere non poſſet, ſive aula Polonorum illuſtrium exulum jam plena eſſet, confugerant enim iſthuc Izaslaus Kievienſium Princeps, tum Jaromirus Bretislai Bohemiæ ducis filius, ſalutato affine & conuaſatis rebus in Hungariam properabat. Acceptus eſt ſumma omnium, inprimis Andreæ gratulatione, qui fratrem poſtliminio reducem amanter complexus paullum poſt conventu habito dignitate quoque exornavit. Diviſo enim trifariam regno, tertiam partem in Belam tranſtulit ducis titulo cohoneſtatum. Abhinc ejus dignitatis prærogativa ad regum fratres, filios, & propinquos manabat. Sed quæ res primum ad conciliandam amicitiam reperta eſt, ea in exitu, ut locus erit memorandi, diſſenſionibus cauſam & locum præbuit (c).

Henricum Imp. legationibus exorant.

Conciliato fratre res pacis reſumere placuit, neque enim ſatis tutæ ab Henrico fuere, & Hungari latrociniis procurſionibusque Moraviam infeſtantes bellum iſthinc in Hungariam tracturi videbantur. Itaque rurſum legati ad Cæſarem expediuntur, qui oblatis muneribus iram illius lenirent, & pacem, ſi aliter fieri nequiret, promiſſo annuo etiam cenſu ſtabilirent (d). Quo exitu legatio confecta ſit, nuſpiam reperi,

z) In Chron. ad VII. annum Contareni.

a) Bonfinius Dec. II. Lib. II.

b) Timon in Chronol. Epitome. Libet hic tabellam genealogicam ſubnectere.

Andreas I. Agmunda

I. Salomon.

II. Adelhais Bonfinio Adleta. Vradislao Bohemiæ duci nupta. Fortaſſe rectius ſoror Andreæ.

III. Anonyma Henrici filio locata, ut habet Georg. Kieffer Quæſt. 32. de Domo Auſtriaca.

IV. David. Improlem deceſſiſſe notant Piſtorius, Thurocz, Reuſner, Albicus & Jordanus.

V. Georgius. Ex concubina in vico Morothenſi, ut vult Bonfin. Dec. II. Lib. II. ſublatus.

c) Thurocz. Chron. cap. XLII. „Rex autem „ Andreas . . miſit in Poloniam ad . . Belam . . „ vocans eum, & dicens: nos qui quondam „ penuriæ participes fuimus & laborum, ro„ gamus te dilectiſſime frater, ut ad nos non „ tardes venire, quatenus conſortes ſimus „ gaudiorum, & bonis regni corporali præ„ ſentia gaudentes communicemus. Ne„ que hæredem enim habeo, nec germanum „ præter te, tu ſis mihi hæres, tu in regnum „ ſuccedas.„ Ex quo conjecturam capio Belæ adventum ad hunc annum affigi debere, quoniam hoc anno, ut alias oſtendam ex Aloldo Andreæ Salomon nondum natus fuit. Accedit altera temporis nota ex eodem Thuroczio; paullum enim ſupra ait: „ Tribus enim annis Polonos, Bohemos, & „ Auſtrales Hungaris ſuis - - fecit cenſua„ les, „ quod etſi verum non ſit, ut ex narratis rebus liquet, ſatis tamen apparet, eum de primis tribus annis ab adito regno loqui, his autem advocatum e Polonia Belam ſubjungit, quod apprime in annum ML. quadrat.

d) Alold. ad an. 1049. - „ interim per „ lega-

An. Chr. 1050.

reperi, hoc unum ſcriptores germani perhibent, ob negatum deinde ab Andrea cen-
ſum Henrico cauſam ſuppeditatam fuiſſe, ut Hungariæ bellum obmoveret, tametſi
nec tabularum, quibus rerum ejuſmodi tractatio inter reges confirmari ſolent, neque
conditionum, in quas utrinque conventum ſit, meminerint.

Non vanum ex parte Moraviæ metum fuiſſe eventus docuit. Hungari enim
Moravis propinqui imprudente rege *crebris excurſibus, populationibusque vexabant Mo-
raviam, agreſtesque ex illa familias una cum pecoribus abducebant, late diffuſo terrore per
equites, quorum illis copia aderat, & Moravis inopia, ideoque ad Bretislaum confugerunt,
auxiliares equites petitum. Atque ipſemet auxiliator illis advenit. Et quoniam Andreas
tunc apud Hungaros fama inclyta regnabat, propterea, quod Hungaros relicta ſuperſtitione,
ad quam major pars illorum redierat, coegerit Chriſtianam religionem rurſus colere. An
igitur ipſius voluntate, & aſſenſu maleficia illa in Moravia fierent, per legatos explorari
placuit. Andrea renunciante, nec ſuam in hoc, neque publicam culpam eſſe, quod nonnulli,
qui ſe quotidianis latrociniis alunt, per Moraviam graſſentur: proin ſe non impedire, quo-
minus Bretislaus periculi ſuorum habeat rationem, puniatque latrones pro arbitrio ſuo. Ve-
legradi erat Bretislaus, cum prædatores Moraviam ingreſſi ſuo illam more prædari incipe-
rent haud procul Velegrado. Ibidemque ſtatim illorum turmis occurſum eſt, & inito prælio
equeſtri, atque CC. in illo Hungaris interfectis, reliqui fugam ad montes adornant. Mox
aucti illi numero infeſtiores redeunt, cæde, & incendiis obvia complentes. Ergo etiam præ-
lium acrius, quam nuper fuit, ut in quo MCC. hoſtium ceciderint, Boemorum, atque Mo-
ravorum non niſi centum deſiderati. Ita latrocinii externi factus finis* - -. (e)

Novi belli cum Moravis periculum, mox tamen extinctum.

Hæc ad Moraviam agebantur: in Germania totus pene annus inſequens con- 1051.
ſultationibus extractus, maximique ad petendam Hungariam apparatus fiebant. Bre-
tislaus Bohemiæ dux in armorum quoque ſocietatem adſcitus. Placuit bipartito exer
citu hoſtem invadere, ne qua parte, ut alias factum, effugio locus daretur. An-
dreas, quanta ſibi tempeſtas immineret non ignarus, nihil eorum prætermittere, quæ
ad repellendum hoſtem facere videbantur, quantum in iis rerum anguſtiia licuit, ſa-
tagebat, ſimulque ad Leonem Pontificem Max. Legatos mittit, oratum, ut auctori-
tate ſua interpoſita Henricum a vi abſtinere, pacemque inire juberet, alioquin bel-
lum nulli magis quam Eccleſiæ, cujus res ob nupernas ſeditiones in Hungaria nondum
reſpiraſſent, nociturum, itaque etiam atque etiam videret, ne, qui pater commu-
nis Chriſtianorum eſſet, ſuam Hungaris ea in re operam negare vellet.

Rex intellectis Germanorum molitionibus Papam per Legatos interpellat.

Ineunte autumno expeditioni factum initium, itaque ſerius, quam ut aliquid
præclarum in tam longinqua regione patrari poſſet. Eberhardus Rariſbonenſis Epiſ
copus cum Welfone, & Bretislao Bohemo ſeptentrionalem Danubii partem infeſtis
copiis petebant, commeatum ſecundo Danubio devehentes. Henricus cum ob aqua-
rum illuvionem ab recto itinere prohibitus eſſet, per Carentaniam, & Styriam exer-
citum Hungariæ infudit. Hungari rurſum omnem late viciniam vaſtam reddere, ut
partim armis partim fame hoſtis ad receptum cogeretur. Pauci equitum per manipu-
los diviſi ſtationes longinquiores occupabant, qui cum magis explorandi, quam ma-
nus conſerendi cauſa cominus hoſtem veniſſent, facile fuſi fugatique. Eodem impe-
tu Henricus totum exercitum per Arabonem traduxit, omnemque eum terrarum tra-
ctum, qui ad Jaurinum porrigitur, in ſolitudinem vertit. Hungarus tamen principio
nuſpiam ſe in conſpectum dare, magisque velle bellum arte trahere, quam viribus,
quando ex ſeptentrione non minus, atque hic periculum imminebat. Bretislaus
enim cum Welfone pene omnia ad Granum uſque populabantur, Eberhardo, ut non-
nullis placet, cum anonariis navibus ad Poſonium, aut prope Jaurinum urbem mo-
rante, ut utrisque commeatus in promtu eſſet. Andreas in tam difficili rerum ſtatu
ad artes converſus anonam aut corrumpere, aut in nihilum redigere nitebatur, ra-
tus ea re nullo negotio, & ſine ſuorum ſanguine hoſtem regno exigendum. Itaque
Zothmudum natandi peritia inſignem deligit, qui eam rem effectam daret: in intem-
peſta

Henricus bipartito exercitu Hungariam ingreſſus.

Trajecto Arabone populationem circumfert.

Andreas ad artes converſus

„ legatos iram Hainrici mitigavit, fidem „ cum tributo promittens. „ Chronica Auſtralis apud Freherum Tom. I. ſcript. Germ. ad eundem an. „ Andreas rex Ungarorum per „ Legatos Imperatori Heinrico ſubjectionem, „ & annuum cenſum jurejurando promiſit. „

e) Dubravius in Hiſtor. Bohemiæ.

…ionarias Germanorum naves Danubio mergit.

peſta nocte ad naves devectus, clam hoſte terebratas facile mergit (*f*). Reſpondit haud multo poſt conſilio eventus: Henricus, ubi penuria laborabat, neque anonæ quidquam ex hoſtico corrogari poſſet, & Andreas præterea cum copiis appropinquare nunciaretur, tempeſtive exercitum trans Arabonem, & inde in Auſtriam traducere coepit. Verum Hungari rem ita caſuram jam multo ante gnari, vada omnia intuta reddere, Germanum circumfundere, & munimentum ad Rabniczæ amnis pontem militari opere conſtruere, ut hoſtem, nam illac reditum tentaturus erat, ea ratione interclusum aut caperent, aut inedia conficerent. Imperator res in arcto videns, neque aliter, niſi inito prælio ſe ex hoſtium manibus elabi poſſe, præcipuum militiæ robur ex Burgundis, Saxonibus, ac Bohemis conflat, mandatque, ſi ubi transvadato amne manus conferere, & Hungarum munimento ejicere poſſent. Illi dicto audientes haud ſegniter amni ſe immergunt, &, quamquam ſummo cum periculo, multaque ſuorum cæde, hoſtem ex adverſa ripa fortiter obnitentem repellunt, factoque impetu præſidium capiunt, fugatis, aut cæſis omnibus, qui illud pertinacius tueri connixi fuiſſent. Ita ſuorum virtute Henrico facta via eſt, & ſuos incolumes ex inſidiarum loco eduxit. In hanc fere ſententiam Contractus, qui ejus ætatis res præclare geſtas poſterorum memoriæ mandabat (*g*).

Imperator penuria laborans.

Ægre ſuorum virtute ex periculo emergit.

Domeſticorum ſcriptorum de eo bello ſententia.

Noſtri contra non nihil largius, &, ut puto non proxime ad veritatem ejus belli rationes complectuntur. Bonfinius (*b*) narratis belli molitionibus, & Eberhardo Poſonium prætervecto, *Jaurinum*, ſcribit, *interea claſſis applicuit. Præfectus claſſis tabellarium ad Imperatorem continuo miſit, qui litteris ſe certiorem ab eo fieri poſtulabat, ubi nam cum claſſe exſpectaturus eſſet exercitum? Is ab Andreæ militibus, qui viatoribus inſidias forte tetenderant, intercipitur, ducitur ad regem, Belamque, & adhibito interprete Nicolao Jaurinenſi Epiſcopo, Andreæ omnia pateſiunt, qui aſtu pro tempore utitur, Ungaricæ Reipublicæ apprime ſalutari. Ad Gebardum Henrici nomine adulterinæ per hoſpitem litteræ mittuntur, quarum ſumma erat. Salve frater optime! Sæpe, quæ præter opinionem accidunt, ad mutandam ſententiam homines impellunt. Proinde ſcito, noſtrum ab aliis hoſtibus Imperium graviſſime infeſtari, nos autem, ut propria tueamur, ab Ungarica expeditione inviti revocamur. Quare claſſem dicto celerius ſolvito, & deleto, Ratisbonæ nobis confeſtim occurito, quando tibi in Ungaria tuto conſiſtere non licet. Præfectus temeraria fide percitus mandata peragit, ſoluta repente claſſe in Vindelicos ſe recipit. Imperator exſpectatione fruſtratus extrema cum milite fame abſumi cœpit, neque Præfecti ſuæ claſſis deſidiam ſatis poterat admirari. Accedebat magna ſagittariorum manus, quæ ex Bulgaris, Beſſisque confluxerat, hæc cum Hungaro pariter hoſtilia caſtra per noctem luſtrans, venenatis ſpiculis infeſtabat, quin & calones, lixas, & ſervos, injecto inter tentoria laqueo, captos plerumque habebat. Tanta, & tam cæca ſagittarum tempeſtate afficiebatur hoſtis, ut terram ſubfodere, ſub foſſaque injecto clipeo deliteſcere cogeretur. Sæpe vivus cæſi, & cæſus contra vivi foſſam præoccupavit.*

Cum

f) THVROCZIVS Chron. cap. XLIII.

g) Ad an. 1052. „Sequenti autumno magno cum exercitu Imperator pactum Andreæ regis, ut per legatos offerebatur, accipere contendens, Pannonias petit, Gebehardoque Ratisponenſi Epiſcopo, & Welff, Brezizlaoque ducibus ad ſeptentrionalem Danubii partem depopulandam transmiſſis, ipſe devecto a navibus, quantum in equis poterat, ſumtu, longo propter fluviorum illuvionem circuitu per Carentani fines tranſiens, perviumque regnum invadens, huc & illuc Hungarico exercitu latrocinantium more fugitante, & nuſquam æquo marte conferre manum audente, omnia circumquaque, quoad ſumtus militi ſuppetebant, vaſta reddit. Sed cum laboranti jam penuria, & fame exercitui, Hongari reditum pararent intercludere, oppoſitiſque per ripas fluminum præmunitas, vadoſaſque paludes copiis ſuis, omnes ſe vel ad deditionem cogere, vel inedia moliarentur extinguere, milites interriti hoſtes per fluvios obſiſtentes incunctanter tranſvadantes fugant, quamdamque munitionem firmiſſimam ad pontem Rabnicæ fluminis ſtructam, in qua maximam hoſtis fiduciam habebat, quidam ex Burgundionibus, Saxonibus & Polonis (malim Bohemis, quorum dux Bredislaus bello interfuit) milites, non ſine ſui periculo, flumine tranſito, in brevi expugnatum capiunt, cæſiſque, palatiſque Hungaris reliquo exercitui viam pandunt„ - - ALOLNVS ad an. eundem: „Ipſe Imperator exercitum per Oſterrichiam ducens cum Adalberto Marchione, & Erneſto filio ejus invadit Hungariam„ - -

b) Dec. II. Lib. II.

An. Chr. 1051.

Cum ſe, ac exercitum ad extrema non ſine divino Numine redactum Henricus intelligeret, neceſſitatis imperio mitius cum Ungaris ſibi agendum eſſe decrevit. Quare ad regem miſit oratorem, qui ſuo nomine tuto abeundi poteſtatem, & commeatus poſtularet, quod ſi conceſſerit hoſtis, ſe perpetuum cum Ungarico rege, ſucceſſoribusque foedus, & pacem initurum, neque re, neque verbo, neque quavis arte obſuturum. Item, ſi quis e poſteris Pannoniæ bellum indiceret, detrimentumque inferret, extemplo ſe Deorum, hominumque hoſtem Auguſtali decreto pronunciatum intelligeret. Quin ſe ultro Sophiam filiam, forma ſpectatiſſimam, quam paullo ante Philippo, Henrici Franciæ regis filio ſacra aſſeveratione ſpoponderat, reſciſſa affinitate conjugaturum, in arctiſſimum æternæ pacis vinculum, teſtimoniumque graviſſimum. Andreas igitur, & Bela exaudito honorificentiſſimo oratore, cum otium potius, quam bellum anhelarent, poſtulatam cum Imperatore pacem confecere, cujus jura, ne quo malo dolo læderentur, utriusque ſunt juramento munita. Mox ad explendam Alemannorum inediam, quinquaginta piſcium corpora inſanæ magnitudinis, quos Uſones appellant, (i) item multa lardi, pecorum, vini, & frumenti copia gratuito ad Imperatorem miſſa. Qua plerique fame confecti, ac immodica ſtatim edacitate diſtenti, interiere. Curatis deinde corporibus, univerſus exercitus relictis impedimentis præpropera feſtinatione in Noricos, & Vindelicos ſe recepit. Præterea locum caſtrorum, ubi extrema fame laboravit, Ungarus, & Alemannus uterque ſua lingua (k) clipeorum montem appellavit, viginti quinque millibus paſſuum a Buda remotum, qua iter eſt Viennam, longa ſilva obſitum. Hic haud ab re Germanorum annales erit admirari, qui Ungaros cum Andrea rege ab Henrico III. perdomitos, ac ſtipendiarios fuiſſe factos prodidere, quod procul a vero eſſe conſtat. Quonam modo deſponſatam filio regis Galliæ gnatam, reſciſſa præſtantiſſima affinitate, Andreæ filio ſpopondiſſet, niſi aliqua vehemens neceſſitate ad eas conditiones deſcendiſſet? Sed ut hanc perpetuam Germanorum, & Imperii Romani notam, divina magis, quam humana opera inuſtam obliterarent, ex induſtria ſubticuere, at contra fieri debet. Scriptor enim quiſque hiſtoriarum veritatis potius, quam alicujus patrocinii affectator eſſe debet, quin & omni amicitiæ, inimicitiæque carere oportet affectu, ut ſuam apud poſteros auctoritatem retinere poſſe videatur. Hæc Bonfinius.

Optandum erat magnopere, ut ipſe propoſiti ſui tenax a regula, quam Scriptores univerſe conſectari voluit, non aliorſum abiſſet. Ut enim de Hungaria, quam ſtipendiariam Germanorum Imperio factam, negat, facile illi aſſentior, quod Palatius locum hunc ex Bonfinio itidem pertractans nihil obmoverit, etſi jurium peritiſſimus eſſet, (l) ita ab ceteris, quia veritati conſentanea non ſunt, vehementer abhorreo, propterea, quod affectatam laudem magis putem ad vituperium pertinere, quam res, etſi infeliciter, & contra ſententiam geſtæ ſint, ſimplici rerum narratione complecti. Tum nec ſibi ſatis, nec cum ſynchronis auctoribus Bonfinii narratio cohæret. Nam quod de Eberardi litteris ab Andrea interceptis refert, etſi mihi vix perſuadeam tam rerum imperitum fuiſſe, ut eas homini ſolitario, & gentis linguæ ignaro, itaque periculis, aut inſidiis facile obnoxio committeret, tamen quod Henricus illo familiariter uteretur, manum Imperatoris non poterat non habere ſibi cognitam, itaque fraudem primo obtutu detegere. Neque illud veriſimile Henricum filiam Sophiam Philippo Henrici Franciæ regis filio prius deſpondiſſe, quando ex annalibus Francorum conſtat, regi cum Imperatore diſſenſionem fere intercesſiſſe, quod ille Germaniam Majoribus ſuis injuria ereptam quereretur. Cetera autem, quæ de firmata utrinque jure jurando pace dicuntur, ad ſequentem annum pertinere mox oſtendemus.

Sed magnopere inprobabilis.

1052.

Leo etenim Pontifex Max. anni ſuperioris legatione periculi, quod Eccleſiæ ex diuturno inter Hungaros & Germanos bello immineret, ab Andrea admonitus, facile ad conciliandam utrinque pacem ſe moveri paſſus eſt. Itaque ad Henrici exercitum, ſive ab anno priore iſthic morantem, ſive rurſus Hungariam ingreſſum profectus, foederis rationes ita utrinque diviſit, ut Henrico facile cum Andrea conveniret. Quamquam ſint, qui eum, quod minus obtemperantem Andream haberet, regi

Pax inter Hungaros & Germanos Pontificis opera conflatur.

P

i) Vix eſt credibile tantam piſcium copiam tam ſubito in promtu fuiſſe.

k) Rewaius Cent. II. ſcribit Hungaris dictum *Verteſt*, Germanis *Schildberg*. Thurozius autem Chron. Cap. XLIII. habet: *Vertesbegye.*

l) Annal. Franc. Tom. IV. pag. 70.

1052.

Contractus inter Sophiam & Salomonem nuptiis ſtabilita.

regi ſacris interdicere volentem ex caſtris exceſſiſſe re non perfecta ſcribant. (m) Verum id ab communi ceterorum ſenſu vehementer abhorret, neque cum rebus Andreæ ſatis apte cohærere videtur. Pax inter utrumque novo foedere firmata, cum Henricus Sophiam filiolam Salomoni Andreæ filio recens nato deſpondiſſet (n). Atque hanc ſponſionem exiſtimo jure jurando, quod noſtri de foedere inter Cæſarem & Andream icto perhibent, corroboratam eſſe, Imperatorem vero illius cauſa nihil deinceps inimicum in Hungariam tentaſſe.

1053.

Quæ tamen, ob Conradum Bavariæ Ducem in Hungaria receptum pene in ortu rumpenda erat.

Henricus, poſtquam opera Leonis cum Andrea conciliatus eſſet, in Germaniam rediit: parum tamen aberat, quin fœdus priore anno ſancitum Conradi Bojoariæ ducis opera paullum poſt rumperetur. Erant Conrado cum Eberhardo Ratisbonenſi Epiſcopo lites, crediderim limitum cauſa: quas cum Imperator ſive differret, ſive faventiorem ſe Eberhardo oſtenderet, Conradus novas res in Henricum moliturus, ad Andream in Hungariam conceſſit. A quo cum liberaliter acceptus eſſet, ex occaſione & re tempus captans ſuadebat, ne Hungari pacem, quam cum Imperatore iniiſſent, ratam haberent, quippe parum decoram, nec rebus ſuis utilem: poſſe præteritas injurias facile ulciſci, ſi modo tempore uti vellent: Henrico rebus componendis in Germania occupato, ac ob diſſenſiones, quæ Leoni cum Nortmannis intercederent, vehementer anxio nec virium ſatis, nec otii futurum, ut bellum armis propulſaret. Tuleritne aliquod operæ ſuæ precium Conradus in perſuadendo rege, aut contra incertum eſt: illud Contractus memorat, ducem Andreæ copiis adjutum in

1054. Carentanos promoſſe, & partem illius provinciæ ſub jugum miſiſſe (o).

Niſi is, incertum quo auctore, veneno ſublatus fuiſſet.

Ea irruptio ſpeciem Henrico præbere poterat, aut non bona fide pacem ab Andrea ſancitam, aut eum dedita opera illius reſcindendæ cauſas quærere, qui hoſtem ſuum auxiliariis adjutum iſſet. Neque ſatis exactum eſt, quem finem res ſortitura fuerit, niſi Conradus, incertum quo auctore, veneno ſublatus fuiſſet (p).

Angli exules ſuos ab Hungaris repetunt.

Adfuere non multo poſt, ſed aliam ob cauſam, ab Imperatore Legati. Eduardus Ethelredi filius, Angliæ rex Aldredum Wigornienſem Epiſcopum ad Cæſarem legarat, rogatum, ut fratruelem Eduardum, cujus videndi deſiderio magnopere tenebatur, quemque ab Stephano ſumma humanitate cum Edmundo fratre acceptum alias narravimus, ab Hungaris repetitum in Angliam tranſmitteret (q). Henricus nihil regi negandum ratus, Legatos in Hungariam expedit, qui pro vetere amicitia Andream rogarent, ne ea in re difficilem ſe præberet. Erat Eduardus abhinc, ex quo Giſelæ amitam ab Stephano in conjugium accepit, conſtans in Hungaria, neque turbis, quas ſive Petrus, ſive Samuel dederant, permoveri potuit, ut pacatam provinciam turbulento regno præponeret, credo, ut erat piiſſimus Princeps, & ad Stephani normam eductus, religionis cauſa, quam perditis illis temporibus affligi videbat, reſtitiſſe. Jamque tum, cum in Angliam repetebatur, quatuor ex Agatha liberos ſuſtulit, Edgerum, Edelingum, Chriſtinam, & Margaritam, Mal-

Dimittuntur a rege liberaliter ad-

colmo

m) Contractvs ad an. 1053. „Interim „ Domious Leo Papa ab Andrea accitus, „ cum pro pace compooenda interveniſſet, „ Imperatorem ab obſidioos (urbis Poſonii) „ avocavit, eumque ſibi per omnia conſentaneum inveniens, ſed e contra Andream „ conſiliis ſuis minus parentem experiens, „ offenſus, eique excommunicationam utpote deluſa ſede Apoſtolica minitans cum „ Imperatore diſceſſit.„ Melius Aloldus ad ao. 1052. „ Leo Papa IX. in exercitu „ præſens, & ab Andrea rogatus ſe interpoſuit, & pacem conciliavit. Unde Imperator Andream regem confirmavit, & „ ejus filio Salomni vix oato filiolam ſuam „ Zophiam ſpopondit.„

n) Herm. Contract. in Chron. „ Andreas Pannoniæ rex cum prius pacem - - „ cum Henrico rege confirmaſſet, etiam ſororem ejus minorem filio ſuo adhuc puero ſponſam obtinuit.„ Sed male ſororem ponit, cum filiam fuiſſe conſtet. Errat quoque in anuo, cum id factum ad an. 1059. conſignat. Itaque rectius Aloldus ſupra jam laudatus.

o) Harm. Contract. ad an. 1054. „Per „ idem tempos Conradus - - Dux ab Andrea rege Hungarorum gratanter ſuſceptus „ ai, oe alligatum cum Imperatore fœdus „ perficeret, diſuaſit, & auxilio ejus quandam Carentani partem - - invaſam cœpit.„

p) Marian. Scotvs ad an. 1054. „Conradus Dux ab Imperatore Henrico expulſus, in Pannonia exul veneno ſublatus „ eſt.„

q) Aelredvs apud Hagiographos in vita S. Margaritæ ad diem X. Junii, ad an. 1054. „ Aldredum Wigornienſem Epiſcopum cum „ magnis exeniis iviſſe ait ad Henricum Nigrum, ut legatis Uogariam miſſis, iode fratruelem ſuum Eduardum - reduceret, Angliamque venire faceret.

colmo Scotiæ regi poſtea collocatam, & ſanctitatis fama celebrem (*r*). Rex fortunam Eduardo gratulatus munerihus donatum haud invitus cum legatis dimiſit. Socium itineris junxit ſo Leſlæus illuſtris genere Hungarus, qui Margaritam deinde in Scotiam comitatus, Hungaricum ſanguinem, nobiliſſimæ familiæ conditor, Britanniæ intulit (*s*).

juncto ex optimatibus Leſlæo, illuſtris familiæ apud Britannos conditore.

Ubi ſe ex difficili, & permoleſto bello explicuiſſet Andreas, & regno quies parta eſſet, ad religionem ſtabiliendam curas convertit. Rediete pars maxima ab avitis ſuperſtitionibus ſeu ſeveriſſimis legibus adacta, ſive pœnarum metu territi, quos ut rex confirmaret, exemplo ſuo, votique religione ſe exſolveret, cœnobium cum Abbatia quinto abhinc anno in peninſula Tihon, quam lacus Balaton oppoſitu aquarum utrinque efficit, ſtrui coeptum, ac hoc anno ad finem adductum, ampliſſimis latifundiis donarat, viriſque ex ordine Divi Benedicti, quorum præcipuus in propaganda fide tum conatus & laus fuit, colendum dedit (*t*). Quæ res ſatis argumento eſt, ſtudium, quo plerique prius ad revocanda ſcythica ſacra tenebantur, magnam partem deferuiſſe, etſi exſtinctum minime eſſe res ſub Bela geſtæ declarabunt. 1055.

Abbatia Tihonienſis in peninſula lacus Balatonis conditur.

Henrico defuncto, & pro Adalberto, qui eodem anno rebus humanis exemtus eſt, (*u*) Erneſto rerum in Auſtria potiente reſpirabat hac parte non nihil ab armis Hungaria, verum ad orientem bellum in Croatiam Interamnenſem traductum eſt, quam ob cauſam, non reperio, feliciter tamen confectum ex diplomate anni ſequentis liquet (*x*). Præerat tum Croatis & Dalmatinis Creſimirus, qui ante Slaviſſonem regnabat, alias Petrus quoque hujus nominis XI. ſcriptorihus nuncupatus (*y*). Huic diſſidii aliquid cum Hungaris interceſſerit, quoniam Rado Palatii comes infeſtis armis Croatiam ingreſſus, quidquid illius provinciæ intra Dravum, Savumque eſt ultra Bacuntium, hodie Boſvetam, amnem, hrevi tempore recepit, & coronæ Hungariæ in perpetuum aſſeruit.

Sclavoniam interamnenſem uſque ad Bacuntium fl. Rado Palatinus armis recuperat.

Fuit ſuus etiam inter armorum ſtrepitum lætitiæ locus. Uratislaus Breteslai, de quo nohis ſemel atque iterum ſermo fuit, Bohemiæ ducis filius ultima patris voluntate Olomucenſis Princeps conſtitutus; ſed a fratre natu majore Spitihnæo hæreditate exutus, ad Andream exeunte anno priore confugerat (*z*). Acceptus eſt a rege, ſimili fortuna olim per exteras terras circumacto, humaniter, & quia egregiis dotibus ornatum, præterea viduum, & poſt fratrem in Bohemia non ita multo poſt, erat enim ſecundo genitus, regnaturum vidit, filiam illi ſuam Adelhaidam, nonnullis Adletam dictam, matrimonio conjungi haud gravate paſſus eſt, quam, cum duos ex illa liheros ſuſtuliſſet, ſexto poſt anno amiſit. *Laudatiſſimus Princeps, qui Bohemiæ coronam appoſuit, & inter tot Slavici nominis hoſtes, aut ſaltem invidos, majo-*

Adelhais Andreæ ſoror potius, quam filia Vratiſlao Bohemiæ Duci nubit.

r) Aelredus in vita S. Margaritæ loco cit. „Tandem paratis navibus - - Eduar„dum cum uxore ſua Agatha - - liberiſque „ejus, Edgaro, Edeling, Margarita, atque „Chriſtina - - ſicut rex petierat, in An„gliam mittit. „

s) Timon in Epit. Chronol. ad an. 1067.

t) Peterffy Tom. I. Concil. Hungar. pag. 13.

u) Herman. Contract. & Aloldus ad hunc annum.

x) Peterfy Tom. I. Concil. Hung. p. 13. citat litteras Radonis Palatini, quibus cœnobium S. Demetrii Mauro Quinque Eccleſienſi Epiſcopo ſubjecit, ubi in hæc verba: *Mona„ſterium denique ſuum S. Demetrii ſuper Savam „fluvium, quod multis bellicis laboribus cum tota „provincia illa ſanctæ coronæ reſtificavit, & ite„rum reacquiſivit, temporale dominium, quod „Rado in illo habet, - - dedit etiam S. Petro „Quinque-Eccleſienſi, & Patri ſuo Epiſcopo „Mauro „* - - ſubſcriptus eſt annus 1057. Ex quibus conjicio, primum: ſolum Monaſterium, non item templum D. Demetrii ſuper Savum exſtructum eſſe, quoniam poſtremum probabiliter a Leontio Illyrici olim Præfecto conditum eſt, ad pagum Mitrovicz ſeu Demetrovicz, quaſi dicas S. Demetrii. Deinde Radonem hoc anno partem illam Savienſis Croatiæ in Hungaricum jus redegiſſe, quia anno 1055. Palatinus Comes Zache legitur ſubſcriptus in litteris fundationis Abbatiæ Tychonienſis, itaque magiſtratum hunc Rado aut hoc anno exeunte, aut ſequente adiit, cum autem Palatinorum olim fuerit, exercitui præfici, & bella gerere, habeatur autem diſerte in citatis mox litteris, quod anno 1057. cœnobium iſthic exſtructum Epiſcopo Quinque-Eccleſienſi dederit, conſequens eſt, Croatiam Saviam anno 1056. a Radone ſubjugatam fuiſſe, ſaltem ultra Bacuntiom amnem.

y) Du Fresne de famil. Dalm. & Croat. cap. VI.

z) Bohuslaus Balbinus S. J. Miſcellan. Bohem. cap. XXII.

rum, & latiorum regionum dominos, Bohemiam anguſtam ſatis regionem, virtute, & factis regia dignitate primus ornavit (*a*). Adelhaidem, quam ſcriptores paſſim Andreæ filiam tribuunt, opinor rectius ſororem dici oportuiſſe. Si enim, quod noſtri pene omnes recipiunt, Salomon primus omnium ex Agmunda in lucem editus fuit, editum autem hunc fuiſſe anno abhinc quinto ex Aloldo temporis illius Chronographo certum ſit, non apparet profecto, qui Adelhaidem, hoc anno nondum quinquennem collocare Uratislao Andreas potuerit, neque, cum ſexto poſtea anno e vivis exceſſerit, quem in modum Uratialaus duos ex ea liberos ſuſtulerit, intelligi ſatis poteſt, niſi forte ex primo connubio natam Adelhaidem dicamus, cujus tamen ne-
1056. que exteri, neque domeſtici memoriam faciunt.

Palatinus Fundos Epiſcopatus Quinque-Eccleſienſis liberaliter auget.

Rado Palatinus victoriæ, quam ex Croatia obtinuerat, fructum ampliſſimum tulit, cum partem ſubjugatæ terræ ab Andrea donum accepiſſet. Sed is perinde pius, quam fortis exſtructo ad amnem Bacuntium D. Demetrii cænobio, *ex licentia piiſſimi regis Andreæ*, ut in litteris hac de re datis ait, *ejusque fratris Adalberti invictiſſimi Ducis, partem poſſeſſionis ſuæ S. Petro Quinque-Eccleſienſi ordinavit - -.* (*b*) Ex quo loco conjecturam nonnulli coepere, Andreæ præter Leventam, & Belam plures fratres fuiſſe, ſed ſcriptorum negligentia ſine dubio prætermiſſos. Mihi contra non vana ſuſpicio oboritur, Adalbertum, cujus a Radone mentio fit, eundem prorſus cum Bela eſſe, idque nominis ex gentili more, Adalberti contra ex Chriſtianorum ritu geſſiſſe, (*c*) in eum fere modum, quo Abam, alio nomine Samuelem dictum eſſe ſupra docuimus. Alioquin, cum invictiſſimum ducem Rado diſerte nuncupet, Belam autem poſtea, quam ex Polonia rediiſſet, hac prærogativa ornatum ab Andrea eſſe annales domeſtici perhibeant, non abhorret a vero, Adalbertum eundem cum Bela fuiſſe.

Donatione in publicis comitiis per regem confirmata.

Ceterum donationes Quinque-Eccleſienſi Epiſcopatui a Radone Palatino factas rex hoc anno in publicis regni Comitiis Albæ regiæ celebratis ratas auctoritate ſua habuit, (*d*) ornavitque privilegiis, quibus inter cetera cautum eſt, ne Comes Palatinis viceſimam, Comes autem Parochianus centeſimam partem ex illius Eccleſiæ decimis uſurpare ſibi auſint. Ex quo non obſcure conjicitur, quæ fuerit olim ra-
1058. tio redditum, quos Proreges, & ſupremi comitatuum Præfecti obtinuere (*e*).

Diſſenſionum inter Andream & Belam fratres initia.

Hactenus Andreæ a profligato bello Germanico felici eſſe licuit, ſatisque illi cum Bela pacate convenerat, cum repente odii ſemen inter utrumque jactum eſt, quod in acerrimum poſtea bellum deſiit, & regi mortem conſcivit. Rem ita eveniſſe narrant. Andreas cum ex morbo confectus in paralyſim incidiſſet, regnumque filio tutum a morte præſtare vellet, indicto regni conventu Salomonem nondum ſeptennem corona incingi a proceribus poſtulavit, & obtinuit (*f*). Dum ritus ex more in templo fiunt, & coronato Salomone verba illa ex ſacris litteris promuntur, *eſto dominus fratrum tuorum*, idque per interpretem Belæ ſignificatum eſſet, ferunt impatienter prorſus tuliſſe, ſibi, qui vitam tot ærumnis exercitam, ſæpe regni & fratris cauſa periculo expoſuiſſet, puerum, qui nulla futuræ virtutis indicia hactenus dederit, prælatum eſſe, atque hinc ſumſiſſe animum, non modo Salomonem, ſed Andream quoque regno exturbandi (*g*). Quamquam ea in ro ne ipſi quidem annales domeſtici ſibi rite conſentiunt: alii enim, &, ut puto, veriſimilius,

ex

a) Idem ibidem.

b) PETERFY Tom. I. Concil. Hung. p. 13.

c) Eruit id jam antea Doct. P. Ladislaus TVROCZI e S. J. in ſua Ungaria, ubi ex fragmento fundationis Abbatiæ Sexardienſis ad an. 1061. oſtendit Belam dici Adalbertum. Mihi id fragmentum videre non licuit, in quo ſi Rex ſe ipſum fateatur Adalbertum dici, res extra omnem controverſiam eſt.

d) In diplomate ſuper his donationibus confecto, cujus initium: *Ego autem Andreas rex, & frater meus dux Adalbertus dilectus - - prædictas ordinationes omnes ſuſcipimus, & fieri permiſimus, ſicut ipſe Palatinus ordinavit, & ſigillo regali ſigillavimus - - Datum II. Nonas Junii Indictione X. Anno Incarnationis MLVI. regni noſtri anno XII. Actum in Alba regia in Congregatione regni.*

e) Eruitur id ex confirmatione privilegiorum huic Epiſcopatui a Bela III. ubi inter cetera: *Item nec Comes Palatinus viceſimam, nec Comes Parochialis centeſimam in decimis Eccleſiarum omnium habere debeat. - -*

f) ALOLDVS ad an. 1058. „Andreas rex „Ungariæ coronari fecit filium Salomonem, „qui erat annorum ſeptem. Sed huic re„gnum eripere mox meditatus eſt Bela An„dreæ regis frater.

g) THVROCZ. Chron. Cap. XLIV.

ex malevolorum, qui pro ſtudio partium raro ab aula abeſſe ſolent, conſilio utrumque 1058.
fratrem commiſſum fuiſſe ſcribunt. Nam cum non pauci ex optimatibus eſſent, qui *Malevolo-*
utriuſque animum, ac benevolentiam ex uſu ſuo captarent, quidam Salomonis ætati *rum ſu-*
metuentes, clanculum regi perſuaſere, filium ab ejus exceſſu haud ſatis tuto regna *ſurratio-*
turum, quam diu Bela viveret, qui, ſi non ſibi regnum vi rapturus ſit, certe filio- *nibus au-*
rum cauſa, quos jam grandiuſculos, & regiminis capaces habeat, omnia tentaturus *gentur.*
videretur: alii contra, quibus Andreas ob infirmam valetudinem, & ſenium pene
jam deſpicabilis erat, Belæ iisdem ſuſpicionibus animum complere, neque vereri
dicere, regem, quod filio ſuo male metueret, de ſe e medio tollendo conſilium cœ-
piſſe. Abhinc alter alterum curioſius obſervare, metuere omnia, in primis Andreas,
qui rem ita, ut dicebatur, habere ratus, tam ſui, quam Salomonis cauſa ſolicitus
erat. In tam ancipiti rerum ſtatu, cum, quid ſibi faciendum eſſet, non ſatis exa-
ctum haberet, duos, quos fidiſſimos ſibi alias expertus eſt, in conſilium vocat. Pla-
cuit Belam prius, quam durius quidquam in eum ſtatueret, quo animo in Salomo-
nem eſſet, periclitari: neque factu id difficile eſſe, modo rex coronam, & gladium,
qui Ducis prærogativam præferret, in Belæ arbitrio conſtituat: ſi prius eligeret, cer-
tum indicium eſſe, tyrannidem affectare, ſin gladium, nihil filio metuendum a pa-
truo eſſe. Id iſtorum conſilium fuit, quod dum Nicolaus præconum Comes audiſ-
ſet, accitum interea Belam, & ad Regem adire volentem paucis commonefecit, ſi *Sopitis*
vitam vellet ſervatam, gladium eligeret. Ingreſſum rex paucis affatur, ſe filium in *poſtea di-*
tenera ætate præter morem coronari juſſiſſe, idque non tam regnandi cupidine, *ſcordiis*
quam ut ne regnum turbulentis hominum ingeniis proſtitueretur, ab ſe factum: nunc *continuan-*
ſui ſe pene conſilii pœnitere, itaque in illius arbitrio futurum, utrum coronam, an *tur.*
gladium malit, ſibi, quidvis elegerit, probatum iri, modo, quod filio ſuo relictu-
rus eſſet, id bona deinceps fide integrum illi ſineret. Bela illius, quod ex Nicolao
intellexit, memor, & fraudem fraude eludens, compoſito ad æquanimitatem vul-
tu, gladium manu prehendit, &, ſine, inquit, dignitatis, qua me prius ornaveras,
indicium bona tua cum venia ut retineam, coronam filio ſerva, & jure, & procerum
ſuffragio propriam. Exhilaratus mirum in modum reſponſo rex, fratremque in amo-
ris teſſeram amplexu ſtringens ab ſe dimiſit (*b*).

Verum Bela, quanto in periculo verſaretur, intelligens, neve improborum 1059.
ſtudiis majori implicaretur, cavens, admonitis clam liberis & conjuge, cum primum *Bela ta-*
data occaſio eſt, in Poloniam non ad ſocerum, ut Thuroczius perperam ſcribit, *men haud*
quippe jam dudum ante defunctum, ſed Boleslaum Caſimiri, qui ex Miecislao na- *ſatis fra-*
tus eſt, filium ſeceſſit. Urebat hominem ſuſpicax fratris ingenium, & malevolorum *tri fidens,*
aſſentatione ad quidvis proclive: hinc ultionis ſumendæ nata cupiditas, regno per ſe *cum con-*
ſe inhiantem ad extrema conſilia adduxit. Addebant ex optimatibus quidam animos, *juge, &*
qui puerile Salomonis imperium aſpernati, Belam præ illo malebant, ſeque, ſi co- *liberis in*
pias ex Polonia adduceret, ad capeſſendum regnum auxilio futuros ſpopondere. Bo- *Poloniam*
leslaus, qui anno priore magnam ſibi ex victis Ruſſis gloriam comparaverat, Belæ, *fugit.*
& uxoris ejus, amitæ ſuæ precibus commotus, opem ſuam propinquis liberaliter ad-
dixit. Confluxerat in dies major Hungarorum in Poloniam multitudo, Belæ partes
aperte contra Andream ſectantium, miſſi quoque a proceribus clanculum legati, qui *Inde bel-*
ad capeſſendum regnum eidem auctores eſſent, facile id conſequuturum, quod An- *lum in*
dreas deſes, & morbo implicitus curam rei publicæ hominibus ocioſis, & rerum igna- *fratrem*
ris tradidiſſet. His perſuaſus Boleslaus, neque tam luculentam comparandæ gloriæ *moturus.*
occaſionem prætermittendam ratus, conſilia curaſque futuro bello ſolers intendit.

Non poterat res tam tacite geri, ut illius indicium ad Andream non perfer- 1060.
retur. Itaque haud ignarus, quid hoſtes molirentur, quantumque ſibi, ac filio di- *Andreas*
ſcrimen immineret, pari ſtudio illorum conatus infringere ſtatuit. Sed quod neque *viciſſim*
ſatis ſuis fidendum arbitraretur, neque copiæ ad vim propulſandam in promtu eſſent, *auxilia a*
aliunde ſuppetiæ petendæ erant. Ad Henricum, qui patri nuper defuncto nondum *Germanis*
pueritiam egreſſus ſucceſſerat, nuncios mittit, qui quanto in periculo verſetur, de- *impetrat*
clarent, orarent, ne ſe in his rerum anguſtiis opis egentem deſtituat, commune utriuſ- *ad vim*
que periculum eſſe, cui niſi mature caveretur, regnum non tam filio ſuo, quam So- *repellen-*
dam.

(*b*) Thurocz. Chron. cap. XLIV.

Salomone filio & Conjuge cum theſauris in Auſtriam ſubductis, hoſti obviam pergit.

phiæ ſorori ejus ſumma injuria ereptum iri. Imperii Optimates, qui Henrici pro patre curam geſſere, cognito Andreæ diſcrimine auxiliarios pollicentur, ac Wilhelmum Turingorum Marchionem, tum Epponem, quem Thuroczius errore lapſus, Poth appellat, (*i*) Citicenſem Epiſcopum cum copiis profectionem primo quoque tempore in Hungariam adornare jubent: Bohemorum præterea ducem eidem fœderi innectunt: his additus Bojoariorum exercitus, quo reliquis conjuncto videbatur plerisque, hoſti non modo reſiſti poſſe, ſed regnum quoque ab omni injuria defendi. Andreas de ſuppetiis certior factus, metuentior tamen, quam par erat, filio, Salomonem & uxorem cum opulentiſſimo theſauro ad Erneſtum Auſtriæ Marchionem Mellicium mittit, ut ab omni periculi ſuſpicione quam longiſſime eſſet (*k*).

Et ad Tibiſcum cum fratre confligit.

Nec ſegnius interea res in Polonia agebatur. Boleslaus tribus agminibus Belam ſecum ducens Hungariam ingreſſus, & amicitia, & Belæ adhortationibus magnam Hungarorum copiam in ipſo regni aditu ſibi adjungens, quartum ex iis agmen conflavit, & recta ad Tibiſcum duxit. Andreas non exſpectato Bohemo cum auxiliariis Turingorum, & Bojoariorum, ad eundem fluvium contendit. Inito haud multo poſt prælio ambigua primum fortuna dimicatur, tum clades magna Polonorum a Germanis edita, quoad Hungarorum pars, in ipſo pugnæ fervore ad Belam ſeceſſionem feciſſet, tum Germani numero inferiores, & inopinata perfidia conſternati, impetum Hungarorum pariter & Polonorum non diutius ſuſtinuere, magna pars capti, cæſi plerique, pauci fuga evaſere. Juvat prælii exitum Lamberti Schafnaburgenſis, exteri ſcriptoris, & temporis illius, verbis referre. *Marchio*, ſcribit, *& Epiſcopus priores Ungariam ingreſſi, non exſpectato Duce Bohemorum, cum Bele ſigna contulerint, atque infinitam multitudinem Ungarorum peremerunt. Deinde cum ex omni parte Ungari ad ferendum ſuis auxilium frequentes confluxiſſent, videntes miſſi Regis tantæ multitudini ſe numero, & viribus impares eſſe, finibus hoſtium excedere volebant. Verum illi loca omnia, per quæ exitus eſſe poterat, occluſerant, tum ne quid cibi, aut potus in via reperiretur, providerant. Cumque inſuper abeuntes crebra incurſione infeſtarent, & illi ſemper periculum virtute propulſantes, magnas hoſtium ſtrages darent, tandem diuturna cæde exhauſtis viribus Andreas equo ſortaſſe excuſſus, pugnantium pedibus eſt conculcatus, Epiſcopus captus, Marchio fame magis, quam ferro expugnatus ſe dedidit. Cujus virtus tantæ admirationi apud barbaros fuit, ut Joas filius Belis, pro illius tum gentis moribus haud deſperatæ indolis adoleſcens ultro patrem exoraret, non modo ut eum jure belli intactum ſineret, ſed etiam ut affinitate ſibi jungeret deſponſata ei filia ſua, ſorore Jojada* (*l*). Hæc Schafnaburgenſis triennio prius, quam hæc geſta eſſent, in ſacerdotum numerum cooptatus. Ex quo diſerte habemus bello finem per nuptias impoſitum, quibus Bela filiam ſuam Jojadam Wilhelmo Turingo ob virtutis militaris laudem matrimonio copularit, quæ res noſtris omnibus ſilentio præterita fuit. Joas ſine dubio Geiſa eſt Belæ filius: at illud, quod de conculcato Andrea refertur, magis ex rumore, quam veritate ſcriptum puto. Qui etſi in tumultu fugæ, ut fit, equo excuti potuerit, tamen a plerisque noſtrorum fuga verſus Moſonium evaſiſſe ſcribitur, ex qua retractus, ac in villa, quam in ſilva Bakonienſi habuerat, cuſtoditus paulum poſt obiit, in cœnobio D. Aniani, quod vivens condiderat, ſepultus (*m*).

Suorum tamen perfidia deſtitutus in fugam conjectus.

Haud multo poſt ex vulnere obit, & in Tibon conditur.

LIBER

i) Chron. Cap. XLIV.

k) Lambert. SCHAFNAB. ad. an. 1061. „ Andreas rex Ungariorum videns Belam „ quemdam propinquum ſuum regnum affe„ ctare, & Ungarios paulatim a ſe ad eum „ deficere, uxorem ſuam, & filium Salomo„ nem - - cum multis opibus ad regem Hen„ ricum transmiſit, petens, ut & ſibi miſſo „ exercitu ſubveniret, & ſuos, donec re„ bus tranquillitas redderetur, ſervaret. „ Rex Wilhelmum Marchionem Thuringo„ rum & Epponem Citicenſem Epiſcopum „ cum Duce Bohamorum, & exercitu Bo„ joariorum illuc miſit. „ ALOLDVS ad an. 1060. „Bela- - regnum contra - - Salomo„ nem occupavit. Hic vero a patre ſub „ ſavore Heinrici pueri Romanorum ad ca„ ſtrum Medlik in terram auſtralem trans„ miſſus eſt cum corona, & theſauro regio „ tutus apud Ernnſtum Marchionem.„ Similia Bertholdus presbyter Conſtantienſis continuator Hermanni Contracti, ſed de corona tacet, neque veriſimile eſt ablatam, quod Belam aut hoc anno aut ſequente coronatum fuiſſe conſtet.

l) Lambertus SCHAFNAB. ad an. 1061.

m) THVROCZ. Chron. cap. XLIV.

LIBER II.

ADALBERTVS, SEV BELA I.

Bela ejus nominis primus, cognomento, ut noſtri volunt, Be-
nyn (*n*), vero autem nomine, ut ſupra veriſimiliter conje- *Bela ab*
cimus, Adalbertus dictus, a prælio feliciter confecto ſine *inauguratione ſua.*
mora Albam regiam profectus eſt, ut pro gentis more co-
rona redimitus regnum ſibi conſtabiliret. Honoris cauſa Bo-
leslaua cum victore exercitu comitem ſe junxit, fortaſſe
rectius, ne quid ob novitatem turbarum oboriretur. Rite
coronato Bela exquiſitis muneribus, & laude ornatus domum
revertit (*o*). Rex ab adito ſolio, quod exhauſtum pene ſu-
periorum annorum turbis regnum videret, vectigalia attenuari, & exactiones præter *Antiquatis vectigalibus.*
conſvetudinem exigi ſolitas antiquari juſſit, ſapienter exiſtimans, nuſquam reges pe.
nuria laboraturos, ſi opulenti ſubditi eſſent. Præcipue rem monetariam, quæ ſive
præfectorum inſcitia, ſive etiam oſcitantia peſſum ibat, inſtaurandam ſibi ſumſit, By-
zantioſque, certum id aureorum numûm genus fuit, valere inter ſuos voluit. Quam-
quam ſint, qui Belam primum omnium pecuniam, ex argento puro conflatam, *Inſtaurata re monmaria.*
regno invexiſſe putent, (*p*) ſed hi nummos ejusdem metalli, & Stephani, primi
omnium Hungariæ regis, nomine inſignitos exſtare procul dubio ignorarint (*q*). Ad
hæc rerum ſive emendarum, ſeu vendendarum precia, quæ exaugere nefas eſſet,
conſtituit, ne quis aut malo dolo, aut foenerationi locus daretur. Præcipuum ta- *Conciliatiſque refractariorum animis remp. ſapienter ordinat.*
men ſtudium in eo locatum eſt, ut ſuorum ſibi animos conciliaret, amari, quam
timeri præcupiens. Eam ob rem Proceres, qui Salomonem ante fraternum bellum
in Auſtriam ad Erneſtum Marchionem ſequuti ſunt, eodem pene, quo ſuorum fidiſ-
ſimos, numero habere, neque fundos eorum addicere fiſci rationibus, ſed ab omni
injuria & exauctoratione indemnes ſervare, quæ humanitatis ſignificatio permultos
in Hungariam, & veterem fidem revocavit (*r*).

Neque tamen optimi regis conatu pleba ſive in officio, ſive teligionis obſer- 1061.
vantia ſatis contineri poterat, quin in apertam ſeditionem erumperet; quam niſi exag- *Indicto Albam conventu plebs avita ſacra repetens tumultum ciet.*
gerata, ut opus erat, ſeveritate in ipſo principio compreſſiſſet, longe majoribus, quam
antehac, ærumnis regnum objectum fuiſſet. Indixerat Albam Comitia, regni opi-
nor cauſa tractaturus Bela, quibus ex ſingulis vicis duos, qui ætate, & conſilio præ-
ſtarent, inteteſſe voluit. Illi dicto audientes haud multis morantur, & ingentem
præterea ex promiſcua plebe colluviem concivere, ut novitatum cupidam, ita vete-
rum ſuperſtitionum perdite amantem. Vix comitiis initium datum, cum circumſtre-
pere primum, poſtea inconditis clamoribus priſca Scytharum ſacra repetere, epiſco-
pos cædi oportere, templa funditus convelli petebant, hac una re priſtinam Hunga-
riæ felicitatem reſtitui poſſe. Bela & turbulento facinoroſorum ingenio, & frequen-
tia non nihil conſternatus, placide homines alloquutus intra triduum, ſi, quid ea in
re Proceribus videretur, in medium conſuluetint, ſe reſponſurum promiſit. Interea,
certus religionem Chriſtianam, quo optime poſſet modo, tueti, habita cum optimati-
bus conſultatione, milites clam concitos adornat, mandatque, ut ſigno dato, quod
juſſurus erat, promte exequerentur. Primipili ſub hæc plebem in propoſito confir- *Cæſis primipilis, punitiſque aliis feliciter reprimitur.*
mare pergunt, avideque tertium diem præſtolantur. Qui ubi illuxiſſet, conferti præ-
torium circumſtare, & minas precibus miſcere auſi, aperta vociferatione, ut priſco
deorum cultui initiari poſſent, veniam flagitabant, cum improviſus omni ex parte

n) Idem Chron. cap. XLV.

o) CROMERVS rerum Polonic. Lib. IV.

p) Corpus Juris Hungarici in vita Belæ ante decreta D. Ladislai. Et THVROCZ. Chronici cap. XLV.

q) In cimelio Nummario Bibliothecæ Collegii S. J. Tyrnaviæ.

r) THVROCZ. Chron. cap. XLV.

1061. miles erumpit, factoque in plebem impetu, trucidstis partim primoribus, partim ex alto in præceps actis, vulgus metu conſternatum diſſipat, ex reliquis flagellstione pœna ſumta eſt, atque hunc in modum ſeditio ſive oppreſſa ſive exſtincta, finem accepit (s).

Rex præſentiſſimo periculo defunctus, & reducta in ordinem plebe, Antiſtibus, viriſque religioſis eam præcipue curam deinceps mandat, ut gentem ſemel atque iterum ed veteres cerimonias relapſam, in religionis cultu ſolerter inſtituerent, ne rurſus, quoniam religionis rationes cum republica ſemper colligstæ ſunt, regnum quidquam detrimenti pateretur. Ipſe etiam, quo rem ſerio agi viderent, cœnobium

1062. Sexardini fundat, Abbatiæ prærogativa, ac opulentis donis eb ſe ornatum (t).

Pacatis domi rebus in Auſtrios movet, ſed parum feliciter.

Abhinc curas ad bellum traduxit. Regnum filiis ſuis e morte ſtabilire volens, moleſte ferebat, Salomonem epud Erneſtum in Auſtria commorari, veritus, ne optimatum aliqui ſeu exilio, ſeu adoleſcentia illius ad commiſerationem edducti, aut novas res moliri occiperent, eut filiorum alicui hæreditatem controverterent. Itaque conſcripto exercitu in Auſtriam præter omnium exſpectationem irrupit, magisque populatione, quem cædibus graſſatur, ſperans, ee ratione, Salomonem metu correptum, introrſum ed Germaniam abiturum. Contra tamen accidit: Erneſtus, patre fortitudinis laude haud inferior, Azonem militiæ præfectum cum copiis opponit, paulumque poſt, cum res pugnam ſpectare videretur, regem ex Auſtria exigit (u). Ex quo Ranzanum merito incuſes, qui Thuroczii anna-

1063. les compilans, de ſuo adjecerit, Salomonem a Bela non modo liberaliter, ſed propemodum paterne in Hungaria habitum fuiſſe (x). Rex malignam fortunam, quam in expeditione nuperna expertus erat, ſarcire volens, conventum (y) in ſequentem annum indicit: ubi cum de militum ſupplemento egitur, & jus ſuis in oppido Demeſienſi pronunciat, ſive domus ruina (z) oppreſſus, ſeu forte fortuna prolapſus e ſolio obit, liberos relinquens Geiſam & Ladislaum, quos in Polonia ex conjuge ſuſtulerat, Lampertum contra, ceteroſque, dum in Hungaria cum Ducis, tum regis titulo rerum potiretur (a).

Neque multo poſt incerto mortis genere exſtinguitur, Geiſa, & Ladislao filiis ſuperſtitibus.

SA-

s) Idem cap. XLVI.

t) TIMON. Epit. Chronol. ad præſentem annum. Quamquam litteræ fundationis referunt annum regni primum. Conciliari tamen poſſuot, cum Bela circiter exitum anni 1060. regnum adiiſſe videatur.

u) ALOLDVS ad an. 1062. „Bels regnum „ Ungariæ uſurpans ob æmulum Salomnnem „ irruit io Oſterrichiam, ubi is manſit, cum „ magno exercitu. Sed Erneſtus virtute „ patris non minor, generoſe reſtitit, & „ boſtem fugavit, Azzone fortiſſimo Ca„ pitaneo ſuo utiliter uſus.„

x) Indic. X.

y) ALOLDVS ad cit. annum: „Bela au„ tem nova arma parans in Auſtrales, dum „ ad finem anni placitum teneret apud oppi„ dum Temes (nnſtri ſcribunt Demes) ru„ ente domo graviter contritus nbivit.„

z) THVROCZ. Chroo. cap. XLVI.

a Hoc anno Belam exſtioctum nmnes conſentiunt. Habentur editæ litteræ fundationales monaſterii S. Benedicti juxta Gron datæ a Bela anno 1075. Sed errorem irrepſiſſe certum eſt. Primum enim ſe iſthic vocat: *Ego Magnus, qui & Bela I.* tum: *præſente Ladislao Duce Germano meo*, cum tamen hic Belæ filius fuerit. Ex quibus conficitur litteras has Geiſæ I. nno item Belæ tribuendas eſſe. Uxorem Belæ anonymus in notis ad Henningum ait fuiſſa dictam Riſcham. Liberos Bela ſequentes cenſuit.

I. GEISAM. II. LADISLAVM. III. LAMPERTVM. IV. Filiam ANONYMAM, quæ Znoimiro, ſeu potius Creſimiro Croatiæ, ac Dalmatiæ regi tradita ſit, ſed id vebementer incertum. V. JOJADAM, ut Scbafnab. ſcribit, Wilhelmo Turingiæ Marchioni nuptam. VI. LVDMILLAM, ſeu, ut Balbinus Lib. 7. Miſcell. Bohem. habet, Euphemiam, OttoniMoraviæMarchinni deſponſam. VII. AMABILIAM WLADISLAI I. Bohemiæ regis conſortem, ut ſcribit Vodio. Lib. 7. Sect. 1. Tab. 4. alii tamen malunt eam fuiſſe Ducem Rechburgenſem.

SALOMON.

Bela exſtincto nova & pleriſque inexſpectata rerum in Hungaria facies oborta. Regnum, quod ad alterutrum filiorum devolvi pater cupierat, uterque mira voluntatis conſenſione, inprimis Geiſa, Salomoni delatum volebant. Miſere in eam rem Legatos ad Henricum, qui Geiſæ in primis nomine pollicerentur, eum non invite pariturum, modo generi ſuo, & meritis par honor daretur, quin ita fide certaturum cum omnibus, ut ne res publica ambitu plurium, ut hactenus factum, deinceps jactari poſſit. Redderet itaque Salomonem regno, hæc non ſua tantum, ſed Procerum, ac omnium, quos Hungaria baberet, fere vota eſſe, bona ab ſe fide agi viſurum, ubi primum in Hungariam appulerit. Henricus non diu moratus Salomonem cum Sophia, Erneſti Auſtriæ Marchionis, ceterorumque Germaniæ Principum comitatu ſtipatus in Hungariam reduxit. Schafnaburgenſis (*b*) rem in hæc verba confert: *Geiſa-ſatius putans moderatis opibus in pace perfrui, quam immoderatas ambiendo, calamitatem, atque excidium parere genti ſuæ, mandavit regi Henrico, ſi ſibi apud Salomonem filium Andreæ regis, natalibus, & meritis ſuis condignus bonor baberetur, ſubditum ſe ei, fidelemque futurum, & malle beneficiis cum eo, quam armis, fide, quam acie dimicare. Eadem Ungarii omnes aſſidua legatione pollicebantur. Ita rex Henricus Ungariam cum exercitu ingreſſus Salomonem in ſolium patris reſtituit, juncta ei in conjugem ſorore ſua, ablatiſque omnibus, quæ regi ſcrupulum movere, vel regni ſtatum labefactare poterant, in pace remeavit ad Gallias.*

Belæ filii de revocando in regnum Salomone certis conditionibus apud Henricum agunt.

Salomon regno reſtituitur.

Multa hic locus memoratu digna complectitur, quæ noſtris aut præterita, aut aliter narrata ſunt. Salomonem enim ab Henrico vi, & ingratiis Hungarorum in regnum non tam adductum, quam intruſum ſcribunt, Geiſam autem male ſibi metuentem ne exſpectato quidem Henrici adventu in Poloniam abiiſſe, cum tamen ceteri ſcriptores hunc nobis ita temperantem expingant, ut, dum optimatum voluntate regnum obtinere poterat, maluerit, quidquid juris baberet, in Salomonem tranſcribere, quam rem publicam calamitatibus, & excidio objicere, vel hoc nomine digniſſimus, qui exauctorato poſtea Salomone, regnum obtineret. Quod vero de *ſublatis ſcrupulis* Chronographus narrationi inſerit, ſatis innuere mihi videtur, Henricum, quidquid Imperatores eatenus in Hungariam ſibi juris arrogaſſent, Procerum conſenſu irritatum eſſe, quandoquidem nulla alia re *regni ſtatus*, ut idem ſcriptor ait, ita labefactari potuerit. Credo nuptiis, quæ inter Salomonem & Sophiam hoc primum anno coaluere, id Henricum tribuiſſe. Quibus ſummo apparatu ut nonnulli volunt, in Auſtria confectis Salomon denuo in regem ungitur, ne quid cauſæ ad novas turbas prætexi poſſet, ſi qui primam coronationem vi, non ſuffragiis peractam obtenderent. Ceterum, quam pene omnes Sophiam nuncupant, mirum eſt, a quibuſdam Juditham (*c*) dici, niſi forte aut iſti errarint, aut conjugem Salomonis binominem fuiſſe dicendum ſit.

Nuptiis cum Sophia hoc primum anno in Auſtria celebratis.

Henrico in Germaniam reverſo, Geiſa haud diu in Hungaria moratus cum fratribus in Poloniam ſeceſſit, forte quæ ſibi per Legatos ab Henrico petierat, non eadem, qua promiſſa erant, fide fuerint præſtita: alioquin nihil cauſæ eſt, cur, dum in principio ſponte Salomonem ad thronum invitarat, nunc eo deſerto copias ad ſe, ſuumque honorem vindicandum in Polonia quæreret. Itaque nihil ſibi præſidii eſſe in fluxa ſuorum fide videns, rectaque cum Ladislao & Lamperto Cracoviam contendens *ab Vladislao regis fratre, & regina comiter, & benigne acceptus eſt, rege tunc apud*

Geiſa ob non ſervata ſibi pacta cum fratribus in Poloniam ſecedit.

R *Præ-*

b) In Chronic. ad an. 1063. Aloldus ad eundem annum.„ Hainricus IV. Romanorum rex paullo plus, quam duodennis puer „in Oſterrichiam veniens Salomoni Ungaro „ſponſam ſuam Zophiam tanquam frater ejus „adduxit, & nuptias fecit. Deinde cum exercitu in Pannoniam progreſſus, filios defuncti „Belæ obſequentes habuit, & ſina ſanguine „Salomonem in ſolium reſtituit. Comites „fuerunt Ernuſtus Marchio in prelium denuo „paratus, & filius Liupoldus puer.„

c) Ebbo in vita S. Ottonis Epiſcopi Babenbergenſis, apud Hagiographos Tom. I. Menſ. Julii pag. 380. Gregorius Papa VII. in epiſt. an. 1075. apud Baron. Tom. XI.

1063.
Præmiſliam cum exercitu moram trahente. Cumque hibernaturus is eſſe in Ruſſia referretur, Geiſa relictis Cracoviæ fratribus, illic ad eum venit, opem ejus implorans. Quem Boleſlaus comiter conſolatus, cogitare ipſe ſecum, ac deinde cum conſilio caſtrenſi conſultare, quid faceret: propinquosne exules, atque ſupplices, intermiſſo Ruſſico bello, reduceret, an hoc prius conficeret. Ac conſilium quidem in eam fere inclinabat ſententiam, ut Ruſſiam prius pacandam, domandamque, & alienam rem ſuæ poſthabendam eſſe cenſeret. Ceterum regi pla-
1064. *cuit, non eſſe differendam expeditionem in Hungariam, donec Salomon regnum ſuum ſtabiliret, Germanorumque auxilia accerſeret. Igitur æſtate proxima -- Boleslaus rex relicta Præmiſliæ, quantum ſatis eſſet, præſidio, in Hungariam cum reliquo exercitu, & Belæ filiis, ſuperatis montibus, qui Poloniam, & Ruſſiam ab Hungaria dividunt contendit. Confluxit ſtatim ad ipſos non parvus Hungarorum numerus. Salomon, ubi de adventu hoſtium cognovit, -- (d) Moſonium, arx ea erat munitiſſima, ſe recepit, eo, quod inops ab externis auxiliis, parum præſidii ſibi contra patrueles in Hungarorum ſuorum viribus, atque fide eſſe exiſtimaret. Ibi Epiſcopi medios ſe ſe interponunt: Belæ filios orant, ne ſe patriæ parricidio contaminent, pacem deinde inter eos & Salomonem, non abnuente Boleslao, qui ad intermiſſum Ruſſicum bellum feſtinabat, componunt his conditionibus: ut Belæ filii regium honorem cum duabus partibus regni Salomoni permittant: ipſi tertia, Ducumque nomine contenti ſint. His rebus magna omnium lætitia confectis, Boleslaum cum exercitu, datis de publico ampliſſimis muneribus, dimittunt (e).*

Et cum exercitu in Salomonem redit.

Conciliatus tamen regi.

Maximas in conficiendo fœdere partes Deſiderium Jaurinenſem Epiſcopum habuiſſe noſtri prodiderunt, qui ut erat non minus morum probitate, quam eloquentia præſtans, ultro citroque diſſidentes adire, quoad conciliatis animis in eas, ut narravimus, conditiones utrinque Jaurini conventum eſſet. (f) Redintegrata amicitia, dum Quinque-Eccleſias regni cauſa proficiſcuntur, ipſe Geiſa Salomonem in baſilica D. Petri tertium corona redimit. Id cum præter morem gentis eſſet, ipſaque Eccleſia, ubi ſolennitas peracta, ſequente nocte conflagraret, a plerisque pro malo omine acceptum eſt. Et videri utcunque poterat eventus reſpondiſſe, quando nemo unus Hungariæ regum inaugurationis ritum toties uſurparat, neque ullus, præter Salomonem, titulo & corona privatus extra regnum obiit, quaſi morituri jacturam fortuna viventi ſarcire voluerit.

Salomonem Quinque Eccleſiis tertium inaugurat.

1065.
Abhinc cum Ladislao fratre Ducis titulo ornatur.

Abhinc Geiſa & Ladislaus Ducum titulo quidem inſignes, re tamen ipſa, conſilio, diligentia, & fide, quam reipublicæ impendebant, reges fuere. Enituit anno ſequente, ut noſtri narrant, militaris utriusque in bello virtus, & fortitudo. Carentani Croatiæ partem, quæ tum Dalmatiæ nomen quoque habuit, Stiriæ finitimam victricibus armis ſubegere. Creſimirus, quem noſtri male Zolomerum vocant, ſive quod militem in promtu non haberet, ſive numero inferiorem, quam ut hoſtem a victoriæ curſu poſſet reflectere, ab Salomone, & Ducibus ſuppetias flagitabat. Finitimo, & pacato ceteroquin regi nihil negandum videbatur: quare ſine mora contracto milite ipſi per ſe ſe auxiliariam operam Creſimiro ferunt, exactisque brevi tempore tota Croatia Carentanis præter militiæ laudem munera quoque, & donativa retulere (g).

An in Croatiam moverint, Creſimiro ſuppetias allaturi, incertum eſt.

Hæc noſtri licet rerum Croaticarum ſcriptores hujus belli nuſpiam meminerint; Carentani autem multo alium illius eventum referant. Chronicon Carinthiæ in hæc verba rem narrat: *Zolomirus iteratis vicibus in Carinthiam ſtrages inferens, Leopoldum regioni præfectum, in ultionem armavit, appropinquantemque viginti bellatorum millibus inſtructum, ſuperbo tumore faſtus parvi pendens, inſigni ſtrage profligatus eſt, pleraque Dalmatica nobilitate, ac Hungaricis ducibus, quorum ſubſidiis auctus fuerat, obtruncatis: ita Leopoldus collectis ex victoria ſpoliis domum redux, Carinthiæ a Dalmatia pacem extorſit* (h). Quæ utcunque innuunt, noſtrorum ſcriptorum ea in re haud ſatis tutam auctoritatem eſſe: certe, ſi hac fortuna pugnatum eſt, ut duces Hungarorum, qui auxilio Croatis venerant, obtruncarentur, liquet Ladislaum cum Geiſa prælio nequaquam interfuiſſe, quos multo poſt tempore inter vivos, & regno admotos eſſe patebit.

Pari

d) Forte rectius TIMON Ovarinum putat, nam hic arcis etiamnum rudera, quæ fuſtra Moſonii quæras.

e) CROMERVS rerum Polon. Lib. IV.

f) THVROCZ. Chron. Cap. XLVII BONFIN. Dec. II. Lib. III.

g) THVROCZ. Chron. cap. XLVII. BONFIN. Dec. II. Lib. III.

h) Lib. VII. cap. XXXII.

1067.

Neque ſatis exactum, quod de profligatis Bohemis noſtri conſignant.

Pari fortuna res altero abhinc anno contra Bohemos geſta, ſi domeſticorum annalium fidem ſequimur. Uratislaus Bohemiæ Princeps, cui Adelhaidem ſororem ab Andrea collocatam ſcripſimus, incertum, ob quas cauſas eam Hungariæ partem, quæ in Trenchinienſi tractu ad ſeptentrionem porrigitur, infeſtis armis populabatur. Geiſa, ne majus ex hoſtis mora damnum fieret, raptis ſumma celeritate copiis Uratislaum regno expellit, eodemque impetu fugientem conſequutus, Moraviam ingreditur, ubi, dum Bohemus ad manum venire non auderet, totam, qua late patet, regionem ferro ignique impune pervagatur. Enituit Batorii cognomento Opos in hac expeditione ſingularis virtus: qui cum Bohemum prægrandi, ac monſtroſa propemodum corporis mole præditum conſpicatus eſſet, ad ſingulare certamen evocatum fortiter dimicans humi proſtratum obtruncavit. Hæc noſtri, & prolixiſſime omnium Bonfinius (*i*): quæ ego tamen cum Chronotaxi difficulter conciliari poſſe exiſtimo. Hoc enim anno, ut ex ſcriptoribus rerum Bohemicarum conſtat, Uratislaus Henrico in Miſniam proficiſcenti auxiliariorum copiam bene magnam ſubmiſerat, a quo deinde urbem Miſnam viciſſim dono accepit. (*k*) Neceſſe igitur eſt, aut alio tempore id bellum geſtum, aut non ab Uratislao, ſed per ſuos duces adminiſtratum fuiſſe.

1070.

Cumani per Tranſilvaniam in Bibarienſem provinciam incurrunt.

Bello, ſi quod in Bohemos, & Moravos fuit, exſtincto, aliud multo difficilius exortum eſt. Cumani, ſive, ut alias docuimus, Patzinacitæ, quod ſuperiorum annorum turbis diſtractum in partes regnum putarent, immani multitudine per anguſtiſſimum aditum, Mezes dictum, qua euntibus ex occidente in Tranſilvaniam iter eſt, in Hungariam effuſi, omnem eam plagam, quæ in Biharienſi provincia ultraque Samuſium amnem tenditur, cædibus, rapinis, ac igne miſerrimum in modum vaſtabant. Tum actis hominum, pecudumque immenſis ſpoliis, ceu re præclare geſta, domum redibant. Quod ubi a rege, & ducibus cognitum eſt, partim miſerorum calamitate permoti, partim hoſtis barbarie ad vindictam incenſi militem, quantum in iis anguſtiis poterant, rapiunt, rectaque iſthuc, qua hoſtis reditum parabat, magnis itineribus contendunt, tantaque celeritate uſos perhibent, ut barbaros ſui ſecuros, prædaque onuſtos ſeptem adeo dies præverterent, ad oppidum (*l*) *Dobuka* delati. Hic curatis corporibus, ſpeculatorem, quem annales domeſtici *Fantiskam* nuncupant, ut copiarum numerum, rationem itineris, tempus, hoſtisque conſilia referret, exploratum mittunt. Is, ubi quinta poſt die rediit, affuturos in ſequentem diem barbaros nunciat, neque ita longum remotos noctem acturos. Geiſa moram omnem rumpendam exiſtimans, & noctis beneficio utendum auctor regi eſt, ut continuo profectioni ſignum daret. Itaque itum in hoſtem eſt, quoad locum nacti, ex quo inobſervati hoſtem aut aggredi aut intercipere poſſent, reſtitere. Barbari haud procul caſtra metati ſunt, neque ſatis ex ritu militari, neque diligenter. Ad hæc illis dux, cui *Oslu* nomen, ut natura ferox, ita ſtolide præfidens, qui Hungaros, quod nuſpiam ſe hactenus objeciſſent, metu correptos quam longiſſime abeſſe perſuaſum habebat. Ubi illuxit, & primæ Cumanorum copiæ iter adornant, confertiſſimum agmen Hungarorum, qui ordinata jam acie hoſti præſtolabantur, conſpicati metu exſternantur, Ducique, quid periculi ſubeſſet, celeriter referunt. Ille ex re, & loco conſilium capiens, proximum montem, conſcenſu arduum, cum ſuis occupat, & poſitis ſpoliis, ne quid obturbarent, defenſioni ſe comparat, audaciſſimis quibuſque ſagittariis in montis umbilico relictis, qui hoſtem aditu prohiberent (*m*).

Obſeptis a Geiſa, & Ladiſlao viis ad pugnam coguntur.

Atrox utrinque prælium.

Hungari, poſtquam hoſtem pugnam non detrectare viderent, ſibique imprudentia effugium præcluſiſſe, continuo partitis agminibus monti circumfunduntur, ſagittiſque rem eminus agunt marte primum non ſatis propitio, quod iniquiore loco, & denſiſſimo ordine conſiſterent. Tum Salomon videns rem cominus agi oportere, intre-

i) Idem ibid. Thurocz. Chron. cap. XLVIII.

k) Fabricius in Miſnicis Lib. I. Dubravius Lib. VIII. Bohuslaus Balbin. Epit. Bohem. Lib. III. cap. VIII.

l) Oppidum id fuiſſe in Tranſilvania ſitum patet ex Diplomate Belæ IV. quod ſuo loco exhibebimus. Unde ſuſpicio mihi oboritur, Cumanos hos, ipſos Tranſilvanos fuiſſe, ſed nondum Chriſtianis ſacris initiatos.

m) Thurocz. Chron. cap. XLIX. Bonfin. Dec. II. Lib. III.

1070.

intrepidus periculi, primus omnium cum ſuis crepidini ſuccedit, & qua parte mons maxime arduus erat, aggreſſionem molitur: fuitque in principio prælium hac parte ſatis ambiguum, quod Cumani denſiſſimum ſagittarum imbrem in adreptantes depluerent, quoad Geiſa cum Ladislao montis ſitum circumquaque rimati, aditum nec hoſti in pugnæ fervore obſervatum, neque difficilem nacti, barbaris ex improviſo a latere, & tergo incubuiſſent, tum magis cædes, quam pugna exorta, & hoſtis in apertam fugam, quacunque via erat, effundi: ſic tamen, ut maximam ab Hungaris cædem in fuga editam, & pauciſſimos barbarorum evaſiſſe (*n*) perhibeant: excuſſa omnis præda, homines captivitate exemti.

Plerique cæſis in fugam Cumani aguntur.

Eluxit incredibilis noſtrorum in pugna ardor, qui & ultionis ſtudio, & ducum adhortatione animos ſumebant, Ladislai tamen fortitudo in primis celebrata eſt, qui in ipſo prælii exordio quatuor ferociſſimos Cumanorum jugularit, vulnere, ex quo poſtea convaluit, perſtrictus. Adjecit militari virtuti laudem quoque pietatis humanitati conjunctam. Nam ubi a pugnæ exitu Cumanum quendam præcipiti fuga evadere, ſecumque puellam honeſto ac liberali vultu, quam ille ex corporis babitu Varadienſis Epiſcopi filiam eſſe conjecit, raptare videret, extemplo hominem conſequutus, inhumaniſſimum ſpolium furi excutere volebat. Cum autem vitæ prædæque ſuæ metuentem Cumanum, quantavis celeritate uteretur, comprehendere nequiret, quod unum poterat, virginem paucia bortatur, ut, barbaro cingulo tenus rapto, in terram deflueret; nec illa ſegnis, ut a tergo inſidebat, prædonem arctiſſime complexa ex ſonipede præcipitem deturbat. Cadentem Ladislaus jacta ſcitiſſime haſta penitus proruit, equoque deſiliens, diu cum homine lacertis valentiſſimo luctatur, quoad præciſis nervis, obtruncatoque, puellam ſalvam, & incolumem præſtitiſſet. Compertum tamen poſtea eſt, nequaquam, ut putabatur, Epiſcopi Varadienſis filiam fuiſſe (*o*). Quæ narratio ſi veritati conſentanea ſit, apparet, eos vehementer aberrare, qui Epiſcopatum Varadienſem a Ladislao inſtitutum prodidere. Niſi forte cum primum Ducis titulo cum fratre ornatus fuit, quoniam hanc plagam iis obnoxiam fuiſſe probabile eſt, urbem condere cœperit, ac deinde Epiſcopatu quoque, & ſacerdotum collegio exornare, præſertim quod inter Epiſcopatus ab Stephano fundatos, a nemine quod ſciam, Varadienſis cenſeatur, neque id de nihilo ſit, urbem eam in tanto amore Ladislao fuiſſe, ut, cum otii aliquid a bello aut reipublicæ curis nactus erat, fere iſthic verſaretur, a morte autem etiam condi voluerit. Sed hæc, quod inſtrumenta litteraria Varadienſia tabularii lucem nondum viderunt, prorſus incerta ſunt.

Ladislai in prælio virtus, & ſingulare facinus.

Conjectura de Epiſcopatu Varadienſi.

1073.

Bellum in Serviam traducitur.

Didita per regnum victoriæ fama, maxima omnium promiſcue lætitia extitit, publice gratulantium, Geiſæque, ac Ladislai facinora, militiæ patrata, carminibus publicis celebrantium. Quæ conteſtatio laudis, ut non erat a vulgo extorta, ita tacite Salomonis animum exedere cœpit, fuitque, ut narrabitur, ſemen diſſidiorum, quæ in apertum poſtea bellum erupere. Acceſſit tertio abhinc anno altera diſſenſionis cauſa, quæ factionum utrinque ſtudia magis fovebat. Boſni, Græcis conjuncti, trajectis Savo, Dravoque fluminibus, magnas ex Hungaria prædas abigebant, omnemque eam viciniam igne ac ferro corruperant. Ad propulſandum boſtem & ferocem, & numero valentem indicta omnibus profectio, & prætorium baud procul Savo defixum. Rex cum Geiſa & Ladislao, lembis, ac celocibus convehendis maximam curam impendit, quoniam flumen tranſmittendum erat; quibus comparatis navalis primum pugna coorta eſt, igne utrinque certantibus, ad extremum incenſis navibus, hoſteque ultra Savum fugato, noſtri in Servia ſalvi & incolumes conſtitere (*p*).

Ejus initium ab obſidione Belgradi factum.

Placuit Belgradum, quoniam præfectus *Nicolas* cum hoſte colluſiſſe videbatur, obſideri. Itaque diviſis turmis urbs, qua planiciem ad orientem ſpectat, aliis enim lateribus Savo, & Danubio munitur, circumſeſſa eſt, & oppugnationi factum initium. Præcipuæ in oppugnando partes Bachienſium, & Sopronienſium fuere: bis *Janum*, illis *Vidum* præfuiſſe noſtri perhibent. Obſeſſi, quoniam milite, & anona deſtituti erant, miſſis clam nunciis, Boſnenſes in foedus & auxilium vocavere. Neque

n) Thurocz. Chron. cap. XLIX. *o*) Idem ibid. *p*) Idem cap. L.

Neque illi ſegnes, præterea ſpe prædarum allecti, in Sopronienſes, qui viciniſſimi fuere, impetum faciunt, rati, ſi hoſtis pugnæ ardore longius a mœnibus abſtrahere-tur, ſuorum partem in urbem irrumpere poſſe, & obſeſſis præſidio eſſe. Sed illi Jano duce impetum viriliter primum ſuſtinent, tum, facta in Boſnenſes impreſſione, partem maximam obniti auſam cædunt, reliquos capiunt, pauciſſimis fuga elapſis. Noſtri truncatis Boſnenſium corporibus capita eminus oſtentant, tum ut victoriæ indicium obſeſſis facerent, tum ut profligatis auxiliariis nullam retinendæ urbis ſpem haberent. (q)

Obſeſſorum, & obſidentium ſtudia.

Illi contra, ut in extremo metu fit, tanto acrius defendendæ urbi ſe comparant, noſtrorumque molitiones aut corrumpunt, aut peſſumdant. Rex viſo obſidionem longius, quam ſpes primum erat, protrahi, ex proximis collibus, qui urbi ab oriente opponuntur, cum Geiſa, & Ladislao faciem, ſitumque loci ſpeculatur, tum notatis ſpaciis, qua proniſſime urbs adiri poterat, octonas turres, quæ murorum crepidinem eminerent, fabricari jubet, pluteiſque, ne damnum caperent, muniri. In conficiendis nihil diligentiæ defuit: ita comparatas juſto ab ſe intervallo mœnibus admoveri ea ratione mandat, ut intercapedines arietibus ad quatiendos muros rite diſtingui poſſent. Is apparatus ſtudia noſtrorum mirifice exacuit: qui ex turribus obſidionem auſpicabantur, dum deſignato ictu quemvis petunt, facile muros defenſoribus nudant, balliſtarii contra arietibus mænia a fundo quatere, & demoliri ſtrenue, quoad pateſacto ingenti hiatu irrumpentibus ſpacium fecere. Pugnatum in ruinis eſt atrociter, noſtris magna clade rejectis: recedentium extremos cum tres Saraceni mole corporis & audacia præ ceteris inſignes pugnando conſequuntur, unusque ex his baliſtæ ictu occumberet, nova oboritur dimicatio. Qui in caſtris erant, conſpicati, noſtros ob duorum virtutem jam pene laborare, pudore ſuffuſi præcipue *Obus*, *Bors*, & *Georgius* primi omnium citatis equis advolant, cumque iſti laborantes hortantur, *Obus* utrumque Saracenum aggreſſus, inflictis vulneribus in fugam actos, ad urbis portam perſequitur, & incolumis ad caſtra redit (r).

Urbs ope mulieris Hungaræ capitur.

Abbinc alterna fortuna pugnatum, & in tertium menſem obſidio extracta eſt, cum repente virgo Hungara neque cogitantibus modum capiendæ urbis ſuppeditavit. Illa diuturnæ ſervitutis impatiens flante vehementius Subſolano ignem urbi ſupponit ſperans ea occaſione ſe libertati reſtituendam. Noſtri urbem flagrare conſpicati, & boſtem a murorum defenſione ad reprimendas flammas converſum, tempore uſi confertis ordinibus per ruinas in urbem eluctantur, primoque impetu capiunt, cæſis, qui ſe in arcem cum præfecto non recepiſſent, præſidiariis plerisque. Compreſſo incendio, incredibili præda, & theſauro victores potiuntur, in cujus partitione non nihil diſſidii inter regem, Geiſam, & Ladislaum obortum fuit. Interea hoſtis, qui ſe in arcem receperat, de deditione cum noſtris agit. Conventum his pactionibus eſt: ut vitam cum libertate præſidio efferre victis integrum eſſet, cetera victori cederent. Præfectus, tradita arce, cum ſuis ad Geiſam, cujus lenitatem paſſim celebrari audierat, conceſſit, quæ res miris ſuſpicionibus Salomonem replevit, partim ſuapte ad has facilem, partim ſuorum, ac Vidi in primis, qui nihil non apud eum poterat, conſiliis perſuaſum, quaſi Geiſa contemto Ducis titulo ad regiam poteſtatem aſpiraret. Auctum eſt malum Geiſæ benevolentia, qui omnes, qui ſe ſuæ fidei commiſiſſent, liberos & muneribus quoque ab ſe donatos dimiſit. Quod ubi ad Michaelem Ducam orientis Imperatorem allatum eſſet, Geiſæ per legatum pro humanitate ſuis impenſa gratias egit, & fœdera inſtaurari petiit. Tum vero, qui Salomonem circumſtabant, palam queri, eum, ſi ſe ita deſpicatui ab ſuis haberi ſineret, haud regem, ſed ſubditum eſſe: neque exſpectandum, dum aperta vi a Ducibus regno privetur, ſatis indicii eos affectatæ tyrannidis dediſſe, hoc unum, ſi ſapiat reſtare, ut mature comprehenſos vita exturbet, alioquin neque ſe, neque regnum illis vivis tutum fore. Rex tamen, ſive militem, quod utriuſque præclare facta recens bello patrata in memoria omnium eſſent, vereretur, ſive rationes nondum ita comparatas videret, ut tuto in eos graſſari poſſet, liberis dimiſſis, ſolutaque militia domum rediit (s).

In ſpoliorum partitione diſſidia inter regem, & duces oborta.

Improborum cavillatione augentur.

q) Thvrocz. Chron. cap. L.
r) Idem ibid.
s) Thvrocz. Chron. Cap. LI.

1073.

Fructus victoriæ ad Belgradum relatæ major fuit, quam ſpe noſtri præcipere potuerint. Etenim fugatis Boſnenſibus, qui auxilio obſeſſis venerant, captaque urbe, ditiones Hungariæ ad Moravam uſque Serviæ amnem propagatas eſſe vero ſimillimum eſt, quando ſub Bela III, dum is Fridericum Imperatorem copias in Palæſtinam ducentem comitatus eſſet, idem fluvius Hungariæ limes fuit; tametſi id diſſimulandum non ſit, ea parte ſub Stephano itidem III. Hungaros a Græcis mulctatos eſſe, ut in loco a nobis dicetur. Sed fructus hos pulcherrimos diſſidia, quæ inter regem, & duces dudum gliſcebant, hoc autem anno in apertum eruperant, pene corrupere. Salomon ſuorum machinatione perſuaſus, Geiſam cum Ladislao tyrannidem affectare, utrumque præſto eſſe jubet, rem maximi momenti prætexens; ad quam dirimendam eorum conſilio uti vellet, re autem vera utrumque comprehenſum, cuſtodiæ mancipare conſtitutum habebat. Duces id, quod erat, ſuſpicati ſic rationem ineunt, ut Ladislaus cum exercitu in propinquo eſſet, Geiſa interca ad regem adiret, hac re effectum iri, ne ſibi quidquam periculi metu copiarum a malevolis creetur. Non de nihilo inſidiarum metum fuiſſe eventus docuit. Rex, ut Geiſam in poteſtate habuit, tametſi a ſuis vehementer urgeretur, ut Ducem comprehendi jubeat, tamen Ladislaum cum exercitu pro ſalute fratris excubantem veritus, ab ſe nulla injuria affectum dimiſit. Abhinc Geiſa copias, fratre in Ruſſiam pro auxiliariis abire juſſo, conſcribere cœpit, ut maleficium, ſi quod rex ſuorum conſilio inſtigatus inſerre niteretur, propulſare poſſet. Actum tamen inter armorum apparatus etiam de redintegranda amicitia fuit. Ultro citroque miſſis nunciis tranſigi in principio nihil poterat, itaque data utrinque fide, rex & Geiſa, ſinguli octo duntaxat virorum ſatellitio ſtipati, in inſula, quam Danubius ad Strigonium efficit, conveniunt. Aderant Epiſcopi, & Principes plerique, qui regem cum Duce pacis publicæ cauſa conciliare precibus, & conſilio ſtudebant. Exactis inter jurgia diebus aliquot, in id denique mutua conſenſione conventum fuit: uterque ab injuria abſtineret, neuter a D. Martini feſto ad diem Georgio Martyri ſacram quidquam hoſtile attentaret: confectis hunc in modum induciis redintegrata amicitia utcunque videri poterat (*t*).

Fruſtra tentatis inſidiis.

Et Procerum auctoritate ad tempus ſopita conciliatis induciis.

Interea Ladislaus ex Ruſſia non impetratis ſuppetiis rediit, quæ res Geiſam mire ſolicitum habebat, cum metus eſſet, regem ex ſuorum conſilio inducias violaturum. Quare aliunde auxiliarios accerſere conſtituit; neque periculum moras patiebatur. Finitimus Otto fuit, non Bohemiæ, ut noſtri ſcribunt, ſed Moraviæ dux. Ad hunc igitur Ladislaum mittit ſuppetiarum cauſa, neque ſpes nulla fuit impetrandi, quod Ottonis frater Uratislaus ſororem Geiſæ Jojadam in matrimonio habuiſſet. Hac ſpe Geiſa fultus, quieti ſtudet, & inducias bona fide ſuos obſervare jubet (*u*).

Geiſa tamen regem veritus, Ladislaum in Moraviam ad comparandos auxiliarios mittit.

Salomon contra ſuorum malitia incitatus, quamquam invitus, de capiendo Geiſa conſilium inierat. Conſilii tam nefarii machinatores Marquardus Germanorum auxiliariorum dux, tum Vidus, de quo ſupra memoravimus, fuere. Quia vero fraude agendum erat, tres, quos Geiſa fidiſſimos ſibi exiſtimabat, quorumque conſilio in rebus arduis utebatur, Petrudum, Zonukum, & Bykaſium in ſuas partes, pollicitatione, & muneribus pellexere. Stropha ſic adornata eſt: ut Geiſam, cum venatui operam daret, dabat autem quamquam hiems eſſet, noctis ſilentio oppreſſum oculis privarent, ita fore, ut cum luce animum quoque regnandi amiſſurus ſit. Ladislaum autem & Lampertum, ſi auxiliarios etiam adducerent, conſimilis pœnæ metu territos nihil adverſus regem auſuros. Nefarium conſilium monaſterii, in quo cuſum eſt, Abbas Wilermus, dum nocturnis precibus vacat, forte fortuna audierat, qui Ducis periculo commotus, quam primum illuxit, datis litteris Geiſam, quid agatur, edocet, monetque ſibi ab inſidiis ut caveat. Geiſa cum ſuorum, ut putabat fidiſſimis, & quorum ſupra meminimus, conſultat. Omnes periculi gravitatem elevare, Abbatem intemperiis agitari, qui Ducis animum ſuſpicionibus implere velit, foreque, ut, ſi litteris fidem habeat, & illorum indicium ad regem perferretur, merito induciarum violator videretur. Hæc illi, ne præda ex caſſibus elaberetur. Abbas contra parum ſe litteris profeciſſe, & regem cum copiis imminere videns, mutato

1074.

Recrudeſcunt diſſidia.

Salomon fruſtra conſtitutis ſicariis.

Exercitum in Geiſam ducit.

t) Thvrocz. Chron. Cap. LII.

u) Idem ibid.

tato amictu citatis itineribus ad Geiſam advolat, &, periculum, niſi tempeſtive ſibi conſuleret, præ foribus eſſe, monet, regem cum exercitu appropinquare, hanc unam ſalutis viam eſſe reliquam, ut viciſſim copias opponat. Geiſa nihil moratus quanto numero potuit militem celerrime cogit, cauſæque bonitati confiſus verſus Tibiſcum, nam illac rex affuturus nunciabatur, movet. Delecto ad pugnam loco, exercitum in quatuor agmina diſpeſcit: tria Petrudo, & Bykaſio committit, ipſe quartum in omnes caſus ductabat, pauciſque militem pro tempore adhortatus regem opperitur. Hic ordinata acie, quam ex triginta agminibus conflatam fuiſſe perhibent, ut in conſpectu hoſtis fuit, ſine mora impetu facto pugnam orditur. Atrox & ſanguinaria in principio fuit, cum paullum poſt Petrudus & Bykaſius levatis clipeis, hoc enim Salomoni indicium perfidiæ futurum ſignificabant, ſeceſſionem a Geiſa faciunt. Sed ſive rex ſuos de indicio commonefacere oblitus fuerit, ſive a militibus pugnæ ardore abreptis obſervatum non eſt, rati hoſtem eſſe, omnes internecione delent, primique omnium perfidiæ architecti Petrudus & Bykaſius trucidantur. Geiſa tamen cum uno agmine regem magna virtute diu ſuſtinet, tum cæſis pene omnibus Præfectis, veritus ne ab hoſte circumfunderetur, poſtquam ſuis, qui pauciſſimi ſupererant, auctor fuiſſet, ut ſaluti ſuæ fuga conſulerent, ipſe iter verſus Moraviam arripit, quo Ladislaum jam antea ſuppetiarum cauſa præmiſerat. Ita rex ante vernum jejunii tempus campo & victoria potitus eſt, ſed quam patrius ſanguis ob inaniſſimas ſuſpiciones fuſus fœdiſſime contaminavit (x).

Dimicatur ad Tibiſcum acerrimo prælio: Geiſa a ſuis deſtituto, & profligato.

Geiſa, ubi ab inſauſto prælio Vaczium evaſit, obvium Ladislaum cum Ottone habet, qui cognito pugnæ eventu Ducem familiariter conſolati ad reparandam jacturam ſtudia diligentiſſime convertunt. Adduxere enim non temnendo numero Moravos, pleroſque veteranos, & pugnandi cupidos; ad hæc profligati exercitus reliquiæ ſenſim ſub ſigna confluxerant, quibus magna Hungarorum pars, Ducum calamitatem miſerati, ſe adjunxere. Ipſum adeo cælum futuræ victoriæ omen dedit. Cum enim extra Vacienſem ſilvam locorum faciem ſpeculantur, & de modo inſtituendi prælii conſultant, Ladislaus angelum corona aurea Geiſæ caput cingentem conſpicatur, de quo cum fratrem commonefaceret, reſque ad milites perlata eſſet, mira omnes lætitia recreatos, incredibili pugnandi ardore replevit. Duces militum ſtudio & voluntate utendum rati, profectionem continuo edicunt, caſtraque haud procul monte Mongorod, quo regius exercitus divellebatur, figunt. Rex capta ex ſuperiore prælio fiducia, tum ſuorum, cum primis *Vidi* ambitione victoriam ſibi pollicitus, omnia inſtanti pugnæ apparat, quamquam Ernyeius, vir ſupra ceteros pacis amans, patriæ calamitatis miſertus, Salomonem ab ſanguinario conſilio abſtrahere ſumma cura adniteretur, id maxime in medium conſulens, prælii exitum vehementer in incerto eſſe, tum victoriam, ſi feliciter manus conſereret, nulli magis ob civium diminutionem, quam Hungariæ damno futuram. Salomon his nihil motus occupato monte in Geiſam ſigna converti jubet, & prælio ſuos decernere. Duces interea de hoſtis apparatu edocti, aciem pro locorum ratione inſtruunt, dextrum cornu Ottoni Moraviæ Duci commiſſum, Ladislaus ſiniſtro, quod ex Biharienſibus maximam partem coaluit, præfectus, Geiſa Nitrienſes, ceteroſque Hungarorum in medio locatos, ductabat. Latera, ne inſidiis paterent, novem utrinque agminibus communita, quæ, ut tempus & locus ſuaderent, jam explicare, jam contrahere alas poſſent. Ladislaus ordines ſingulos equo arduus obiter luſtrat, pauciſque admonitos ad pugnam hortatur, tum, ne quid cælo non auſpice fieret, ante aciem progreſſus, equoque deſiliens humi precantis ritu procumbit, propitiatoque omnibus inſpectantibus Numine, conceptis ſolenniter verbis, ſi victoria potirentur, baſilicam ſe honoribus D. Martini in loco victoriæ ſtructurum pollicetur. (y)

Adductis tamen a Ladislao ſuppetiis.

Et cæleſti oſtento recreatus.

Reparatas copias Salomoni opponit.

Procurato in hunc modum rite exercitu, hoſtis appropinquat, & magna vociferatione prælio initium facit. Salomon in maximo pugnæ calore, quoniam de regni poſſeſſione agi videbat, audaciſſimos quoſque ducens contemto mortis periculo temerarie magis, quam fortiter in eam aciei partem fertur, qua Geiſæ ſigna micare conſpexit. Id cum Ladislaus vidiſſet, fratris vitæ metuens, ſigna continuo mutari

Collatis ſignis Salomon Ladislai virtute profligatus

 jubet,

x) Thurocz. Chron. Cap. cit.

y) Thuroczi Chron. Cap. cit.

1073.

Fructus victoriæ ad Belgradum telatæ major fuit, quam ſpe noſtri præcipe-
re potuerint. Etenim fugatis Boſnenſibus, qui auxilio obſeſſis venerant, captaque
urbe, ditiones Hungariæ ad Moravam uſque Serviæ amnem propagatas eſſe vero ſi-
millimum eſt, quando ſub Bela III, dum is Fridericum Imperatorem copias in Palæ-
ſtinam ducentem comitatus eſſet, idem fluvius Hungariæ limes fuit; tametſi id diffi-
mulandum non ſit, ea parte ſub Stephano itidem III. Hungaros a Græcis mulctatos
eſſe, ut in loco a nobis dicetur. Sed fructus hos pulcherrimos diſſidia, quæ inter
regem, & duces dudum gliſcebant, hoc autem anno in apertum eruperant, pene
corrupere. Salomon ſuorum machinatione perſuaſus, Geiſam cum Ladislao tyranni-
dem affectare, utrumque præſto eſſe jubet, rem maximi momenti prætexens, ad
quam dirimendam eorum conſilio uti vellet, re autem vera utrumque compre-
henſum, cuſtodiæ mancipare conſtitutum habebat. Duces id, quod erat, ſuſpicati
ſic rationem ineunt, ut Ladislaus cum exercitu in propinquo eſſet, Geiſa interea ad
regem adiret, hac re effectum iri, ne ſibi quidquam periculi metu copiarum a male-
volis creetur. Non de nihilo inſidiarum metum fuiſſe eventus docuit. Rex, ut Gei-
ſam in poteſtate habuit, tametſi a ſuis vehementer urgeretur, ut Ducem compre-
hendi jubeat, tamen Ladislaum cum exercitu pro ſalute fratris excubantem veritus,
ab ſe nulla injuria affectum dimiſit. Abhinc Geiſa copias, fratre in Ruſſiam pro au-
xiliariis abire juſſo, conſcribere cœpit, ut maleficium, ſi quod rex ſuorum conſilio
inſtigatus inferre niteretur, propulſare poſſet. Actum tamen inter armorum appa-
ratus etiam de redintegranda amicitia fuit. Ultro citroque miſſis nunciis tranſigi in
principio nihil poterat, itaque data utrinque fide, rex & Geiſa, ſinguli octo dunta-
xat virorum ſatellitio ſtipati, in inſula, quam Danubius ad Strigonium efficit, con-
veniunt. Aderant Epiſcopi, & Principes plerique, qui regem cum Duce pacis pu-
blicæ cauſa conciliare precibus, & conſilio ſtudebant. Exactis inter jurgia diebus ali-
quot, in id denique mutua conſenſione conventum fuit: uterque ab injuria abſtine-
ret, neuter a D. Martini feſto ad diem Georgio Martyri ſacram quidquam hoſtile at-
tentaret: confectis hunc in modum induciis redintegrata amicitia utcunque videri po-
terat (*t*).

Fruſtra tentatis inſidiis.

Et Procerum auctoritate ad tempus ſopita conciliatis induciis.

Interea Ladislaus ex Ruſſia non impetratis ſuppetiis rediit, quæ res Geiſam
mire ſolicitum habebat, cum metus eſſet, regem ex ſuorum conſilio inducias viola-
turum. Quare aliunde auxiliarios accerſere conſtituit; neque periculum moras pa-
tiebatur. Finitimus Otto fuit, non Bohemiæ, ut noſtri ſcribunt, ſed Moraviæ dux.
Ad hunc igitur Ladislaum mittit ſuppetiarum cauſa, neque ſpes nulla fuit impetran-
di, quod Ottonis frater Uratislaus ſororem Geiſæ Jojadam in matrimonio habuiſſet.
Hac ſpe Geiſa fultus, quieti ſtudet, & inducias bona fide ſuos obſervare jubet (*u*).

Geiſa tamen regem veritus, Ladislaum in Moraviam ad comparandos auxiliarios mittit.

Salomon contra ſuorum malitia incitatus, quamquam [illegible]vitus, de capiendo
Geiſa conſilium inierat. Conſilii tam neſarii machinatores Marquardus Germanorum
1074. auxiliariorum dux, tum Vidus, de quo ſupra memoravimus, fuere. Quia vero
fraude agendum erat, tres, quos Geiſa fidiſſimos ſibi exiſtimabat, quorumque con-
ſilio in rebus arduis utebatur, Petrudum, Zonukum, & Bykaſium in ſuas partes,
pollicitatione, & muneribus pellexere. Stropha ſic adornata eſt: ut Geiſam, cum
venatui operam daret, dabat autem quamquam hiems eſſet, noctis ſilentio oppreſ-
ſum oculis privarent, ita fore, ut cum luce animum quoque regnandi amiſſurus ſit.
Ladislaum autem & Lampertum, ſi auxiliarios etiam adducerent, conſimilis pœnæ
metu territos nihil adverſus regem auſuros. Nefarium conſilium monaſterii, in quo
cuſum eſt, Abbas Wilermus, dum nocturnis precibus vacat, forte fortuna audie-
rat, qui Ducis periculo commotus, quam primum illuxit, datis litteris Geiſam, quid
agatur, edocet, monetque ſibi ab inſidiis ut caveat. Geiſa cum ſuorum, ut putabat
fidiſſimis, & quorum ſupra meminimus, conſultat. Omnes periculi gravitatem ele-
vare, Abbatem intemperiis agitari, qui Ducis animum ſuſpicionibus implere velit,
foreque, ut, ſi litteris fidem habeat, & illorum indicium ad regem perferretur,
merito induciarum violator videretur. Hæc illi, ne præda ex caſſibus elaberetur.
Abbas contra parum ſe litteris profeciſſe, & regem cum copiis imminere videns, mu-
tato

Recrudeſcunt diſſidia.

Salomon fruſtra conſtitutis ſicariis.

Exercitum in Geiſam ducit.

t) Thvrocz. Chron. Cap. LII.

u) Idem ibid.

tato amictu citatis itineribus ad Geiſam advolat, &, periculum, niſi tempeſtive ſibi conſuleret, præ foribus eſſe, monet, regem cum exercitu appropinquare, hanc unam ſalutis viam eſſe reliquam, ut viciſſim copias opponat. Geiſa nihil moratus quanto numero potuit militem celerrime cogit, cauſæque bonitati confiſus verſus Tibiſcum, nam illac rex affuturus nunciabatur, movet. Delecto ad pugnam loco, exercitum in quatuor agmina diſpeſcit: tria Petrudo, & Bykaſio committit, ipſe quartum in omnes caſus ductabat, pauciſque militem pro tempore adhortatus regem opperitur. Hic ordinata acie, quam ex triginta agminibus conflatam fuiſſe perhibent, ut in conſpectu hoſtis fuit, ſine mora impetu facto pugnam orditur. Atrox & ſanguinaria in principio fuit, cum paullum poſt Petrudus & Bykaſius levatis clipeis, hoc enim Salomoni indicium perfidiæ futurum ſignificabant, ſeceſſionem a Geiſa faciunt. Sed ſive rex ſuos de indicio commonefacere oblitus fuerit, ſive a militibus pugnæ ardore abreptis obſervatum non eſt, rati hoſtem eſſe, omnes internecione delent, primique omnium perfidiæ architecti Petrudus & Bykaſius trucidantur. Geiſa tamen cum uno agmine regem magna virtute diu ſuſtinet, tum cæſis pene omnibus Præfectis, veritus ne ab hoſte circumfunderetur, poſtquam ſuis, qui pauciſſimi ſupererant, auctor fuiſſet, ut ſaluti ſuæ fuga conſulerent, ipſe iter verſus Moraviam arripit, quo Ladislaum jam antea ſuppetiarum cauſa præmiſerat. Ita rex ante vernum jejunii tempus campo & victoria potitus eſt, ſed quam patrius ſanguis ob inaniſſimas ſuſpiciones fuſus fœdiſſime contaminavit (x).

Dimicatur ad Tibiſcum acerrimo prælio: Geiſa a ſuis deſtituto, & profligato.

Geiſa, ubi ab infauſto prælio Vaczium evaſit, obvium Ladislaum cum Ottone habet, qui cognito pugnæ eventu Ducem familiariter conſolati ad reparandam jacturam ſtudia diligentiſſime convertunt. Adduxere enim non temnendo numero Moravos, pleroſque veteranos, & pugnandi cupidos; ad hæc profligati exercitus reliquiæ ſenſim ſub ſigna confluxerant, quibus magna Hungarorum pars, Ducum calamitatem miſerati, ſe adjunxere. Ipſum adeo cælum futuræ victoriæ omen dedit. Cum enim extra Vacienſem ſilvam locorum faciem ſpeculantur, & de modo inſtituendi prælii conſultant, Ladislaus angelum corona aurea Geiſæ caput cingentem conſpicatur, de quo cum fratrem commonefaceret, reſque ad milites perlata eſſet, mira omnes lætitia recreatos, incredibili pugnandi ardore replevit. Duces militum ſtudio & voluntate utendum rati, profectionem continuo edicunt, caſtraque haud procul monte Mongorod, quo regius exercitus divellebatur, figunt. Rex capta ex ſuperiore prælio fiducia, tum ſuorum, cum primis *Vidi* ambitione victoriam ſibi pollicitus, omnia inſtanti pugnæ apparat, quamquam Ernyeius, vir ſupra ceteros pacis amans, patriæ calamitatis miſertus, Salomonem ab ſanguinario conſilio abſtrahere ſumma cura aditeretur, id maxime in medium conſulens, prælii exitum vehementer in incerto eſſe, tum victoriam, ſi feliciter manus confereret, nulli magis ob civium diminutionem, quam Hungariæ damno futuram. Salomon his nihil motus occupato monte in Geiſam ſigna converti jubet, & prælio ſuos decernere. Duces interea de hoſtis apparatu edocti, aciem pro locorum ratione inſtruunt, dextrum cornu Ottoni Moraviæ Duci commiſſum, Ladislaus ſiniſtro, quod ex Biharienſibus maximam partem coaluit, præfectus, Geiſa Nitrienſes, ceteroſque Hungarorum in medio locatos, ductabat. Latera, ne inſidiis paterent, novem utrinque agminibus communita, quæ, ut tempus & locus ſuaderent, jam explicare, jam contrahere alas poſſent. Ladislaus ordines ſingulos equo arduus obiter luſtrat, pauciſque admonitos ad pugnam hortatur, tum, ne quid cælo non auſpice fieret, ante aciem progreſſus, equoque deſiliens humi precantis ritu procumbit, propitiatoque omnibus inſpectantibus Numine, conceptis ſolenniter verbis, ſi victoria potirentur, baſilicam ſe honoribus D. Martini in loco victoriæ ſtructurum pollicetur. (y)

Adductis tamen a Ladislao ſuppetiis.

Et cœleſti oſtento recreatus.

Reparatas copias Salomoni opponit.

Procurato in hunc modum rite exercitu, hoſtis appropinquat, & magna vociferatione prælio initium facit. Salomon in maximo pugnæ calore, quoniam de regni poſſeſſione agi videbat, audaciſſimos quoſque ducens contemto mortis periculo temerarie magis, quam fortiter in eam aciei partem fertur, qua Geiſæ ſigna micare conſpexit. Id cum Ladislaus vidiſſet, fratris vitæ metuens, ſigna continuo mutari jubet,

Collatis ſignis Salomon Ladislai virtute profligatus

x) Thvrocz. Chron. Cap. cit.

y) Thvrocz. Chron. Cap. cit.

jubet, quæ cum regii milites ſequuntur, rati hoſtem fugere, in confertiſſimas Ladiſlai turmas incidunt. Nova hic prælii facies oritur: Salomon errorem ſero intelligens languidius rem agere, Ladiſlaus contra ſummis viribus in adverſas acies conniti, itaque primum regii moventur, tum Geiſa pari virtute rem gerens mediam aciem ab reliqua divellit, nec ſegniores interea Moravi ſiniſtram Salomonis alam Ottonis fortitudine inclinabant. Ad extremum omnibus in fugam, magna edita cæde, conjectis, victoria, quamquam non incruenta, Ducum fuit. A fugientibus Geiſa manus abſtineri juſſit, & DEO gratiam haberi (z).

Ægre Ovarinū fuga in columis tenet.

Salomon, qui inclinata ſuorum acie fugam arripuerat, trajecto ad *Zigetfö* Danubio Moſonium, magis tamen reor, Ovarinum, quo matrem cum conjuge ante prælium miſerat, appellit. Mater filii quidem fortunæ illacrimata, temperare ſibi tamen a querelis non potuit: adjecerat quoque objurgationem, quod ſuis conſiliis minus morigerum ſe antea præbuiſſet, vatem ſe illi fuiſſe, dum inſolentiſſima *Vidi* ambitione actus, partis contentus eſſe noluiſſet, corona quoque, & regno privatum iri. Ferunt Salomonem, cum hæc ſibi dici audiret, levata manu ictum in matris faciem vibrare conatum; ſed ab uxore, retento tempori brachio prohibitum eſſe. Dignus, qui ob inhumaniſſimum facinus regno ejectus, totam deinceps vitam inter ferarum ſaltus humanæ conſuetudinis expers ageret (*a*).

Improbum in Matrem facinus.

GEISA I.

Geiſa ingratiis ad ſolium evectus Papam de re per litteras edocet.

Geiſa cum victore exercitu, exacto in caſtris paucorum dierum ſpacio, Albam promovet, ubi compellentibus Proceribus, quos militaris ejus virtus mirifice capiebat, rex ex ritu patrio coronatur. Ne invaſiſſe per vim regnum videretur, de re, quemadmodum geſta eſſet, Pontificem per Legatos edocuit, ut ex iis, quæ allaturi ſumus, conſtabit. Hæc, ſi temporis rationem habeamus, veriſimile eſt eveniſſe ipſis diebus, Chriſto reſurgenti ſacris; quoniam haud multo poſt, ut Lambertus Schafnaburgenſis, coævus ſcriptor refert, Salomon miſſis ad Henricum Legatis ejus opem contra Geiſam imploravit (*b*). Neque is ſororis ſuæ cauſa, quam Salomoni nuptam fuiſſe alias docuimus, auxilium ferre diſtulit. Itaque concito tumultuario milite profectionem in Hungariam adornabat, ſed cum in ipſo procinctu eſt, affertur, Wilhelmum, cognomento Boſtarem, Angliæ regem novas res moliri: quo comperto privatæ rei curam externis negotiis antehabendam ratus iter reflectit, & ad Rhenum magnis itineribus contendit. Re brevi temporis intervallo feliciter patrata victor Wormatiam ſub medium Julii revertitur. Hic eum *iterum adierunt Legati regis Ungariorum, orantes obnixe, ut memor affinitatis, memor actæ ſimul a puero ætatis maturius ſubveniret expulſo. Et quia preces tardius movebant privatis occupationibus intentum, datis XII. obſidibus fidem ei firmabant, quod, ſi ejus beneficio in regnum reſtitueretur, deinceps ei tributarius* (*c*) *dictoque obtemperans foret, &*

Henricus Salomonis cauſa exercitum in Hungares ducit.

ſex

z) Idem ibid.

a) Thvrocz. Chron. Cap. cit.

b) In Chron. ad. an. 1074. „Rex celebrata in Babenberga Paſchali ſolennitate .. „ repentino, ac tumultuario milite collectum exercitum ducera parabat in Ungariam, comperto quod Salomon rex Ungariorum a Jojada (Geiſa) Beli filio bello „ impetitus, & tribus jam præliis victus „ amiſſo exercitu vix de regno effugiſſet ... „ Cumque Ratisbonam veniſſet, inſecuta eſt „ eum legatio .. ounciantium, quod Wilhelmus cognomento Boſter, rex Anglorum .. cum magno exercitu adventaret ... „ Territus rex .. omiſſa in Ungariam expeditione ad Rhenum concitus remeavit. „

c) Ex quo conjecturam meam ſupra allatam confirmo, dum ajebam, Henricum poſtquam Salomonem in regnum reduxiſſet, *ſublatis ſcrupulis*, ex Optimatum conſenſu, quidquid juris in Hungariam ex Petri, aut Andreæ oblatione Germani habuiſſent, irritum feciſſe: alioquin neceſſe non erat, ut Salomon denuó ſe tributarium Henrico offerret. Porro annum hunc regni primum Geiſæ eſſe confiditur ex inſtrumento erectionis Abbatiæ S. Benedicti ad Granum.

ſex ei munitiſſimas Ungariæ civitates in argumentum nunquam interrumpendæ fidei traderet. Hac mercede redemtus, illico miſſis circumquaque nunciis, Principes in expeditionem ſolenni indictione evocavit. Sed alii temporis anguſtias ,' alii rei familiaris inopiam, plerique, quod opes ſuæ bello Saxonico nimium attritæ fuiſſent, item alii aliud excuſationis genus obtendentes, omnes pariter militiam detrectarunt. Ipſe tamen, ne tantum rei publicæ commodum caſu oblatum ſua ignavia corrumperetur, gregario tantum, ac privato milite contentus infeſta exercitu ingreſſus eſt Hungariam, & non nullas ejus regiones hoſtiliter peragravit. Porro Joas, qui Hungariam occupaverat, comperto ejus adventu ſumma induſtria id operam dedit, ut in locis, in quibus irruptio hoſtium timebatur, nihil homines alimentorum, nihil animalia pabulorum reperirent, & ſic ipſe cum omnibus ſuis in quamdam inſulam, propter locorum difficultatem omnino hoſtibus inacceſſibilem ſe contulit. Exercitus regis, qui ad tanti belli adminiſtrationem nihil ſumtuum præparaverat, graviſſima ſtatim laborabat inedia, adeo, ut homines plerosque, animalia pene omnia brevi peſtilentia, & fames conſumeret. Qua neceſſitate compulſus rex, nullo inſigni facinore perpetrato, Ungaria exceſſit, & poſt feſtum ſancti Michaelis Wormatiam - - rediit (*d*). Hæc Schafnaburgenſis, qui ætate illa vivens res geſtas Henrici diligentiſſime omnium conſignavit. Itaque major, quam ut diſſimulari queat, error Ludewigi eſt, qui næniam ſuam recinens in hæc verba ſcribit (*e*): *Salomo in turbis inteſtinis Cæſarum Henricum IV. judicem pariter imploravit; tulit pro eodem ſententiam Cæſar, morem judici geſſerunt ordines Hungariæ.* Quæ ſi cum Schafnaburgenſi contendantur, apparet, leviori manu hæc eum chartæ illiviſſe, quam ceterοqum a tam gravi, & docto viro exſpectandum fuerit.

Illataque primum populatione.

Tum penuria oppreſſus turpiter excedit.

Turpis Ludewigi in hac materia error.

Provincias, quas Henricum laudatus ſcriptor peragratum eſſe memorat, noſtri eum tractum, qui trans Vagum flumen Vacium uſque tenditur, fuiſſe perhibent (*f*), ubi dum ad Nitriam res ageretur, mira fortitudo præfecti militaris *Obus*, cujus ſupra mentio a nobis cum laude inſerta eſt, ante alios enituit. Qui, cum in Germanorum comitatu Nitrienſes ex urbe erumpentes rejeciſſet, pro urbis porta dimicatione longiſſime protracta, ſolus vim hoſtium ſuſtinuit, & incolumis ad caſtra reverſus eſt. Hujus certaminis ſpectatores cum Germanos haberet, illi virtutem hominis admirati, Henrico virum ita laudibus ornant, ut Cæſarem ejus videndi cupido inceſſerit. Igitur advocatum verbis ampliſſimis collaudat, vultuque ad Salomonem converſo, quærit, hujuſne virtutis Geiſa & Ladislaus milites quoque haberent? illo annuente, atque adeo plures illis, quam ſibi eſſe, tum vero Henricus, inquit, fruſtra noſtri conatus fuerint; nec te his adverſariis regnum recuperaturum ſpera. Quo dicto, emtisque ab Geiſa auro ſummis quibuſque Germanorum præfectis, ac cumprimis Patriarcha Aquilejenſi, cujus magna apud Cæſarem fuit auctoritas, metu orituri tumultus corruptis igni navibus in Germaniam remavit. Sed ea in re, quoniam mercatus hic ab ingenio Geiſæ vehementer abhorret, & Lambertus, ut nuper memoratum eſt, illius ætatis ſcriptor aliam narrationem belli iſtius pertexat, Thuroczio, noſtrisque, qui cum eo ſentiunt, fidem habere magnopere vereor. Ceterum Geiſam ob deluſum aſtu Imperatorem cognomentum Magni adeptum eſſe facile mihi perſuadeo. Ex quo Aventini hallucinationem facile eſt arguere, qui victos ab Henrico Hungaros, & ſuperiorem Hungariæ partem Salomoni armis aſſertam ſcribit, tum victorem Cæſarem in Ruſſos properantem ſuorum ſeditione a pulcherrimo facinore revocatum eſſe.

Noſtrorum diſpar opinio.

Aventini commentum.

Salomon, poſtquam in Henrici opera nihil ſpei ad recuperandum regnum eſſe viderat, nuncios cum litteris ad Gregorium VII. Pontificem Maximum mittit, qui opem ejus implorarent. Pontifex, quem nihil eorum quæ interea geſta in Hungaria eſſent, latebat, graviter ferens, quod regiæ dignitatis tam parum memor fuiſſet, has ad eum in anni exitu litteras, & ſatis acerbas ſcripſit.

Gregorius Pontifex Salomonem arguit, quod ſe præterito opem ab Henrico Imp. imploraſſet.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum DEI

Salomoni Regi Hungarorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Litteræ tuæ ad nos tarde propter moram Nuncii allatæ ſunt, quas quidem multa benignius manus noſtra ſuſcepiſſet, ſi tua incauta conditio non adeo beatum Petrum offendiſſet.

T Nam

d) Lambertus SCHAFNABVRG. In Chron. ad an. 1074.

e) In Germania Principe Lib. I. cap. II.

f) THVROCZIVS Chron. Cap. LIV.

1074.

Nam ſicut a majoribus patriæ tuæ cognoſcere potes, regnum Hungariæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ proprium eſt, a rege Stephano olim beato Petro cum omni jure, & poteſtate ſua oblatum (g), & devote traditum. Præterea Henricus piæ memoriæ Imperator ad honorem S. Petri regnum illud expugnans (h), victo rege, & facta victoria, ad corpus beati Petri lanceam, coronamque transmiſit, & pro gloria triumphi ſui illuc regni direxit inſignia, quo principatum dignitatis ejus attinere cognovit. Quæ cum ita ſint, tu tamen in ceteris quoque a regia virtute, & moribus longe diſcedens, jus, & honorem ſancti Petri, quantum ad te, imminuiſti, & alienaſti, dum ejus regnum a rege Teutonicorum in beneficium, ſicut audivimus, ſuſcepiſti. Quod ſi verum eſt, qualiter gratiam beati Petri, aut noſtram benevolentiam ſperare debeas, tu ipſe, ſi juſtitiam vis attendere, non ignoras: videlicet, te non aliter eam habiturum, nec ſine Apoſtolica animadverſione diu regnaturum, niſi ſceptrum, regni, quod tenes, correcto errore tuo, Apoſtolicæ, non regiæ Majeſtatis beneficium recognoſcas (i). Neque enim nos timore, vel amore, aut aliqua perſonali acceptione, quantum DEO adjuvante poterimus, debitum honorem ejus, cujus ſervi ſumus, irrequiſitum relinquemus. Verum ſi hæc emendare, & vitam tuam, ut regem decet, inſtituere, & DEO miſerante adornare volueris, procul dubio dilectionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut matris dilectus filius, & noſtram in Chriſto amicitiam plene habere poteris. (k) Datum Romæ quinto Kal.
1075. *Novembris Indictione XIII. (l).*

Deſtitutus ope Salomon Moſonienſem & Poſonienſem tractum colit.

Itaque hac quoque parte ſpe fruſtratus Salomon, qua potuit virtute tractum Moſonienſem, & Poſonienſem, quo ſe poſt prælium receperat, tueri conſtituit. Neque multo poſt occaſionem nactus, ſatis palam fecit, nihil ſibi prius ad retinendum regnum defuiſſe, quam animum. Boſnenſes enim, quos noſtri paſſim Biſſenos vocant, inita cum Geiſa pactione, ſe, ſi Salomonem regno penitus exigerent, ab ſervitute liberos fore, Zolta duce agrum Moſonienſem infeſtis copiis ingreſſi vaſtitatem quaquaverſum circumferebant. Salomon milite inferior, quam ut hoſti reſiſtendo eſſet, Marchionem Hernuchum ex Germania in ſuppetias advocat, cui conjunctus facile ſperabat Boſoenſes exterminatum iri. Neque ille munerum ſpe illectus moras nectens cum ſuis aderat, verum primo Boſnenſium obtutu territus prælium detrectabat, itaque Salomon partim damno ſuorum, partim pudore exagitatus, audacter in hoſtem fertur, conſertoque prælio barbaros profligat: Marchio pro pugna, a qua abhorruit, altercationem fruſtra obmovens, inglorius domum rediit. (m) Quis Marchio hic fuerit, vehementer obſcurum eſt, quoniam ejus nominis neminem id temporis floruiſſe ex Germanis ſcriptoribus conſtat, minime omnium Erneſtum Auſtriacum fuiſſe puto, qui eodem hoc anno in Saxonia pro Henrico pugnans ad Unſtrutum amnem occubuit, (n) alias ob virtutem militarem cognomentum ſtrenui adeptus. Bonfinius quidem Leopoldum diſerte memorat, qui Erneſto patri ſucceſſit, & Pulcher dictus rerum in Auſtria tum potiebatur, ſed cum ipſe ſibi fidem vix habeat, neque Aloldus quidquam illius meminerit, rem malim in medio relictam, quam duci, ceteroquin militiæ non inexperto, tam turpem ignaviam inurere.

Ex illo Boſnenſes exterminat.

Pro-

g) His verbis lis omnis videri poteſt deciſa, regnum a D. Stephano donatum fuiſſe S. Petro. Ea tamen verba in litteris Silveſtrinis nuſpiam leguntur, niſi forte in epiſtola D. Stephani ad Silveſtrum II. data comprehenderentur. Cum autem hæc, ut alias monui, interciderit, nihil utrinque, quod certum ſit, ſtatui poteſt. Fortaſſe ſanctiſſimus Pontifex, cum id non ex nihilo dicat, id in litteris Stephani legerit. Itaque optandum erat, ut has litteras in lucem eduxiſſet.

h) Henricus hic alter eſſe nequit, niſi qui Petri ejecti cauſa contra Ovonem, & Andream reges bellum moverat. Corona, quam Romam miſit, certe non fuerit corona Hungariæ, ſed alia. Tum poterat corona cum lancea mitti ad ſepulcrum D. Petri inſtar anathematis pro obtenta victoria, ut circumſtantiæ, & temporum illorum ratio videtur ſuadere. Itaque non abhorret a vero, donum hoc potius fuiſſe euchariſticum, quam juris cujuſcunque proteſtativum.

i) Beneficium id, ut puto, nemo unquam Hungariæ regum negavit, qui coronam cum regia dignitate a Silveſtro ſe accepiſſe gratiſſimi agnoſcunt, poteſtatem vero regiam, ut leges noſtræ loquuntur, a Procerum, & populi conſenſione. Quæ duo ſi rite ſecernantur, forte omnis lis ad vivum reſecaretur.

k) Lib. II. epiſt. XIII.

l) Id eſt anno 1074., nam hoc anno cœpit Indictio a menſe Septembri.

m) Thuroc z. Chron. Cap. LIII. videtur qua hanc Boſnenſium incurſionem perperam Henrici in Hungariam expeditioni anteponere, ut ex Schafnaburgenſis narratione ſupra memorata liquet.

n) Aloldus in Chron. ad an. 1075.

Profligatis Boſnenſibus, quoniam ex tanto regno pene nihil illi ſupererat, Poſonium ſe recepit Salomon, quamquam neque hic diu quieto eſſe licuit. Ladislaus reparatis a prælio copiis urbem, ne quid procurſionibus iſthinc factis regno incommodaretur, obſidione circumdat. Velitationibus alterna fortuna res primum acta eſt, quæ cum nullo operæ precio fierent, placuit obſeſſos inedia ad deditionem cogere. Nec nihil militari aſtui, artique datum: Duces utrinque ſumto gregariorum amictu ſæpe turmis ſe immiſcebant, ſive ſitum loci, cominus explorare, ſive rei feliciter gerendæ modum per ſe ſe cognoſcere voluerint. Evenit forte fortuna, ut ignari viciſſim in ſe incurrerent, & pugna vellent decernere, cum Salomon viſo cominus hoſte certamen detrectat, & propere ad ſuos revertit. Mirantibus inopinatum Ducis morem, quem alias ſtrenuum, & periculorum contemtorem noſſent, ac cauſam percontantibus, reſpondit, militem eum duobus angelis, igneo gladio munitis, ſtipatum fuiſſe. Ex quo compertum eſt, Ladislaum, cujus pietati omnia tribuebant, ſub militis gregarii ſpecie latuiſſe. Abhinc præter metum præſidiariis incuſſum, quid obſidione factum ſit, nemo noſtrorum memorat. Credo Ladislaum, quod nihil ab Henrico, cui diſſenſio cum Pontifice hoc anno jam interceſſerat, metuendum putaret, &, ut erat ſanguinis fundendi minime cupidus, ſoluta obſidione ad fratrem revertiſſe (o).

Obſidetur a Ladislao Poſonii.

Interea epiſtolam a Pontifice per nuncios Geiſa accepit in hæc verba conſcriptam.

Pontifex Geiſam pro rege non habet.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum DEI

Geuſæ Hungariæ Duci ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Licet per Legatos, quos pridem ad nos direxiſti, miſerimus tibi litteras, quas nondum te aſſeris percepiſſe, iterum tamen pro caritatis affectu, qua omnes reges, & Principes, ut filios admonemus, ſcribimus ad te, deſiderantes tibi cum juſtitia, quæcunque ſunt honoris, & gloriæ. Multa quippe bona de te mihi relata ſunt, atque ex tuis actibus honeſta fama ad aures noſtras uſque pervenit, pro quibus diligimus te, & cupimus, ut fama cum rei veritate ſemper aſcendat. Notum autem tibi eſſe credimus, regnum Hungariæ, ſicut & alia nobiliſſima, in propriæ libertatis ſtatu debere eſſe, & nulli regi alterius regni ſubjici, niſi ſanctæ, & univerſali matri, Romanæ Eccleſiæ, quæ ſubjectos non habet, ut ſervos, ſed ut filios ſuſcipit univerſos. Quod quia conſanguineus tuus (p) a rege Teutonico, non a Romano Pontifice, uſurpative obtinuit (q) dominium ejus, ut credimus, divinum judicium impedivit. Cum vero res in manibus tuis ſit, hortamur te, ut interim circa Eccleſias curam habeas, circa religionem ſummum ſtudium geras, talemque obedientiam Legatis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cum ad te venerint, exhibeas, quatenus interceſſione beati Petri in gloria, & honore utriuſque vitæ proficias, Data Romæ decimo Kal. Aprilis. Indictione XIII. (r)

Hæc Pontifex ad Geiſam, quem litteræ non recte Geuſam dicunt. Illud in his permirum: quod ducis, non item regis titulo inſignitur. Si enim, ut ſummus Pontifex diſerte ſcribit, regnum Hungariæ in *propriæ libertatis ſtatu* fuit, Geiſam autem non modo communi voluntatum conſenſione, ſed, ut ſupra inſinuavi, ſuis etiam ingratiis a Proceribus electum eſſe conſtet, profecto regem, non item ducem dici oportuiſſe perſpicuum eſt. Niſi, ut fere videtur, aut ignorarit Gregorius Geiſam regni totius ſuffragiis electum, aut eam prærogativam ad ſe pertinere arbitratus fuit, de hoc tamen, quid nobis vero eſſe ſimillimum videatur, alio loco expromſimus. Quid autem ab rege Pontifici reſponſum ſit, aut quo animo eam prærogativam, quam Gregorius Epiſcoporum Romanorum eſſe ſupra inſinuarat, acceperit, quidve optimatibus viſum eſſet, omnino non liquet: probabile tamen eſt, incertum ob quam

Regnum non obſcure ad ſe attinere contendens.

T 2 cauſam

o) Thvrocz. Chron. Cap. LV.

p) Salomonem intelligit, qui Henrico regnum, ſi illi reſtitueretur, tributarium offerebat.

q) Loquendi modus illi ſeculo familiaris, quo, mirum eſt, Henricum quoque, cum maxime inter eum, & Gregorium ferveret diſſenſio, uſum fuiſſe in hæc verba: *Henricus non uſurpative, ſed pia DEI ordinatione rex Hildebrando, non jam Apoſtolico, ſed falſo monacho* &c. ut legere eſt apud Goldastvm ad an. 1080.

r) Apud Hardvinvm Tom. VI. Concil. columna 1310.

1075.

cauſam, nihil ab rege reſponſi datum fuiſſe, nam altero abhinc menſe rurſum ejusdem argumenti litteras ad Geiſam Gregorius miſit in hunc tenorem:

Studet paci inter æmulos conciliandæ.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum DEI

Geuſæ Hungariæ Duci ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Si officii noſtri eſt, omnibus ſua jura defendere, ac inter eos componere pacem, ac ſtabilire concordiam, multo magis ratio exigit, atque uſus utilitatis expoſcit, ut ſeminemus caritatem inter majores, quorum pax, aut odium redundat in plurimos. Unde nobis cura eſt, & cordi pia ſolicitudo inhæret, quatenus inter te, & conſanguineum tuum, Salomonem regem, faciamus pacem, ſi poſſumus, ut juſtitia utrinque ſervata ſufficiat unicuique, quod ſuum eſt, terminum juſtitiæ non tranſeat, metam bonæ conſuetudinis non excedat, ſicque fiat in pace nobiliſſimum regnum Hungariæ, quod hactenus per ſe principaliter viguit, ut rex ibi non regulus fiat. Verum ubi contemto nobili dominio beati Petri Apoſtolorum Principis, cujus regnum eſſe prudentiam tuam latere non credimus, rex ſubdidit ſe Teutonico regi, & reguli nomen obtinuit (s). Dominus autem injuriam ſuo illatam Principi prævidens, poteſtatem regni ſuo ad te judicio tranſtulit. Et ita ſi quid in obtinendo regno juris prius habuit, eo ſe ſacrilega uſurpatione privavit: Petrus enim a firma petra dicitur, quæ portas inferi confringit, atque adamantino rigore deſtruit, ac diſſipat, quidquid obſiſtit. Quapropter ſi quid vis, ſi quid habere a Romana Eccleſia digne ſperas, nobis confidenter, volumus, ut aperias, & quæ tua ſit devotio erga univerſalem matrem, qualiterve illi ſtatueris obedire, ſanctamque reverentiam exhibere, operibus, ſicut te decet, oſtendas. Quæ autem hic minus ſcripſimus, horum portitoribus tibi dicenda relinquimus, quia de illorum fidelitate ſatis confidimus. - - Data Romæ decimo octavo Kal. Maii. Indictione XIII. (t).

1076.

Rex Vacienſem Eccleſiam ex voto condit.

Neque, quid his litteris apud regem & Proceres effectum ſit, noſtri aut exteri uſpiam prodiderunt. Ceterum, quod ſuperiore epiſtola Pontifex impenſe commendabat, ut Eccleſiarum ac religionis curam Geiſa haberet, eum prorſus libenter, ac ſuapte, feciſſe citra difficultatem mihi perſuadeo. Atque ad hunc forte annum pertinent jacta Eccleſiæ Vacienſis fundamenta, (u) cum vivo illo fabricam ad faſtigium eductam fuiſſe noſtrorum plerique inter comperta ponant. Cui ſtruendæ dum locum cum Ladislao exquireret, ferunt portentum divinitus interveniſſe. Cum enim haud procul illinc, ubi victoria ex Salomone potiti ſunt, locum Baſilicæ ſpeculantur, cervus collucentibus undique cornibus ex improviſo ſe ſe illis aſpectabilem præbuit; quem cum milites ſagittis figerent, illeque in Danubium ſe ageret præcipitem, Ladislaus, quid cælum eo monſtro ſibi vellet, intelligens, fratri auctor eſt, ut eodem loco, quo cervus primum viſus eſſet, baſilicam exſtrueret. Hæc noſtri: quibus ut fidem temere habere univerſim non conſuevi, ita leviter refragari, quod nonnulli ſolent, præſertim ſi juſta cauſa dubitandi non adſit, religioni mihi itidem duco. Pari munificentia Eccleſiam in vetere Buda ſitam, quamque alias a Stephano & Giſela coeptam docuimus, ad finem adductam Geiſa ampliſſimis redditibus ex agro Peſtienſi & Simegienſii pendendis ornavit, (x) voti religione, qua tenebatur, liberaliſſime exſoluta.

Croatæ excuſſo Græcorum jugo Dalmatia potiuntur.

Dum hunc in modum pietati Geiſa vacat, Svoinimirus, alias Demetrius quoque nuncupatus, in finitima Croatia novam regno faciem induxerat. Hactenus enim ſumma in Croatiæ regnum poteſtas penes orientis Auguſtos fuit, a quibus provinciæ iſtius Principibus regium diadema clientelari jure mitti conſveverat, cum interim Rectores ex urbe eum in finem quoque acciperent, ut, ne quid in jura Auguſtorum committeretur, cautum eſſet, quemadmodum ex temporum illorum diplomatibus perſpicuum

s) Salomon, ut ex Lamberto coævo notavi, ſolum promiſit ſe Henrico tributarium fore, ſi regno reſtitueretur, id autem cum factum minime ſit, ut narravimus ex eodem Lamberto, Salomon tributarius non fuit.

t) Apud HARDVINVM Tom. VI. Concil. col. 1316.

u) Vaciam tamen urbem puto, contra quam noſtri exiſtiment, jam prius extitiſſe, ob ſitus opportunitatem: tum credibile non eſt, cum urbs intra biennium finiri non potuerit, Geiſam in ſolitario templo, quemadmodum anno ſequente factum eſt, ſepulcro illic illatum fuiſſe.

x) THVROCZ. Chron. cap. LIII.

1076.

cuum eſt. Svoinimirus omnium primus, captata Michaelis Ducæ ignavia, jugum hoc anno Græcanicum excuſſit, ſeque Pontificiæ poteſtati obnoxium fecit. (y) Atque idem hic ille Svoinimirus eſt, quem noſtri ſcriptores Zolemirum appellant, cuique Lepam Geiſæ, ac Ladislai ſororem matrimonio junctam fuiſſe volunt, ex quo vinculo quidquid juris regum noſtrorum in Croatiam, ac Dalmatiam deinceps fuit, promanarit. Sed hæc admodum incerta eſſe alias oſtendemus. Quo loco Bonfinii error itidem caſtigandus eſt, qui aliam Geiſæ ſororem, cujus nomen memoriæ non prodidit, Ottoni Venetiarum Duci, alii contra Petro Urſeolo, illius parenti, collocatam eſſe ſcribunt (z). Neutri tamen recte, quoniam Urſeolum quinquaginta annis prius defunctum eſſe dubitari non poteſt, quo Geiſa lucem forte necdum viderit, Ottonem autem, ut in loco diximus, Stephani ſororem in matrimonio habuiſſe Dandulus ſcriptor Venetus diſerte perhibet. Hæc, quia illorum poſtea uſus erit, annalibus inſeruiſſe ſupervacaneum non fuit.

1077.

Geiſa, dum reſtituere Salomoni regnum cogitat.

Geiſæ animo interea quiddam religionis obortum eſt, quod vivo Salomone regni poſſeſſionem adiſſet, fortaſſe non nihil huc litteræ Gregorii contulerint, certe de reſtituendo regno conſilium agitaſſe, cum natalem Servatoris diem Sexſardini celebrarat, domeſtici annales paſſim affirmant. Hic, ubi ad aras rite operatum fuiſſet, Deſiderio Archi-Epiſcopo Colocenſi, ceterisque Præſulibus, profanis tamen hominibus exeſſe prius juſſis, aperte denunciat, ſe animo vehementer angi, quod regni adminiſtrationem ſuperſtiti Salomoni eripuiſſet, itaque ſibi hanc ſententiam, niſi aliud conſulerent, ſedere, ducis titulum cum jure priſtino non invite ſe recepturum, modo Salomon, oblitteratis ſuperiorum temporum injuriis, bona ſecum fide actum vellet. Si Præſules id ſe impetraturos apud eum ſponderent, Optimates nullo negocio in ſuas partes pertractum iri. Collaudato Geiſæ animo, in id præprimis conventum: legati ultro citroque quam primum commearent, ut jurgiorum cauſis, ſi quæ oborirentur, ſua prudentia complanatis pax facilius confieret. Verum ea Legatorum miſſitatione Salomon, neſcio quam ob cauſam, in ſuſpicionibus magis confirmatus, pacis tractationem penitus abrupit, nec multo poſt Geiſa morbo letali correptus VII. Calendas Maji vivere deſiit (a). Hunc in modum pacandæ Hungariæ ſpes in ipſo exordio præciſa eſt. Corpus ultima regis voluntate in Vacienſi Eccleſia conditum. Præter Sophiam filiam Magnoni Saxoniæ Duci nuptam (b), tum Pyriſcam, quam Græcorum Imperator ſibi conjugem acceperat, filios reliquit Colomannum, & Almum; illum ad regni gubernacula, poſtea evectum, hunc Ducis titulo inſignem.

Letali morbo correptus occumbit.

LADISLAVS I.

Illi Ladislaus, quamquam invitus, ſubrogatur.

Ab Geiſæ exceſſu optimates, ne quid turbarum Salomon rurſus daret, communibus ſuffragiis Ladislaum defuncti fratrem, in quo præſidii maximam ſpem habebant, regem eligunt. Sed is ab regnandi libidine longiſſime remotus obnitebatur acriter, neque aliter precibus perſuaderi potuit, quam ne regnum, quod ob diſſenſiones nondum penitus reſpiraverat, & opis admodum egens eſſet, deſtituere videretur. Coronari tamen, niſi tentata prius cum Salomone concordia, etſi, ut id fieri pateretur, crebro orarent, conſtanter renuit. Quo anno electus ſit, ſcriptoribus non convenit, quibuſdam ad annum iſto priorem, aliis ad poſteriorem regni initia referentibus. Sed rem omnem Gregorii VII. epiſtola, hoc anno ad Nehemiam Archi-Epiſcopum Strigonienſem data, extra controverſiam ponit. In

y) Du Fresne de familiis Dalmatiæ & Slavoniæ. cap. VI.

z) Dec. II. Lib. IV.

a) Thvrocz. Chron. cap. LV.

b) Vrspergensis in Chron. Revsner in auctuario fol. 185. Henning. fol. 381. Fabricivs in Elect. Sax. fol. 19.

1077.

Haud invito Gregorio Papa.

qua cauſas primum adfert, cur illi Legatum tam ſero remiſiſſet (*c*), tum, quæ ad Ladislaum attinent in hæc verba ſubjicit: *De cetero admonemus fraternitatem tuam, ut regem, qui inter vos electus eſt, cum aliis tuis confratribus, & Principibus terræ alloquaris, notificantes, & conſulentes ſibi, ut apertius nobis ſuam voluntatem, & erga reverentiam ſedi Apoſtolicæ debitam per idoneos Legatos denunciet devotionem; & ita demum, quod ad nos attinet, ad honorem DEI omnipotentis, & beati Petri Apoſtolorum Principis, benigne ſibi reſpondebimus. Cetera vero, quæ longum erat in epiſtola, viva fideliter voce nunciabit, ſicut in ejus ore poſuimus. Data Carpinetæ quinto idus Junii, Indictione XV.* (*d*). Quæ cum in annum MLXXVII. incidat, dubitari prorſus non poteſt, Ladislaum hoc anno conſpirantibus omnium votis regem electum eſſe.

1078. Neque is minus morigerum Pontifici ſe præbens, miſſis Romam Legatis ampliſſimas pro liberali voluntatis in ſe ſignificatione gratias habuit. Veriſimile eſt, Pontificias litteras ad Nehemiam datas in conventu Antiſtitum, & Optimatum lectas, omniumque propterea ſententias rogatas fuiſſe. Quo exitu poſtea memorabitur. Certe Ladislaum omnem ſedi Apoſtolicæ reverentiam, quod Gregorius poſtulabat, pollicitum eſſe, ac re ipſa exhibuiſſe dubium non eſt; an autem regnum clientelari jure eidem voluerit eſſe obnoxium ex optimatum conſenſu, neque profani ſcriptores memorant, nec ex Gregorii epiſtola ſatis perſpicue colligitur, quam ſequente anno ad eum datam eſſe, in loco referemus.

Stephani regis dextra non ſine prodigio intemerata reperitur.

Abhinc partim condendis, partim inſtaurandis virorum cænobiis operam rex impendit. Præcipue quod ad radices montis Carpathi jacet, ob ſervatam Stephani dexteram memoria dignum eſt. Id quemadmodum evenerit, Bonfinius in hæc verba refert: *Mercurius* (ſcribit) *Ungarico genere natus, & Cathinani* (*e*) *Alberti præpoſiti pater, ac baſilicæ Albenſis æditaus, qui vitæ quondam politicæ renunciarat, ut religioni expeditius inſerviret, cum Ladislaus rex imperaſſet, tumulum aperiri, ne quid e ſancti regis* (Stephani) *reliquiis ſubtraheretur, cum pleriſque aliis, qui ſepulcro inhæſerant, regio juſſu procul amotus eſt. Is triſti vultu repulſus abiit, &, cum monachus eſſet, in ſacrum chorum ſe recepit, ubi cum pudore ſuffuſus graviter angeretur, quod ſanctiſſimum corpus neque videre, neque oſculis attingere potuiſſet, ecce juvenis quidam intempeſta nocte coram aſtitit, forma incredibili, liberali facie, candidiſſimoque habitu, neſcio, quid byſſo involusum deferens. Accipe, inquit, Mercuri, quod optaſti, & hoc donum precioſiſſimum habeto, aſſervato diligentiſſime, & cum tempus dabitur, ipſe depromito. Nocturnis ſacris rite peractis, Mercurius petita latebra rem traditam explicat, ſancti regis dexteram, & annulum invenit, juxtaque admiratur, ac Numini gratias agit. Is ad Carpatii montis radices ſeceſſit, qui Tranſilvaniam ab Ungaria dirimit, olimque Ripenſem, citerioremque Daciam, ab ulteriore, & transalpina dividebat, ubi cænobium quoddam ligneo opere confectum gubernaturus erat. Tanto dexteram ſtudio aſſervabat, ut neque ſibi, neque alii credere auderet. Terræ committere ſatius eſſe ratus, infodit* (*f*), *& quotidianas ex monachis excubias inſtituit, ne quomodo ſurripi poſſet. In dies promendi tempus dari exſpectabat, quin & hujuſce rei cænobii auctores admonuit, ut pari ſtudio curarent; demum id ex ordine Ladislao regi, quem virum ſanctiſſimum eſſe intelligebat, aperuit. Mox regis edicto, Pontificum, optimatumque conventus habetur, ubi ſolennis dies Regiæ dexteræ extemplo decernitur. Deinde*

c) Apud Hardvinvm Tom. VI. Concil. col. 1369. „ Gregorius Epiſcopus, ſervus „ ſervorum DEI, Nehemiæ Strigonienſi in „ Hungaria Archi-Epiſcopo ſalutem, & Apo„ ſtolicam benedictionem. Non admirari „ te volumus, qoa de cauſa fratrem iſtum, „ videlicet harum litterarum portitorem, „ tamdiu nobiſcum retinuerimus. Nam cum „ ad nos venit, in regnum Teutonicorum „ tranſire diſpoſueramus, quatenus inter re„ gem Henricum, & Principes terræ pacem, „ & coocordiam componere Deo adjuvante „ poſſemus - - Ceterum quia cauſa, ſicut „ vobis notum eſſe credimus, ad graviſſi„ mam litem, & pene ad totius patriæ divi„ ſionem excrevit, neque nobis hoc in tem„ pore tranſire opportunum eſſe vidimus, „ diutius hunc tenere noluimus, ſcribentes „ per eum fraternitati tuæ, & multum ad„ mooentes. „ - -

d) Apud euodem ibid.

e) Legendum eſſe *Kapanani* ex relatione paullum poſt adduceoda patebit.

f) Id non videtur veriſimile, ſi enim nec ſibi, nec aliis credidit, profecto excubias monachorum noo inſtituiſſet. Carthuitius ita habet: „Ibi diu ſolus abſconditi in agro „ theſauri cuſtodiam & excubias decrevit,„ credo alludens ad theſaurum Evangelicum, qui dicitur in agro abſconditus. Bonfinivs male intellectam phraſim detorſerit ad verum agrum.

inde cum univerſo Ladislaus collegio ſacerdotum dexteram - - Stephani reconditam oſtendit, baſilicæque intulit, ac ditiſſimo apparatu inſtauravit, multiſque pagis, oppidis, & proventibus donavit. Id autem ſalutis anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo octavo accidiſſe illius cœnobii ſcripta, & privilegia ſane teſtantur, abbatiamque Regiæ dexteræ nunc appellant (*g*). Quin diem quoque inter eos relatum fuiſſe conſtat, quibus ex Eccleſiæ ritu feriatio a laboribus publicis graviter cauta eſt (*h*). Plerique poſtea, ubi corpus Stephani, præter oſſa in pulverem redactum eſſet, divino Numinis beneficio eveniſſe exiſtimabant, dexteram, non tam ob geſtum ſceptrum, quam munificentiam in egenos, qua illum mirum in modum, cum vixit, præcelluiſſe annales memorant, corruptionis expertem manſiſſe. Ceterum monaſterio, cujus Bonfinius meminit, *Berekys* nomen fuiſſe, in relatione privilegii Belæ regis, a Carolo poſtea confirmati reperio: quod, quamquam Ladislaus ampliſſimis latifundiis donaſſet, ad ſummam poſtea penuriam Colomani avaritia redactum eſt. (*i*).

Interea cum Legati, quos Ladislaus miſerat, Romam proficiſcuntur, litteræ a Pontifice afferuntur in hanc ſententiam exaratæ. *Pontificis ad Ladislaum litteræ.*

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum DEI,
Ladislao Hungarorum Regi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem (*k*). 1079.

Sicut fidelium tuorum crebra legatione cognovimus, idemque ipſum noſtris atteſtantibus ratum habemus, excellentia tua ad ſerviendum beato Petro, quemadmodum religioſa poteſtas debet, & ad obediendum nobis, ut liberalem filium decet, toto affectu, & cordis intentione parata eſt. Unde nimirum devotionem mentis tuæ ſuper hoc ſtudio non indigne laudamus, eique ſincere congratulamur, quod quidem optimorum regum ſequendo veſtigia illuſtrat, ſervando tam in moribus normam juſtitiæ, quam etiam lineam nobilitatis in ſanguine. Igitur quia de Celſitudinis tuæ liberalitate, & obedientia ſatis confidimus, ad quiddam noſtræ univerſali ſolicitudini congruens, quod honori quoque tuo non parum concordat, invitare te non dubitamus, quatenus in eo, & illa, quæ de te verbis ſolis credita ſunt eſſe vera, facti indicio pateant, & nobis ſit aperta firmior cauſa, qua te præ ceteris regiæ dignitatis amplius,

V 2 *ſpeciali-*

g) Dec. II. Lib. IV. & in pleriſque conſentit Carthvitio. Annus tamen aut videtur mendoſus, aut Bonfinius non ſuo loco rem narravit, dum narrationi de elevatione corporis S. Stephani, id factum inſeruit. Quæ res ex inſtrumentis litterariis Abbatiæ illius, ſi quæ exſtant, ad liquidum dirimi poſſet.

h) In calendario Breviarii Strigonienſis de anno 1424. inter reliqua Hungariæ feſta cenſetur Inventio dextræ S. Stephani XXX. Maji.

i) In Hiſt. Zagrabien. pag. 127.

De Dextera S. Stephani Regis ex Privilegio Belæ Regis relatio.

Quod anno regni S. Ladislai ſeptimo, Chriſti 1078. revelata eſt Dextera S. Stephani Regis, quæ in revelatione ejus corporis furto ſublata fuerat, & per Mercurium Patrem Kapanani Alberſis Præpoſiti, qui Mercurius poſtea ejuſdem Eccleſiæ Archi-Abbas extitit, in eum locum in quo nunc adoratur ablata, quo audito Ladislaus Rex ſtipatus Nobilibus, ad eam adorandam & ad corpus reportandam advenerat, ſed cum ab eodem Mercurio didiciſſet, hoc Divino factum eſſe conſilio, ut eo ſancta Dextera collocaretur, veritus S. Rex, ne Sanctum Stephanum offenderet, de ſuorum conſilio, Monaſterium ligneum in honorem B. V. M. in Eodem loco fundavit, ac ex ſuis - - nicis Prædiis dotavit. Moriens deinde Almo Duci, ut e muro ædificaret monaſterium commiſit. Quod & fecit, Colomanus deinde Monaſterium tributo per Ladislaum Regem dato privavit, illudque filiis Pauli Palatini Comitis, & Cor, - - commiſit. Qui poſt, Privilegium S. Ladislai combuſſerunt. Poſtea vero cum Piiſſimus Rex Jeſſe Belæ Regis filius hoc comperiſſet, Monaſterium profanatum, ob Agrienſi Epiſcopo ſuprema, ac a Ded Epiſcopo Vacienſi, cum conſenſu Lucæ Archi Epiſcopi Strigonienſis, conſecrari fecit, Tributumque reſtituit, & a Plebano cuſtodiendum dimiſit. Mortuo hoc rege Jeronimus, & Cornelius, Abbate expulſo, Prædiiſque direptis Monaſterio diruto, locum fecerunt deſertum. Quare coram Rege Stephano, Regis Jeſſe filio, ſecundum Canones convictos, Idem Lucas Archi-Epiſcopus excommunicavit, denunciavit. Rex deinde Monaſterium reſtituit, ſoliuſque Regis, & Archi-Epiſcopi Strigonienſis Authoritati ſubjecit. De hac relatione Georgius Marcellevich in adverſariis ſuis ita ſcribit: ad annum 1326. *Exſtat antiqua littera plicata, an copia? an Authentico? ob antiquitatem neſcitur. In qua Carolus Rex, ad preces Joannis Abbatis Eccleſiæ S. Dexteræ, confirmat Privilegium condam Belæ regis. In quo idem Bela exponit: Qualiter Simon Abbas Berekis petierit ut Privilegium Regis Stephani Regis Jeſſe filii, avi ipſius Belæ, in quo univerſo Bona Monaſterii Berekis continentur, renovaret, quod Privilegium in ſe contineret.*

k) Apud Harduinum Tom. laudato. col. 1416. ad an. 1079.

1079. *ſpecialiuſque diligere merite debeamus. Itaque Comites illos - - - - (l) eorumque milites, quos beato Petro fideles, juſtitiæque fautores injuſta, ut accepimus, ſententia in exilium expulit, tibi commendatos eſſe ex parte noſtra optamus. Et quia hactenus illis ſubvenire ex induſtria propria claritudo tua curavit, ſentiant ſibi nunc ob fidelitatem Beati Petri, noſtramque commendationem ſolatii, auxiliique munus copioſius acceſſiſſe. De cetere prudentiam tuam monemus, ut viam juſtitiæ ſemper ſtudeas irreflexo calle tenere, & viduas, & orphanos, & peregrinos paterna pietate tueri; Eccleſias non modo non lædere, ſed etiam ab arrogantium, & invaſorum petulantia, & temeritate defendere, nec non & alia, quæ recte intelliges, procures diligenter ſervare. Illud quoque nihilominus ſcire te volumus, quosdam nomine tuo legatos ad nos olim veniſſe, quibus item nos iſtud injunximus, ut dilectioni tuæ ſuggererent, quatenus alios deſtinare, quo certiores efficeremur, cenſeret. Verum nobis adhuc in incerto manet, an ad te mandata noſtra perlata ſint, an aliquos poſtea miſeris; liquet autem neminem a te legatum ad nos poſt inde veniſſe. (m) Quare decrevimus ad te iterum idem repetendo ſcribere, itidemque de Comitibus, quod jam poſtulavimus iterando inculcare, quo & nuntios, ſi nondum miſiſti, non ulterius mittere negligas, & prænominatis omnibus præſidii manum familiarius, proniusque in cunctis porrigere ſtudeas. Omnipotens, & miſericors Deus, a quo bona cuncta procedunt, per merita, & interceſſiones beatæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, & beatorum Petri, & Pauli greſſus tuos per viam deducens juſtitiæ conſtanter dirigat uſque ad finem, & ſic hujus vitæ temporalia regni gubernacula faciat temperare, quatenus æterna promerendo valeas adipiſci. Data Romæ XII. Kal. Aprilis. Indictione ſecunda.*

Hactenus Gregorii epiſtola, ex qua nullo negocio eruitur, Ladislaum anno priore ex regni ritu & conſuetudine corona eſſe redimitum, ac obedientiam ſedi Apoſtolicæ ſpopondiſſe, plerisque tamen optimatum, ut ex litteris non obſcure conjicitur, diſſentientibus. Cum enim duo Comites, quorum litteræ non expreſſis diſerte nominibus meminerunt, *ob fidelitatem beati Petri* in exilium ejecti ſint, & credibile non ſit a Ladislao propterea ejectos, neque a paucis Procerum exilio mulctari potuerint, opinor, hos duntaxat duos Ladislaum, ſi regnum clientelari jure a Pontifice accepit, conſentientes habuiſſe, ceteros non item. Sed hæc, qui eam litem nobis propriam non facimus, in modum conjecturæ innuere ſolum libuit, nec quidquam momenti in utramvis partem habere volumus, quando, qua erga Romanam ſedem obſervantia rex eſſet, non modo vita ad probitatem omnem exacta, ſed morte etiam, ſanctimoniæ ſama illuſtri, oſtendit.

Boleslaus Poloniæ rex ad Hungaros confugit. Hæc cum ad ſuorum exemplum Ladislaus pie agit, aliam prorſus viam propinguus illi Boleslaus in Polonia iniens, ex rege in barbarum commigravit. Id quem in modum evenerit, quoniam ſceleris exemplum ad erudiendam poſterorum virtutem facit, nec nihil ad res Hungaricas in exitu pertinuit, non erit ad annales inpertinens, ſi hoc loco referamus. Boleslaus cum adulteriis, & promiſcua libidine thoros alienos, & pudicitiam invaderet, privatæque commonitiones Stanislai Cracovienſis Epiſcopi nihil proficerent, gravi anathemate perculſus vindictam, & cædem ſpirabat. Neque multo poſt correptis armis amens cum compluribus ſatellitibus Præſulem ad cædem quærit, cumque illum ſacris operari audiret, fruſtra immiſſis, qui neci Epiſcopum dederent, ipſe, increpita ſicariorum ignavia, ſtricto enſe in templum irrumpit, letalique ictu ſanctiſſimi viri verticem tam immaniter ferit, ut accepto vulnere pro-
1080. cumbens proximos parietes tabo conſpergeret (*n*).

Singularis Gregorii in eum animadverſio. *Hæc ubi Romæ nunciata ſunt, Pontifex Maximus - - atrocitate rei commotus, toti Poloniæ ſacris interdixit, Boleslaum diris devovit, regnumque ipſi ſolenni ritu abrogavit. In poſterum quoque, ne quem Epiſcopi regem injuſſu ſuo ungerent, & coronarent, edixit. Qui vero ſocii ſceleris regii fuiſſent, eos ſimul, & poſteros eorum uſque ad quartam propaginem*

l) Contextus ita habet hoc loco: *vel - - videlicet D - - & C. - -* Crediderim Comitum nomina, qui in exilium expulſi ſunt, initialibus litteris deſignata, aut ſi penitus ſcripta fuerint, exeſa eſſe. Fortaſſe ex Comitum horum nominibus aliquid lucis epiſtolæ huic affundi poterat.

m) De qua Legatione hic Pontifex loquatur, in obſcuro eſt, nam veniſſe quidem Legatos ab Ladislao miſſos in epiſtolæ principio diſerte fatetur. Neque conſtat, quid deinceps ea in re actum fuerit, nulla enim præterea hujus Pontificis ad regem epiſtola exſtat.

n) CROMERVS rerum Polon. Lib. IV.

gium; a ſacerdotii, & omnium magiſtratuum Eccleſiaſticorum functionibus, & emolumentis alienos eſſe juſſit. Erant autem ii ſatellites equeſtribus, & honeſtis quatuor fere familiis quæ in hodiernum diem in Polonia durant, orti, nempe Stremenii, Strenavii, Druzinii, & Jaſtrembecii. Nihilominus tamen annum, & amplius Boleslaus poſtea regnavit, ſed inviſus omnibus, & externis etiam contemtibilis, ita, ut jam Ruſſorum Principes ab eo ſubacti imperium ejus detrectarent. Conſpirarunt deinde in necem ejus nobiles, & proceres nonnulli; qua conſpiratione detecta, veritus ne ad plures ea etiam pertineret, in Ungariam cum filio Mieſcone, & paucis comitibus fugit. (*o*) Ladislaus, tametſi immane facinus, ut æquum erat, averſaretur, tamen, quod ſanguine junctus, & miſero nuſpiam perfugii locus eſſet, præterea beneficii, quod ſibi, & fratri olim adverſus Salomonem impendiſſet, memor, comiter illum hoſpitio accepit. 1080.

Salomon non invitus in Ladislaum jus regni transfert.

Hungari exemplo Polonorum, apud quos poſt Boleslai abitum turbis omnia miſcebantur, veriti, ne conſimili malo regnum quoque involveretur, in conciliando Salomone omnem operam locabant. Res in principio videbatur ægre ex ſententia caſura, quod Salomon eodem jure, quod prius habuerat, regno ſe peteret reſtitui, optimates contra vehementer renuerent, rati cum regno ferociam Salomoni facile redire poſſe. Ad extremum conſtantia procerum victus, non invitus de jure ſuo deceſſit, modo de redditibus ita ſibi caveretur, ut regum more vitam agere citra fraudem, & malum dolum integrum ſibi eſſet. Ita pax demum coaluit, ob levitatem tamen Salomonis haud diuturna (*p*).

Boleslai miſera, ſed incerta mors.

Boleslaus anno in Hungaria vixdum exacto, cum in dies patrati ſceleris conſcientia, acerbo ſane, & infatigabili ſceleratorum carnifice, exagitaretur, amentia correptus violentas manus ipſe ſibi intulit. Quamquam non deſint, qui eum concito equo, cum venatum exercet, in avias ſilvas delatum, & a canibus diſcerptum ſcribant: alii contra cum temere ſaltus oberrat ad cœnobium inter alpes ſitum perveniſſe memorant, ubi imprudentibus omnibus, quis eſſet, vitam inter arduos labores, pœnitentia commiſſi ſceleris ſuſceptos, cum morte commutarit, viſiturque, ſi Cromero fides ſit, in Oſſiacenſi Carinthiæ monaſterio monumentum lapideum, quod titulum regis, & patrati criminis memoriam referat. (*q*) In ejus loco Uladislaus frater rerum ſummam in Polonia, quamquam Ducis ſolum titulo inſignis, adeptus eſt, Hungariæ regibus haud multo poſt ſanguinis neceſſitudine conjunctus, quippe qui Juditham Uratislai Bohemiæ regis gnatam, ex Adelhaide Andreæ Hungarorum regis filia, aut, ut ſupra conjeci, ſorore potius ſuſceptam, matrimonio ſibi copulavit, ex quo Boleslaus hujus nominis III, ac Sbigneus procreati, quorum ille rerum geſtarum gloria celeberrimus, hic ob vaferrimum, & turbulentum ingenium, exilio mulctatus, infame nomen poſteris reliquit. (*r*) 1081.

Inde bellum, ut noſtris placet, in Polonos ſuſceptum.

Mieſconem, quem in Hungariam cum patre fugiſſe narravimus, Uladislaus ejus fortunæ miſertus, cum ceteris exulibus hoc anno revocavit, metuens fortaſſe, ne ope Hungarorum, in quorum gratiam ob ingenuam indolem ſe ſe juvenis inſinuarat, regnum paternum armis repeteret. (*s*) Fortaſſis hac occaſione, ut domeſtici ſcriptores memorant (*t*), Ladislaus bellum Polonis indixerit, ratus Mieſconi regnum injuria a patruele eripi, alioquin quid cauſæ Ladislao fuerit ad corripienda in Polonos arma, profecto non apparet. Atque bello hoc Cracoviam trimeſtri ſpacio a noſtris obſeſſam, & fame ad deditionem oppidanos adactos ferunt, tametſi Polonici ſcriptores nihil prorſus iſtorum meminerint, ceteroquin in conſignandis finitimorum rebus geſtis non indiligentes, ut adeo expeditionem hanc, quemadmodum & Bohemicam, quam, illa confecta, itidem ſuſcepiſſe Ladislaus ſcribitur, in medio relinquere, malim, quam quod non penitus certum ſit, litteris conſignare. Mihi enim vero ſimillimum eſt, Ladislaum, quem juſtitiæ retinentiſſimum fuiſſe noſtri perhibent, niſi data ab hoſtibus cauſa, eſſet, nunquam bello finitimos appetiiſſe. Nihil autem ſive a Polonis, ſive Bohemis cauſæ Ladislao hactenus oggeſtum memoratur, & Cunis cum neutra gente, ſeu armorum, ſeu voluntatum communio unquam interceſſit.

o) Idem ibid.
p) Thvrocz. Chron. cap. LVI.
q) Cromerva rerum Polon. Lib. IV.
r) Idem ibid. Lib. V.
s) Idem Lib. V.
t) Thvrocz. Chron. cap. LVIII.

1082.

Salomon inſidiarum convictus in carcerem retruditur.

Salomon interea ſive ſuapte ingenio quietis impatiens, ſive Mieſconis haud ita dudum in Poloniam revocati exemplo ad ſpem regni incitatus, novas res adverſus Ladislaum agitare cæpit. Et quia vi aperta graſſari nec tutum, nec ſibi utile futurum providebat, ad dolos convertitur. Litteris ad Ladislaum exaratis magnopere orat, ut in agro Moſſonienſi ad colloquium venire, ſi modo per regni curas id fieri poſſet, ne gravetur, velle ſe cum eo de rebus & magni momenti, & utilibus conferre. Ladislaus ad ſtatum diem ſe adfuturum recipit, ne repulſam paſſo novandis rebus occaſionem præbuiſſe videretur. Interim clandeſtino nuncio admonetur, parari ſibi ab Salomone inſidias, colloquium eam ob cauſam ſolum prætexi, ut incautum, & nihil tale metuentem comprehenderet. Edoctus de dolo Ladislaus magno Procerum præſidio ad colloquium venit, deprehenſum in fraude Salomonem capi jubet, & nec patientem privatæ ſortis, nec publicam æquanimiter ferentem, volentibus Proceribus, carceri Viſegradienſi includi. (u) Ita arte ſua captus Salomon,
1083. dum coronam in illum transferre Ladislaus meditatur, in illius loco vincula recepit.

At, dum Stephanus inter Divos refertur.

Haud diu tamen iis tentus manifeſta Numinis voluntare libertatem adeptus eſt. Cum enim anno ſupra milleſimum tertio, & octogeſimo vulgatis late Stephani prodigiis decretum in Romana ſynodo eſſet (x), ut quicunque prima Chriſtianæ religionis fundamenta apud Hungaros jeciſſent, tumulis excepti honeſtiori loco conderentur, ut illis ea ratione inter Divos relatis major honoris ſignificatio haberi poſſet, incredibile totius Hungariæ ſtudium in exornando Stephano eluxit, immenſamque hominum copiam, ubi primum ſolennitatis futuræ fama increbuerat, Albam regiam promiſcue excivit. Ut Legatus Pontificius appulit, *accepto diplomate Ladislaus -- habito optimatum, antiſtitumque conventu tridui cunctis jejunium indixit, omnes hortatus, ut precibus, inedia, ſupplicationibus, eleemoſynis auſpicia divina captarent, quibus divinam voluntatem intelligerent. Exacto jejunii tempore, ad Divi regis tumulum perventum eſt; cujus lapidem cum amovere contenderunt, nulla vi loco movere potuerunt. Hoc eo tempore portentum interceſſit, quo exorta inter Ladislaum & Salomonem -- ſeditione alter alterius juſſu gravi carcere coercebatur. Conatus ingens regem fruſtratus in admirationem ſummam adegit, ac tali oſtenſo deterrebat omnes, qui iratum Numen auſpicabantur. Tunc virgo quædam, Charitatis nomine appellata, quæ haud procul a baſilica in Servatoris æde ſanctiſſime vivebat, repente Ladislaum admonuit, eum fruſtra conari, neque lapidem e tumulo dimoveri poſſe, quouſque* (Salomon) *carcere educeretur. Rex ſacræ virginis oraculo admonitus, Salomonem e vinculis continuo expediri jubet: tridui jejunium iterum indicit, tertio die ſacris rite peractis, ſpectante frequentiſſima populorum multitudine ingens lapis faciliime ablatus eſt* (y).

Manifeſta Numinis voluntate liberatur.

Prodigia ad tumulum SS. Stephani & Emerici patrata.

Remoto lapide tam mira omnes adſtantes fragrantia afflavit, ut baſilica cœleſti quodam rore compleri videretur. Inde corporis, quod ante quinque & quadraginta annos humatum fuit, reliquiæ loculo argenteo (z) reconditæ, omnium venerationi exponuntur, fuitque tanta hominum certatim affluentium copia prodigiis accita, ut nemo unus beneficii expers abiret. *Ibi in tanta multitudine cernere erat, ambulare claudos, cæcos inſtauratis luminibus videre, mutos loqui, leproſos, paralyticoſque curari, nutantes in fide animos confirmari, omnes denique corporis, & mentis ægritudines abigi.* (a) Feruntque puerum repentina morte exanimatum, cum mater ad divi regis

u) Bonfin. Dec. II. Lib. IV.

x) Auctor ſuppar vitæ S. Gerardi. „Præfati denique regis (Ladislai) tempore a „ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſynodo inventum eſt, ut corpora eorum, qui Pannoniam fidei prædicatione rigaverunt, deberent ſummo honore venerari, & ea dignis ſedibus collocari. Venienteque ſedis Apoſtolicæ Legato, factoque nobilium Pannoniæ conventu, ſanctum corpus elevatum eſt.„

y) Bonfin. Dec. II. Lib. IV.

z) Mſ. Mellicenſe narratis fere omnibus, ut apud Carthuitium, & Bonfinium ſunt, ita habet: „ſicque venerunt ad locum, ubi ſanctiſſimum corpus claudebatur; quem ſolventes aperuerunt, tantaque odoris diffuſio aſcendit, quanta nunquam aſtantibus apparuit, ac omnium, qui illuc accurrerant, membra languidorum curata ſunt: cæci lumen, claudi plantarum ſoliditatem, leproſi mundam cutem, paralytici ſalutem, omneſque, quacunque doloris tenebantur obſeſſione, curam meruerunt. Aſſumpto inæſtimabilis pretii pondere, omnipotenti DEO gratias egerunt, deferenteſque in theca argentea ſignaverunt.„

a) Bonfin. Dec. II. Lib. IV.

gis ſepulcrum Numen oraret, ut ſibi filium, ætatis ſuæ ſolatium, interceſſu Stepha- 1083.
ni redderet, inſpectantibus omnibus humi porrectum ſubſiliiſſe, & in matris ample-
xum ſeſe effudiſſe. Eadem opera Divi Emerici corpus pari ſolennitate & præroga-
tiva conditum, ne pater a filio, quoniam in vivis ſanctitate viciſſim certabant, poſt
mortem ſepararetur, noſtri communiter perhibent. Abhinc publica honoris ſignifi-
catione, & paſſim apud exteros cultus utrique delatus, brevi orbem ſanctimoniæ *Cultus eorum ad exteros propagatus.*
fama ſic implevit, ut magna e longinquis terris quotannis concurſatio ad tumulum
eorum fieret, nullo facile, qui voti damnatus non eſſet, diſcedente. Sed hæc
olim: nunc quo loco ſacerrimæ exuviæ deliteſcant, in obſcuro eſt. Certe ex Hun-
garia elatas ſive Tartarorum, ſeu quod potius reor, Turcarum metu, plerique exi-
ſtimant. Neque id ſine Numine factum fuiſſe cenſendum, quaſi Stephanus, qui
primus omnium regum inter Divos relatus ſit, abhinc, quam ſectarum novitas ex *Ubi ſacræ exuviæ nunc lateant, in obſcuro eſt.*
Tranſilvania in Hungariam irrupiſſet, regnum, quod ſinceræ religioni primus initia-
rat, deſerere maluerit, quam tam perditis partium ſtudiis laceratum intueri. Eme-
ricus cum patre elatus quoque Hungaria, vota, & deſideria omnium iſthuc fortaſ-
ſe rapit, ubi matrem Giſelam tumulo illaram eſſe conſtans opinio eſt. Quo ſi poti-
retur Hungaria, profecto theſaurum nullo precio parabilem habeat. (*b*) Hæc de
Divi regis apotheoſi, quantum ad profanos annales attinebant.

Salomon, qui ſolennitati Albæ regiæ itidem interfuit, parum memor bene- 1084.
ficii, quod tam manifeſta DEI voluntate ab Ladislao accepiſſet, ad Cumanos ſequen- *Salomon beneficii immemor ad Cumanos in Moldaviam ſecedit.*
te anno fuga evaſit. (*c*) Iſthic *Kuteskium* provinciæ illius ducem adit, eumque pre-
cibus, ac pollicitatione in ſuas partes allicere nititur, ſpem prædarum, eamque fa-
cilem, & uberrimam oſtentat, modo ne ſibi, & pulcherrimæ occaſioni deeſſe vel-
let. Nutantem barbarum jure jurando flectit, quo ſe Tranſilvaniam illi tributariam
daturum recipit, tum filiam ejus, quamquam Sophia, ut puto, adhuc in vivis eſſet,
uxorem ducturum, ſi auxiliarios ſibi, quibus Ladislaum de regno deturbet, polli-
ceretur. Væſanum conſilium! quod ſicut ex nefaria regnandi libidine coeptum eſt,
ita infauſto eventu terminatum. *Kuteskius* tot rationibus, ac inprimis ſpoliorum opu-
lentia perſuaſus, Salomone duce immenſas copias Hungariæ infundit, Ungenſem, *Conciliatoque iſtorum Duce in Hungariam incurrens.*
Borſienſemque provincias fœdiſſime vaſtat, cædibus ac rapinis immaniter ſæviens.
Credibile eſt, ut ex itineris ratione conjecturam capio, Cunos hos Moldaviam co-
luiſſe, illaque parte, qua Pruthus amnis Podoliam præterlabitur, in Marmaroſien-
ſem tractum primum irrupiſſe, tum finitimas circumquaque plagas, quod præſidio
deſtitutæ eſſent, infeſtis agminibus percurſaſſe. Haud diu id tamen illis impune fuit.
Ladislaus enim, cognito hoſtem in regno crudeliſſime bachari, rapto celeriter exer-
citu in barbaros movet, nihilque minus, quam prælium inſtare opinantes, aggreſ-
ſus, cæſis aliquot millibus in fugam, & ex Hungaria penitus agit. In victoriæ loco, *A Ladislao profligatur.*
quam Numinis auxilio cum paucis ſuorum contra tam immenſam multitudinem pu-
gnans, adeptum ſe eſſe intelligebat, Baſilicam ſumtuoſo opere exſtruxit, ut beneficii
ad poſteros memoria exſtaret (*d*).

Profligatis Cumanis nihilo minus ſpem adipiſcendi regni Salomon ponebat, 1085.
ſed, ut erat in capiendis conſiliis temere præcox, ita in exequendis, præſertim ſi *Inde iisdem auxiliaris in Bulgaros movet.*
eventus non reſponderet, leviſſimus, aliam viam iniens, bellum ſequente anno in
Bulgariam ac Græciam cum iisdem auxiliariis Tzelgo, duce tranſtulit. Opinor ſpem
non de nihilo ſumens, hac parte, ſi res ex ſententia caderet, Hungariam ſe facile
invaſurum.

Quo eventu res geſta ſit, juvat Annæ Comnenæ verbis, ſi modo patri ſuo
nimium blandita non eſt, referre. *Vere primo*, ſcribit, (*e*) *Tzelgu dux ſupremus ſcythicæ militiæ, transgreſſus anguſtias montium, qui Danubio ſuperjacent, cum mixto ex variis gentibus exercitu octoginta fere millium, partim Sauromatarum, ac Scytharum, par-* *Improſpero plane eventu.*

b) Giſelam Paſſavii apud ſanctimoniales conditam eſſe omnes affirmant, refertque Aventinus ſuo etiam ævo Hungaros pietatis cauſa iſthuc peregrinatos fuiſſe.

c) Timon id affigit ad annum 1086. Sed cum Thurotzius dicat, paucos poſt dies Salomonem iſthic reſtitiſſe, tandemque ad Cunos abiiſſe, veriſimilius eſt, huic anno rem reddendam eſſe.

d) Thurocz. Chron. cap. LVI.

e) Alexiados Lib. VII.

1085.

tim etiam Dacorum, nam & hujus generis haud parva manus ductore Salomone - - Tzelga ſequebatur, objacentes Chariopoli civitates, atque ipſam adeo Chariopolin latrociniis agebat, ferebatque, plurimamque ex omnibus corradens prædam, in ſtativa convehebat, apto ſitu munita ad locum Scotinum - - dici ſolitum. His cognitis Nicolaus Maurocatacalo & Bempetziotes nomen a patria ſortitus, cum ſuis quiſque copiis Pamphylum occupant, locum ita vocatum. Ibi cum viderent ruſticos pagorum, villarumque circumjacentium paſſim cum magna trepidatione in urbes, atque arces munitas ſe, ſuaque in tutum recipere feſtinantes, ut regionem ob incurſionum metu tegerent, promovent a Pamphylo ad oppidulum, cui nomen eſt Cule; eoque in loco univerſos copias congregant. Hanc mentem, ac deſtinationem - - - Romani exercitus odorati Scythæ, conjuncti & ipſi ſequi Romanos inſtitere, veſtigiaque ipſorum indagare, ac premere. Die illuceſcente ſiſtit ſuos Tzelga, & ad pugnam cum Maurocatacalone mox laceſſendam inſtruit. Ille cum lecto comitatu tribunorum eminentiorem cetera planicie locum ſuperat, barbaricas inde copias ſpeculaturus, quarum ingens animadverſa multitudo magnam ei dubitationem objecit, ecquid e re foret, Romanas, quæ ibi tunc erant, legiones, ne cum parte quidem una de multis ſcythici, quem ſpectabat, exercitus numero comparabiles tali loco committere cum barbaris? multa dehinc reverſis a ſpeculando deliberatio fuit, quid facto eſſet opus. Adhibiti ſunt ceteri cohortium ductores - - plerique omnes contra Maurocatacalonis ſententiam, non detrectandum prælium cenſebant, frequenteſque incumbebant ad adhortandum Ducem, prudentiæ ratione, non frigore animi, aut ignaviæ vitio cunctantem, ut virtuti ſuæ, ſuorumque fideret. Quid multa? pervicerunt: ipſeque Maurocatacalo propriæ generoſitatis impetum commilitonum ſuffragio probatum contra ſuæ ipſius interdicta ſapientiæ ſecutus, trifariam diviſas copias ducit in barbaros, acreque cum ipſis conſerit prælium, quo illorum multi vulneribus proſtrati, multi occiſi, Tzelgu ipſe dux fortiter pugnans, phalangeſque conturbans totas interfectus eſt. Plerique per fugam trepidam temere ſe mutuo incurrentes, conculcanteſque, indeque in voraginem medio inter Scotinum & Culen itinere hiantem acervatim prolapſi, ſuffocati ſunt. Pars, quæ Salomoni parebat, viæ moleſtia, quam ſolutæ nives impeditiſſimam reddiderant, occupati, in caſtro quodam deſerto, ſed ad vim repellendam utcunque comparato, includuntur. Erantque cum ob famem, tum ob cœli inclementiam haud dubie deditionem facturi, niſi Salomon paucis Cumanos cohortans facta ferro via periculum, quamquam magna ſuorum cæde, evaſiſſet. Inde trajecto Danubio ſuos in ſilvam, ut ab hoſtium vi, & inſidiis tuti eſſent, reduxit (*f*). Hic ſuos jumenta cum coporibus curare jubet, ſe, qui nemoris aditus omnes explorare interea cupiat, mox adſuturum pollicitus. Verum Salomon, ſeu viam nullam recuperandi regni haberet reliquam, ſeu alia de cauſa tædio viciſſitudinum humanarum captus, mentem in melius commutans, ſilvarum latebris immerſus videri abhinc deſiit, neque unquam deinceps in Hungaria, niſi Colomani tempore, idque ſemel dumtaxat conſpectus. Exemplum, quam res mortalium inanes ſint, futurus poſteris, qui cum regnum ter adeptus, totieſque illo privatus fuiſſet, ſolium eremo commutans, ferarum, quam hominum ſocietate frui maluerit.

Cum paucis ſuorum periculo ſubductus videri deinceps deſiit.

1086.

Et locus, & annus mortis incertus.

Ceterum ubi locorum, aut quo anno Salomon e vivis exceſſerit, vehementer dubium eſt. Quidam Polæ in Iſtria cum fama ſanctitatis defunctum perhibent, eaque opinio paſſim hactenus obtinuit: nonnulli contra monaſticæ diſciplinæ in cœnobio Auſtriæ ad ſanctam Crucem initiatum, & iſthic exactis in ſumma rerum omnium abſtinentia vitæ diebus ſepultum volunt. Utri rectius, difficile eſt ſtatuere. Jongellinus Abbas montis S. Diſibodi hunc in modum de re ſcribit. (*ff*) *Illud denique certum eſt, quod in monaſterio noſtro ſepultus ſit Salomon, regis Ungariæ* (Andreæ) *filius: qui dignitatem regiam fugiens inſciis omnibus, ad mortis prope terminum ad nos ſe proripuit, frater converſus profeſſus, ſubulcum egit ignotus. Ubi vero determinate tumulatus ſit, certo non conſtat: probabiliter tamen penes dextram ſummi altaris ante S. Sebaſtiani altare legitur requieſcere.* Hæc ſe ex tabulario ejuſdem monaſterii promſiſſe teſtatur. Quibus

Au-

f) Idem ibid. Fateor, ut Timoni res iſtorum annorum incertæ ſunt, ita nec mihi liquidas eſſe. Si tamen ſeriem rerum geſtarum ſub Ladislao perpendam, probabile admodum eſt, his circiter annis affigi debere.

ff) In notitia Abbatiarum Ord. Ciſt. Lib. IV.

Google

Auguſtinus Sartorius idem argumentum tractans (*g*) addit: Salomonem illo ſubulci ſimulacro ipſos adeo viginti & quatuor annos delituiſſe.

Auctorum ea de re opiniones.

Quæ ut temere a ſcriptoribus bis in medium prolata fuiſſe exiſtimari non debent, tum ob rerum circumſtantias tam minutim conſignatas, propemodum vera videntur, ita ob chronologiæ rationes, quæ, ſi opinionem hanc valere velimus, magnopere laxantur, probari mihi prorſus non poſſunt. Etenim, cum Salomonem anno ſeculi hujus quinquageſimo octavo nondum ſeptennem, corona juſſu patris redimitum fuiſſe ex coævo auctore docuerimus, conſectaneum eſt, anno ſecundo ac quinquageſimo, ut ad hunc annum a nobis itidem memoratum eſt, in lucem fuiſſe editum. Cænobii autem ſanctæ Crucis initia Ortilo illius ætatis ſcriptor affigit ad an. M. C. XXXIV. (*h*) cui primus omnium Godeſcalcus e Gallia evocatus præfuerit. Credibile non eſt, Salomonem inter primos fuiſſe, qui cænobium illud coluere; quoniam idem ſcriptor undecim ejus inſtituti viros ex Gallia accitos fuiſſe eum ob finem perhibet, itaque annos aliquot elabi neceſſe fuit prius, quam Salomon id cænobium ingreſſus eſſet. Jam ſi, quod Sartorius vult, viginti & quatuor annos ante mortem iſthic moratus eſt, perſpicuum fit, Salomonem, cum obiit, annos ætatis centum & decem, ut parce dicam, exæquaſſe. Quod an de homine a teneris educto inter delicias, tum belli laboribus conſtanter exercito ſuaderi veriſimiliter poſſit, magnopere ambigo. Mihi, quod Sartorius de ſubulco refert, prorſus improbabile videtur, quando Salomonem, ut præteritam vitam pœnitentia elueret, huc delabi neceſſe non fuit, & ſanctimoniæ fama, qua illum deceſſiſſe plerique exiſtimant, alioquin obtineri poſſit. Itaque ſi hoc, ut merito debet, rejicimus, facile fidem Jongellino tribuemus. Nam hunc in modum nihil prorſus eſt; cur Salomon monaſticam diſciplinam iſthic profiteri non potuerit, cum ætatis titulo, fuiſſet enim octogenario paullum major, tum ob exempla illis temporibus uſitata, quando Conradum Leopoldi Pii filium eadem ætate idem cænobium ingreſſum eſſe auctor ſupra laudatus memorat (*i*). 1087.

Svoinimirus Dalmatiæ, ac Croatiæ rex ſine herede deceſſit.

Inter hæc Svoinimirus Croatiæ ac Dalmatinorum rex ſine hærede extremum diem obiit, quæ res magnas deinde in Croatia turbas concivit, & occaſionem Ladislao præbuit, illius partem juribus Hungariæ armis aſſerendi. Occiſum a ſuis Svoinimirum Tubero narrat (*k*), cum litteras a Pontifice miſſas, quibus ad ſacram profectionem invitabatur, habito regni conventu legi juſſiſſet. *Sed Croatarum gens*, ſcribit, *protinus indignari cœpit, ita, ut vix perlegi pateretur litteras: non ſolum itaque non conſenſerunt litteris, & hortationi Pontificis, verum etiam in regem ſuum inſurgentes, magno tumultu, & vociferatione conqueſti ſunt, illum hujuſce rei authorem eſſe, ut ipſi relictis conjugibus, liberis, patrioque ſolo, procul per alienas domos errent, aliena ſequantur imperia, nec expedire ſibi loca illa ſancta, ſi liberentur. Atque ita infeſta concio peſſimis uſa conſiliis nequivit inhiberi, quin repente ſanctiſſimum regem Zuonimerum invadentes, multis conficerent vulneribus, atque interimerent.* Inſignem tamen errorem Tuberoni obrepſiſſe, certum eſt. Quod ſacra in Palæſtinam expeditio anno abhinc nono primum a Concilio Claramontano decreta ſit: tum placida, non item violenta morte ſublatum fuiſſe Svoinimirum ex Archi-Diacono Spalatenſi infra relaturi ſimus.

Neque tamen, quod aliqui rentur, violenta morte.

Eo defuncto qui fuerint re-

Operæ precium me facturum puto, quoniam Croatarum, ac Dalmatinorum res magnam partem cum Hungaricis poſtea implicabuntur, ſi quibus limitibus olim,

g) Ciſtercii Bis Tertii Tit. XVI.

h) In Chron. ad an. 1134. „Liopoldus „Pius Marchio ante rogatus a ſuo filio Ottone in Morimundo, ut ordinem Ciſterclenſem in patria ſua inducere vellet, elegit locum Sattelbach. Ad quem Otto „hoc anno ex Morimundo miſit Gotſchalchum Abbatem, & Wilhalmum Priorem „cum undecim monachis, quos Marchio „aluit, & ſtatim monaſterium conſtruere „cœpit.„ Locus Sattelbach an. MCLXXXII. ob particulam crucis a Leopoldo Duce dono datam, dictus eſt, Vallis Nemoroſa ad S. Crucem.

i) Ortilo in Chron. ad an. 1137. „Chonradus junior frater (Ottonis Epiſcopi Friſingenſis, qui Leopoldi Pii itidem filius erat) „in Sattelbach induit habitum monaſticum, cui loco Liupoldus Marchio regnans bona prædia, Trumove, & Dallhern donavit.

k) Apud Rattkay Memor. Regum & Banor. Dalm. Croat. & Sclavon. Lib. II. pag. 53. Sed ipſe etiam labitur, cum ſcribit Svoinimirum exceſſiſſe anno 1069., cum tamen ejuſdem regis diploma exſtet apud Lucium de anno 1087.

In Dalmatiam tamen, quod noſtri volunt, non penetravit, in Hungariam ob Cumanorum irruptionem revocatus.

ctabant, opem ferret. Ceterum ſatis ex hoc loco perſpicuum fit, Sclavones ſuapte ſe regi ſubjeciſſe, partem vero Croatiæ mediterraneæ armis eſſe vindicatam, itaque conjecturam noſtram, quam ſupra in medium attulimus, utcunque confirmari. Neque, quod noſtri ſcriptores paſſim habent, totam Croatiam, aut Dalmatiam hoc bello juribus Hungariæ aſſertam ullo modo ſuaderi poteſt, quando Spalatenſis Ladislaum ad maritimas plagas, quibus ea ætate Dalmatia definiebatur, veniſſe diſerte negat, Croatiæ autem partem a Colomano, ut dicemus, ſubjugari prius oportuerit, quam Dalmatia in provinciam redacta eſſet. Itaque corrigendus Verböczius eſt, (x) qui jurium, quam hiſtoriæ magis gnarus Dalmatiam cum maritimis partibus a Ladislao Hungariæ adjectam ſcribit.

Almum nepotem ſuum Croatis regem præficit, & in Cumanos movet.

Ladislaus partim deditione, partim armis domitæ Croatiæ Almum, nepotem ſuum, regem præficit, ne quid ſe abſente turbarum oboriretur, quemadmodum ex vetuſtis inſtrumentis colligitur. (y) Abhinc Sclavoniæ Banorum dignitas ad regum Hungariæ jura traducta eſt: cujus ratio & multiplex, & pro temporum habitu varia fuit. Nam qui Regum aut filii, aut cognati erant, fere Ducum aur regum, ſæpe etiam Gubernatorum titulis gaudebant. Serius poſtea Dalmatiæ ac Croatiæ eodem nomine Præfectos datos comperio, qui alias ſeorſim ſingulas, ſæpe conjunctas provincias moderabantur, quin unius quoque præfecturæ honoribus, ne potentia in dominatum verteretur, plures ornatos, neque diuturnos magiſtratus fuiſſe conſtat: ut ſuis locis memorare non intermittam. Almo itaque ea dignitas omnium primo ſub regis nomine ab Ladislao obtigit. Atque id prudentiſſimo conſilio factum, ipſo eventu non multo poſt declaratum eſt. Nam Cumani ſeu prædarum ſpe, ſive etiam ad damnum, quod haud ita pridem ab rege acceperant, ſarciendum *Copulcho* duce, vaſtata prius fœdiſſime Tranſilvania in Biharienſem provinciam rurſus ſe effudere. Hinc eodem impetu tranſmiſſo Tibiſco, diviſisque trifariam copiis, ſpolia latiſſime agebant. Duo agmina mediterraneas Tibiſci plagas infeſtas tenuere, tertium haud procul fluvio vaſtitatem circumſerebat. Miſerrima Hungariæ facies fuit, cum nemo facile ingenuorum eſſet, qui non uxoris, aut liberorum jacturam lugeret, quodque delorem inprimis exacuit, barbaris reditum parantibus, ſine ſpe libertatis rapi ſuos videbant.

Hos ad Temeſium fl. nactus memorabili clade afficit.

Acerbæ rei nuncius ad Ladislaum plane tum allatus eſt, cum ex Sclavonia victorem exercitum reduceret. Non eſt facile dictu, quam vehementer ſuorum calamitate commoveretut, milesque, ubi hoſtis atrocitatem intellexiſſet, pugnam depoſceret. Itaque celerrimis itineribus non tam ad bellum, quam victoriam itum fuit. Tranſmiſſo Danubio, cum hoſtem comperiſſet ad Temeſum amnem ſui ſecurum, ac ſpoliis gravem otio, ac venatui indulgere, arrepta extemplo iſthuc via imparatos aggreditur, & memorabili prælio vincit. Ferunt enim, niſi fides major vero ſit, præter captos, quorum ingens numerus erat, omnes internecione deletos, uno ſolum, qui victoriæ ad ſuos nuncius eſſet, ſuperſtite relicto. Captivis vitæ gratia a rege oblata, ſi ad ſacra Chriſtiana tranſirent, alioquin jure belli, & ex temporis illius ritu in ſervitutem redigendi. Atque ex his, ſi qui, ut probabile eſt, in Hungaria remanſere, eorum, quos vulgus Jazyges, nos Cumanos rectius nuncupamus, originem ducendam ſuſpicor, quoniam iidem Cumani cum Patzinacitis, & hi in ipſo ortu Hungari, ut in veterum Hunnorum annalibus ſatis perſpicue demonſtravi.

Rurſumque bellum apparantes ad Danubium internecione delet.

Cumani, poſtquam ſociorum ſuorum cladem ex illo, quem internecionem evaſiſſe ſcripſimus, comperiſſent, Legatos ad Ladislaum miſere, qui captivos repeterent. Fuit iſtorum oratio plena faſtus, & contumeliæ, neque enim precibus, aut precio ſuos repetere, ſed comminatione, & acerba in regem dicacitate malebant, diſertis verbis profeſſi, ſe, niſi nuperno prælio capti continuo redderentur, infeſtis armis

x) Trip. op. Jur. Conſuet. Ung. P. I. Tit. 6.

y) In antiquo regiſtro monialium S. Mariæ Jadrenſis hoc monumentum ad hanc rem faciens Lucius reperit. „Anno incarnationis „ Jeſu Chriſti D. N. MXCI. Kyri Alexio „ Conſtantinopoleos imperante, tempore, „ quo Ladislaus Pannoniorum rex, Croatiæ „ invadens regnum, Domnum Almum, „ ſuum nepotem in illo ſtatuit regem, Jadrenſi vero Cathedræ Domno Andrea venerabiliter præſulante, meque Drago Domini Præſtantii Epiſcopi nepote jam tertio „ priorante. „

Digitized by Google

armis affuturos, ut vi extorquerent, quos bona regis venia impetrare nequiſſent. Ladislaus auditis ſine ſtomacho Legatis, præſertim quod captivos ad religiooem traducere in animo conſtitutum habebat, re infecta abire jubet, admonitos, ſe, ſi vim inferre meditarentur, cum copiis loco, & tempori præſto futurum. Neque diu ad Temeſum fluvium moratus, exercitum iſthuc, ubi erupturos barbaros putabat, tranſfert. Hic, ſive hoſtis commeatum omnem prius corrupit, ſive aliunde difficulter ſuppeditari poterat, miles penuria laborare cœpit. Neque tutum ſatis fuit, quod Cumani propediem affuturi metuebantur, copiarum partem ad convehendam anonam longe digredi, & inedia confectis manus conferere periculo quoque non vacabat. His anguſtiis deprehenſus Ladislaus, procul aliorum conſortio Deum orabat, ne ſuos, qui non tam regni, quam religionis cauſa arma corripuiſſent, in tam præſenti periculo deſtitueret. Neque opem cœleſtem defuiſſe ſenſit: ſimul enim orare Deum deſierat, ſimul ingens bubalorum, ac cervorum grex, quaſi temere iſthuc delatus, caſtris infunditur, ex quo cum recreatus ab inedia exercitus, tum, cognito manifeſto Numine, animi ad pugnam mirum in modum concitati. (z) Haud multo poſt Cumani adſunt, & ad Danubium caſtra metantur. Noſtri nihil moræ interponendum rati, ſabbatho die ſub primum diluculum aggreſſionem moliuntur, cumque primo congreſſu Ladislaus forte fortuna in Akuſium, barbarorum ducem, incideret, ſingulari victum certamine nullo negocio obtruncat. Caſu Ducis in apertam fugam hoſtis effunditur, cumque locorum ignari temere oberrant, plurimis cæſis, captis pleriſque bellum penitus profligatum eſt. (*a*) Bonfinius deſcripta pugna addit, in victoriæ relatæ memoriam fluvium a cæde Cumanorum Themeſum fuiſſe dictum. (*b*) Sed id ridiculum eſt, quod amnis dudum ante, cum Romanorum, tum Hunnorum ætate, id nominis indeptus eſſet.

Dum hoc modo Ladislaus armis rem feliciter in Hungaria geſſit, Almus contra Croatiam pacate gubernat, Græci, qui Croatiæ ac Dalmatiæ dominatu jam olim exciderant, minus æquo animo Hungarorum fortunam ferre videbantur. Alexius Comnenus, quod occupata magnam partem Croatia expeditam Hungaris viam in maritimas Dalmatiæ plagas videret, veritus, ne illius acceſſione Hungariæ vires in immenſum excreſcerent, jus ac titulum Dalmatiæ in Venetos tranſtulit, partim quod claſſe ſibi prius adverſus Robertum Nortmanorum regem auxilio veniſſent, partim ut novo ſibi illos beneficio obſtringeret, ſi quid foederum, quod metuebat, Hungaris cum Nortmannorum gente intercederet. Fuitque primus omnium Vitalis Phaletro, quem ducis Dalmatiæ titulo poſtea uſum eſſe perhibent. (*c*) Quæ res non nihil diſſidii inter Hungariæ reges, & Venetos concivit, ut, cum locus erit, narrabimus.

1092.

Græci Hungarorum progreſſiones veriti jura Dalmatiæ in Venetos transferunt.

Ladislaus profligatis nuper Cumanis ad curandam rem publicam converſus, Comitia *Sabolcſum* indixit. Eſt ea urbs ultra Tibiſcum amnem ſita, provinciæ cognominis caput. Convenere Antiſtites & Optimates, tum ex regni conſuetudine, tum quod de ſacris perinde, atque profanis rebus conſultandum fuit. Soluto conventu leges in medium promulgatæ, quibus & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & politicæ quam optime conſuleretur. Illæ ad argumentum noſtrum non attinent: ex his præcipuas ſolum perſtringemus. Graviſſimæ adverſum furta cautiones inſtitutæ, ut adeo omnes regni optimates jure jurando ſe obſtrinxerint, daturos ſe operam, ut ne cui id facinus, ſi illius convinceretur, impune abeat, ſed reſte, amiſſis præterea omnibus fortunis, vitam amittat. (*d*) Niſi forte in Eccleſia, regisve curia, aut ad Epiſ-

Ladislaus celebratis Comitiis leges condit.

Quæ, qualesve fuerint.

Z copo-

z) Auctor vitæ S. Ladislai apud Hagiographos Tom. V. Junii ad diem XXVII. ex Mſ. codice Corſendonkano. Num. 3. ſic habet: „Et dum fame periclitaretur exercitus, avulſus eſt ipſe ab eis ſeorſum, & in oratione proſtratus implorabat miſericordiam DEI, ut, qui quondam filios Iſrael manna de cælo pluens paverat, Chriſtianum populum fame perire non ſineret. Cumque ab oratione ſurgens reverteretur, ecce grex cervorum, & bubalorum obviavit ei, & cum ipſo ſimul in medium exercitum, depoſita feritate convenit.„

a) Thurocz. Chron. cap. LVII.

b) Dec. II. Lib. IV. Videtur mihi Bonfinius, niſi fallor, ad Hungaricum vocabulum *Temetés*, quod ſepulturam notat alludere, quaſi, quod tot Cumani ſepulti illic ſint, Temeſus dictus ſit.

c) Lucius de regno Dalm. & Croatiæ. Lib III. cap. II.

d) Decret. S. Ladislai Lib. II. Cap. 1.

Haud invito Gregorio Papa.

qua cauſas primum adfert, cur illi Legatum tam ſero remiſiſſet (c), tum, quæ ad Ladislaum attinent in hæc verba ſubjicit: *De cetero admonemus fraternitatem tuam, ut regem, qui inter vos electus eſt, cum aliis tuis confratribus, & Principibus terræ alloquaris, notificantes, & conſulentes ſibi, ut apertius nobis ſuam voluntatem, & erga reverentiam ſedi Apoſtolicæ debitam per idoneos Legatos denunciet devotionem; & ita demum, quod ad nos attinet, ad honorem DEI omnipotentis, & beati Petri Apoſtolorum Principis, benigne ſibi reſpondebimus. Cetera vero, quæ longum erat in epiſtola, viva fideliter voce nunciabit, ſicut in ejus ore poſuimus. Data Carpinetæ quinto idus Junii, Indictione XV.* (d). Quæ cum in annum MLXXVII. incidat, dubitari prorſus non poteſt, Ladislaum hoc anno conſpirantibus omnium votis regem electum eſſe.

1078. Neque is minus morigerum Pontifici ſe præbens, miſſis Romam Legatis ampliſſimas pro liberali voluntatis in ſe ſignificatione gratias habuit. Veriſimile eſt, Pontificias litteras ad Nehemiam datas in conventu Antiſtitum, & Optimatum lectas, omniumque propterea ſententias rogatas fuiſſe. Quo exitu poſtea memorabitur. Certe Ladislaum omnem ſedi Apoſtolicæ reverentiam, quod Gregorius poſtulabat, pollicitum eſſe, ac re ipſa exhibuiſſe dubium non eſt; an autem regnum clientelari jure eidem voluerit eſſe obnoxium ex optimatum conſenſu, neque profani ſcriptores memorant, nec ex Gregorii epiſtola ſatis perſpicue colligitur, quam ſequente anno ad eum datam eſſe, in loco referemus.

Stephani regis dextra non ſine prodigio interata reperitur.

Abhinc partim condendis, partim inſtaurandis virorum cænobiis operam rex impendit. Præcipue quod ad radices montis Carpathi jacet, ob ſervatam Stephani dexteram memoria dignum eſt. Id quemadmodum evenerit, Bonfinius in hæc verba refert: *Mercurius* (ſcribit) *Ungarico genere natus, & Cathinani* (e) *Alberti præpoſiti pater, ac baſilicæ Albenſis ædituus, qui vitæ quondam politicæ renunciarat, ut religioni expeditius inſerviret, cum Ladislaus rex imperaſſet, tumulum aperiri, ne quid e ſancti regis* (Stephani) *reliquiis ſubtraheretur, cum pleriſque aliis, qui ſepulcro inhæſerant, regio juſſu procul amotus eſt. Is triſti vultu repulſus abiit, &, cum monachus eſſet, in ſacrum chorum ſe recepit, ubi cum pudore ſuffuſus graviter angeretur, quod ſanctiſſimum corpus neque videre, neque oſculis attingere potuiſſet, ecce juvenis quidam intempeſta nocte coram aſtitit, forma incredibili, liberali facie, candidiſſimoque habitu, neſcio, quid byſſo involutum deferens. Accipe, inquit, Mercuri, quod optaſti, & hoc donum precioſiſſimum habeto, aſſervato diligentiſſime, & cum tempus dabitur, ipſe depromito. Nocturnis ſacris rite peractis, Mercurius petita latebra rem traditam explicat, ſancti regis dexteram, & annulum invenit, juxtaque admiratur, ac Numini gratias agit. Is ad Carpatii montis radices ſeceſſit, qui Tranſilvaniam ab Ungaria dirimit, olimque Ripenſem, citerioremque Daciam, ab ulteriore, & transalpina dividebat, ubi cænobium quoddam ligneo opere confectum gubernaturus erat. Tanto dexteram ſtudio aſſervabat, ut neque ſibi, neque alii credere auderet. Terræ committere ſatius eſſe ratus, infodit* (f), *& quotidianas ex monachis excubias inſtituit, ne quomodo ſurripi poſſet. In dies promendi tempus dari exſpectabat, quin & bujuſce rei cænobii auctores admonuit, ut pari ſtudio curarent; demum id ex ordine Ladislao regi, quem virum ſanctiſſimum eſſe intelligebat, aperuit. Mox regis edicto, Pontificum, optimatumque conventus habetur, ubi ſolennis dies Regiæ dexteræ extemplo decernitur. De-*

inde

c) Apud HARDVINVM Tom. VI. Concil. col. 1369. „ Gregorius Epiſcopus, ſervus „ ſervorum DEI, Nehemiæ Strigonienſi in „ Hungaria Archi-Epiſcopo ſalutem, & Apo„ ſtolicam benedictionem. Non admirari „ te volumus, qua de cauſa fratrem iſtum, „ videlicet harum litterarum portitorem, „ tamdiu nobiſcum retinuerimus. Nam cum „ ad nos venit, in regnum Teutonicorum „ tranſire diſpoſueramus, quatenus inter re„ gem Henricum, & Principes terræ pacem, „ & concordiam componere Deo adjuvante „ poſſemus - - Ceterum quia cauſa, ſicut „ vobis notum eſſe credimus, ad graviſſi„ mam litem, & pene ad totius patriæ divi„ ſionem excrevit, neque nobis hoc in tem„ pore tranſire opportunum eſſe vidimus, „ diutius hunc tenere noluimus, ſcribentes „ per eum fraternitati tuæ, & multum ad„ monentes. „ - -

d) Apud eundem ibid.

e) Legendum eſſe *Kapanani* ex relatione paullum poſt adducenda patebit.

f) Id non videtur veriſimile, ſi enim nec ſibi, nec aliis credidit, profecto excubias monachorum non inſtituiſſet. Carthuitius ita habet: „Ibi diu ſolus abſconditi in agro „ theſauri cuſtodiam & excubias decrevit,„ credo alludens ad theſaurum Evangelicum, qui dicitur in agro abſconditus. BONFINIVS male intellectam phraſim detorſerit ad verum agrum.

inde cum univerſo Ladislaus collegio ſacerdotum dexteram - - Stephani reconditam oſtendit, baſilicæque intulit, ac ditiſſimo apparatu inſtauravit, multiſque pagis, oppidis, & proventibus donavit. Id autem ſalutis anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo octavo accidiſſe illius cænobii ſcripta, & privilegia ſane teſtantur, abbatiamque Regiæ dexteræ nunc appellant (*g*). Quin diem quoque in·er eos relatum fuiſſe conſtat, quibus ex Eccleſiæ ritu feriatio a laboribus publicis graviter cauta eſt (*h*). Plerique poſtea, ubi corpus Stephani, præter oſſa in pulverem redactum eſſet, divino Numinis beneficio eveniſſe exiſtimabant, dexteram, non tam ob geſtum ſceptrum, quam munificentiam in egenos, qua illum mirum in modum, cum vixit, præcelluiſſe annales memorant, corruptionis expertem manſiſſe. Ceterum monaſterio, cujus Bonfinius meminit, *Berekys* nomen fuiſſe, in relatione privilegii Belæ regis, a Carolo poſtea confirmati reperio: quod, quamquam Ladislaus ampliſſimis latifundiis donaſſet, ad ſummam poſtea penuriam Colomani avaritia redactum eſt. (*i*).

Interea cum Legati, quos Ladislaus miſerat, Romam proficiſcuntur, litteræ a Pontifice afferuntur in hanc ſententiam exaratæ. *Pontificis ad Ladislaum litteræ.*

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum DEI,

Ladislao Hungarorum Regi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem (*k*). 1079.

Sicut fidelium tuorum crebra legatione cognovimus, idemque ipſum noſtris atteſtantibus ratum habemus, excellentia tua ad ſerviendum beato Petro, quemadmodum religioſa poteſtas debet, & ad obediendum nobis, ut liberalem filium decet, toto affectu, & cordis intentione parata eſt. Unde nimirum devotionem mentis tuæ ſuper hoc ſtudio non indigne laudamus, eique ſincere congratulamur, quod quidem optimorum regum ſequendo veſtigia illuſtrat, ſervando tam in moribus normam juſtitiæ, quam etiam lineam nobilitatis in ſanguine. Igitur quia de Celſitudinis tuæ liberalitate, & obedientia ſatis confidimus, ad quiddam noſtræ univerſali ſolicitudini congruens, quod honori quoque tuo non parum concordat, invitare te non dubitamus, quatenus in eo, & illa, quæ de te verbis ſolis credita ſunt eſſe vera, facti indicio pateant, & nobis ſit aperta firmior cauſa, qua te præ ceteris regiæ dignitatis amplius, ſpeciali-

V 2

g) Dec. II. Lib. IV. & in pleriſque conſentit CARTHVITIO. Annus tamen aut videtur mendoſus, aut Bonfinius non ſuo loco rem narravit, dum narrationi de elevatione corporis S. Stephani, id factum inſeruit. Quæ res ex inſtrumentis litterariis Abbatiæ illius, ſi quæ exſtant, ad liquidum dirimi poſſet.

h) In calendario Breviarii Strigonienſis de anno 1424. inter reliqua Hungariæ feſta cenſetur Inventio dextræ S. Stephani XXX. Maji.

i) In Hiſt. Zagrabien. pag. 127.

De Dextera S. Stephani Regis ex Privilegio Belæ Regis relatio.

Quod anno regni S. Ladislai ſeptimo, Chriſti 1078. revelata eſt Dextera S. Stephani Regis, quæ in revelatione ejus corporis furto ſublata fuerat, & per Mercurium Patrem Kapanani Albenſis Præpoſiti, qui Mercurius poſtea ejuſdem Eccleſiæ Archi-Abbas exſtitit, in eum locum in quo nunc adoratur ablata, quo audito Ladislaus Rex ſtipatus Nobilibus, ad eam adorandam & ad corpus reportandam advenerat, ſed cum ab eodem Mercurio didiciſſet, hoc Divino factum eſſe conſilio, ut eo ſancta Dextera collocaretur, veritus S. Rex, ne Sanctum Stephanum offenderet, de ſuorum conſilio, Monaſterium ligneum in honorem B. V. M. in Eodem loco fundavit, ac ex ſuis - - nicis Prædiis dotavit. Moriens deinde Almo Duci, ut e muro ædificaret monaſterium commiſit. Quod & fecit, Colomanus deinde Monaſterium tributo per Ladislaum Regem dato privavit, illudque filiis Pouli Palatini Comitis, & Cor, - - commiſit. Qui poſt, Privilegium S. Ladislai combuſſerunt. Poſtea vero cum Piiſſimus Rex Jeſſe Belæ Regis filius hoc comperiſſet, Monaſterium profanatum, ab Agrienſi Epiſcopo ſuprema, ac a Ded Epiſcopo Vacienſi, cum conſenſu Lucæ Archi Epiſcopi Strigonienſis, conſecrari fecit, Tributumque reſtituit, & a Plebano cuſtodiendum dimiſit. Mortuo hoc rege Jeronimus, & Cornelius, Abbate expulſo, Prædiiſque direptis Monaſterio diruto, locum fecerint deſertum. Quare coram Rege Stephano, Regis Jeſſe filio, ſecundum Canones convictos, Idem Lucas Archi-Epiſcopus excommunicavit, denunciavit. Rex deinde Monaſterium reſtituit, ſolutuſque Regis, & Archi-Epiſcopi Strigonienſis Authoritati ſubjecit. De hac relatione Georgius MARCELLEVICH in adverſariis ſuis ita ſcribit: ad annum 1326. *Exſtat antiqua littera plicata, an copia? an Authentica? ob antiquitatem neſcitur. In qua Carolus Rex, ad preces Joannis Abbatis Eccleſiæ S. Dexteræ, confirmat Privilegium condam Belæ regis. In quo idem Bela exponit: Qualiter Simon Abbas Berekis petierit ut Privilegium Regis Stephani Regis Jeſſe filii, avi ipſius Belæ, in quo univerſa Bona Monaſterii Berekis continentur, renovaret, quod Privilegium in ſe contineret.*

k) Apud Harduinum Tom. laudato. col. 1416. ad an. 1079.

1079.

ſpecialiuſque diligere merito debeamus. Itaque Comites illos - - - - (*l*) *eorumque milites, quos beato Petro fideles, juſtitiæque fautores injuſta, ut accepimus, ſententia in exilium expulit, tibi commendatos eſſe ex parte noſtra optamus. Et quia hactenus illis ſubvenire ex induſtria propria claritudo tua curavit, ſentiant ſibi nunc ob fidelitatem Beati Petri, noſtramque commendationem ſolatii, auxiliique munus copioſius acceſſiſſe. De cetere prudentiam tuam monemus, ut viam juſtitiæ ſemper ſtudeas irreflexo calle tenere, & viduas, & orphanos, & peregrinos paterna pietate tueri; Eccleſias non modo non lædere, ſed etiam ab arrogantium, & invaſorum petulantia, & temeritate defendere, nec non & alia, quæ recte intelliges, procures diligenter ſervare. Illud quoque nihilominus ſcire te volumus, quosdam nomine tuo legatos ad nos olim veniſſe, quibus item nos iſtud injunximus, ut dilectioni tuæ ſuggererent, quatenus alios deſtinare, quo certiores efficeremur, cenſeret. Verum nobis adhuc in incerto manet, an ad te mandata noſtra perlata ſint, an aliquos poſtea miſeris; liquet autem neminem a te legatum ad nos poſt inde veniſſe.* (*m*) *Quare decrevimus ad te iterum idem repetendo ſcribere, itidemque de Comitibus, quod jam poſtulavimus iterando inculcare, quo & nuntios, ſi nondum miſiſti, non ulterius mittere negligas, & prænominatis omnibus præſidii manum familiarius, proniusque in cunctis porrigere ſtudeas. Omnipotens, & miſericors Deus, a quo bona cuncta procedunt, per merita, & interceſſiones beatæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, & beatorum Petri, & Pauli greſſus tuos per viam deducens juſtitiæ conſtanter dirigat uſque ad finem, & ſic hujus vitæ temporalia regni gubernacula faciat temperare, quatenus æterna promerendo valeas adipiſci. Data Romæ XII. Kal. Aprilis. Indictione ſecunda.*

Hactenus Gregorii epiſtola, ex qua nullo negocio eruitur, Ladislaum anno priore ex regni ritu & conſuetudine corona eſſe redimitum, ac obedientiam ſedi Apoſtolicæ ſpopondiſſe, pleriſque tamen optimatum, ut ex litteris non obſcure conjicitur, diſſentientibus. Cum enim duo Comites, quorum litteræ non expreſſis diſerte nominibus meminerunt, *ob fidelitatem beati Petri* in exilium ejecti ſint, & credibile non ſit a Ladislao propterea ejectos, neque a paucis Procerum exilio mulctari potuerint, opinor, hos duntaxat duos Ladislaum, ſi regnum clientelari jure a Pontifice accepit, conſentientes habuiſſe, ceteros non item. Sed hæc, qui eam litem nobis propriam non facimus, in modum conjecturæ innuere ſolum libuit, nec quidquam momenti in utramvis partem habere volumus, quando, qua erga Romanam ſedem obſervantia rex eſſet, non modo vita ad probitatem omnem exacta, ſed morte etiam, ſanctimoniæ fama illuſtri, oſtendit.

Boleslaus Poloniæ rex ad Hungaros confugit.

Hæc cum ad ſuorum exemplum Ladislaus pie agit, aliam prorſus viam propinguus illi Boleslaus in Polonia iniens, ex rege in barbarum commigravit. Id quem in modum evenerit, quoniam ſceleris exemplum ad erudiendam poſterorum virtutem facit, nec nihil ad res Hungaricas in exitu pertinuit, non erit ad annales impertinens, ſi hoc loco referamus. Boleslaus cum adulteriis, & promiſcua libidine thoros alienos, & pudicitiam invaderet, privatæque commonitiones Stanislai Cracovienſis Epiſcopi nihil proficerent, gravi anathemate perculſus vindictam, & cædem ſpirabat. Neque multo poſt correptis armis amens cum compluribus ſatellitibus Præſulem ad cædem quærit, cumque illum ſacris operari audiret, fruſtra immiſſis, qui neci Epiſcopum dederent, ipſe, increpita ſicariorum ignavia, ſtricto enſe in templum irrumpit, letalique ictu ſanctiſſimi viri verticem tam immaniter ferit, ut accepto vulnere pro-
1080. cumbens proximos parietes tabo conſpergeret (*n*).

Singularis Gregorii in eum animadverſio.

Hæc ubi Romæ nunciata ſunt, Pontifex Maximus - - atrocitate rei commotus, toti Poloniæ ſacris interdixit, Boleslaum diris devovit, regnumque ipſi ſolenni ritu abrogavit. In poſterum quoque, ne quem Epiſcopi regem injuſſu ſuo ungerent, & coronarent, edixit. Qui vero ſocii ſceleris regii fuiſſent, eos ſimul, & poſteros eorum uſque ad quartam propaginem

l) Contextus ita habet hoc loco: *vel - - videlicet D - - & C. - -* Crediderim Comitum nomina, qui in exilium expulſi ſunt, initialibus litteris deſignata, aut ſi penitus ſcripta fuerint, exeſa eſſe. Fortaſſe ex Comitum horum nominibus aliquid lucis epiſtolæ huic affundi poterat.

m) De qua Legatione hic Pontifex loquatur, in obſcuro eſt, nam veniſſe quidem Legatos ab Ladislao miſſos in epiſtolæ principio diſerte fatetur. Neque conſtat, quid deinceps ea in re actum fuerit, nulla enim præterea hujus Pontificis ad regem epiſtola exſtat.

n) Cromerus rerum Polon. Lib. IV.

1080.

ginem; a ſacerdotii, & omnium magiſtratuum Eccleſiaſticorum functionibus, & emolumentis alienos eſſe juſſit. Erant autem ii ſatellites equeſtribus, & honeſtis quatuor fere familiis quæ in hodiernum diem in Polonia durant, orti, nempe Stremenii, Strenavii, Druzinii, & Jaſtrembecii. Nihilominus tamen annum, & amplius Boleslaus poſtea regnavit, ſed inviſus omnibus, & externis etiam contemtibilis, ita, ut jam Ruſſorum Principes ab eo ſubacti imperium ejus detrectarent. Conſpirarunt deinde in necem ejus nobiles, & proceres nonnulli; qua conſpiratione detecta, veritus ne ad plures ea etiam pertineret, in Ungariam cum filio Mieſcone, & paucis comitibus fugit. (*o*) Ladislaus, tametſi immane facinus, ut æquum erat, averſaretur, tamen, quod ſanguine junctus, & miſero nuſpiam perfugii locus eſſet, præterea beneficii, quod ſibi, & fratri olim adverſus Salomonem impendiſſet, memor, comiter illum hoſpitio accepit.

Salomon non invitus in Ladislaum jus regni transfert.

Hungari exemplo Polonorum, apud quos poſt Boleslai abitum turbis omnia miſcebantur, veriti, ne conſimili malo regnum quoque involveretur, in conciliando Salomone omnem operam locabant. Res in principio videbatur ægre ex ſententia caſura, quod Salomon eodem jure, quod prius habuerat, regno ſe peteret reſtitui, optimates contra vehementer renuerent, rati cum regno ferociam Salomoni facile redire poſſe. Ad extremum conſtantia procerum victus, non invitus de jure ſuo deceſſit, modo de redditibus ita ſibi caveretur, ut regum more vitam agere citra fraudem, & malum dolum integrum ſibi eſſet. Ita pax demum coaluit, ob levitatem tamen Salomonis haud diuturna (*p*).

1081.

Boleslai miſera, ſed incerta mors.

Boleslaus anno in Hungaria vixdum exacto, cum in dies patrati ſceleris conſcientia, acerbo ſane, & infatigabili ſceleratorum carnifice, exagitaretur, amentia correptus violentas manus ipſe ſibi intulit. Quamquam non deſint, qui eum concito equo, cum venatum exercet, in avias ſilvas delatum, & a canibus diſcerptum ſcribant: alii contra cum temere ſaltua oberrat ad cœnobium inter alpes ſitum perveniſſe memorant, ubi imprudentibus omnibus, quis eſſet, vitam inter arduos labores, pœnitentia commiſſi ſceleris ſuſceptos, cum morte commutarit, viſiturque, ſi Cromero fides ſit, in Oſſiacenſi Carinthiæ monaſterio monumentum lapideum, quod titulum regis, & patrati criminis memoriam referat. (*q*) In ejus loco Uladislaus frater rerum ſummam in Polonia, quamquam Ducis ſolum titulo inſignis, adeptus eſt, Hungariæ regibus haud multo poſt ſanguinis neceſſitudine conjunctus, quippe qui Juditham Uratislai Bohemiæ regis gnatam, ex Adelhaide Andreæ Hungarorum regis filia, aut, ut ſupra conjeci, ſorore potius ſuſceptam, matrimonio ſibi copulavit, ex quo Boleslaus hujus nominis III, ac Sbigneus procreati, quorum ille rerum geſtarum gloria celeberrimus, hic ob vaſerrimum, & turbulentum ingenium, exilio mulctatus, infame nomen poſteris reliquit. (*r*)

Inde bellum, ut noſtris placet, in Polonos ſuſceptum.

Mieſconem, quem in Hungariam cum patre fugiſſe narravimus, Uladislaus ejus fortunæ miſertus, cum ceteris exulibus hoc anno revocavit, metuens fortaſſe, ne ope Hungarorum, in quorum gratiam ob ingenuam indolem ſe ſe juvenis inſinuarat, regnum paternum armis repeteret. (*s*) Fortaſſis hac occaſione, ut domeſtici ſcriptores memorant (*t*), Ladislaus bellum Polonis indixerit, ratus Mieſconi regnum injuria a patruele eripi, alioquin quid cauſæ Ladislao fuerit ad corripienda in Polonos arma, profecto non apparet. Atque bello hoc Cracoviam trimeſtri ſpacio a noſtris obſeſſam, & fame ad deditionem oppidanos adactos ferunt, tametſi Polonici ſcriptores nihil prorſus iſtorum meminerint, ceteroquin in conſignandis finitimorum rebus geſtis non indiligentes, ut adeo expeditionem hanc, quemadmodum & Bohemicam, quam, illa confecta, itidem ſuſcepiſſe Ladislaus ſcribitur, in medio relinquere, malim, quam quod non penitus certum ſit, litteris conſignare. Mihi enim vero ſimillimum eſt, Ladislaum, quem juſtitiæ retinentiſſimum fuiſſe noſtri perhibent, niſi data ab hoſtibus cauſa, eſſet, nunquam bello finitimos appetiiſſe. Nihil autem ſive a Polonia, ſive Bohemis cauſæ Ladislao hactenus oggeſtum memoratur, & Cunis cum neutra gente, ſeu armorum, ſeu voluntatum communio unquam interceſſit.

o) Idem ibid.
p) Thvrocz. Chron. cap. LVI.
q) Cromervs rerum Polon. Lib. IV.
r) Idem ibid. Lib. V.
s) Idem Lib. V.
t) Thvrocz. Chron. cap. LVIII.

1082.

Salomon inſidiarum convictus in carcerem retruditur.

Salomon interea ſive ſuapte ingenio quietis impatiens, ſive Mieſconis haud ita dudum in Poloniam revocati exemplo ad ſpem regni incitatus, novas res adverſus Ladislaum agitare cæpit. Et quia vi aperta graſſari nec tutum, nec ſibi utile futurum providebat, ad dolos convertitur. Litteris ad Ladislaum exaratis magnopere orat, ut in agro Moſſonienſi ad colloquium venire, ſi modo per regni curas id fieri poſſet, ne gravetur, velle ſe cum eo de rebus & magni momenti, & utilibus conferre. Ladislaus ad ſtatum diem ſe adfuturum recipit, ne repulſam paſſo novandis rebus occaſionem præbuiſſe videretur. Interim clandeſtino nuncio admonetur, parari ſibi ab Salomone inſidias, colloquium eam ob cauſam ſolum prætexi, ut incautum, & nihil tale metuentem comprehenderet. Edoctus de dolo Ladislaus magno Procerum præſidio ad colloquium venit, deprebenſum in fraude Salomonem capi jubet, & nec patientem privatæ ſortis, nec publicam æquanimiter ferentem, volentibus Proceribus, carceri Viſegradienſi includi. (*u*) Ita arte ſua captus Salomon, 1083. dum coronam in illum transferre Ladislaus meditatur, in illius loco vincula recepit.

At, dum Stephanus inter Divos refertur.

Haud diu tamen iis tentus manifeſta Numinis voluntare libertatem adeptus eſt. Cum enim anno ſupra milleſimum tertio, & octogeſimo vulgatis late Stephani prodigiis decretum in Romana ſynodo eſſet (*x*), ut quicunque prima Chriſtianæ religionis fundamenta apud Hungaros jeciſſent, tumulis excepti honeſtiori loco conderentur, ut illis ea ratione inter Divos relatis major honoris ſignificatio haberi poſſet, incredibile totius Hungariæ ſtudium in exornando Stephano eluxit, immenſamque hominum copiam, ubi primum ſolennitatis futuræ fama increbuerat, Albam regiam promiſcue excivit. Ut Legatus Pontificius appulit, *accepto diplomate Ladislaus - - habito optimatum, antiſtitumque conventu tridui cunctis jejunium indixit, omnes hortatus, ut precibus, inedia, ſupplicationibus, eleemoſynis auſpicia divina captarent, quibus divinam voluntatem intelligerent. Exacto jejunii tempore, ad Divi regis tumulum perventum eſt; cujus lapidem cum amovere contenderunt, nulla vi loco movere potuerunt. Hoc eo tempore portentum interceſſit, quo exorta inter Ladislaum & Salomonem - - ſeditione alter alterius juſſu gravi carcere coercebatur. Conatus ingens regem fruſtratus in admirationem ſummam adegit, ac tali oſtenſo deterrebat omnes, qui iratum Numen auſpicabantur.*

Manifeſta Numinis voluntate liberatur.

Tunc virga quædam, Charitatis nomine appellata, quæ haud procul a baſilica in Servatoris æde ſanctiſſime vivebat, repente Ladislaum admonuit, eum fruſtra conari, neque lapidem e tumulo dimoveri poſſe, quouſque (Salomon) *carcere educeretur. Rex ſacræ virginis oraculo admonitus, Salomonem e vinculis continuo expediri jubet: tridui jejunium iterum indicit, tertio die ſacris rite peractis, ſpectante frequentiſſima populorum multitudine ingens lapis facillime ablatus eſt* (*y*).

Prodigia ad tumulum SS. Stephani & Emerici patrata.

Remoto lapide tam mira omnes adſtantes fragrantia afflavit, ut baſilica cœleſti quodam rore compleri videretur. Inde corporis, quod ante quinque & quadraginta annos humatum fuit, reliquiæ loculo argenteo (z) reconditæ, omnium venerationi exponuntur, fuitque tanta hominum certatim affluentium copia prodigiis accita, ut nemo unus beneficii expers abiret. *Ibi in tanta multitudine cernere erat, ambulare claudos, cæcos inſtauratis luminibus videre, mutos loqui, leproſos, paralyticoſque curari, nutantes in fide animos confirmari, omnes denique corporis, & mentis ægritudines abigi.* (*a*) Feruntque puerum repentina morte exanimatum, cum mater ad divi regis

u) Bonfin. Dec. II. Lib. IV.

x) Auctor ſuppar vitæ S. Gerardi. „Præfati denique regis (Ladislai) tempore a „ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſynodo inventum eſt, ut corpora eorum, qui Pannoniam fidei prædicatione rigaverunt, deberent ſummo honore venerari, & ea dignis ſedibus collocari. Venienteque ſedis Apoſtolicæ Legato, ſactoque nobilium Pannoniæ conventu, ſanctum corpus elevatum eſt. „

y) Bonfin. Dec. II. Lib. IV.

z) Mſ. Mellicenſe narratis fere omnibus, ut apud Carthuitium, & Bonfinium ſunt, ita habet: „ ſicque venerunt ad locum, ubi ſanctiſſimum corpus claudebatur; quem ſolventes aperuerunt, tantaque odoris diffuſio aſcendit, quanta nunquam aſtantibus apparuit, ac omnium, qui illuc accurrerant, membra languidorum curata ſunt: cæci lumen, claudi plantarum ſoliditatem, leproſi mundam cutem, paralytici ſalutem, omneſque, quacunque doloris tenebantur obſeſſione, curam meruerunt. Aſſumpto inæſtimabilis pretii pondere, omnipotenti DEO gratias egerunt, deferenteſque in theca argentea ſignaverunt. „

a) Bonfin. Dec. II. Lib. IV.

gis ſepulcrum Numen oraret, ut ſibi filium, ætatis ſuæ ſolatium, interceſſu Stepha- 1083.
ni redderet, inſpectantibus omnibus humi porrectum ſubſiliiſſe, & in matris ample-
xum ſeſe effudiſſe. Eadem opera Divi Emerici corpus pari ſolennitate & prærogа-
tiva conditum, ne pater a filio, quoniam in vivis ſanctitate viciſſim certabant, poſt
mortem ſepararetur, noſtri communiter perhibent. Abhinc publica honoris ſignifi-
catione, & paſſim apud exteros cultus utrique delatus, brevi orbem ſanctimoniæ
fama ſic implevit, ut magna e longinquis terris quotannis concurſatio ad tumulum
eorum fieret, nullo facile, qui voti damnatus non eſſet, diſcedente. Sed hæc
olim: nunc quo loco ſacerrimæ exuviæ deliteſcant, in obſcuro eſt. Certe ex Hun-
garia elatas ſive Tartarorum, ſeu quod potius reor, Turcarum metu, plerique exi-
ſtimant. Neque id ſine Numine factum fuiſſe cenſendum, quaſi Stephanus, qui
primus omnium regum inter Divos relatus ſit, abhinc, quam ſectarum novitas ex
Tranſilvania in Hungariam irrupiſſet, regnum, quod ſinceræ religioni primus initia-
rat, deſerere maluerit, quam tam perditis partium ſtudiis laceratum intueri. Eme-
ricus cum patre elatus quoque Hungaria, vota, & deſideria omnium iſthuc fortaſ-
ſe rapit, ubi matrem Giſelam tumulo illatam eſſe conſtans opinio eſt. Quo ſi poti-
retur Hungaria, profecto theſaurum nullo precio parabilem habeat. (*b*) Hæc de
Divi regis apotheoſi, quantum ad profanos annales attinebant.

Cultus eorum ad exteros propagatus.

Ubi ſacræ exuviæ nunc lateant, in obſcuro eſt.

Salomon, qui ſolennitati Albæ regiæ itidem interfuit, parum memor bene- 1084.
ficii, quod tam manifeſta DEI voluntate ab Ladiſlao accepiſſet, ad Cumanos ſequen-
te anno fuga evaſit. (*c*) Iſthic *Kuteskium* provinciæ illius ducem adit, eumque pre-
cibus, ac pollicitatione in ſuas partes allicere nititur, ſpem prædarum, eamque fa-
cilem, & uberrimam oſtentat, modo ne ſibi, & pulcherrimæ occaſioni deeſſe vel-
let. Nutantem barbarum jure jurando flectit, quo ſe Tranſilvaniam illi tributariam
daturum recipit, tum filiam ejus, quamquam Sophia, ut puto, adhuc in vivis eſſet,
uxorem ducturum, ſi auxiliarios ſibi, quibus Ladiſlaum de regno deturbet, polli-
ceretur. Væſanum conſilium! quod ſicut ex nefaria regnandi libidine coeptum eſt,
ita infauſto eventu terminatum. *Kuteskius* tot rationibus, ac inprimis ſpoliorum opu-
lentia perſuaſus, Salomone duce immenſas copias Hungariæ infundit, Ungenſem,
Borſienſemque provincias fœdiſſime vaſtat, cædibus ac rapinis immaniter ſæviens.
Credibile eſt, ut ex itineris ratione conjecturam capio, Cunos hoc Moldaviam co-
luiſſe, illaque parte, qua Pruthus amnis Podoliam præterlabitur, in Marmaroſien-
ſem tractum primum irrupiſſe, tum finitimas circumquaque plagas, quod præſidio
deſtitutæ eſſent, infeſtis agminibus percurſaſſe. Haud diu id tamen illis impune fuit.
Ladiſlaus enim, cognito hoſtem in regno crudeliſſime bachari, rapto celeriter exer-
citu in barbaros movet, nihilque minus, quam prælium inſtare opinantes, aggreſ-
ſus, cæſis aliquot millibus in fugam, & ex Hungaria penitus agit. In victoriæ loco,
quam Numinis auxilio cum paucis ſuorum contra tam immenſam multitudinem pu-
gnans, adeptum ſe eſſe intelligebat, Baſilicam ſumtuoſo opere exſtruxit, ut beneficii
ad poſteros memoria exſtaret (*d*).

Salomon beneficii immemor ad Cumanos in Moldaviam ſeceſſit.

Conciliatoque iſtorum Duce in Hungariam incurrens.

A Ladiſlao profligatur.

Profligatis Cumanis nihilo minus ſpem adipiſcendi regni Salomon ponebat, 1085.
ſed, ut erat in capiendis conſiliis temere præcox, ita in exequendis, præſertim ſi
eventus non reſponderet, leviſſimus, aliam viam iniens, bellum ſequente anno in
Bulgariam ac Græciam cum iiſdem auxiliariis Tzelgo, duce tranſtulit. Opinor ſpem
non de nihilo ſumens, hac parte, ſi res ex ſententia caderet, Hungariam ſe facile
invaſurum.

Inde iiſdem auxiliariis in Bulgaros movet.

Quo eventu res geſta ſit, juvat Annæ Comnenæ verbis, ſi modo patri ſuo
nimium blandita non eſt, referre. *Vere primo*, ſcribit, (*e*) *Tzelgu dux ſupremus ſcy-
thicæ militiæ, transgreſſus anguſtias montium, qui Danubio ſuperjacent, cum mixto ex
variis gentibus exercitu octoginta fere millium, partim Sauromatarum, ac Scytharum, par-*

Improſpero plane eventu.

tim

b) Giſelam Paſſavii apud ſanctimoniales conditam eſſe omnes affirmant, refertque Aventinus ſuo etiam ævo Hungaros pietatis cauſa iſthuc peregrinatos fuiſſe.

c) Timon id affigit ad annum 1086. Sed cum Thurocziys dicat, paucos poſt dies Salomonem iſthic reſtitiſſe, tandemque ad Cunos abiiſſe, veriſimilius eſt, huic anno rem reddendam eſſe.

d) Thurocz. Chron. cap. LVI.

e) Alexiados Lib. VII.

1085. *tim etiam Dacorum, nam & hujus generis haud parva manus ductore Salomone - - Tzelga ſequebatur, objacentes Chariopoli civitates, atque ipſam adeo Chariopolin latrociniis agebat, ferebatque, plurimamque ex omnibus corradens prædam, in ſtativa convehebat, apto ſitu munita ad locum Scotinum - - dici ſolitum. His cognitis Nicolaus Maurocatacalo & Bempetziotes nomen a patria ſortitus, cum ſuis quiſque copiis Pamphylum occupant, locum ita vocatum. Ibi cum viderent ruſticos pagorum, villarumque circumjacentium paſſim cum magna trepidatione in urbes, atque arces munitas ſe, ſuaque in tutum recipere feſtinantes, ut regionem ab incurſionum metu tegerent, promovent a Pamphylo ad oppidulum, cui nomen eſt Cule; eoque in loco univerſas copias congregant. Hanc mentem, ac deſtinationem - - - Romani exercitus odorati Scythæ, conjuncti & ipſi ſequi Romanos inſtitere, veſtigiaque ipſorum indagare, ac premere. Die illuceſcente ſiſtit ſuos Tzelga, & ad pugnam cum Maurocatacalone mox laceſſendam inſtruit. Ille cum lecto comitatu tribunorum eminentiorem cetera planicie locum ſuperat, barbaricas inde copias ſpeculaturus, quarum ingens animadverſa multitudo magnam ei dubitationem objecit, ecquid e re foret, Romanas, quæ ibi tunc erant, legiones, ne cum parte quidem una de multis ſcythici, quem ſpectabat, exercitus numero comparabiles tali loco committere cum barbaris? multa dehinc reverſis a ſpeculando deliberatio fuit, quid facto eſſet opus. Adhibiti ſunt ceteri cohortium ductores - - plerique omnes contra Maurocatacalonis ſententiam, non detrectandum prælium cenſebant, frequenteſque incumbebant ad adhortandum Ducem, prudentiæ ratione, non frigore animi, aut ignaviæ vitio cunctantem, ut virtuti ſuæ, ſuorumque fideret. Quid multa? pervicerunt: ipſeque Maurocatacalo propriæ generoſitatis impetum commilitonum ſuffragio probatum contra ſuæ ipſius interdicta ſapientiæ ſecutus, triſariam diviſas copias ducit in barbaros, acreque cum ipſis conſerit prælium, quo illorum multi vulneribus proſtrati, multi occiſi, Tzelgu ipſe dux fortiter pugnans, phalangeſque conturbans totas interfectus eſt. Plerique per fugam trepidam temere ſe mutuo incurrentes, conculcanteſque, indeque in voraginem medio inter Scotinum & Culen itinere hiantem acervatim prolapſi, ſuffocati ſunt.* Pars, quæ Salomoni parebat, viæ moleſtia, quam ſolutæ nives impeditiſſimam reddiderant, occupati, in caſtro quodam deſerto, ſed ad vim repellendam utcunque comparato, includuntur. Erantque cum ob famem, tum ob cœli inclementiam haud dubie deditionem facturi, niſi Salomon paucis Cumanos cohortans facta ferro via periculum, quamquam magna ſuorum cæde, evaſiſſet. Inde trajecto Danubio ſuos in ſilvam, ut ab hoſtium vi, & inſidiis tuti eſſent, reduxit (*f*). Hic ſuos jumenta cum coporibus curare jubet, ſe, qui nemoris aditus omnes explorare interea cupiat, mox adfuturum pollicitus. Verum Salomon, ſeu viam nullam recuperandi regni haberet reliquam, ſeu alia de cauſa tædio viciſſitudinum humanarum captus, mentem in melius commutans, ſilvarum latebris immerſus videri abhinc deſiit, neque unquam deinceps in Hungaria, niſi Colomani tempore, idque ſemel dumtaxat conſpectus. Exemplum, quam res mortalium inanes ſint, futurus poſteris, qui cum regnum ter adeptus, totieſque illo privatus fuiſſet, ſolium eremo commutans, ferarum, quam hominum ſocietate frui ma-

Cum paucis ſuorum periculo ſubductus videri deinceps deſiit.

1086. luerit.

Et locus, & annus mortis incertus.

Ceterum ubi locorum, aut quo anno Salomon e vivis exceſſerit, vehementer dubium eſt. Quidam Polæ in Iſtria cum fama ſanctitatis defunctum perhibent, eaque opinio paſſim hactenus obtinuit: nonnulli contra monaſticæ diſciplinæ in cœnobio Auſtriæ ad ſanctam Crucem initiatum, & iſthic exactis in ſumma rerum omnium abſtinentia vitæ diebus ſepultum volunt. Utri rectius, difficile eſt ſtatuere. Jongellinus Abbas montis S. Diſibodi hunc in modum de re ſcribit. (*ff*) *Illud denique certum eſt, quod in monaſterio noſtro ſepultus ſit Salomon, regis Ungariæ* (Andreæ) *filius: qui dignitatem regiam fugiens inſciis omnibus, ad mortis prope terminum ad nos ſe proripuit, frater converſus profeſſus, ſubulcum egit ignotus. Ubi vero determinate tumulatus ſit, certo non conſtat: probabiliter tamen penes dextram ſummi altaris ante S. Sebaſtiani altare legitur requieſcere.* Hæc ſe ex tabulario ejusdem monaſterii promſiſſe teſtatur. Quibus

Au-

f) Idem ibid. Fateor, ut Timoni res iſtorum annorum incertæ ſunt, ita nec mihi liquidas eſſe. Si tamen ſeriem rerum geſtarum ſub Ladislao perpendam, probabile admodum eſt, his circiter annis affigi debere.

ff) In notitia Abbatiarum Ord. Ciſt. Lib. IV.

1086.

Auguſtinus Sartorius idem argumentum tractans (g) addit: Salomonem illo ſubulci ſimulacro ipſos adeo viginti & quatuor annos delituiſſe.

Auctorum ea de re opiniones.

Quæ ut temere a ſcriptoribus his in medium prolata fuiſſe exiſtimari non debent, tum ob rerum circumſtantias tam minutim conſignatas, propemodum vera videntur, ita ob chronologiæ rationes, quæ, ſi opinionem hanc valere velimus, magnopere luxantur, probari mihi prorſus non poſſunt. Etenim, cum Salomonem anno ſeculi hujus quinquageſimo octavo nondum ſeptennem, corona juſſu patris redimitum fuiſſe ex coævo auctore docuerimus, conſectaneum eſt, anno ſecundo ac quinquageſimo, ut ad hunc annum a nobis itidem memoratum eſt, in lucem fuiſſe editum. Cœnobii autem ſanctæ Crucis initia Ortilo illius ætatis ſcriptor affigit ad an. M. C.XXXIV. (h) cui primus omnium Godeſcalcus e Gallia evocatus præfuerit. Credibile non eſt, Salomonem inter primos fuiſſe, qui cœnobium illud coluere; quoniam idem ſcriptor undecim ejus inſtituti viros ex Gallia accitos fuiſſe eum ob finem perhibet, itaque annos aliquot elabi neceſſe fuit prius, quam Salomon id cœnobium ingreſſus eſſet. Jam ſi, quod Sartorius vult, viginti & quatuor annos ante mortem iſthic moratus eſt, perſpicuum fit, Salomonem, cum obiit, annos ætatis centum & decem, ut parce dicam, exæquaſſe. Quod an de homine a teneria educto inter delicias, tum belli laboribus conſtanter exercito ſuaderi veriſimiliter poſſit, magnopere ambigo. Mihi, quod Sartorius de ſubulco refert, prorſus improbabile videtur, quando Salomonem, ut præteritam vitam pœnitentia elueret, huc delabi neceſſe non fuit, & ſanctimoniæ fama, qua illum deceſſiſſe plerique exiſtimant, alioquin obtineri poſſit. Itaque ſi hoc, ut merito debet, rejicimus, facile fidem Joogellino tribuemus. Nam hunc in modum nihil prorſus eſt; cur Salomon monaſticam diſciplinam iſthic profiteri non potuerit, cum ætatia titulo, fuiſſet enim octogeoario paullum major, tum ob exempla illis temporibus uſitata, quando Conradum Leopoldi Pii filium eadem ætate idem cœobium ingreſſum eſſe auctor ſupra laudatus memorat (i).

1087.

Svoinimirus Dalmatiæ, ac Croatiæ rex ſine hærede decedit.

Inter hæc Svoinimirus Croatiæ ac Dalmatinorum rex ſine hærede extremum diem obiit, quæ res magnas deinde in Croatia turbaa concivit, & occaſionem Ladislao præbuit, illius partem juribus Hungariæ armia aſſerendi. Occiſum a ſuis Svoinimirum Tubero narrat (k), cum litteras a Pontifice miſſas, quibus ad ſacram pro fectionem invitabatur, habito regni conventu legi juſſiſſet. *Sed Croatarum gens*, ſcribit, *protinus indignari cœpit, ita, ut vix perlegi pateretur litteras: non ſolum itaque non conſenſerunt litteris, & hortationi Pontificis, verum etiam in regem ſuum inſurgentes, magno tumultu, & vociferatione conqueſti ſunt, illum hujuſce rei authorem eſſe, ut ipſi relictis conjugibus, liberis, patrioque ſolo, procul per alienas domos errent, aliena ſequantur imperia, nec expedire ſibi loca illa ſancta, ſi liberentur. Atque ita infeſta concio peſſimis uſa conſiliis nequivit inhiberi, quin repente ſanctiſſimum regem Zuonimerum invadentes, multis conficerent vulneribus, atque interimerent.* Inſignem tamen errorem Tuberoni obrepſiſſe, certum eſt. Quod ſacra in Palæſtinam expeditio anno abhinc nono primum a Concilio Claramontano decreta ſit: tum placida, non item violenta morte ſublatum fuiſſe Svoinimirum ex Archi-Diacono Spalatenſi infra relaturi ſimus.

Neque tamen, quod aliqui rentur, violenta morte.

Eo defuncto qui fuerint re-

Operæ precium me facturum puto, quoniam Croatarum, ac Dalmatinorum res magnam partem cum Hungaricis poſtea implicabuntur, ſi quibus limitibus olim,

Y tum

g) Ciſtercii Bis Tertii Tit. XVI.

h) In Chron. ad an. 1134. „ Liupoldus „ Pius Marchio ante rogatus a ſuo filio Ot„ tone in Morimundo, ut ordinem Ciſter„ cienſem in patria ſua inducere vellet, ele„ git locum Sattelbach. Ad quem Otto „ hoc anno ex Morimundo miſit Gotſchal„ chum Abbatem, & Wilhalmum Priorem „ cum undecim monachis, quos Marchio „ aluit, & ſtatim monaſterium conſtruere „ cœpit.„ Locus Sattelbach an. MCLXXXII. ob particulam crucis a Leopoldo Duce dono datam, dictus eſt, Vallis Nemoroſa ad S. Crucem.

i) Ortilo in Chron. ad an. 1137. „ Chunradus junior frater (Ottonis Epiſcopi Friſingenſis, qui Leopoldi Pii itidem filius erat) „ in Sattelbach induit habitum mo„ naſticum, cui loco Liupoldus Marchio re„ gnans bona prædia, Trumove, & Dall„ hern donavit.

k) Apud Rattkay Memor. Regum & Banor. Dalm. Croat. & Sclavoo. Lib. II. pag. 53. Sed ipſe etiam labitur, cum ſcribit Svoinimirum exceſſiſſe anno 1069., cum tamen ejuſdem regis diploma exſtet apud Lucium de anno 1087.

1087.

... gni utriuſque limites. tum tempore Svoinimiri regnum id circumſcriptum fuerit, compendio perſtringam, ne quid Lectori minus perſpicuum deinceps fiat, aut tenebræ etiam offundantur. Chrobatos, & Serblos Heraclii temporibus in has terras delatos eſſe, cum locus fuit, in annalibus veteribus prolixe memoravimus, qui poſtquam Hunno Avares multis præliis victos aut ejeciſſent, aut ſubjugaſſent, omnem Dalmatiam ab Auguſto clientelari jure accepere. Croatæ occidentalem, Servii orientalem Dalmatiæ partem colebant, fluvio *Zentina* diſcriminati, ac in varias *Zupanias* ſeu regiones diviſi, quoad facta migratione Interamnenſem ſeu Saviam Pannoniam dominatu quoque ſuo complexi fuiſſent. Poſtea, ubi ſub regum imperio fuere, prolatis ditionibus inſulas quoque occidentales maris Adriatici ſui juris fecerant: fuitque limes ab Oriente, ut memoratum eſt, *Zentina* fluvius, Iſtria ab occidente, ita ut omnem tractum mediterraneæ, ac maritimæ Dalmatiæ, Jadra, Tragurio, & Spalato exceptis, quæ cum inſulis finitimis Dalmatarum, vel Romanorum nomen retinuerant, & ſpacio admodum anguſto porrigebantur, comprehenderent. A ſeptentrione Danubio, quantum Savo, Dravoque interceptus eſt, olim claudebantur, fuitque hæc portio Sclavoniæ nomine ſingilatim nuncupata; at poſterius ab Danubii ripa ultra Bacuntium amnem, quo loco Sirmium quondam fuiſſe multi arbitrantur, hac ditione ab Hungaria cum ex Aſia in Pannoniam delati ſunt, privatos fuiſſe, ex Radonis Palatini litteris, quarum ad annum ſeculi hujus ſeptimum ac quinquageſimum memoria a nobis injecta eſt, citra dubium conficitur (*l*). Hi fere limites Croatiæ ac Dalmatiæ cum
1088. Svoinimirus defunctus eſt (*m*).

Obortis turbis utrumque regnum ad Hungaros devolvitur, incertum tamen, quo jure. Qui cum ſine hærede deceſſiſſet, nam præter filiam unicam, eamque Claudam *Winichi*, quam nobili cuidam de genere *Lapzanorum* collocaverat, & *Karini* terram dotis nomine dedit, (*n*) nullos liberos reliquerat, Optimates Croatiæ, ut potentia, & clientela præcellebant, ita obortis factionum ſtudiis, & ambitu concitati de dignitate inter ſe contendère, & ut res, aut occaſio ferret, partem ſibi quiſque ex pulcherrimo regno decerpere nitebantur, quam quiſque ſuo deinceps arbitrio, & jure adminiſtraret. Potentiſſimum ex his, & jure præterea hæreditatis eminuiſſe Stephanum, Creſimiri III, ut veriſimile eſt, filium, qui regio etiam titulo poſtea gloriatus eſt, facile conficitur ex diplomate, quo monialibus Spalatenſibus latifundia quædam, dum Sibenici conventum celebraret, auctoritate ſua confirmarat (*o*). Sed
1089. is aut fato præmaturo ereptus, aut non legitimus rex ab ceteris habitus fuit. Quidvis ſit, poteſtate regia, ſi quam habuit, non ad ſtabiliendam auctoritatem, ſed inferendam aliis injuriam abuſus eſt. Præſertim Proceres, non ſatis ad defenſionem comparatos, armis aggreſſum, & defuncti Svoinimiri regis viduam miris modis exagitaſſe memorant. Quæ res ita animos quorundam exacerbarit, ut regni jura maluerint ad exteros transferri, quam homini immodice ſuperbo obedientiam præſtare.

Sunt, qui jus in teſtamento, aut connubio fundent. Atque hinc Croatia maximam partem ad Ladislaum devoluta eſt. Sed quo jure, aut quem in modum, ſcriptores magnopere diſcrepant, nec erit ſupervacaneum horum opiniones in medium afferre. Thuroczius, & Bonfinius (*p*), Svoinimiro, ſeu, ut illi ſcribunt, Zolomiro absque liberis exſtincto, uxorem ejus, cum ab inimicis male accepta eſſet, Ladislai fratris auxilium imploraſſe ferunt, qui poſtquam validis copiis Croatiam ingreſſus fuiſſet, hanc ſuæ poteſtati cum Dalmatia penitus ſubjecerit. De Dalmatia poſterius liquebit, domeſticos annales in errore cubare. Orbinus (*q*) ex conjugio, quod Ladislaus cum Creſimiri ultimi omnium Croatiæ regis filia

l) Cum diſerte iſthic Palatinus dicat ſe monaſterium S. Demetrii ſupra Savum fluvium cum tota illa provincia *iterum reacquiſiviſſe*, ſatis clare innuitur, eam jam prius Hungaris obnoxiam fuiſſe, ſed inter armorum ſtrepitum, ut fit, ad modicum tempus per Croatas ereptam.

m) Hæc ex LVCII regno Dalmatiæ Lib. II. cap. XII. & XIII.

n) Conficitur id ex diplomate Ludovici I. regis Hungariæ dato ad an. 1360. Apud Lucium Lib. III. cap. I.

o) Ibid. Lib. II. cap. XI. Diplomatis initium hoc eſt: „Io Chriſti oomine. Stephanus ego natu Dei Croatorum, & Dalmatinorum rex.„ Exitus aotem: „Actum eſt hoc apud caſtrum Sibenico„ - - Et licet annus expreſſus non ſit, quia tamen Svoinimiri diſerte meminit, hic autem defunctus ſit anno 1087. anno autem 1091. Ladislaus magnam Croatiæ partem occupavit, probabile eſt, eum intra hos anoos regnaſſe.

p) THVROCZ. Lib. II. cap. LVII. BONFIN. Dec. II. Lib. IV.

q) Poſt pag. 314.

filia inierit, jus omne repetit. Alii contra Ladiſlaum a ſorore Creſimiri conjuge, quam Ratkajus neſcio unde Lepam fuiſſe dictam perhibet, teſtameoto hæredem ſcriptum afferunt. Nonnulli, qui armorum vim ad adeundam peſſeſſionem non ſatis eſſe exiſtimant, hæreditatis prærogativam ab Græcanicis Imperatoribus repetunt (r), quorum cum iode ab exordio ſuprema in Croatiam, ac Dalmatiam poteſtas fuiſſet, & Pyriſca Colomanni ſoror Emanueli Comneno, ut Bonfinius vult, nupſerit (s), inde juris partem ad Hungariæ reges pertinere ſibi perſuadent. 1090.

Iſtorum momenta refelluntur.

Verum hæc, quoniam ſibi ſcriptores tam aperte contradicant, neque ex græcanico conjugio, niſi tabulis in eam rem confectis, quidquam juris in Croatiam ac Dalmatiam veriſimiliter exſculpi poſſit, alioquin nullum facile ex finitimis regnis fuerit, in quæ regibus Hungariæ ob conciliatas nuptias jus non obtingat, prorſus improbabiliter dici videntur. Ladislaum autem ab ſorore hæredem Dalmatiæ ac Croatiæ ultima voluntate ſcriptum eſſe, ut Bonfinius & Thuroczius volunt, imperite prorſus, neque ſatis ad illa tempora accommode conſignatum eſt. Neque enim credibile eſt, Svoinimirum, qui occupato per vim regno dignitatem deinde regiam ab Gregorio VII. adeptus eſt, jure jurando fidem ſedi Apoſtolicæ obſtringuea, cum perjurio regnum conjugi reliquiſſe; aut Ladislaum regem, ſumma in Pontifices obſervantia, per neſas regni poſſeſſionem adiiſſe. Fortaſſe omnium optime ea de re Archidiaconus Spalatenſis exiſtimat, qui, ubi deſcripta Svoinimiri morte, narraſſet neminem unum fuiſſe, qui ab illius exceſſu jure ſuccederet, in hæc verba ſubjungit: *Cœpit itaque inter omnes regni proceres magna diſcordia ſuberiri, & cum diviſim modo hic, modo ille, regnandi ambitione ſibi terræ dominium vindicaret, innumerabiles rapinæ, prædationes, cædes, & omnium facinorum ſeminaria emerſerunt, alter enim alterum inſequi, invadere, trucidare quotidie non ceſſabat. Verum bis temporibus exſtitit quidam ex Magnatibus Sclavoniæ, qui cum a ſuis eſſet contribulibus multis laceſſitus injuriis, multiſque damnis attritus, non ſperans aliter ſe poſſe tantis reſiſtere malis, in Hungariam profectus eſt. Tunc ad regem Ungariæ Ladislaum ingreſſus, eum alloqui cœpit, perſuadens ei, ut ad capiendum Croatiæ regnum, & ſuo dominio ſubjugandum exiret, dans ei plenam fiduciam, id facile complere, cum regnum illud vacuum, & ſine tutela regalis providentiæ remanſiſſet.* (t) Hactenus Spalatenſis. Quæ mihi proxime ad veritatem videntur omnino accedere, præſertim quod credibile non ſit, Ladislaum, quem regno Hungariæ ita temperanter præſuiſſe narravimus, ut ſemel, atque iterum illius adminiſtrationem transferre in Salomonem cogitarit, alieno regno inhiaſſe. Itaque, quemadmodum ex Archidiaconi narratione pronum eſt conjecturam capere, ad Magnatis Sclavoniæ preces turbatis in Croatia rebus conſultum duntaxat voluerit, cui, poſtquam oſtentato armor m metu Sclavoniam pacaſſet, Croatæ, ut eſt gena belli cupidiſſima, capti militari illius virtute, devictiſque refractariis, ſuapte regni gubernacula detulerint. Hunc in modum Croatiæ ac Dalmatiæ mediterraneæ jus ad Hungariæ reges devolutum eſſe videri poteſt, partim armis, partim populi conſenſu poſtea aſſertum.

Ladislaus ad reprimendas turbas a Croatis vocatus.

Atque hæc anno ſupra milleſimum nonageſimo ex parte eveniſſe arbitror, 1091.
quoniam ſequente primum Ladislaus illiua, cujus meminimus, Magnatia conſilio perſuaſus in Croatiam copias traduxit. Rem Spalatenſis ſuperiorem locum proſequens ita narrat. *His ergo Ladislaus rex inductus conſiliis, abſque mora coadunato exercitu copioſo venit, & occupavit totam terram a Dravo flumine uſque ad alpes, quæ dicuntur ferreæ, nullo obice reſiſtente. Poſt hæc tranſivit alpes, & cœpit impugnare munitiones, & caſtra, multaque prælia committere cum gentibus Chroatiæ. Sed cum alter alteri non ferret auxilium, eſſentque diviſi ab invicem, facilem victoriam rex potuit obtinere. Nec tamen uſque ad maritimas regiones pervenit, ſed audiens, quod quædam gens ſui regni fines intraverat, in Hungariam repedavit: fuit autem rex iſte non ſolum armis ſtrenuus, ſed religione, & ſanctitate inſignis* (u). Quo ſatis, opinor, innuit, regem non ambitus cauſa alienum regnum invaſiſſe, ſed ut rogantibus adverſus vim, & injuriam eorum, qui tyrannidem affectabant,

Sclavoniam, & mediterraneam Croatiam partim armis, partim deditione ſpontanea juri Hungarico aſſerit.

r) Timon. Epitom. Chronol. ad an. 1096.

s) Tom. I. Andquæ Lect. „Porro ſoror „ hujus Sophiæ (quæ nimirum Magnoni „ Saxoniæ Duci nupſerat, itaque Geiſæ I. „ filia, & Colomani ſoror fuit) regi Græ„ corum nupſit.„ Timon addit *Pyriſcam* dictam, quam aliqui Ladislao filiam fecere, uti Colomanum filium.

t) Cap. XVII.

u) Idem ibid.

ſtabant, opem ferret. Ceterum ſatis ex hoc loco perſpicuum fit, Sclavones ſuapte ſe regi ſubjeciſſe, partem vero Croatiæ mediterraneæ armis eſſe vindicatam, itaque conjecturam noſtram, quam ſupra in medium attulimus, utcunque confirmari. Neque, quod noſtri ſcriptores paſſim habent, totam Croatiam, aut Dalmatiam hoc bello juribus Hungariæ aſſertam ullo modo ſuaderi poteſt, quando Spalatenſis Ladislaum ad maritimas plagas, quibus ea ætate Dalmatia definiebatur, veniſſe diſerte negat, Croatiæ autem partem a Colomano, ut dicemus, ſubjugari prius oportuerit, quam Dalmatia in provinciam redacta eſſet. Itaque corrigendus Verböczius eſt, (x) qui jurium, quam hiſtoriæ magis gnarus Dalmatiam cum maritimis partibus a Ladislao Hungariæ adjectam ſcribit.

In Dalmatiam tamen, quod noſtri volunt, non penetravit, in Hungariam ob Cumanorum iruptionem revocatus.

Almum nepotem ſuum Croatis regem præficit, & in Cumanos movet.

Ladislaus partim deditione, partim armis domitæ Croatiæ Almum, nepotem ſuum, regem præficit, ne quid ſe abſente turbarum oboriretur, quemadmodum ex vetuſtis inſtrumentis colligitur. (y) Abhinc Sclavoniæ Banorum dignitas ad regum Hungariæ jura traducta eſt: cujus ratio & multiplex, & pro temporum habitu varia fuit. Nam qui Regum aut filii, aut cognati erant, fere Ducum aut regum, ſæpe etiam Gubernatorum titulis gaudebant. Serius poſtea Dalmatiæ ac Croatiæ eodem nomine Præfectos datos comperio, qui alias ſeorſim ſingulas, ſæpe conjunctas provincias moderabantur, quin unius quoque præfecturæ honoribus, ne potentia in dominatum verteretur, plures ornatos, neque diuturnos magiſtratus fuiſſe conſtat: ut ſuis locis memorare non intermittam. Almo itaque ea dignitas omnium primo ſub regis nomine ab Ladislao obtigit. Atque id prudentiſſimo conſilio factum, ipſo eventu non multo poſt declaratum eſt. Nam Cumani ſeu prædarum ſpe, ſive etiam ad damnum, quod haud ita pridem ab rege acceperant, ſarciendum *Copulcho* duce, vaſtata prius fœdiſſime Tranſilvania in Biharienſem provinciam rurſus ſe effudere. Hinc eodem impetu tranſmiſſo Tibiſco, diviſisque trifariam copiis, ſpolia latiſſime agebant. Duo agmina mediterraneas Tibiſci plagas infeſtas tenuere, tertium haud procul fluvio vaſtitatem circumſerebat. Miſerrima Hungariæ facies fuit, cum nemo facile ingenuorum eſſet, qui non uxoris, aut liberorum jacturam lugeret, quodque dolorem inprimis exacuit, barbaris reditum parantibus, ſine ſpe libertatis rapi ſuos videbant.

Hos ad Temeſum fl. nactus memorabili clade afficit.

Acerbæ rei nuncius ad Ladislaum plane tum allatus eſt, cum ex Sclavonia victorem exercitum reduceret. Non eſt facile dictu, quam vehementer ſuorum calamitate commoveretur, milesque, ubi hoſtis atrocitatem intellexiſſet, pugnam depoſceret. Itaque celerrimis itineribus non tam ad bellum, quam victoriam itum fuit. Tranſmiſſo Danubio, cum hoſtem comperiſſet ad Temeſum amnem ſui ſecurum, ac ſpoliis gravem otio, ac venatui indulgere, arrepta extemplo iſthuc via imparatos aggreditur, & memorabili prælio vincit. Ferunt enim, niſi fides major vero ſit, præter captos, quorum ingens numerus erat, omnes internecione deletos, uno ſolum, qui victoriæ ad ſuos nuncius eſſet, ſuperſtite relicto. Captivis vitæ gratia a rege oblata, ſi ad ſacra Chriſtiana tranſirent, alioquin jure belli, & ex temporis illius ritu in ſervitutem redigendi. Atque ex his, ſi qui, ut probabile eſt, in Hungaria remanſere, eorum, quos vulgus Jazyges, nos Cumanos rectius nuncupamus, originem ducendam ſuſpicor, quoniam iidem Cumani cum Patzinacitis, & hi in ipſo ortu Hungari, ut in veterum Hunnorum annalibus ſatis perſpicue demonſtravi.

Rurſumque bellum apparantes ad Danubium internecione delet.

Cumani, poſtquam ſociorum ſuorum cladem ex illo, quem internecionem evaſiſſe ſcripſimus, comperiſſent, Legatos ad Ladislaum miſere, qui captivos repeterent. Fuit iſtorum oratio plena faſtus, & contumeliæ, neque enim precibus, aut precio ſuos repetere, ſed comminatione, & acerba in regem dicacitate malebant, diſertis verbis profeſſi, ſe, niſi nuperno prælio capti continuo redderentur, infeſtis

armis

x) Trip. op. Jur. Conſuet. Ung. P. I. Tit. 6.

y) In antiquo regiſtro monialium S. Mariæ Jadrenſis hoc monumentum ad hanc rem faciens Lucius reperit. „Anno incarnationis „ Jeſu Chriſti D. N. MXCI. Kyri Alexio „ Conſtantinopoleos imperante, tempore, „ quo Ladislaus Pannoniorum rex, Croatiæ „ invadens regnum, Domnum Almum, „ ſuum nepotem in illo ſtatuit regem, Ja„ drenſi vero Cathedræ Domno Andrea ve„ nerabiliter præſulante, meque Drago Do„ mini Præſtantii Epiſcopi nepote jam tertio „ priorante. „

Digitized by Google

armis affuturos, ut vi extorquerent, quos bona regis venia impetrare nequiſſent. Ladislaus auditis ſine ſtomacho Legatis, præſertim quod captivos ad religionem traducere in animo conſtitutum habebat, re infecta abire jubet, admonitos, ſe, ſi vim inferre meditarentur, cum copiis loco, & tempori præſto futurum. Neque diu ad Temeſum fluvium moratus, exercitum iſthuc, ubi erupturos barbaros putabat, transfert. Hic, ſive hoſtis commeatum omnem prius corrupit, ſive aliunde difficulter ſuppeditari poterat, miles penuria laborare cœpit. Neque tutum ſatis fuit, quod Cumani propediem affuturi metuebantur, copiarum partem ad convehendam anonam longe digredi, & inedia confectis manus conſerere periculo quoque non vacabat. His anguſtiis deprehenſus Ladislaus, procul aliorum conſortio Deum orabat, ne ſuos, qui non tam regni, quam religionis cauſa arma corripuiſſent, in tam præſenti periculo deſtitueret. Neque opem cœleſtem defuiſſe ſenſit: ſimul enim orare Deum deſierat, ſimul ingens bubalorum, ac cervorum grex, quaſi temere iſthuc delatus, caſtris infunditur, ex quo cum recreatus ab inedia exercitus, tum, cognito manifeſto Numine, animi ad pugnam mirum in modum concitati. (z) Haud multo poſt Cumani adſunt, & ad Danubium caſtra metantur. Noſtri nihil moræ interponendum rati, ſabbatho die ſub primum diluculum aggreſſionem moliuntur, cumque primo congreſſu Ladislaus forte fortuna in Akuſium, barbarorum ducem, incideret, ſingulari victum certamine nullo negocio obtruncat. Caſu Ducis in apertam fugam hoſtis effunditur, cumque locorum ignari temere oberrant, plurimis cæſis, captis pleriſque bellum penitus profligatum eſt. (a) Bonfinius deſcripta pugna addit, in victoriæ relatæ memoriam fluvium a cæde Cumanorum Themeſum fuiſſe dictum. (b) Sed id ridiculum eſt, quod amnis dudum ante, cum Romanorum, tum Hunnorum ætate, id nominis indeptus eſſet. 1092.

Græci Hungarorum progreſſiones veriti jura Dalmatiæ in Venetos transferunt.

Dum hoc modo Ladislaus armis rem feliciter in Hungaria gerit, Almus contra Croatiam pacate gubernat, Græci, qui Croatiæ ac Dalmatiæ dominatu jam olim exciderant, minus æquo animo Hungarorum fortunam ferre videbantur. Alexius Comnenus, quod occupata magnam partem Croatia expeditam Hungaris viam in maritimas Dalmatiæ plagas videret, veritus, ne illius acceſſione Hungariæ vires in immenſum excreſcerent, jus ac titulum Dalmatiæ in Venetos transtulit, partim quod claſſe ſibi prius adverſus Robertum Nortmanorum regem auxilio veniſſent, partim ut novo ſibi illos beneficio obſtringeret, ſi quid foederum, quod metuebat, Hungaris cum Nortmannorum gente intercederet. Fuitque primus omnium Vitalis Phaletro, quem ducis Dalmatiæ titulo poſtea uſum eſſe perhibent. (c) Quæ res non nihil diſſidii inter Hungariæ reges, & Venetos concivit, ut, cum locus erit, narrabimus.

Ladislaus celebratis Comitiis leges condit.

Ladislaus profligatis nuper Cumanis ad curandam rem publicam converſus, Comitia *Sabolcſum* indixit. Eſt ea urbs ultra Tibiſcum amnem ſita, provinciæ cognominis caput. Convenere Antiſtites & Optimates, tum ex regni conſuetudine, tum quod de ſacris perinde, atque profanis rebus conſultandum fuit. Soluto conventu leges in medium promulgatæ, quibus & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & politicæ quam optime conſuleretur. Illæ ad argumentum noſtrum non attinent: ex his præcipuas ſolum perſtringemus. Graviſſimæ adverſum furta cautiones inſtitutæ, ut adeo omnes regni optimates jure jurando ſe obſtrinxerint, daturos ſe operam, ut ne cui id facinus, ſi illius convinceretur, impune abeat, ſed reſte, amiſſis præterea omnibus fortunis, vitam amittat. (d) Niſi forte in Eccleſia, regisve curia, aut ad Epiſ-

Quæ, qualeſve fuerint.

z) Auctor vitæ S. Ladislai apud Hagiographos Tom. V. Junii ad diem XXVII. ex MS. codice Corſendonkano. Num. 3. ſic habet: „Et dum fame periclitaretur exercitus, avulſus eſt ipſe ab eis ſeorſum, & in oratione proſtratus implorabat miſericordiam DEI, ut, qui quondam filios Iſrael manna de cælo pluens paverat, Chriſtianum populum fame perire non ſineret. Cumque ab oratione ſurgens reverteretur, ecce grex cervorum, & bubalorum obviavit ei, & cum ipſo ſimul in medium exercitum, depoſita feritate convenit.„

a) Thuırocz. Chron. cap. LVII.

b) Dec. II. Lib. IV. Videtur mihi Bonfinius, niſi fallor, ad Hungaricum vocabulum *Temetés*, quod ſepulturam notat alludere, quaſi, quod tot Cumani ſepulti illic ſint, Temeſus dictus ſit.

c) Lucius de regno Dalm. & Croatiæ. Lib III. cap. II.

d) Decret. S. Ladislai Lib. II. Cap. 1.

1092.

coporum pedes proſtratus perfugio locum reperiret. Quamquam nec id ſemper valuiſſe conſtat, quando eos, qui ut ſupplicium effugerent, Eccleſias petiere, inde extractos oculis orbare pro furti gravitate, aut certe Eccleſiæ ſervituti addicere ſolebant. (*e*) Quin Clerici quoque furti minuti cauſa ſcopis a magiſtro, cui parebant, corrigi jubebantur. Pariter in liberos animadverſum: his eruti primum oculi, tum proles, ſi decem annos ſuperaſſent, in ſervitutem redactæ, univerſi autem bonis privati. (*f*) Servus furti convictus aut naſo, aut oculo mulctabatur. (*g*) Neque feminæ a pœna furti eximiæ: quæ matrimonio copulata eſſet, amiſſo naſo venum eſt data; viduam oculo ſolum privari placuit. (*h*) Innuptam, quæ pari crimine teneretur, poſt venumdationem nefas fuit emancipare, niſi Curiæ regis obnoxia redderetur. (*i*) Omnium autem graviſſime in milites actum; quos, ſi in expeditione furto ſe, nomenque ſuum inquinaſſent, cum omnibus rebus exſtipare in more fuit (*k*).

Regni commodis, & religioni inprimis conſulit.

Hæc ad caſtigandum hoc vitium, quod per omnes, ut apparet, promiſcue id temporis diffuſum eſt, ſancita. Iis, quæ ad regni utilitatem pertinebant, non minore cura proviſum. Latini homines, qui mercatus cauſa in Hungaria verſabantur, ſi Hungarorum conſuetudini morem non gererent, exeſſe regno juſſi; neque pecuniam, quam ſibi comparaſſent, efferre fas fuit. (*l*) Qui rerum emendarum, aut vendendarum cauſa aliunde veniſſent, nihil iſtorum ante obtentam a rege veniam pro ſuo arbitratu audebant: tum coram regis diribitore norma modusque minutim præſcripta (*m*). Boves aut equos in collimitio venum exponere tam graviter vetitum, ut ſi quid a limitum comitibus ea in re peccatum fuiſſet, citra veniæ gratiam honore privarentur; cuſtodes autem, quos *Ewrios* tum dixere, crimen amiſſa libertate luebant. (*n*) Verum iſta pro illius temporis habitu, nunc, quod rationes publicæ ita poſtularent, alia rerum iſtiusmodi norma eſt. Ad hæc, quoniam religioni piiſſimus rex eo conventu maxime cautum voluit, Antiſtitum ſententiæ rogatæ, viderent, ne quis juxta puteos ſacrificarit, aut holocauſta ad arbores, fontes, lapidesve offerret, deprehenſos in facinore pro arbitratu ſuo punirent (*o*). Ex quo facile intelligimus, quæ ratio ſuperſtitionum ſcythicarum apud Hungaros, priusquam ad Chriſtiana ſacra traducerentur, obtinuerit, tum Ladislai temporibus nondum omnem Hungariam religioni ita fuiſſe initiatam, ut non aliqua veterum rituum veſtigia fupereſſent. Credibile tamen eſt, regem pro ſuo in fidem ſtudio, quidquid eatenus labe ea inquinatum erat, a fundo penitus exſtirpaſſe.

Curata domi republica, ſtudium in Croatiam convertit. Erectio Zagrabienſi Epiſcopatu.

Neque pietatis bujus, qua Hungariam complexus eſt Ladislaus, Croatia ſe expertem ſenſit. Cum enim anno ſuperiore, redacta in provinciam Sclavonia, & magna Croatiæ parte populos illius regionis fere vano deorum cultui deditos eſſe comperiſſet, idque Paſtorum defectu plurimum accidiſſe, ut malo huic mederetur, Zagrabienſem Epiſcopatum ſundavit. Non me latet eſſe permultos, qui putent Præſulem Siſcienſem ab rege Zagrabiam duntaxat tranſlatum, alios quoque, qui de Zagrabienſi Epiſcopatu condendo Ladislaum quidem cogitaſſe exiſtiment, gloriam tamen fundati re ipſa Epiſcopatus Almo, vel Colomanno tribuant. Sed Siſcienſem veriſimile non eſt in tanta barbarorum frequentia, & procurſionibus ad id tempus perſiſtere potuiſſe incolumen, quod autem de Almo ac Colomanno regibus dicitur, nulla veterum auctoritate confirmari per ſe ſe liquet. Certe Felicianus Strigonienſis Archi-Epiſcopus nono ac trigeſimo ab exceſſu Ladislai anno, itaque rerum geſtarum apprime gnarus, hanc ei gloriam diſerte tribuit. Juvat partem litterarum quoniam paucorum manibus forte hactenus tritæ ſunt, in medium afferre.

Ut ex litteris publicis conficitur.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Regnante nobiliſſimo rege Ladislavo, Strigonienſis vero Eccleſiæ primum Acba gubernante, & Baacienſi Archi-Epiſcopo Fabiano exiſtente, Beſprimenſi Epiſcopo Coſma; Palatino Comite Jula, Semegienſi Comite Grab, prædictus rex divina gratia inſpirante, horum, ceterorumque nobilium conſilio Zagra-

bien-

e) Lib. II. cap. 12. & Lib. III. cap. 4.
f) Lib. II. cap. 12.
g) Ibid. cap. 2.
h) Lib. III. cap. 6.
i) Ibid. cap. 7.
k) Ibid. cap. 10.
l) Lib. I. Decret. Ladislai, cap. 31.
m) Lib. 2. cap. 18.
n) Ibid. cap. 17.
o) Lib. I. cap. 22.

bienſem conſtituit Epiſcopatum, videlicet, ut quos error idololatriæ a DEI cultura extraneos fecerat, Epiſcopalis cura ad viam veritatis reduceret. Ad inſtruendam ergo hujus plebis ignorantiam, quendam Boemicum venerabilis vitæ virum, nomine Dub, idoneum reperit, quem eidem Eccleſiæ paſtorem per ſuum Capellanum Francicam delegavit, qui etiam eidem Eccleſiæ Officinarios de Semegienſi, & Zalenſi comitatu ordinavit. Præterea alter Capellanus, Cupan nomine, præcepto ejusdem regis dedit eidem Eccleſiæ populum de Dumbroa cum terra, & ſilva appendente - - (p). Hactenus litteræ, quantum ad præſens argumentum attinent. Ex quibus & fundatum ab Ladislao Epiſcopatum Zagrabienſem, & cauſam, qua ad tam divinum opus permotus fuiſſet, diſerte expreſſa habemus. In eandem ſententiam Divorum olim regum Hungariæ diplomata exſtant non pauca, quæ fidem opinioni huic concilient, niſi putemus, reges olim earum rerum, quas ſui deceſſores geſſiſſent, aut penitus fuiſſe ignaros, aut rumoribus incertis temere fidem habuiſſe. (q) Id tamen facile mihi perſuadeo, quoniam tertio abhinc anno

p) Reliqua litterarum hujus tenoris ſunt. „ Tranſacto igitur non parvo tempore, regnante vero Stephano, prædicto vero Francica illius Eccleſiæ Epiſcopatum tenente, a quodam viro nomine Sudengna de prædicta ſilva Eccleſiæ injuria illata eſt. Quod Epiſcopus ægre ferens, ad regia patrocinium confugit, qui totam cauſam Feliciano Strigonienſi Archi-Epiſcopo diſcutiendam commiſit. Illius ergo Eccleſiæ adverſarii ad judicium vocati cum ad determinatum diem venire noluiſſent, nec L. penſas ſecundum legem terræ perſolvere potuiſſent, Archi-Epiſcopi judicio prædicta ſylva per Preſtaldum Iſaac nomine, Eccleſiæ reſtituta eſt, ac quamdiu Francica illi Eccleſiæ præfuit, nullus ei aliquam injuriam inſerre præſumſit. Defuncto ergo rege Stephano piiſſimus Bela Divina gratia largiente Pannoniæ ſceptra feliciter gubernanda ſuſcepit, cujus gratia prædictus Francica ad Baacienſem Archi-Epiſcopatum translatus eſt. Zagrabienſi vero Eccleſiæ Macelinus Hieroſolymitanus Canonicus, Epiſcopus ordinatus eſt. Tertio ergo Epiſcopatus ſui anno Adilberth frater Kaladini Comitis Semegienſis Comes una cum Claniſa, & Petro fratre ejus, & Sudengna, aliiſque quam pluribus ejuſdem terræ melioribus de prædicta ſylva in concilio Waradinenſi tempore Walterii Epiſcopi, ante Felicianum Strigonienſem Archi-Epiſcopum litigium renovavit. Cujus judicio duo Epiſcopi, videlicet Francica Baacienſis, & Macelinus Zagrabienſis, ſalva Epiſcopali dignitate pro juſtitia ſanctam Eccleſiæ veritatem dixerunt, tres vero de nobilioribus ejuſdem Eccleſiæ, ſcilicet Barkis, Mahal, Derſibna ſuper ſacrum Altare Waradinenſis Eccleſiæ in præſentia Canonicorum juraverunt, Auguſtino Strigonienſis Eccleſiæ Canonico exiſtente Preſtaldo. Quod factum eſt anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIII. Epacta XXIII. VI. Calend. Maii. Archi-Epiſcopus vero volens ſuum judicium immobile permanere, alterum eiſdem Preſtaldum, nomine Marcellum filium Gira Comitis dedit, qui priori Preſtaldo, ſcilicet prædicto Iſaac præmonſtrante ſingulas metas renovavit, & Eccleſiæ ſylvam ea conditione reſtituit, ut nullus in ea omnino ſine conſenſu Epiſcopi quicquam agere præſumat vel venando, vel aliquid de ea auferendo, vel intromittendo. Hujus rei teſtes ſunt Archi Epiſcopi judicio aſſidentes Nicolaus Nitrienſis Epiſcopus, Eucidinus Comes Deſauniæ, Gcuril filius Andreæ, Comitis Laurentius filius Salemonis, Canonici Waradinenſis Eccleſiæ Benedictus cuſtos, Opus Decanus, Sebaſtianus. „ Apud Reverendiſſimum Balthaſarem Kercſelich. Hiſt. Eccleſ. Zagrab. Part. I. cap. I. pag. 1.

q) Andreas II. in privilegio dato per manus Vgolini aulæ Cancellarii inter alia ſic habet. „ Præſentium atque poſterorum notitiæ clareſcere volumus, quod cum eſſemus in exequendo itinere aſſumptæ crucis, injuriam Crucifixi ulciſci volentes ad terram ſanctam proficiſcendo, & veniſſemus ad Zagrabienſem Epiſcopatum, & monaſterium Zagrabienſe a ſancto Ladislao rege ſanctiſſimæ recordationis prædeceſſore noſtro conſtructum, qui terram Sclavoniæ, ſive Banatum ab errore idololatriæ ad Chriſtianitatem convertens, coronæ Hungariæ ſubjugavit, qui etiam in eodem Banatu Epiſcopatum inſtituit, & monaſterium in honorem S. Stephani conſtruxit - - - Epiſcopus Stephanus, & Capitulum ejuſdem loci nobis humiliter ſopplicando poſtularunt, ut nos omnia privilegia ſuper prædiis, poſſeſſionibus, & libertatibus, aliiſque redditibus tam a S. Ladislao rege *primo fundatore Eccleſiæ*, tam etiam a prædeceſſoribus noſtris, præſertim a fratre noſtro felicis recordationis rege Emerico, quam etiam pie a nobis collata ſecretioria, & ſolennioris ſigilli, videlicet aureæ bullæ munimine confirmaremus „ - - - confirmatio autem facta eſt, anno regni illius XIII., qui incidit in an. Chr. MCCXVII. Idem Andreas rex in privilegiis Eccleſiæ Quinque-Eccleſienſis tranſumtis, poſtquam litteras fundationis D. Stephani, & collimitium illius & Zagrabienſis Epiſcopatuum recenſuit, ita loquitur: „ Quoniam ultra Dra-

1092.

Ladislaus obiit, ab eo fundamenta ſolum Epiſcopatus jacta, a Colomanno autem, aliisque, ad faſtigium deinde educta fuiſſe.

Idem non nulli de Epiſcopatu Varadinenſi ſatis probabiliter exiſtimant.

Sunt, qui Varadinenſem in Hungaria Epiſcopatum ad idem quoque tempus revocent; rectene, an contra, in aliorum arbitrio erit. Mihi, quia domeſtici annales plerique jam eo tempore, quo Ladislaus Ducis titulo ornatus in Cumanos ſub Salomone pugnabat, Varadinenſis Epiſcopi mentionem faciunt, vero videtur ſimilius, Ladislaum jam tum, quod plaga illa ducum imperio obnoxia, & a Colocenſi, cujus ditiones trans Danubium ſatis late in Sclavonia pertinebant, nimis remota eſſet, ſedem hanc ex Geiſæ fratris conſenſu fundaſſe, ac poſtea, ubi regnum adeptus eſt,

1093. ampliſſimis redditibus donatam exornaſſe.

Lis inter Colocenſem, & Quinque-Eccleſienſem componitur.

Hæc de Epiſcopatu Zagrabienſi inſinuanda ſolum habuimus. Anno ſequente non nihil litium inter Colocenſem & Quinque-Eccleſienſem Antiſtites obortum. Deſiderius Colocenſis Archi-Epiſcopus limites, quos trans Danubium in Sclavonia habuit, paullum prorogatos voluerat, quæ res Quinque-Eccleſienſi occaſionem primum querelarum præbuit, tum, quod convenire illis non poſſet, cauſa ad Ladislaum delata. Ventilatis ultro citroque momentis placuit, ut Quinque-Eccleſienſis juri ſuo, quod ab D. Stephano acquiſierat, in integrum reſtitueretur, neſaſque eſſet limitum cauſa quidquam deinceps in controverſiam vocare (*r*).

In

„ vi fluvium limes, ſen terminns Quinque-„ Eccleſienſis Eccleſiæ nondum ſuerat ſtabi-„ litus, eum ſanctus rex Ladislaus primus „ trsnſierat Dravæ fluvium, & partes ſibi „ Sclavonicas, regno primum occupavit ad-„ jecto. Ubi & *ſedem fundavit Epiſcopalem*, „ videlicet Zagrabienſem„ - - Et STEPHANVS V. BELÆ IV. filius confirmans Avi ſui, patriſque privilegia, in bæc verba: „Nos „ itsque Illuſtrium Progenitorum noſtrorum „ regum Hungariæ veſtigiis inhærendo ipſam „ Zsgrabienſam Eccleſiam - - proſequi cu-„ pientes, præſertim ob devotionem ſancti „ regis Lsdislai, qui eliminatis gentilita-„ tis erroribus in Ducatu Sclavoniæ Za-„ grabienſis Eccleſiæ *inſtitutor ſanctiſſimus ex-„ ſtitit, & fundator* „ - - Datæ ſunt litteræ anno MCCLXXII. XV. Kal. Julii, regni anno III. Hæc ex hiſt. Eccleſ. Zagrab. Reverendiſſimi D. Balthaſ. KERCSELICH. Adſert contra ſentientium rationes ſequentes: I. ſilentium coævorum ſcriptorum. II. Ex litteris Feliciani, cum dicatur iſthic Epiſcopatum conſtituiſſe, effici non fundatum eſſe, ſed ordinstum duntaxat Epiſcopatum. III. Vix aliquem Epiſcoporum veterum litteras ſignaſſe Zagrabiæ, ſed Dombræ, vel Chaſmæ. IV. Ex biſt. Salonit. cap. XV. patere, Croatorum reges ab Archi-Epiſcopo Spalatenſi petiiſſe, ut Croatia ſeurſim Epiſcopum haberet, cujus ſedes fuerit in Eccleſia S. Mariæ Virginis juxta caſtrum Tinienſe. Sed ſilentium coævorum per ſe non ſufficit, conficitque præciſe argumentum, ut loquimur negativum. Et alioquin Feliciani litteræ ſatis coævæ ſunt. Quod autem in his dicatur ſolum conſtituiſſe Epiſcopatum, non itidem racte infertur, Ladislaum duntaxat in ordinem redegiſſe Epiſcopatum, ſed fundaſſe re ipſa, cum id reges in ſuis diplomatibus diſerte exprimant. Ex eo vero, quod plerique Epiſcopi veteres litteras ſignarint Dombræ, vel Chaſmæ, non item Zagrabiæ, id puto inferri, Epiſcopos prius ſedem in his locis habuiſſe, poſtea Zagrabiam translatos. Fateturque idem Doctiſſimus auctor, tametſi litteræ datæ eſſent Dombræ, vel Chaſmæ, Epiſcopos tamen ſe nominare Zagrsbienſes conſueſſe. Quod de Croatorum Epiſcopo ad Tininum reſidente affertur, locum hic non babet: nam eam partem, ubi Tininum eſt, Ladislaus non ſubegerat, ut Sclsvoniam, itaque hic jure ſuo, quod reges Hungariæ, tanquam Legati ſedis Apoſtolicæ obtinent, uti poterat. Hæc fere videntur reſponderi poſſe, etſi hæ meæ partes hoc loco non ſint.

(*r* Adjudicatoria ſententia in hsc lite ita clauditur: „Primi, & ſanctiſſimi regis Ste-„ phani, ejuſdem Eccleſiæ conceſſorum in-„ ſtrumentorum ſcriptis & ſigillo edocti, in „ unam eandemque ſententiam conducti rex „ prædictus (Ladislaus) & omnes optima-„ tes ejus, ſancti quoque Metropolitanæ „ urbis Archi Epiſcopus cum omnibus ſuf-„ fragsneis ſuis, termini aquæductu, qui „ Revoaroch dicitur, cum cæteris pari pri-„ vilegio inſertis, ſcilicet Schemon Boondii „ in perpetuum poſſidendi dijudicarunt, cu-„ jus controverſionis executores Comites „ duo præſint, & Chaſmenſes Capellsni Ti-„ motheus, & Laurentius, Miniſtri regum „ Petrus & Simon exiſtentes ſupremam ſen-„ tentiam adminiſtrarunt. Anno igitur Do-„ minicæ Incarnationis Milleſimo nonageſi-„ mo tertio, Epacta XX. concurrentibus, „ quinque judices prima Dominica reſurre-„ ctionis quindecimo Kalendarum Maji in „ ipſo Epiſcopatu Pente (Quinque) Eccle-„ ſiaſticæ ſedis, actio in ſanctis Epiſcopis „ Fabiano, Coſma, Stephano Comitibus „ vero Squignienſi, (forte Simegienſi) Rbsb „ Scroch (forte nominis bujus lectio hæc „ non ſatis genuina eſt) Capellanis Strihun-„ gi, Erdeob, Samſon, Miniſtris autem Pe-„ tes, Serva, Conſtantino hoc privilegium „ a Timothen Capellanorum ultimo ſcri-„ ptum, ac Ladislai regis glorioſiſſimi ſigillo „ ſigillatum eſt.„

Interea Germania turbis miſerum in modum diſtrahebatur. Henricus Imperator, cui graviſſimæ antea cum Gregorio Pontifice diſſenſiones intercesserant, nunc ab ipſis Imperii Optimatibus in ordinem redactus eſt. Ipſe adeo Conradus natu major filius, quod ſceleſtiſſimo patris conſilio morem gerere nollet (*s*), eo relicto ad Urbanum Pontificem ſe contulit, & ducta iſthic Rogerii Siciliæ regia filia, rex Italiæ proclamatur. Atque hinc eveniſſe opinor, ut Principes plerique imperii coronam Ladislao offerrent, quemadmodum noſtri paſſim ſcribunt (*t*), non tamen, ut illi volunt, defuncto Henrico, quem decem annos poſt Ladislai exceſſum obiiſſe (*u*) exploratum eſt. Ladislaus tamen, qua erat modeſtia, honorem eum ab ſe amolitus eſt, ſive nollet tricis illis ſe implicare, ſive Hungariæ ſuæ major illi cura, quam ut eam cum exteris regnis communicatam vellet. 1093.

Obortis in Germania turbis Imperium Ladislao offertur.

Urbanus haud multo poſt Trojæ in Apulia ſynodum congregavit. Cauſam Palæſtina præbuerat, quæ cum ab orientalibus barbaris pene tota id temporis capta eſſet, & litteræ ab Patriarcha Hieroſolymitano per Petrum Eremitam, Ambianum genere, præterea afferrentur, quibus ſummum Pontificem magnopere oraverat, ut Principes Chriſtianos ad vindicandam a barbarorum jugo provinciam cohortaretur, ærumnis Chriſtianorum commotus Urbanus ab Francis & Anglis, quoniam Germani, & Itali magnam partem factionibus ſcindebantur, auxilium implorare ſtatuit, indicto in alterum abhinc annum Claromontem in Arvernia Concilio. Ad famam ſacræ expeditionis incredibiliter ſtudia gentium fere omnium exarſere; ipſeque Ladislaus voto ſe obſtrinxiſſe fertur (*x*), ſe, quam primum per regni curas id ſibi liceret, in barbaros moturum. 1094. Confirmavere eum in propoſito Legati, qui ſequente anno ab Gallis, & Anglis adfuere, ducemque, quoniam armorum fama late cognitus erat, ſacræ expeditionis concordibus votis elegere (*y*). 1095. Improbabile id Lucio videtur, quod ea expeditio in Concilio Claromontano poſt exceſſum Ladislai decreta eſſet. Sed ſi id jam doctiſſimo viro detur, mihi tamen ratio, qua ducitur, minime conſentanea apparet, quod Galli, Anglique eam honoris prærogativam ante celebratum Concilium Ladislao detuliſſe paſſim dicantur, ſin autem ab Concilio ea dignitate ornatum putemus tum, cum jam mortuus eſſet, facile evenerit, ut a Principibus gentium pene omnium, ex quibus id Concilium magnam partem conflatum fuit, mortis illius ob regionis longinquitatem ignaris ea Ducis poteſtas tribueretur, in quo nihil prorſus, quod a vero abhorreat, ineſſe video.

Repudiata Imperii dignitate, Dux ſacræ expeditionis eligitur ab Anglis, & Francis.

Utcunque id tamen ſit, Ladislaus oblata ſibi tam inſigni honoris prærogativa frui non potuit. 1096. Anno enim hunc conſequente, cum in Bohemos, non Conradi, ut noſtri ſcribunt, ſed Bretislai hujus nominis ſecundi cauſa, profectionem adornaret (*z*), bellico conatui immortuus eſt. Scio ab domeſticis ſcriptoribus exceſſum Ladislai ad annum iſto priorem plerumque referri, ſed errorem illis obrepſiſſe perſpicuum ſit ex diplomate Colomani, quo anno regni ſui duodecimo Traguriros libertate donarat, qui cum incidat in annum Chriſti, ut idem diploma diſerte habet, M.C.VIII. conſectaneum eſt, hoc anno Ladislaum e vivis ereptum, & Colomanum

Sed dum in Bohemos movet, morte præventus, ea dignitate ornari non potuit.

s) Donrechinvs Abbas in appendice ad Chronicon Mariani Scoti ad an. 1093. ita habet: „ Conradus, filius Henrici „ Imp. patri ſuo hac de cauſa rebellavit. „ Henricus rex Adelhaidam reginam quam „ duxerat uxorem, odio cœpit habere, „ ideo incarceravit eam, & conceſſit, ut „ plerique vim ei inferrent, imo filium hortans, ut eam ſubagitaret. Quo recuſante „ patris polluere ſtratum, cum rex non „ ſuum, ſed peregrini filium eſſe affirmavit, „ cujuſdam Principis de Suevia, cujus etiam „ faciem prædictus Conradus plurimum aſſimulavit. „

t) Thvrocz. Chron. Cap. LIX. Bonfin. Dec. II. Lib. IV.

u) Exſtant enim hujus litteræ, quibus contra Imperii Principes ad Paſchalem Pontificem provocat, datæ an. 1106. Ladislaus autem obiit an. 1095.

x) Auctor vitæ ex Cod. Mſ. Corſendonkano apud Hagiographos Tom. V. Junii ad diem XXVII. ejuſdem menſis.

y) Thvrocz. Chron. Cap. LIX.

z) Conradus enim, qui Uratislao II. defuncto ſucceſſit anno 1095. 14 Januarii, regnavit ſolum menſes VII. & XVII. dies, itaque mortuus eſt eodem anno circiter initium Septembris. Iſti ſucceſſit Bretislaus II., ut habet Balbinus in Miſcell. Bohem Lib. VII. ſect. I. cap. XXIII. Cum autem conſtet ex diplomate Colomani regis de anno MCVIII. Ladislaum defunctum eſſe anno 1096. in expeditione Bohemica, liquet non Conradi, ſed Bretislai cauſa hanc ab illo profectionem ſuſceptam fuiſſe.

num in regimine conſequutum fuiſſe, ut, ſi illo veniemus, prolixius memorabitur.

Defuncti laudes, & funeratio.

Prius quam defungeretur, regni cauſa ſolicitus, Colomanum, qui metuens, ne ingratiis ſuis Agrienſium Epiſcopus fieret, in Poloniam fugerat, revocavit (*a*). Tum ſacris ex Eccleſiæ more rite procuratus in corona plerorumque regni Principum, qui adverſus Bohemos proficiſcentem comitati ſunt, vivendi finem fecir (*b*). Qua doloris ſignificatione mors illius, cum primum didita fuit, paſſim accepta ſit, ex eo facile intelligitur, quod luctus triennium integrum toti Hungariæ indiceretur. (*c*). Defuncti corpus, ubi Varadinum delatum, ac omnium ordinum affluxu honorificentiſſimis exequiis conditum eſt, haud multopoſt prodigiis inclaruit. Princeps undequaque magnus, qui armorum gloriæ pietatem ſic junxerat, ut utra præcelluerit, difficile ſit ſtatuere. Neque corporis habitus vulgaris: vultus leoiter exporrectus, qui animi in utramvis fortunam perinde comparati index eſſet, ſtatura procerus, ut humero ceteros eminens, & auctoritatem dignitati conciliaret, & intuentibus ex ipſa ſpecie regn~ dignus videretur (*d*).

Probabilius eſt conjugio innexum, quam cælibem fuiſſe.

Fueritne cælebs, an matrimonio illigatus, controverſum eſt. Bonfinius epitaphium ſepulcro ad Veſprimienſem Eccleſiam inſcriptum hujus modi refert: *Ladislai ſanctiſſimorum Pannoniæ regum conſortum hic oſſa quieſcunt* (*e*), aitque ab Antiſtite quodam Giſelæ & Olhait reginarum oſſa iſthic congeſta fuiſſe (*f*). Quod ſi vere a Bonfinio relatum eſt, pene perſuadeor, Ladislaum Adelhaidem quandam uxorem habuiſſe, ex eaque Colomanum, & Pyriſcam ſuſtuliſſe. Certe Cinnamus (*g*), qui ſub Manuele Comneno, Calojoannis filio res geſtas illorum temporum conſcripſit, itaque Joanni Comneno ſynchronus, diſerte prodidit, hunc Ladislai filiam in matrimonio habuiſſe, Irenen a Græcis dictam probatiſſimis moribus feminam. Et Colomanum ſcriptores Veneti, ac Dalmatæ, in primis Thomas Archi-Diaconus Spalatenſis paſſim Ladislao filium tribuunt, & noſtri ſatis illo videntur innuere, quod eum, prius quam Ladislaus moreretur, ex Polonia advocatum fuiſſe perhibent, opinor ut regni poſſeſſionem ſe defuncto adiret. Niſi fortaſſe Geiſæ fratris natu major filius fuerit: at tum difficulter domeſtici annales fidem nobis facient, dum Colomanum Epiſcopum Varadienſem fuiſſe memorant. Nihil enim cauſæ probabilis eſt, cur vivo Almo jam Croatiæ rege, & in quem Hungaria jure devolvi poterat, ſummus Pontifex permitteret, ut Colomanus, natura alioquin ferox, ab infula ad coronam tranſiret. Hæc violentiora ſunt, quam ut facile credi poſſint, præſertim ſi temporum illorum, ætatis Colomani, & ſcriptorum diſſentientium rationem habeamus.

CO-

a) Thvrocz. Chron. cap. LIX.

b) Auctor vitæ ex Cod. Mſ. Corſeodonkano apud Hagiographos cit. loco. „ibique „ repentina ægritudine correptus, viribus „ corporis cœpit omnino deſtitui, convo„ catiſque regni Principibus indicavit diſſo„ lutionem ſui corporis imminere. Quo „ clamor mulutudinis plangentium, lamen„ tantium, & gementium mortem piiſſimi re„ gis Ladislai uſque in cælum extollitur. Sed „ pius rex accepta euchariſtia corporis, & „ ſanguinis Domioi noſtri JEſu Chriſti - - - „ feliciter migravit ad Dominum. „

c) Idem ibid. „Planxit autem eum uni„ verſa mulitudo Hungarorum, clerus & „ populus ſimul in unom, dives & pauper, „ juvenes & virgines continuo trium anno„ rum ſpatio, in veſtibus ſqualidis, choreas „ non duxerunt, & omne genus muſicorum, „ & delinitiva dulciſona ultra tempus luctus „ ſiluerunt. „

d) Idem ibid. „Erat enim manu fortis, „ viſu deſiderabilis, & ſecundum phyſiogno„ miam, Leonis magnas habens extremita„ tes: ſtatura procerus, ceteris homioibus „ ab humero ſupra præeminens, ita quod „ exuberantem io ipſo donorum plenitudi„ oem ipſa quoque corporia ſpecies imperio „ digna declararet. „

e) Bonf. Dec. II. Lib. IV.

f) Si Giſelam D. Stephani conjugem intelligat, error eſt. Nam eam ſub Petro Paſſavium delatam, & iſthic ſanctitatis fama celebrem ſepultam eſſe coostat.

g) Hiſtor. Lib. I. §. IV.

COLOMANVS.

Colomanus regno admotus reliquam Croatiam occupat.

Colomanus, ut primum de Ladiſlai obitu nuncium accepit, continuo ex Polonia in Hungariam advolarat, riteque rex inauguratus eſt (*b*). Ab adito regno iſthic curas auſpicari libuit, ubi patruus deſierat. Croatiæ enim partem, quæ armis nondum ſubjugata fuit, Petrus quidam regio nomine uſurpabat, metuſque erat, ne id quoque quod juri Hungarico illius ditionis obnoxium fuerat, avelleret. Itaque conſcripto exercitu in eum Croatiæ tractum, quem Ladiſlaus intactum reliquerat, movet, Petrumque, qui in montibus *Petergozdienſibus* cum copiis occurrerat, collatis ſignis, quamquam non incruenta victoria eſſet, vincit (*i*). Cæſo Petro in maritimam Croatiam penetraſſe Colomanum, eamque ſui juris feciſſe ex Gaufrido coævo ſcriptore patet, qui Rogerii Siciliæ Comitis filiam anno ſequente Belegradum, maritimam Croatiæ urbem, appuliſſe memorat, ut in loco dicetur. Eodem tempore, quoniam ex ſententia belli initium cadebat, ad occupandam quoque Dalmatiam animum adjecit Colomanus, ſed confecto cum Venetis contra Nortmannos foedere, quo cautum eſt, ne ob titulum Dalmatiæ, communis defenſio nomini poſthaberetur; videbatur enim aliquid litis regi cum Venetia interceſſiſſe, quod hi quoque ex græcorum Imperatorum venia titulo Dalmatiæ uſi eſſent, tum pactis adverſus Nortmannos ſuppetiis victor revertitur.

Pacto cum Venetis adverſum Nortmannos fœdere.

Tempeſtive prorſus regno reſtitutus Colomanus eſt: Cruciatorum enim agmina pene omnem Hungariam inundabant, neque in tanta hominum multitudine fieri poterat, quin aliquid turbarum oboriretur. Petro quidem, quod omnia ex militari diſciplina adminiſtraret, & facilem aditum dedit, & honorifice ad limites regni deductum ab ſe dimiſit: tametſi caveri ſatis haud potuit, quin in ipſo exitu direpto oppido, cui *Malavilla* nomen, maleficium exercerent (*k*). Gondechao contra, qui Petrum cum XV. Germanorum millibus conſequebatur, durum & aſperum ſe præbuit. Cum enim ex vicis rapinas paſſim agerent, & cædibus promiſcue in viros, in mulieres flagellis graſſarentur, magiſque commeſſationibus, quam militiæ operam navarent, collecto exercitu haud procul Belgrado (*l*) Gondechaum conſequutus, opprimere Germanos moliebatur. At cum iſti caſtris communitis ad vim propulſandam apparatus omnes faciunt, neque Colomanus ſuos periculo objicere vellet, Legatos, qui de illatis injuriis quererentur, ad Gondechaum mittit (*m*): quibus ubi copia dicendi facta eſt, *grandis quidem o præclariſſimi viri*, inquiebant, *& horrenda nimis de vobis infamia ad clementiſſimi regis noſtri aures intonuit; quod vos, & legis nobiſcum communi profeſſione uniti, & in Chriſti mancipio conſtituti, gratuitæ, & obſequioſæ hoſpitalitatis obliti, contra morem gentium, & veſtri nominis profeſſionem non ſolum hoſpites vobis humaniſſimos extorſionibus aggravatis, ſed, quod abſurdiſſimum, ſtupris, adulteriis, & homicidiis probroſe, & immaniter pertractatis. Quid enim amplius poteſt hominibus ignominiæ, ac ſævitiæ irrogari, quam filias libidinibus ſubmittere, conjuges maculare, & ipſorum trucidare clientulos? vox omnium una eſt, his vos infectos criminibus eſſe, cunctiſque regnicolis diſcrimini, & pavori. Suntne iſta hoſpitalitatis humanæ commercia, peregrinantium officia, &, quod majus eſt, Chriſtianæ legis obſervantia mandatorum? Et quamquam ex vobis vul-*

Ob cruce ſignatos per Hungariam moventes a victoriæ curſu revocatus.

Bonam eorum partem latrocinia patrantem.

Legationis ſpecie deluſos.

garis

b) Thvroczivs quidem habet, Colomanum Almo cedente regno potitum, Mſ. autem codex de hac ceſſione nihil memorat: neque veriſimile videtur, ſi Colomanus, quod omnes cenſent, natu major fuit.

i) Danovlvs in rebus Vitalis Michaelis „ hoc tempore Colomanus rex Hungariæ „ miſit exercitum in Dalmatiam (hoc eſt, „ maritimam Croatiam) & occidi fecit re„ gem Petrum, & per legatos ſuos cum Ve„ netorum duce fœdus iniit contra North„ mannos, & pariter exercitum in Apuliam, „ ad eorum damna mittere ſtatuunt. Parata „ autem claſſe per Venetos, regius appara„ tus in Apuliam navigans Brunduſium & „ Monopolim obtinent, & tribus menſibus „ Apuliam vaſtant, & redeunt. „

k) Bernardus Thesavrarivs, apud Muratorium ſcript. Ital. Tom. VII. Auctor ut Clar. Mvratorio videtur, aut coævus, aut ſuppar, hæc cap. X. de aquiſitione terræ ſanctæ fuſe exſequitur.

l) Idem habet Bellegrave, ſed ex noſtris aliiſque patet legendum Belgradum.

m) Idem cap. XI.

Digitized by Google

garis fama nullos excipiat in delictis hujusmodi, crebroque ex hoc regias aures offendat, non tamen in ambiguo ab eo ponitur, quin multi ex vobis, moribus pollentes & meritis, toha deteſtentur, & prorſus abhorreant, quæ ipſum noſtrum Dominum ad tantam iracundiam provocarunt. Et quia novit injuſtum eſſe, ut ex aliquantorum facinoribus tot punirentur inſontes, non decrevit ad ultionem hujuſmodi ſuper univerſos bellicam manum extendere. Operæ pretium itaque fore credimus, ut regis noſtri moderatam clementiam attendentes, armis remiſſis, ad ejus miſericordiam, & gratiam, nullis adjectis conditionibus, ſupplices - - veniatis. Si autem, quod abſit, hortationes noſtras, imo ſalutes veſtras decreveritis obaudire, vires quæſumus veſtras in vobis ipſis metiamini, qui cum in ejus regni umbilico ſitis conſtituti, evitare manus ejus duriſſimum erit vobis (*n*).

Intentata armorum vi graviter punit. His auditis, quoniam ſpes gratiæ conſequendæ tam ſpleodidis verbis promiſſa, mira omnes admiratione teouit, Goodechaus cum primis militiæ Præfectis vulgo auctores ſunt, ut regis clementiæ, ac voluntati ſe ſe permitterent. Itaque ſepoſitis armis factos repente ex hoſtibus amicos Hungaros ſibi gratulabantur, & periculum abeſſe rati, negligenter omnia adminiſtrant. Hungari contra amicitiæ ſimulacro deceptos ex improviſo adorti, pene omnes internecione delent, paucis fuga elapſis, qui, quid ſe factum eſſet, obviis popularibus narrabant (*o*).

Horum cædem cum Bullionius comperiſſet. Haud multo poſt ducenta rurſum Cruciatorum millia, emenſis Bavaria, & Auſtria ad Moſonium (*p*) advenere: qui, poſtquam, quid ſociis factum eſſet, iotellexiſſent, nuncios ad regem mittunt, ut liberum per Hungariam commeatum poſtularent. Colomanus & priorum injuriis edoctus, & immenſa horum multitudine male regno metuens, negandum illis commeatum cenſuit, & oe vim facerent, cum exercitu occurrit. Illi repulſa irritati aggreſſionem in municipium moliuntur, dumque eo jam fere potirentur, metu divinitus correpti fugam arripiunt: noſtri ex inſperata fuga ſtupefacti, & cauſæ ignari fugientes conſequuntur, magnamque partem interimunt. Palantium pars domum rediit, plerique Godefrido Bullioolo, qui & ipſe immenſas copias ductabat, & Auſtriam jam attigerat, ſe junxere (*q*).

Legatos, qui cauſam percontarentur, ad regem mittit. Ex his cum ſociorum cladem comperiſſet Bullionius, ut primum ad Leitam flumen (*r*) ventum eſt, oratores ad Colomaoum legat, qui & de ſuorum cædibus modeſte cum eo agerent, & percontarentur, quo animo, ſi per Huogarorum ditiones in Palæſtinam eundi venia peteretur, rex futurus eſſet. Legati, ut coram re-rege deſtituti ſunt, in hæc verba ſermooem ſecere: *Sereniſſime Princeps! vir inclytus Godefridus Lotharingiæ Dux cum cæteris viris illuſtribus, ſuæ peregrinationis Comitibus nos ad tuæ Majeſtatis præſentiam hac de cauſa direxit. Fama ſiquidem multi moeroris ad eos deferente pervenit, quod peregrinos, qui ſub ducatu Godechais eos præceſſerant, profeſſione quidem, & voto confratres ipſorum, & ſocios, dum eſſent in meditullio regni tui, omnis timoris expertes, immo, quod plus eſt, ad tuæ miſericordiæ clementiam ſupplices venientes, hoſtilis manus immiſericorditer trucidavit. Quod ſi exigente juſtitia actum ſit, qui nos miſerunt, id tolerare diſponunt: ſi vero ex ſola iniquitate proceſſit, decreverunt totis ulciſci viribus injuriam JEſu Chriſti, pro cujus precioſi ſanguinis ultione ſolum patrium reliquerunt* (*s*).

Quibus humaniter acceptis. Colomanus auditis Legatorum querelis, haud multis moratus in hunc modum ſe purgavit. *Gratum - - noſtro profitemur animo perveniſſe quod vos viros circumſpectos, & providos, facundo ſermone loquentes audivimus. Sed longe gratius acceptamus, quod illos comperimus eſſe ſortitos, quibus noſtræ gentis innocentiam opportune poſſumus intimare. Notorium ſiquidem eſt, & DEus nobis in cœlo teſtis, quod peregrinorum populos, qui ſub ducatu Petri Eremitæ, & Godechais per regnum noſtrum tranſitum habuerunt, ſumma hoſpitalitate recepimus, nec paſſi ſumus, quod aliquos ſubirent defectus, pro illius reverentia, qui, ut nos redimeret, ſanguinem ſuum fudit, & pro cujus effuſionis vindicta ſpe-*

ſpe-

n) Idem ibid.

o) Idem ibid.

p) Idem cap. XII. „Cumque - - ad Hungaros perveniſſent, cives Meſebroch, ne tranſirent, obices habuerunt.„ Opinor Moſonium, aut potius Ovarinum eſſe, quod locus fluvio Leita non male munitus tranſitum impeditum faceret.

q) Idem ibid.

r) Idem cap. XIII. „Veniens itaque (Godefridus) in Ducatu Auſtriæ, hoſpitatuſque in civitate, quæ Taylebork dicitur, juxta quam labitur flumen Litaus nomine, dividens ab Hungaris Alemanniæ regionem.„ - -

s) Idem ibid.

rabamus illos peregrinandi propoſitum aſſumſiſſe. Sed, quod dolenter dicimus, ipſi non pere- 1096.
grinorum, ſed prædonum more ſerpentinam imitantes verſutiam, dum calefacientem in gremio, venenato pungit aculeo, pro beneficiis ſupplicia noſtris regnicolis irrogarunt. Hi enim, qui cum Petro Eremita tranſibant, in regni noſtri finibus poſiti, exeundo, dum noſtram humanitatem deberent extollere, converterunt ad impia manus ſuas. Oppidum quidem regni noſtri, quod mala villa (t) *dicitur, hoſtiliter ceperunt, &, trucidatis oppidanis, omnem ſuppellectilem exportarunt. Qui autem cum Godechai fuerunt, in ipſo regni noſtri introitu, prædis, rapinis, ſtupris, adulteriis, homicidiis, oppreſſionibusque variis, ac incendiis, & depopulationibus multis ſæviſſime debacharunt, ut non peregrini, ſed ſæviſſimi barbari apparerent. Nos autem, qui ex regia dignitate tenemur commiſſum nobis populum, regnumque, quantum nobis ex alto permiſſum fuerit, a talibus defenſare, tolerare nequivimus tam immanem regni noſtri deſtructionem, & gentis. Sicque ultore gladio enormes curavimus injurias propulſare. Illis autem, qui demum ſubſequi volebant, ingreſſum negavimus, præterita abhorrentes. Deus autem qui verba vindicat, & hominum corda videt, ſcit nos non mentiri. Quæſumus igitur, ut hanc excuſationem noſtram juſtiſſimam deferatis ad veſtros* (u).

Fœdus & amicitiam cum Bullionio ſancit.

His dictis Legatos comiter, & multa hoſpitalitate a ſuis accipi jubet, tum oratores quoque adjungit, qui cum Godefrido, ceteriſque Principibus ſi quid litium preterea oriretur, diligenter tractarent. Ubi cruciatorum caſtra attigerant, ad Bullionium admiſſi, regis nomine hæc verba fecere: *Dominus noſter Hungariæ rex felices tibi inclyte dux optans ſucceſſus, cum te noverit virum, gente illuſtrem, dignitate ſublimem, fide legalem, corde prudentem, viribus ſtrenuum, & copioſa virorum illuſtrium comitiva vallatum, tuis afficitur beneplacitis, & incumbit honoribus. Quapropter tuam requirit generoſitatem, ut, quem diu mentalibus contemplatus eſt oculis, te illi corporalibus videre concedas, datum ſibi deſuper judicans, hoc meruiſſe donum, quod felici caſu hujuſmodi, te, tuoſque præclaros comites & videre contingat, & obſequi, ut eorum beneplacitis ſe conformet* (x). Facto dicendi fine, Godefridus ex ſuorum ſententia trecentis equitibus ſtipatus ad Colomanum adit (y), a quo magna benevolentiæ, & honoris ſignificatione acceptus, ac muneribus regiis excultus, liberum per Hungariam commeatum datis obſidibus obtinuit (z).

1097.

His moleſtiis liber Buſillam Rogerii Siciliæ Comitis filiam per Legatos uxorem petit.

Ubi ſe hac moleſtia explicuiſſet Colomanus, de jungenda ſibi virgine, quæ regio thalamo digna eſſet, cogitare occœpit. Commode Rogerium, Siculorum comitem, ab armorum gloria paſſim encomiis celebrari audierat, quæ fama ſuapte armorum cupidum facile permovit, ut ad matrimonium cum hujus filia, cui Buſilla nomen fuit (a), ineundum animum appelleret. Itaque viros graves in Siciliam mittit, qui cum Rogerio eam rem ſedulo agant, orentque, ne ſibi filiam conjugem tradere gravaretur. Verum is, ſive fidem habere veritus eſt, ſive aliud ſuberat, Legatos liberaliter primum acceptos, paullum poſt ſumma voluntatis ſignificatione ab ſe dimittit, ſimul ex ſuis quoſdam adjungit, qui regem edocerent, ſi vere conſtitutum apud ſe habeat, filiam matrimonio ſuo cohoneſtare, oratores cum publicæ auctoritatis, tum dignitatis quoque mitteret, tum nihil in mora futurum, quo minus petitioni, quæ ſibi multis titulis honorificentiſſima ſit, morem geſturus eſſet. Colomanus, cognita Rogerii mente, Arduinum Jaurinenſem Epiſcopum, ac Thomam Comitem, graviſſimos & ſpectatæ fidei viros, in Siciliam ea de cauſa transfretare jubet, quos cum Siculi magna lætitia accepiſſent, Rogerius ſumma arte rem, cujus cauſa veniſſent, protelans, rurſum nuncios in Hungariam expedit, qui conditiones ineundi matrimonii a pleriſque Procerum jure jurando firmari poſtularent. Cujusmodi conditiones fuerint, non liquet: ceterum rex nupturiens moram omnem impatienter ferebat. Itaque Almum fratrem, qui abhinc, quam Colomanus regno potitus eſt, Ducis titulo gaudebat, & regni optimates pro ſe ſpondere imperat, ſolenni verborum forma ca-

Inter Legatos Arduinus Jaurinenſis Epiſcopus præcipuas partes agit.

t) Quid eo nomine veniat, aut ubi id oppidum ſitum ſit, fateor me ignorare, in limitibus ad Dravum vel Savum fuiſſe ipſe auctor prodit.

u) Idem cap. XIII.

x) Idem ibid.

y) Idem ibid. in hæc verba: „Godefridus - - apud Ciperon oppidum regni Hungariæ proceſſit ad regem.„ Hujus nominis oppidum ubi ſitum ſit, nuſpiam reperi.

z) Idem ibid.

a) Malaterra Lib. IV: cap. 25.

vens, ratum ſe, quod illi ſuo nomine ſpopoodiſſent, habiturum. Quæ ubi Rogerius ex ſuis intellexiſſet, oratorea regios ampliſſimis muneribua ornatos in Hungariam remiſit, ſponſam tempori, & loco aſſuturam viciſſim pollicitus (*b*).

Complanatis difficultatibus ſponſa Belgradum, maritimam Croatiæ urbem, adducitur. Occurrit. Colomanus & ſtatuta dote, nuptias celebrat.

Legatis domum reverſis, ac Colomano, quid actum fuiſſet, ex ordine referentibus, Rogerius nihil operæ prætermiſit, quo nuptiarum ſolennitaa regio apparatu, & luxu celebraretur. Comparatis, quæ oeceſſaria videbantur, menſe Majo Henricum Leſcaſtrenſem Epiſcopum, ac Siciliæ Principes Thermas præmittit, his, ipſe mox conſequutus, filiam tradit, regi, maritimo itinere adducendam. Solutis portu oavibus ſecundo vento Adriatieum emenſi ad Belogradum Croatiæ urbem appellunt. Hic Vincurius urbis Comes quinque millibus lectiſſimorum militum ſtipatus, obviam virgini progreſſus, & ex ritu futuram Dominam decenter ſalutans, incolumem, ſalvamque ad regem adduxit. Erat tum Colomanus, quamquam frequentiſſimo ſemper comitatu uteretur, ad conciliandum pompæ ſplendorem, majore quam alias, Præſulum, Optimatumque totius Hungariæ corooa vallatus, ſponſamque a Siciliæ legatis acceptam ſpectantibus omnibus, quo major facto fides haberetur, dote ornavit. Tum ex ritu Eccleſiæ conjunctis nuptiæ in tentoriis, & quia immenſa hominum copia ſtudio viſendæ ſponſæ ex toto regno cum muneribus confluxerat, in tabernaculis, quæ extemporanea opera ex arborum ramis coofiebant, (*c*) ſumma omnium lætitia & gaudio celebratæ. Itaque errare eoa perſpicuum eſt, qui Rudolfi Cæſaris filiam fuiſſe memorant (*d*), omnium autem maxime Volaterranum, qui Colomanum defuncti patrui Ladislai viduam duxiſſe perhibet (*e*).

Tum Venetis adverſus Normannos auxilio venit.

A ouptiarum hilaritate Veneti regem orabant, ut quas pacto ouper fœdere copias auxiliares pollicitua eſſet, mittere oe gravaretur, alioquin Normanis, qui Adriaticam oram ioſeſtam tenerent, reſiſti noo poſſe, quos, ſi mature in ordinem non

b) Gauſridus Monachus S. Benedicti MALATERRA dictus illius temporis ſcriptor Lib. IV. cap. XXV. „ Alamanus (lege Colomanus) „ autem rex Ungarorum audiens famam Siculorum glorioſi Comitis Rogerii Legatos „ dirigens, filiam ſuam in matrimonium concedi expoſtulat. Ille vero, quamvis ho„ neſti viri, qui ad hoc venerant eſſent, ta„ men illos honeſte a ſe dimittens, de ſuis „ etiam, ne fallatur, cum ipſis dirigens re„ mandat, ut, ſi executum, quod cœperat, „ velit, alicujus auctoritatis, gradus, vel „ ordinis perſonas, quibus facilius credatur, „ ad id confirmandum mittat. Qui anhelus „ exequi, Arduinum Jovienſem (Jaurienſem) Epiſcopum, & Thomam Comitem, „ idem expoſtulatum mittit. Comes autem „ eos honeſte accipiens, ſecum detinuit, de „ ſuis honeſtoa, & callidos viros apud Pan„ noniam mittens, in eorum præſentia, a „ potentioribus regionis illius exequenda „ poſtulabatur juramento firmare. Quod „ rex libenter annuens, per ſuum ducem, „ nomine Alivum (Almum) & reliquos non „ minoris dignitatis viros, omnia, quæ „ mandaverat, exequenda juramento firma„ vit, ſicque legatos Comitis, ut pactum „ firmatum renuncient, munificatos a ſe di„ mittit. Comes autem relatione ſuorum „ accepta, haud ſecus & ipſe Legatos regis „ a ſe dimittens, pluribus honoribus a ſe „ compilavit, regi terminum, quo ſibi fi„ liam ſuam mittat, ſtatuit. „

c) GAVFRIDVS eundem locum ita proſequitur: „ anno itaque Incarnationis milleſi„ mo nonageſimo ſeptimo, apparatis quæ „ neceſſaria erant, menſe Majo cum trecen„ tis militibos uſque thermas conducere facit Henricum Leſcaſtrenſem Epiſcopum, „ & quoſdam de fidelibua ſuis abinde mari„ timo curſu uſque Pannooiam cum puella „ procedere faciens, qui navibus apparatis, „ puellam cum multis ſponſalibus intromit„ tentes, velis vento commiſſis proſpera „ aura flante per æquora feruntur, uſque „ dum in portum Albæ, qui juris regis Un„ garorum eſt, impune applicant. Hic Vin„ curius Comes Belligratæ miſſus cum quin„ que millibus armatorum obvius fuit, eam„ que - - decenter excipiens uſque ad re„ gem perduxit. Per totam Pannoniam „ nuptiæ regis præconizantur. Undique „ cum enxeniis concurritur. Et cum ſem„ per frequens, & numeroſa manus ex mo„ re cum rege, innumerabilem turbam plus „ ſolito, nuptiarum, & novæ reginæ vi„ ſendæ appetitus conflavit, die terminato „ præſentibus Archi-Epiſcopis, & Epiſco„ pis, & diverſis ordinibus dos puellæ, le„ gati more, in publico proteſtatur. Rex „ & regina catholice pariter deſponſantur, „ ſolemneſque nuptiæ in tentoriis, & ex vi„ rentibus ramis tabernaculis factis celebran„ tur. „ TIMON ex eo, quod auctor dicat ſponſam *impune* Belogradum applicuiſſe, putat, eam urbem nondum ad Hungaros pertinuiſſe. Opinor tamen *impune* hoc loco idem eſſe, ac *feliciter*. Nam portum juris fuiſſe Hungarici auctor diſerte habet. Et cum Veneti Colomano fœderati eſſent, non apparet ratio, cur ſponſa ad alium portum impune non potuerit applicare.

d) HENNINO. fol. 286.

e) Lib. VIII.

non redigantur, in Croatiam quoque maritimam excenſionem facturos non de nihilo 1097.
metuerent. Colomanus ſociorum periculo commotus auxiliarios non temnendo nu-
mero mittit, qui poſtquam in Apuliam trajeciſſent, captis brevi Monopoli, & Brun-
duſio, tribus menſibus vaſtitatem late circumferebant. Quo viſo Nortmanni ab in-
juriis deinceps abſtinuerunt, noſtri victores domum revertere.

Gloriam militarem foris comparatam non multo poſt domi fraterna diſſenſio 1098.
obſcurabat. Malum quod abhinc, quam Andreas partito regno fratrem Ducis titulo
ornaverat, cœpit, fere in omnea regum familias deincepa diſſeminatum. Aſſenta-
tores crebro Almum adiere, multiſque in Colomani ſanguinariam indolem jactatis,
inſidias ſibi paratas comminiſcuntur, has niſi arte & conſilio mature eluderet, facile
futurum, ut qui ex Croatiæ rege, ad Ducis dignitatem dejectus ſit, ex vita quoque
exturbetur. Eadem apud Colomanum nefarii homines agunt, quibus nihil potius
erat, quam ut, turbata civili bello republica, ipſi opibus & clientelis aliorum injuria
conquiſitis affluerent. Et dabant ſe initia utcunque: Almus enim id, quod diceba-
tur, vere agi perſuaſua, militem ex templo cogit, ut vim, ſi quam frater adverſum
ſe moliretur, repelleret. Neque Colomanus ſegnior, quod militarem fratris appa-
ratum ad elevandam auctoritatem inter ſuos valere videret, copias concivit, & recta
ad *Varkun*, ubi Almus caſtra metari ferebatur, contendit. Stabat infeſtis ſignis
utrinque exercitus ſolo Tibiſco amne diſcretus, jamque ad prælium res ſpectabat,
cum Proceres plerique, facta inter ſe coitione, ad redintegrandam prius, quam ma-
nus confererentur, amicitiam conſilium adhibuere. Terrebat maxime cladium præte-
ritarum memoria, quæ, quotieſcunque ex civili bello initium ſumſere, reipublicæ
præſentiſſimam ſemper perniciem creabant. Itaque parcendum ſanguini, qui ma-
jore gloria, & commodo in hoſtes ſervari poſſet, neque omittendum eſſe quidquam,
quod ad conciliandos fratres faceret, pleriſque videbatur. Quod ſi perſtarent in ſen-
tentia, in illorum arbitrio futurum, ut uterque ſingulari certamine congreſſi rem ferro
decernant. Hæc ubi Colomano, fratrique ex communi conſenſione relata ſunt,
miſſis ultro citroque nunciis brevi pax coaluit, & copiæ in ſtativa diſtributæ (*f*).

Diſſenſio cum Almo fratre improborum calumniis cœpta.

Optimatum ſtudio reprimitur.

Magis tamen, quod ex diſcordia civili ſequutum eſt, omnium opinione
damnum fuit. Croatæ, qui nuper in ditionem Hungariæ armia ſubacti ſunt, tem-
pore, quo fratres inter ſe diſſidebant, uſi, in priſtinam libertatem ſe vindicarunt.
Credo partem maritimæ Croatiæ fuiſſe, non item Sclavoniam, quando regem de-
inde, cum refractarios armis ſibi rurſum aſſerere perexit, peragrata Sclavonia recto
itinere in montana Croatiæ contendiſſe liquet.

Croatis, dum partium ſtudia inter fratres fervent, in libertatem ſe vindicantibus.

Fuit id Croatia aliquamdiu impune, quod Colomanus ſequente anno expe-
ditionem in Ruſſos ſuſciperet. Quid cauſæ obmoti belli fuerit, non comperio:
Bonfinius hanc unam memorat, maluiſſe regem foris occupari militem, quam domi
ocio corrumpi (*g*). Veriſimile tamen eſt, Cumanos Ruſſis non invitia, aut con- 1099.
junctia etiam, prædas ex Hungaria egiſſe. Itaque bellum ad ulciſcendas injurias
probabiliter decretum eſt. Sed exitu, ſi quod alias, Hungaris infauſtiſſimo termi-
natum. Ut primum in limitibus Ruſſiæ exercitus conſtitit, ac ferro, ignique hoſti-
lem in morem abactis prædis omnia vaſtat, Lanca, quæ a defuncto marito rerum
iſthic potiebatur, obviam Colomano prodiit, veniam ac pacem orans, quam, cum
ſupplicantis ritu genua regis amplexatur, Colomanus præter dignitatem regiam, in-
humaniter habens, calce abegit, indignum eſſe dictitana, majeſtatem regiam femi-
nea comploratione, & lacrimis contaminari. Nihilo melius Cumanorum Legati, qui
eandem ob cauſam ad regem venerant, accepti ſunt, quæ res ut audentiorem Co-
lomanum fecit, ratum hoſtes metu ad pacem petendam adactum fuiſſe, ita periculo
quoque magia objecerat. Re enim vera patuit ſemineas lacrimas, hoc eſt, fraudem
in eum finem adornatam eſſe, ut Cumani regem de victoria ſecurum pene redditum,
ex improviſo, & inſidiis aggredi poſſent. Nam haud multo poſt Ruſſis conjuncti,
factis per impeditiſſimos ſaltus itineribus, Mircode duce ad quintum a caſtris Colo-
mani lapidem conſiſtunt. Hungari negligentius, quam in hoſtili ſolo par fuit, rem
militarem adminiſtrabant. Ea oſcitantia Cumani utendum rati, curatis jumentis, ſe-
cunda noctis vigilia impetum in regioa faciunt, nulloque negotio primis, qui excu-
bias

Colomanus bis præter miſſis in Ruſſos movet.

Et detrectata, quam offerebant, pace infauſpicatiſſime dimicat.

f) Thurocz. Chron. cap. LX.

g) Bonfin. Dec. II. Lib. V.

1099. biss agebant, protritis, caſtra carris obſepta perrumpunt, maximam partem ſomno, ac labore ſepultos cædunt, quoad morientium clamoribus experrecti, quo loco res eſſent, intuerentur: tum vero, ut tempus, & locus ſinebant, quiſque pro virili arma arripere, ac in manipulos conrti dimicare, ceteroſque, ut pro communi ſalute idem facerent, hortari: fruſtra tamen is conatus fuit. Barbari denſatis ordinibus omni ex parte ingruebant, neque noſtri, quod tumultuariam magis, quam ſtatariam pugnam & per intervalla conſerere poſſent, impetum hoſtis diutius ſuſtinebant, itaque ad extremum conclamatis rebus, incondita fuga, ſalutem omnes quæſivere. Pars in ſilvis abditi, pars, qua error noctis ferebat, palantes circum agebantur. Prætoriani Colomano circumfuſi ægre regem e periculo ſua virtute expedivere. Caſtra direpta, & Præfecti magnam partem cæſi, ex quibus Eurzem, Almaſſinorum genere prognatum, virumque fortiſſimum fuiſſe ferunt, tum duos Antiſtites Cupam, & Laurentium eodem fato ſublatos. Jula palatii comes accepto letali vulnere haud diu poſtquam in Hungariam redierat, exſtinctus eſt (*h*). Nuſquam aliis tam inſignem jacturam ab hoſte noſtros accepiſſe, domeſtici annales memorant, manifeſto documento, bella non ex libidine, ſed reipublicæ commodo ab regibus ſuſcipi oportere.

1100. *Inde pacis ſtudia tractans, indictoque conventu.*

Bello hoc defunctus conventum Epiſcopis ac Proceribus in annum milleſimum centeſimum indixit (*i*). Cauſam Comitiorum Albricus temporis illius juris ante alios conſultiſſimus in præfatione ad Seraphinum Archi Epiſcopum his verbis reddit: *Chriſtianiſſimus rex noſter Colomanus k) columbinæ gratiæ ſimplicitate cum omni virtutum diſcretione præditus, poſtquam vidit adultam fidem perfectæ religionis robur accepiſſe, legalis vinculum catenæ cogitavit relaxare prudenter, utpote indignum eſſe perpendens, ſi jam ſpontaneum fidei militem legalis pænæ timor torqueret, quem nec ipſa mors ab agnitæ jam confeſſione veritatis abſterrere potuiſſet. Hic nimirum cum videret propter civilia bella uſque ad tempus illius invaleſcentia, paternis traditionibus jam magna ex parte ſolutis, regni conſilium labefactari, curiæ honorem vileſcere, timens, ne miles inſolens, domeſticus tamen virtutis, hoſpes irrevocabilis fieret iniquitatis, regni Principibus congregatis, totius ſenatus conſulto - - regis ſanctæ memoriæ Stephani legalem textum recenſuit, de quo, ſi rem conſideres, nihil comminuit, ſed auxit, non tamen quaſi fundator, ſed ſuperædificator - -.* Hæc prolonquuta ſanctiones in Comitiis decretas duobus libris complexus eſt: nos, quantum sd rationem annalium attinet, præcipua capita compendio perſtringemus.

Decretum condit, quo multa antiquat, aut innovat.

Primum immodice quorundam cupiditati, qui fundos ab D. Stephano Epiſcopis, viriſque religioſis donatos, invadere moliebantur, frænum injectum, cautumque, quidquid ſanctiſſimus rex donum dediſſet, bona fide, & indemni jure poſſideretur: contra quæ ceteri regum tribuiſſent, ſi ſuperfluerent, regio fiſco addicta eſſent (*l*). Tum, quoniam aula regum, neque ab omnibus, & magnis præterea impendiis adiri litium cauſa poſſet, placuit in qualibet diœceſi quotannis ſemel atque iterum calendis nimirum Maji, & die D. Michaeli ſacra judicium celebrari, cui præter Epiſcopos, Comites, ceteroſque Magiſtratus intereſſe oporteret (*m*). Poſſeſſionum vero adeundarum ratio hunc in modum circumſcripta: donationes ab D. Stephano factæ ad hæredes quoslibet ex aſſe tranſirent: reliquarum filius duntaxat capax eſſet, quo ſi quis deſtitueretur, germano, & hoc defuncto, hujus quoque filiis in partem venire fas fuit, alioqui, ſi improles deceſſiſſent, rex ipſe poteſtate (*n*) hæres inſtitutus eſt. Neque ſervitutis (*o*) mos ex integro antiquatus: nam ſervum genere Hungarum, aut in Hungaris natum exteris vendere nefas erat: Slavis & extraneis, qui ad exercendas operas veniſſent, datis ex more denariis, libertas conceſſa (*p*). Et quia Iſmaelitarum numerus in immenſum accreverat, ne quid aut reipublicæ obturbarent clandeſtina machinatione, aut labe ſua ceteros inquinarent, ſancitum,

h) Thvrocz. Chron. cap. LX. Bonfin. Dec. II. Lib. V.

i) Peterfivs annum ſtatuit MCIII., quod Albricus ex Dalmatia redux hæc decreta compilarit: ſed id ooo eviocit celebrata fuiſſe Comitia anno MCIII. Itaque tenenda eſt epocha patrii Juris, quod annum MC. diſerte deſignat.

k) Niſi Colomanus poſtea mores in pejus commutarit, videntur domeſtici annales non ſatis recte ſeotire, cum eum ex omnibus fere vitiis compoſitum deſcribunt.

l) Lib. I. Decret. cap. 1. & 15.

m) Cap. 2.

n) Lib. I. cap. 20.

o) Lib. I. cap. 77.

p) Cap. 80.

1100.

citum, ut, ubicunque vicum conflaſſent, Eccleſiam ſuis impendiis inſtructam dotarent, tum media pars alioſum commigraret (q). Qui Iſmaëlitæ hi fuerint, incertum eſt: ſunt, qui eoſdem cum Judæis fuiſſe affirment, alii contra veriſimilius Saracenos arbitrantur, quod Judæorum nomen ab illorum rebus in conventu aperte diſcernatur. Quam conjecturam ſi valere volumus, oportuit Saracenos tum in Hungariam commigraſſe, cum Chriſtianorum armis in Palæſtina ac Syria oppreſſi in exteris regnis perfugium quæſiere.

Ærario tamen inſtaurando præcipue intentus.

Ceterum ſatis liquet, quam exquiſita arte augendo ærario Colomanus ſtuduerit (r), ne tamen, ut facile apud vulgum fit, aut invidiam; aut malignam nominis notam ſibi conflaret, ita reddituum rationes conſtitutas voluit, ut tertia pars eorum eſſet, qui comitatibus præfecti erant, decima Epiſcopis obtingeret. Atque ita primus omnium Colomanus fuiſſe videri poteſt, qui tributorum penſitationem in Hungariam invexerit. Sed hæc ab inſtituto noſtro fere aliena ſunt.

1101.

Duos ex uxore filios uno partu ſuſtulit.

Soluto conventu ob acceptam nuper a Cumanis cladem animo non nihil æger, Colomanus dolorem fœcunditate uxoris, quæ felici partu Ladislaum & Stephanum enixa eſt, utcunque abſterſit. Ille anno deinceps, ut Timon exiſtimat, undecimo, in primo ætatis flore exſtinctus, hic patri a morte ſucceſſor datus eſt. Sub hæc altera in Syriam expeditio indicta fuit, ad quam omnium pene gentium homines confluxerant. Venetorum inprimis ſtudium enituit, qui, quod mari id temporis potentiſſimi eſſent, magna claſſe, adjunctis ſibi Dalmatinis, in Palæſtinam devecti inſignem operam Chriſtianis navarunt.

1102.

Pacatis domi rebus in Croatas movet.

Nudatam milite Dalmatiam Colomanus bello appetere conſtituit, hac potiſſimum ad id cauſa impulſus, quod Croatas, qui imperium Hungariæ nuper detrectarunt, ad officium revocare ſuæ dignitatis intereſſe arbitrabatur: quos, quamquam armis ſibi rurſum aſſereret, videbat tamen haud diu conſtantes in fide futuros, niſi omni ora maritima quoque potiretur, cujus cum Dalmatia bonam partem conſtitueret, hanc itidem in ditionem redigere non modo opportunum rebus ſuis, ſed neceſſarium quoque exiſtimavit. Ad hæc induciarum tempus, quas cum Venetis pepigerat, jam evolutum erat. Hæc cum illi felicem, ut optabat, belli exitum ſponderent, primo quoque tempore cum exercitu ab omnibus rebus, quæ ad diuturnam expeditionem neceſſaria videbantur, inſtructo, Dravum trajicit, & acceleratis itineribus in Croatas movet. Hi vicino adeo periculo admoniri copias haud ſegnius cogunt, & prælio, quod inſtare videbatur, ſe accingunt. Colomanus, antequam ferro decerneret, miſſis Legatis Croatarum animos pertentare aggreſſus, pacis conditiones offerebat, ſi citra vim ad priſtinam obedientiam redirent. Viſa eſt res Croatis digna conſultatione, ad quam cum acciti regis oratores honeſtas conditiones proponerent, quæ magis ſociorum, quam victorum eſſent, viciſſim duodecim nobiles, graveſque viros ex totidem tribubus mittunt, qui cum rege tranſigerent. Colomanus Criſii prætorium defixerat, quo cum Legati Croatarum veniſſent, magna eos honoris ſignificatione a ſuis accipi mandat, tum ad ſe adductos comiter, amiceque habet. Neque multo poſt collatis in utramque partem momentis in has conditiones conventum eſt. Croatæ ſociorum numero ab Hungaris habeantur: in aditis poſſeſſionibus nihil innovare fas ſit, immunitate præterea annui cenſus donentur. Contra, quoties hoſtis Hungariæ, & ejus ditionibus ingrueret quisque nobiliorum cum decem armatis equitibus, dum rex juſſent, præſto ſit: ſumtus alendo militi quamdiu Dravum flumen non tranſmiſerint, de ſuo ſuppeditent: hoc trajecto, alimoniam ab rege adminiſtratum iri; neminique ab exercitu abeundi poteſtatem futuram, niſi rex miſſa militia illius veniam fecerit. Hæ fœderis initi pactiones erant: ex quibus perſpicuum eſt, Croatiæ maximam partem, ut ſupra jam conjecimus, deditione ad Hungariam pertinere (s).

Qui oblatis a rege honeſtis conditionibus, ſponte ſe dedunt.

Quæ conditiones fuerint.

q) Cap. 47.

r) Patet id ex capp. 32. 33. 34. & paſſim.

s) Antiqua nota ad Chronicon Diaconi Spalatenſis adjecta ſic babet: „Colomanus - - „ propoſuit totam Chrovatiam uſque ad mare Dalmaticum ſub ſuo dominio ſubjugare. Venit cum exercitu ſuo uſque ad flumen Dravæ: Croates vero audientes de „ adventu regis, congregaverunt exercitum „ ſuum, & præparaverunt ſe ad pugnandum. „ Rex

In conficiendo fœdere maximas Epiſcopus Zagrabienſis partes habuit.

Maximam in conficienda pace operam contuliſſe Singidunum Zagrabienſem Epiſcopum ex veteri MS. tabularii Zriniani conficitur. Qui cum tam propenſam Croatarum in Hungaros voluntatem videret, tempore uſus, Colomanum cum exercitu comitantibus principibus Croatarum viris, Belogradum deducit, iſthicque rite coronatum Croatiæ regem ſalutat (t). Atque is nihil moræ interponens continuo non ſolum regis titulo, ſed poteſtate etiam uti coepit, dum monaſterio Jadrenſium monialium privilegia publicis litteris, regia auctoritate munitis confirmaſſet. Juvat, ut & annum, quo Croatia Hungariæ acceſſerit, certum habeamus, nec lis ob Croatiæ titulum ceteris adjectum obmoveri poſſit, ipſum diploma annalibus inſerere in hæc verba conſcriptum:

Poteſtatem regiam per publicas litteras exercet.

Anno incarnationis D. N. J. Chriſti M. CII. Ego Colomanus DEI gratia Rex Hungariæ Croatiæ, atque Dalmatiæ, ſalvo habito conſilio, poſtquam coronatus fui Belgradi ſupra mare in urbe regia, rogatu ſubſcriptorum meorum Comitum, pro charitate DEI, & remedio animæ meæ, dono perpetuam pacem, & regiam libertatem monaſterio S. Mariæ Monialium, quod ſitum eſt in Jadera, ut ibi DEO devote degentes ſervire, & DEum interpellare pro ſtatu mei regni valeant: nam nemo ſecularibus involutus curis DEum, ut tanto decet ordini, contemplare poteſt. Unde ſub iſtius privilegii ſcriptione, hanc dationem regiæ libertatis ſic corroboro, ut nullus mei regni audeat quicquam diſtrahere, vel auferre illi monaſterio, tam in mobilibus, quam immobilibus. Si quis vero contumax noſtræ regali huic juſſioni contraire tentaverit, & aliquid de bonis monaſterii uſurpaverit, illi Eccleſiæ quadruplum reddat; uſurpator vero cum ſuis omnibus regali ſententiæ ſubjaceat. Et hoc confirmamus noſtra ſigillatione iſtorum Comitum: Procopius Agrienſis Epiſcopus laudo (u). Singidunus Zagrabienſis (x) Epiſcopus laudo. Iſaac Comes laudo. Petrus Comes laudo. Cladia Comes laudo. Saul Comes laudo. Amec Comes laudo. Thomas Comes laudo. Andreas Comes laudo. Coſmas Comes laudo. Bocan Comes laudo. Dionyſius Comes laudo (y).

Cur Dalmatiæ titulo uſus.

Dalmatiam, ut eo tempore circumſcripta limitibus fuit, Colomanus, cum litteras has ſignaſſet, nondum ſubegerat; itaque veriſimile eſt, eam veteri Croatarum regum more, inſertam titulo fuiſſe, ut jus velut poſtliminii, dedita Croatia, in

eam

„ Rex vero audita congregatione ipſorum, „ miſit ſuos nuncios, volens ipſos gratioſe „ tractare, & pacta cum eiſdem, ut voluerunt, ordinare. Crovates vero audita legatione Domini regis, inito conſilio, omnes „ in ſimul acceptaverunt, & miſerunt duodecim nobiles ſapientiores de XII. tribubus Croatiæ, videlicet Comitem Gurram, „ de genere Chacittorum: Comitem Hugrinum de genere Cuchachorum: Comitem „ Marmognam de genere Subithorum: Comitem Pribislavum de genere Subdormirorum: Comitem Georgium de genere Snacittorum: Comitem Petrum de genere Cithorum: Comitem Paulum de genere Guſichorum: Comitem Martinum de genere „ Carinenſium, & de genere Lapcanorum: „ Comitem Pribislavum de genere Politchorum: Comitem Obradum de genere Laſnicitorum: Comitem Johannem de genere „ Jamomethorum: Comitem Mirogum de „ genere Tugumirorum, qui venientes ad „ Dominum regem, ei debitam reverentiam „ exhibuerunt. Dominus vero rex ad oſculum pacis eos recipiens, & hononorifice „ eos tractans ad talem concordiam devenerunt. Quod omnes prædicti teneant „ ſuum pacifice, & quiete, & quod non teneantur aliqua prædictarum generationum, „ nec eorum homines regiæ Majeſtati ſolvere cenſum, niſi tantum teneantur domino regi, quando aliqui invaderent ſua „ confinia regalia, tunc, ſi dominus rex „ mittet pro ipſis, tunc ire debeant ad minus cum X. armigeris equitum de qualibet „ generatione prænominatorum ſuis ſumptibus, & expenſis uſque ad flumen Dravæ: „ inde verſus Hungariam ad expenſas Domini regis, uſquequo exercitus duraverit, „ debeant permanere. Et ſic exſtitit ordinatum de anno noſtræ redemtionis milleſimo „ centeſimo ſecundo.„ Atque hinc exiſtimo, *Banderia* apud Croatas initium veriſimiliter ſumſiſſe.

t) Reverendiſſimus D. Balth. Kercselich in Hiſt. Zagrab. Part. I. cap. XII. hoc Mſ. citat: „Singidunus Colomano regi charus Zagrabienſem rexiſſe Eccleſiam in privilegio „ Marmognæ de genere Subithiorum a Colomano rege an. 1102. dato invenitur in „ archivo Zriniano, qui cum rege Criſium „ appellens, ita negotium temperavit, ut „ regi ultro poſitis armis Croatæ ſe ſubjecerint - - & Belgradum ſupra mare duxit, „ qua in urbe Colomanus in Dalmatiæ, & „ Croatiæ regem coronatus eſt.„

u) Mſ. tranſumtum habet *Acrienſis*, patet autem errorem eſſe, cum ejus nominis in Croatia & Dalmatia nullus Epiſcopus fuerit.

x) Timon legit Zagorienſis, ſeu Tranſilvanienſis. Verum ex laudato Mſ. conſtat legendum eſſe, *Zagrabienſis*.

y) Ex regiſtro Privileg. S. Mariæ Jadrenſis.

eam ſe conſequutum eſſe oſtenderet. Ceterum id, quod Lucius ait, ab regibus Croatiæ & Dalmatiæ morem manaſſe, ut Hungariæ reges publicas litteras Antiſtitum, optimatumque regni nominibus ad calcem firmarent, non recte conſignatum eſſe, hoc loco adnotare mihi libet, quando conſuetudinis hujus normam jam ab D. Stephano uſurpatam fuiſſe ad annum ſuperioris ſeculi triceſimum ſeptimum luculenter demonſtratum eſt.

fit, regno nondum ſubacto.

Paſchalis jus jurandum ab Colocenſi Archiepiſcopo exigit, unde lis cum rege exorta.

Hæc in Croatia geſta: in Hungaria diſſidium inter Paſchalem hujus nominis II. Pontificem maximum, ac regem obortum fuit. Præfecerat ſedi Colocenſi defuncto Alberto Hugolinum Colomanus; cui pallium ex more petenti Pontifex ſe daturum negabat, niſi certa verborum forma jus jurandum (z) diceret. Re cum Colomano communicata ſcripſit ad Papam Hugolinus, regem, & optimates magnopere mirari, quod præter conſvetudinem Majorum ea juris jurandi forma ſe novis limitibus circumſcriptum vellet. Reſpondit Pontifex, cujus epiſtolam male hactenus Polemeoſi, Colocienſi, aut Panormitano, vel Polonorum Archi Epiſcopo inſcripſere, in hæc verba (a):

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum DEI, N. Colocenſi Archi-Epiſcopo.

Pontificis ad Archiepiſcopum litteræ.

Significaſti frater Chariſſime, regem & regni majores admiratione permotos, quod pallium tibi ab Apocriſariis noſtris tali conditione oblatum fuerit, ſi ſacramentum, quod a nobis ſcriptum detulerant, jurares. In pallio frater plenitudo conceditur pontificalis officii, quia juxta ſedis Apoſtolicæ, & totius Eccleſiæ conſvetudinem ante acceptum pallium Metropolitanis minime licet aut Epiſcopos conſecrare, aut ſynodum celebrare. Mirentur in hac cauſa & Dominum JEſum Chriſtum. Cum enim Dominus JEſus Chriſtus, ut omnium ovium ſuarum curam Simoni Petro committeret, conditionem poſuit, dicens: diligis me Simon Petre? paſce oves meas: ſi conſcientiarum factor, & conditor conditione hac uſus eſt, nec ſemel tantum, ſed & ſecundo, & uſque ad contriſtationem; qua nos ſolicitudine, qua proviſione oportet tantam Eccleſiæ prælationem, tantam Chriſti ovium curam fratribus imponere, quorum conſcientias non videmus, illis maxime, quos nullo uſu novimus, quorum dilectionem penitus ignoramus? ajunt omne jus jurandum a Chriſto DEO in Evangelio eſſe prohibitum, nec ab ipſis Apoſtolis poſt Dominum, nec in Conciliis inveniri poſſe ſtatutum. Quid eſt ergo, quod idem Dominus ſubſecutus ait: quod amplius eſt, a malo eſt; hoc enim amplius ut exigamus, malum nos, illo permittente, compellit. Nonne malum eſt, ab Eccleſiæ unitate, a ſedis Apoſtolicæ obedientia reſilire? nonne malum eſt, contra ſacrorum Canonum ſtatuta prorumpere? quam multi hoc etiam poſt ſacramentum præſumpſerunt? nonne prædeceſſor tuus præter Romani Pontificis conſcientiam damnavit Epiſcopum? (b) quibus hoc canonibus, quibus conciliis legitur eſſe permiſſum? quid ſuper Epiſcoporum tranſlationibus loquar, quæ apud vos non auctoritate Apoſtolica, ſed nutu regia præſumuntur? propter hæc mala, & alia evitanda hujusmodi juramentum exigitur. Cur autem juramentum Dominus prohibuerit, Jacobus, Apoſtolus manifeſte adjiciens dicet: ut non ſub judicium incidatis, ne quisquam, ſicut & Auguſtinus exponit, aſſiduitate jurandi ad perjurium per conſuetudinem dilabatur. Quapropter juratione quis non utatur, niſi neceſſitate, cum videt, pigros eſſe homines ad credendum, quod utile eſt eis credere, niſi juratione firmetur. Hoc nimirum malo, ac neceſſitate compellimur juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere. Porro Apoſtolum Paulum pro auditorum diffidentia juraſſe ejus epiſtolæ teſtantur. Ajunt in conciliis ſtatutum non

z) Incertum eſt, quæ hæc juramenti formula fuerit. Gegorius VII. hanc, ut habetur in actis ſynodi Romanæ anno 1079. celebratæ, præſcripſit. *Ego NN. ab hac hora, & in antea fidelis ero beato Petro, & Papæ N. ſuiſque ſucceſſoribus, qui per meliores Cardinales intraverint. Non ero in conſilio, neque in facto, ut vitam, aut membra, aut Papatum perdant, aut capti ſint mala captione. Ad ſynodum, ad quam me vocabunt, vel per ſe, vel per nuntios, vel per ſuas litteras, veniam, & canonice obediam, aut, ſi non potero, legatos meos mittam. Papatum Romanum, & Regalia ſancti Petri adjutor ero ad retinendum, & defendendum ſalvo meo ordine. Conſilium autem, quod mihi crediderint per ſe, aut per Nuntios ſuos, ſive per litteras, nulli pandam me ſciente ad eorum damnum. Legatum Romanum eundo, & redeundo honorifice tractabo, & neceſſitatibus ſuis adjuvabo. His, quos nominatim excommunicaverint, ſcienter non communicabo. Romanam Eccleſiam per ſecularem militiam fideliter adjuvabo, cum invitatus fuero. Hæc omnia obſervabo, niſi quantum ſua certa licentia remanſerit.* Ita Baron. ad annum 1079. Num hujus formæ juramentum Paſchalis Hugolino obtulerit, mihi incompertum eſt.

a) Baron. ad an. 1102.

b) Quem Epiſcopum, aut qua de cauſa damnaverit Albertus, nam hic Hugolini deceſſor erat, nuſpiam reperi, ſuffraganeorum tamen aliquem fuiſſe oportuit.

1102.

inveniri, quaſi Romanæ Eccleſiæ legem concilia ulla præfixerunt: cum omnia Concilia per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romana patenter auctoritas excipiatur. Nonne in Chalcedonenſis Concilii actione XVI. ſtatutum eſt: ante omnia quidem Primatus honorem præcipuum ſecundum canones antiquæ Romæ reverendiſſimo Archi-Epiſcopo conſervari? Itaque quod cenſuerunt rex, & magnates a ſupra dicta ſacramenti conditione te quieſcere; videturne vobis judicium Evangelicum? videturne Primatus noſtri honor præcipuus? numquid animo cecidit illa ſententia Domini: non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum? numquid Hungarico Principi dictum eſt: & tu converſus confirma fratres tuos? numquid hæc nos commodi noſtri profectione requirimus, & non unitatis Catholicæ ſtatuimus firmamentum? poſſunt Apoſtolicam ſedem contemnere, poſſunt adverſum nos calcaneum elevare, datum a Deo privilegium evertere, vel auferre non poſſunt, quo Petro dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: &; tibi dabo claves regni cælorum. Quibus tamen quatuor conciliorum decretis dandi pallii modus præſcriptus eſt, & profeſſionis, vel obedientiæ ordo ſancitus eſt. Cum igitur a ſede Apoſtolica veſtræ inſignia dignitatis exigitis, quæ a beati tantum Petri corpore aſſumuntur, juſtum eſt, ut vos quoque ſedi Apoſtolicæ ſubjectionis debitæ ſigna ſolvatis, quæ vos cum beato Petro, tamquam membra de membro hærere, & Catholici capitis unitatem ſervare declarent. In quibus a prædeceſſoribus noſtris ea eſt adhibita moderatio, ut nihil injurioſum, nihil difficile ſit appoſitum, quod non etiam præter exactionem noſtram ab omnibus debeat Epiſcopis obſervari, qui ſub Apoſtolorum Principum Petri, & Pauli obedientia decreverunt, & unitate perſiſtere. Numquid non ultra vos Saxones, Danique conſiſtunt? & tamen eorum Metropolitani, & idem juramentum aſſerunt, & Legatos Apoſtolicæ ſedis honorifice tractant, & in ſuis neceſſitatibus adjuvant, & Apoſtolorum limina per Legatos ſuos non tantum per triennium, ſed annis ſingulis viſitant. Ita te frater chariſſime fruamur in Domino, ut non per te in Eccleſiis ſubtractionis, & diſſidii, quod abſit, oriatur occaſio. Hactenus Paſchalis: ſatisque liquet, ex metu, qui fortaſſe non de nihilo utrinque fuit, diſſenſionis initium coepiſſe. Pontifices veriti, ne regea auctoritate a Silveſtro conceſſa abuſi, ad res, quæ juris divini, & Eccleſiaſtici erant, ſenſim injuria graſſarentur; nihil omiſere, quo ea poteſtas circumſcriberetur; reges contra, quoniam periculum de regni feudo jam alias a Romanis Epiſcopis intentatum noſſent, quo ſibi, ac regno caverent, ſua jura coarctari ægre ferebant. Quem exitum res ſortita ſit, poſtea locus erit

1103. memorandi.

Dubium eſt, an Ramæ regnum Colomanus in provinciam redegerit.

Neque intra ſolius Croatiæ de qua ſupra memoravimus, limites expeditionis fructus conſtiterat. Sequente enim anno, ut quibuſdam placet, & diploma fidem videtur facere, Ramæ provincia Hungarico itidem juri aſſerta fuit, armiſne, an deditione, exploratum non eſt (*c*). Erat Rama Serviæ occidentalis, qua maritima eſt, pars, ab fluvio cognomine, qui in Naronem illabitur, nuncupata, non item, ut Revajus pie magis, quam vere comminiſcitur Palæſtinæ portio, cujus nomen ab Andrea II. poſtea, quam ex ſacra expeditione rediſſet, regum titulis adjecta fuerit, noſtris ſcriptoribus paſſim Boſnia dicitur: ſed de hac crebrior deinceps narrandi locus erit. Mihi tamen ii rectius ſentire videntur, qui Ramæ titulum ad Belæ cæci tempora rejiciunt. Etſi enim diploma anni hujus ab Colomano datum id nomen referat, tamen ſcribentis potius errorem, quam regis eo nomine utentis auctoritatem fuiſſe ex eo veriſimiliter arguitur, quod nec Colomanum deinceps, nec filium ejus Stephanum in diplomatibus eo titulo uſos eſſe certum ſit. Tam autem ambitioſos fuiſſe, ut nomine, non ſubacta provincia, uterentur, aut ita leves, ut eo uti ſine cauſa deſiſterent ſuaderi probabiliter non poteſt, niſi ea regione interea privati fuerint; ſed a quo, aut quando nullus ſcriptorum omnino memorat. Neque ſatis exactum eſt, cujus fidei ſint, quæ Revajus ad hunc annum refert de memorabili prorſus victoria Colomani, quam ex Venetis reportarit; quando ejus rei Dalmatici ſcriptores, ad quos id litteris conſignare inprimis attinebat, nihil prorſus meminere, & Veneti altero abhinc anno claſſem copioſiſſimo milite inſtructam Duce Ordelapho in Palæſtinam miſere (*d*).

Atque

c) Apud LVCIVM Lib. 3. cap. 3. „In nomine Domini noſtri JEſu Chriſti anno ab „ Incarn. ejus MCIII. die XV. Junii Colo„ manus D. G. Hung. Dalmatiæ, Chroatiæ, „ Ramæque rex.„

d) Centur. II. de Monarchia, & corona regni Hungariæ.

Atque ea occaſione Colomanus ad ſubigendam Dalmatiam, cui dudum ante inhiabat, percommode uſus eſt. Ut primum enim Venetos in Syriam vela feciſſe comperit, collectis ex Hungaria & Illyrico copiis profectionem adverſus Dalmatas indixerat. Fuit Dalmatia id temporis, ut alias narratum eſt, arctis circumſcripta limitibus, & præter inſulas ſinus Adriatici, Jaderam, Tragurium & Spalatum præcipuas urbes complexa. Jaderam, quæ hodie paſſim Zara dicitur, quoniam omnium munitiſſima erat, ſpemque præbuerat, ceteras, ſi hac potiretur, deditionem ultro facturas, obſidione circumdari placuit. Erat urbs, qua continentem ſpectat arduo muro, & turribus adverſus vim egregie comparata; qua vero ad mare porrigitur, commoditate portus & natura, quod rex claſſe deſtitutus eſſet, ab omni periculo immunis. Atque id difficillimam oppugnationem in principio reddiderat. Colomanus tamen nihil intentatum ſinens, exſtructis operibus nocte dieque imminebat nulla obſeſſis quiete indulta, feceratque machina ad id ſtudio comparata immanem murorum ſtragem, ac ruinam, per quam & tentari aſſultus, & capi urbs poterat, cum Joannes Traguríenſis Epiſcopus, qui commodum apud Jadertinos erat, implorata cæleſti ope machinam divinitus corrupiſſe fertur. Tum vero poſita ſpe potiundæ urbis ad pacis conſilia converſus, rem legatione agendam cenſuit, fuitque ejuſdem Epiſcopi ſtudium in conficiendo fœdere non indiligens, cujus opera habitis ultro citroque colloquiis brevi effectum eſt, ut urbs datis, & acceptis conditionibus Colomanum reciperet. Quæ pactorum ratio fuerit, nuſpiam reperi: credibile tamen eſt, ut alias dicetur, iisdem prærogativis Jadertinos, quibus Tragurienſes triennio poſt, donatos fuiſſe: ſuis nempe ut legibus viverent, neve tributarii eſſent (e). His ſancitis magna omnium acclamatione urbem rex ingreſſus, Dalmatici regni primum annum ut ipſe in litteris loquitur (f) auſpicatus eſt, utve rei geſtæ publicum monumentum exſtaret, turri monialium S. Mariæ hanc epigraphen incidi fecit (g)

Traductio ex Croatia in Dalmatiam exercitu, Jaderam oppugnat.

Et Tragurini Epiſcopi opera per deditionem urbe potitur.

ANNO. INCAR. DNI NRI IHV XPI MIL. CV.
POST VICTORIAM ET PACIS PRÆMIA
IADERÆ INTROITVS A DEO CONCESSA
PROPRIO SVMPTV HANC TVRRIM
SCÆ MARIÆ VNGARIÆ DALMACIÆ
CHROATIÆ CONSTRVI ET ERIGI
IVSSIT REX COLOMANVS.

Iadertinæ urbis exemplum haud multo poſt Tragurini & Spalatenſes ſequuti ſunt, pactisque conditionibus deditionem ſponte fecere: & hi quidem Colomano, ejusque poſteris, tum regno Hungariæ perpetuo ſe obnoxios futuros jure jurando confirmarunt. Quamquam Archidiaconus utramque urbem ante Jaderam in regis poteſtatem veniſſe ſcribat (h), lapſum tamen eſſe ex ſcriptore vitæ B. Joannis Epiſco-

Hujus exemplo reliqua etiam Dalmatia ſe dedit.

e) Scriptor vitæ B. Joannis Epiſcopi Tragurini apud Lucium Lib. III. cap. 4. „Colomanum Pannoniorum regem contigit ad „maritimas partes in manu potenti, & brachio exceiſo deſcendere, ut regnum ſuæ „ditioni ſubjugaret Illyricum, Croatiæ gentibus jam ſubactis, & quia civitas Jadratina munitior, & potentior ſerebatur ceteris civitatibus inferiorum partium Dalmatiæ, tum natura loci, cum etiam multitudine populi bellicoſi, contra illam primo direxit aciem exercitus univerſi, quam, „cum ſibi nollet obtemperare, circumcinxit obſidione, & erectis adverſus illam „propugnaculis, & variis generibus tormentorum, non minimam ſtragem murorum urbis, & turrium faciebat (narrato „deinde, quomodo ope Joannis Epiſcopi Tragurini machina regalis deſtructa ſit, & pacem conciliarit, ita ſubjungit) ſatisfaciunt igitur cives juxta conſilium S. Præſulis regiæ ditioni, & fit deditio pro civium „voluntate.„ Similia Dandulus in Chron.

f) Apud Lucium loc. cit. *Anno incarnationis D. N. JEſu Chriſti MCV. Indictione III. regnante piiſſimo Colomano, Croatiæ, & Dalmatiæ primo anno, quo triumphaliter Jadram ingreſſus eſt.*

g) Apud Lucium loc. cit.

h) Hiſt. Salonitanæ cap. XVII. „Tunc „ad Spalatenſem civitatem primo acceſſit - - „at vero Spalatenſes obfirmatis bene portis, „per murorum circuitum cum armis diffuſi „non acquieſcebant regi - - Tum rex, & ejus principes indigne ferentes, & ſe quaſi „con-

1105.

pi Tragurini multo vetuſtiore liquet, ex quo oppugnatæ, deditæque urbis narrationem depromſimus. Ceterum non ita potitus Dalmatia Colomanus eſt, ut non litigi aliquid cum Venetis intercederet. Qui cum prius titulo quoque Dalmatiæ uterentur, eam ditionem Hungaris obnoxiam eſſe non ſatis æquo animo ferebant, queſtique ſunt propterea apud regem, eumque, ubi querelis nihil profectum eſt, perpetua violati fœderis injuria notabant: Colomanus contra nihil ab ſe contra fas actum eſſe contendebat, neque in ſocios arma ſumſiſſe, ſed populos, qui ſe ultro dediderant, hæreditario jure ſibi aſſeruiſſe. In hanc ſententiam Bonfinius (*i*): verum quod juris hæreditarii prærogativam inde ab Attila repetat, ſatis liquet, hæreditatis titulum nulla, aut tenui prorſus, ac incerta conjectura niti. Pax tamen inter deſceptantes poſtea coaluit, quod Veneti maximam militum partem in Syriam miſiſſent: quibus autem pactis utrinque conventum fuerit, non conſtat. Veriſimile eſt, quoniam ſcriptores Dalmati pacem cum mari tum terra reſtitutam fuiſſe ſcribunt, ita fœdus initum, ut Hungari continentem Dalmatiæ, Veneti contra inſulas obtinerent, quamquam his quoque Hungaros baud multo poſt potitos eſſe infra oſtenſuri ſumus. Atque ad hoc tempus quinquennales inducias, quarum Bonfinius meminit, referri oportere puto, non item poſt Ordelaphi Venetorum Ducis necem, quod regem prius obiiſſe, quam ducem Ordelaphum ex rerum, quæ ſequentur, narratione perſpicuum fiet. Sed pene neceſſum erat, temporum ordinem ab Bonfinio ita perturbari, quod Colamanum viginti ac quinque annos regnaſſe ſibi perſvaſerit, quem tamen annum regni nonum ac decimum non exceſſiſſe diplomata illius nomine con-
1106. ſignata aperte docent (*k*).

Inde lites cum Venetis obortæ.

Iis tamen fœderibus complanantur.

Hæc inter Almus e Germania redux ad Polonos abit.

Vix compoſitis in Dalmatia rebus in Hungariam redierat Colomanus, cum Almum fratrem, qui Paſſavium prius fugerat, reducem, & veniam flagitantem benigne accepit; injuriarumque oblitus in priſtinum honoris gradum reſtituit. Verum is, ſive ſuapte turbulentum ingenium nactus eſt, ſive fratris inſidias ſub amicitiæ ſimulacro latere veritus in Poloniam fuga evadit, credo in comitatu auxiliariorum, quos Colomanus Boleslao III, miſerat, ad Polonos penetraſſe. Erat tum Boleslaus duplici bello implicitus: altero contra Pomeranos, qui Svatoborum conſanguineum ſuum carcere detinebant, contra Bohemos altero, qui regni fines crebro incurſibant. Cum diu animi dubius hæreret, in quos prius ſigna convertenda eſſent, advenientibus ex Hungaria ſuppetiis in utroſque bellum decernit. Scarbimirum, ſupremum copiarum ducem, in Pomeranos mittit, qui vaſtata late provincia prædis onuſtus domum revertit: ipſe cum militiæ robore (*l*) adverſum Bohemos profectus, cum hi pugnam detrectarent, neque laceſſendos ultra putaret, ne fruſtra expeditio ſuſcepta eſſe videretur, Polonorum partem, & Hungaros, qui auxilio ſibi venere, Almo tradit, ut eo exercitu ſua adverſus Colomanum jura tueretur.

Ac iſtorum milite inſtructus fratri bellum movet: ſed

Is minime ſegnis & rei gerendæ occaſionem nactus in Hungariam recta contendit, primoque impetu novum caſtrum (*m*) ducendo bello non importunum capit. Rex, quoniam annus jam inelinabat, veritus, ne ipſa mora frater vires ſumeret, aut temporis opportunitas elaberetur, rapto celerrime exercitu Almum nil ta-

le

„ contemtos a Spalatenſibus arbitrantes, cœ-
„ perunt multa civibus comminari, & poſi-
„ tis caſtris non longe a civitate devaſtabant
„ campanos, prædaſque, quas poterant,
„ faciebant. - - Tune Spalatenſes inter ſe
„ facto eonſilio miſerunt Creſcentium Archi-
„ Epiſcopum ad regem Colomanum paeem
„ poſtulantes ab eo. Quem ille benigne
„ ſuſcipiens annuit omnibus petitionibus,
„ quas Spalatenſes fecerant pro pacis fœdere
„ componeodo. - - Poſtera vero die juraverunt Spalatenſes primo quidem majores,
„ poſtea vulgus omne, ut Colomano regi, &
„ ejus poſteris, ae regno Ungariæ ſubjecti,
„ & fideles omni tempore permanerent.
„ Tuoc rex civitatem ingreſſus, valde ho-
„ norifiee a Clero & populo ſuſceptus eſt. -
„ inde autem pertranſiens venit Tragurium,
„ & deinde Jaderam, a quibus civitatibus
„ ſimili exemplo ſuſceptus. - & ſic in Unga-
„ riam eſt regreſſus anno Domini MCIII. „
Sed error in anno eſt, eum ex inſcriptione turris conſtet id factum eſſe anno MCV. Deceptus autem eſt Arehidiaconus, quod diplomate an. MCIII. eonfecto Colomanus fundos in Croatia ſitoa Creſcentio eonfirmant, quo anno, ut dictum eſt, Dalmatia nondum ſubacta fuit.

i) Dec. II. Lib. V.

k) Lvciva Lib. III. cap. 3.

l) Cromerva rer. Poloni.

m) Opinor urbem *Aba Uyvár* fuiſſe.

le opinantem, & ad trahendum bellum prorſus imparatum obſidione circumdat, cum- 1106.
que aggreſſionem in ſequentem diem militibus indiceret, Almus præter omnium opi- *illi ſe*
nionem caſtro egreſſus Colomanum adit, ac illius genibus affuſus, veniam ſupplex *ſponte per-*
orat, culpamque ingenue faſſus, nullo pene negocio obtinet. Hungaris facta vitæ *mittens*
gratia, Polonis venia domum redeundi, fratres poſita inimicitia conciliati. Quam- *veniam*
quam ſimulatam fuiſſe amicitiam exitus oſtendit (*n*). Almus enim, quod fratris inſi- *obtinet.*
dias, fortaſſe non de nihilo inanes, vereretur, ſequente anno in Germaniam ad Hen- 1107.
ricum V. Imperatorem opem imploratum clam omnibus confugerat, magnum iſthinc *Rurſum*
Hungariæ malum non multo poſt allaturus, niſi Colomani providentia periculo, quod *in Germa-*
inſtabat, ſapienter caviſſet. *niam fu-* *git.*

Damno tamen, quod aliunde illatum eſt, pro eo, ac reipublicæ cura po- *Bohemo-*
poſcerat, proſpicere haud potuit, cum Svatoplugus Bohemiæ Princeps, qui aliis *rum in*
Conradus quoque dicitur, ex Moravia in Hungariam erumpens, vaſtitatem ad Ni- *Hunga-*
triam urbem circumtuliſſet. Id cum præter omnium exſpectationem evenerit, tan- *riam ir-*
tum ocii Colomano non erat, ut militem opponeret. Satis tamen pæne Svatoplugo *ruptio.*
fuit, quod nocte in ſilvis oberrans ab arboris ramo oculum amiſiſſet (*o*).

Inter hæc Ordelaphus Venetiarum dux ex Syria cum claſſe redierat, quæ 1108.
res Colomanum mire ſolicitum habuit, ne aut is tot relatis victoriis ferocior ali- *Coloma-*
quid in Dalmatiam, moliretur, aut Dalmatini eo tempore ad recuperandam liber- *nus in*
tatem uti cuperent, quo ſciebant ſibi cum fratre inimicitias intercedere. Itaque ſine *Dalma-*
mora in Dalmatiam proficiſcitur, captatiſque animis pleroſque in fide & obſequio con- *tiam pro-*
firmat. A Traguriniis civibus ſingulari humanitatis ſignificatione acceptus, confirma- *fectus.*
tis jure jurando veteribus privilegiis (*p*) nova adjicit, & in has conditiones pactionem
celebrat. *Ego Colomanus rex Ungariæ, Croatiæ, atque Dalmatiæ juro ſuper ſanctam* *Traguri-*
crucem, vobis Tragurinis, meis fidelibus civibus firmam pacem, mihi & filio meo (*q*) *tri-* *nos novis*
butarii ne ſitis: Epiſcopum vero, aut Comitem, quem Clerus, & populus elegerit, ordina- *privilegiis*
bo, & lege antiquitus conſtituta vos uti permittam, præterquam introitus portus civitatis: *ornat.*
de extraneis duas partes rex habeat, tertiam vero Comes civitatis, decimam autem Epiſco-
pus. In civitate quoque veſtra neminem Hungarorum, vel alienigenarum habitare permit-
tam, niſi quem voluntas veſtra expetierit. Cum autem ad vos coronandus, aut vobiſcum
regni negotia tractaturus advenero, nemini civium vis inferetur domorum ſuarum, niſi quem
dilectio veſtra ſuſceperit. At ſi forte aliquando dominium meum aliquem aggravare videbitur,
& alias ire voluerit, ſecure cum uxore, & filiis, & familia, & omnibus ſuis, quocun-
que ſibi placuerit, eat (*r*). Rata habuere privilegia ſuo itidem ſuffragio Laurentius
Archi-Epiſcopus Strigonienſis cum Joanne Uroſio Comite Palatino, ceterique, ex
quibus Jacobus Borſodienſis, & Ugudius Vaſvarienſis Comites fuere.

Confirmatis hunc in modum Dalmatarum animis vix Hungariam repetierat *Henricus*
Colomanus, cum novum regno diſcrimen imminere crebris ex Germania nunciis ac- *Imp. Almi*
cepit. Henricus, quem Almus querelis in fratrem concitarat, ipſeque Hungaro- *cauſa in*
rum ſecundos in maritima Dalmatia progreſſus haud ſatis æquo animo ferret (*s*), bel- *Hunga-*
lum in eoſdem decrevit, magnoſque ad id perſequendum apparatus fecerat, Bohe- *riam cum*
mis quoque in armorum ſocietatem adſcitis. His Germanorum molitionibus non ni- *exercitu*
hil territus rex, ſuppetias quoque apud finitimos corrogare neceſſe habuit. Occu- *movere*
parat.

n) Thvrocz. Chron. cap. LX.

o) Bohuslaus Balb. Epitom. rer. Bohem. Lib. VII. ſect. I. cap. XXVIII.

p) Initium diplomatis apod Lucium Lib. III. cap. IV. hujus tenoris. „Anno Dominicæ „Incarnationis MCVIII., menſe V. die „XXV. anno XII. regni mei. Ex quo ſubducta ratione liquet, ſi MCVIII. annus Chriſti, fuit duodecimus regiminis, Colomanum Ladislao ſucceſſiſſe anno Chriſti 1096. non item quinto, ut a plerisque hactenus exiſtimatum eſt, cujus rei conjecturam jam ſupra attulimus.

q) Videtur id temporis Ladislaus jam defunctus eſſe, contra quam Timon exiſtimet, alioquin rex filiorum mentionem facturus erat.

r) Præter citatos Comites hi præterea in diplomate ponuntur: *Appa*, quem ex nomine conjicio Hungarum fuiſſe. Tum *Thomas* Albanenſis Comes, & *Slaviz* Comes Novogradenſis. Probabile eſt, hos duos Dalmatas fuiſſe.

s) Annaliſta Saxo ad an. 1108. „Rex „Henricus Almi querelis motus, inſoper „etiam, quod Colomanus fines regni ſui, „ſcilicet in locis maritimis invaſerit, Unga„riam cum exercitu petit.„

1108.

Rex contra in ſuppetias Polonos acceſſit.

rebat ante alios Boleslaus Polonorum Princeps a confectis feliciter bellis magnam apud pleroſque laudem conſequutus, quem ſi in fœderis partem pertraheret, videbat Henrico, ſi quid in Hungariam tentaret, ſatis reſiſti poſſe. Temporis anguſtiæ non ſinebant, ut res miſſitatione legatorum confieret; itaque colloquium a Boleslao petiit, neque is abnuerat. *Loco dieque conſtituto conveniunt Principes in Scepuſienſi territorio: ſocietatem inter ſe ineunt; communes amicos, communes hoſtes ſibi fore promittunt. Foedus quo firmum, perenneque ſit, nova affinitate ſanciunt. Colomanus enim Juditham Boleslai filiam, Stephano filio ſuo natu majori* (t) *deſpondit: Scepuſienſe territorium, quod Poloniæ ditionis erat, in dotem datum.* Hæc Crómerus Polonicarum rerum ſcriptor: ſed quod de Scepuſio perhibet, optandum erat, ut ex regni tabulis prodidiſſet, quando id modi nuptiarum pactiones, ne ob jura poſtliminii lites, & ex his bella oboriantur, fere publicis utrinque litteris conſignare in more veteribus fuerit. Ceterum cum Stephanus id temporis nondum illius ætatis eſſet, ut maturus hymenæo habe-
1109. retur, veriſimile eſt, ſponſam hoc anno in manus illi haud conveniſſe.

Ad manus tamen ventum non eſt, fratribus Imperatoris opera conciliatis.

Non inutilem in corrogandis ſuppetiis Colomani operam fuiſſe ſequens, non item, ut Bonfinius male rationem ſubduxit, quartus abhinc annus, oſtendit. Henricus enim Almi querelis, ut ſupra inſinuatum eſt, permotus contracto milite in Hungariam appropinquare ferebatur. Cum per Auſtriam iter facit, Leopoldus Pius, cujus mortem Timon quadriennio ante, noſtrorum opinione ſeductus, præceperat, ſuas itidem copias Imperatori conjunxit (u). Juſto exercitu in fines Hungariæ perventum eſt, &, quamquam Almus, ut infeſtis ſignis concurreretur, auctor Henrico fuiſſet, tamen ſine omni prælio brevi poſt pax coaluit. Qua autem ratione, vehementer ſcriptores diſcrepant. Germani Chronographi poſt tentatam incaſſum Poſonienſis urbis obſidionem conciliatos fratres perhibent (x), alii perfidiam Principum, quos ſecum Henricus adduxiſſet, tum occupata ab Hungaris fluviorum vada obſuiſſe ſcribunt (y), quo minus expeditio Imperatori ex ſententia caderet. Sed videntur hi obſidionem Poſonienſem cum ea, quam Henricus III. ſuperiore ſeculo ſuſceperat, ad hoc tempus manifeſto errore traducere, quoniam coævi ſcriptores nihil ejusmodi molitionis ad præſentem annum meminerunt. Illud veriſimilius, quod noſtri memorant: ab Henrico, ut primum Hungariæ fines attigit, Colomanum per oratores ad colloquium fuiſſe invitatum, ut ea ratione prius, quam ſigna conferrentur, nihil intentatum videretur reliquiſſe, quo fratres conciliaret. Neque Colomanus, quod vim Imperatoris metueret, & res Dalmatiæ ab Venetis nondum ſatis tutæ eſſent, difficilem ſe Henrico præbuit. Itaque redintegrata amicitia certatim ab utroque Imperatori actæ gratiæ, & adjecta munera: quibus ornatus Henricus, &, re feliciter patrata, mirum in modum lætus Germaniam repetiit (z). Colomanus viciſſim auxilia Polonorum, non item, ut Timon ſcribit, Bohemorum, bona fide ab ſe dimiſit.

Alte-

t) Rerum Polonic. Lib. V.

u) Excerptum RIKARDIANVM ad an. 1108. „Henricum V. regem comitatus eſt Lewpol„dus ad fines Ungrorum cum militibus ſuis, „ſed non pugnatum, quia Cholomanus rex „fratri ſuo Almo metu Imperatoris concilia„tus eſt.„ Et quia hoc excerpto ſæpius deinceps utemur, monendus Lector eſt, auctorem eſſe rebus, quas ſcribit coævum. Scripſit enim continuo poſt Leopoldi Pii obitum, qui contigit anno 1136.: alias Rikardus Canonicus Newburgenſis de S. Leopoldo dictus. Ita Cl. HANTHALLERVS in faſtis Campililienſibus.

x) Chronica patria Peziana, & Auſtralis ad an. 1103. „Hainricus rex obſedit ca„ſtrum Preſpurch„ DOOECHINVS in append. ad Mar. Scotum. „Henricus rex Pan„noniam ingreditur, ubi ob infidelitatem „quorundam Principum nihil memoria di„gnum ab eo agitur.„

y) Annaliſta SAXO apud ECKARDVM. „Rex „Henricus Almi querelis motus - - Unga„riam cum exercitu petit. Sed præparatis „multiformiter adverſariis, maximeque per „obſtructa fluminia undique vada, poſt mo„roſam & caſſam obſidionem caſtri Bresburgh „pene inacte rediit.„ Pene omnes Chronographi ad an. 1108. hanc expeditionem affigunt, ut noſtri contra ad an. 1113. Annus prior non congruit, quod ex diplomatibus conſtet, Colomanum maximam anni partem in Dalmatia exegiſſe, ſub finem anni vero Polonici ſcriptores teſtentur cum Boleslao in Scepuſio colloquium habuiſſe. Neque noſtrorum Chronotaxis rite ſignata eſt, quod eo anno Henricus in Germania diſtentus fuerit.

z) BONFIN. Dec. II. Lib V. Cui conſentiunt THVROCIVS, RANZANVS, & Excerptum RIKARDIANVM ſupra allatum.

Alteram quoque hoc anno expeditionem in Hungariam a Bohemis ſuſceptam Germani ſcriptores perhibent. Diſtrahebatur in partes Bohemia Principum ambitione, inter quos Borzivojus, Ulricus, ac Svatoplugus præcipui fuere. Atque hunc, ubi potentia ſua ceteros oppreſſiſſet, fuiſſe ferunt, qui Hungariam menſe Februario ingreſſus, plagam eam quæ trans Danubium patet, fœdiſſime vaſtarit, ut ea ratione injurias, quas anno elapſo Colomanus Moraviæ intulerat, ulciſceretur (*a*). Sed cum priore anno maximam partem Colomanum in Dalmatia exegiſſe ex publicis litteris perſpicuum fit, & Svatoplugus hoc anno in bello adverſum Polonos in Sileſia geſto ab Urſovecio per inſidias haſta transfixus fuerit (*b*), & excurſionem hanc biennio ante contigiſſe ex Bohemicis ſcriptoribus narraverimus, veriſimile eſt, annaliſtas Germanos memoria temporum confuſos, quæ prius referenda erant, perperam ad præſens tempus traduxiſſe. 1109.

Bohemicum bellum perperam a Germanis ſcriptoribus confunditur.

Veneti interea, qui in omnem rei gerendæ occaſionem incubabant, non nihil turbarum in Dalmatia dedere, ut Timon (*c*) memorat; quo autem modo coeperint, aut quem exitum ſortitæ ſint, nihil addit. Credo Venetos Dalmatarum animos pertentaſſe, ut excuſſo Hungarorum dominatu, eorum clientelæ ſe dederent. Nam quæ Bonfinius de Ordelapho Venetorum duce ad hæc tempora refert, patebit ex rebus, quas narraturi ſumus, ad Stephanum Colomani filium rejicienda eſſe. 1110.

Veneti Dalmatarum fidem fruſtra tentant.

Almus ſub hæc, ubi cum fratre in gratiam rediſſet, bona regis venia Jeroſolymam pietatis cauſa conceſſit. Re autem vera, quod non nulli ſatis probabiliter ſuſpicantur, ut Græcorum Imperatorem adverſus Colomanum concitaret: alioquin poſtea, quam oculis orbatus fuiſſet, ad Græcos fuga evaſiſſe, & ab his liberaliſſime acceptum, bellumque Hungaris propterea obmotum, conſtabit. Quidvis ſit de peregrinationis cauſa, illud exploratum eſt, Almum conſilia ſua, ſi quæ tamen contulit, ita clam fratre cum Græcis contuliſſe, ut Jeroſolymis redux ſumma benevolentia ab eo acciperetur (*d*).

Almus Jeroſolymam profectus cum Græco Imperatore conſpirat.

Pacato domi regno Dalmatiam rurſum reviſit Colomanus, ut, ſi quid a Venetis periculi ingrueret, animos ſua præſentia in fide confirmaret. Suſpicio enim non de nihilo fuit, Dalmatas, qui, quod ſponte Colomano ſe dedidiſſent, ejus quoque benevolentiam ad ſe pertinere arbitrabantur, haud ſatis æquo animo ferre, quod rex apud ſuos fere Hungaros deſideret. Itaque juſtis eorum deſideriis Colomanus obſequendum ratus, ut primum in Dalmatiam appulit, conventum regni indixit. In quo cum multa ad reipublicæ felicitatem ſapienter conſtituta ſunt, tum illud pie quoque factum, quod rex privilegia Eccleſiæ Arbenſis confirmans (*e*), eodem jure Clerum Dalmatiæ frui voluerit, quo Hungari hactenus uſi fuiſſent. *Aſſentimus*, inquit rex, *& quantum ad nos pertinet, confirmamus Arbenſi Eccleſiæ ſuas parochias* - - (*f*) *ſicut ſemper didicimus habuiſſe per privilegium Creſcimiri regis, & idoneos teſtes, quos Paulus ejuſdem Eccleſiæ Præſul induxit, cognovimus. Decrevimus quoque ad honorem, & dignitatem illius Eccleſiæ inveſtituras tam Eccleſiarum, quam Epiſcoporum, & Abbatum, abſque regis conſilio, quemadmodum fuiſſe probavimus, fieri debere: poſtea neceſſarium duximus, cum utriuſque regni univerſo conſilio, ut qua libertate fruuntur Clerici Hungariæ, fruantur & Clerici Dalmatiæ: ſcilicet, ut qualiscunque po-* 1111.

Rex iterum Dalmatiam reviſit.

Et clerum privilegiis ornat, quibus Hungariæ Eccleſia fruebatur.

Ee ten-

a) Chronicon Mellicenſe ad an. 1109. „ Menſe februario, quia magnum frigus ioborruerat, & omnes aquæ congelaverant, „ Dux Svatopluck - - coadunato iterum „ exercitu tribus diebus, & tribus noctibus „ feſtinans intrat Hungariam, & omni regione illa devaſtata cum multis captivis, „ & magna præda reverſus eſt. „

b) Bohusl. Balbinvs Epitom. rer. Bohem. Lib. III. cap. IX.

c) In epitome Chronolog. ad huoc annum.

d) Thvrocz. Chron. Cap. LX.

e) Apud Lvcivm de regno Dalmatiæ & Croatiæ Lib. III. cap. IV. Diplomatis initium eſt hujuſmodi: „ Anno Dominicæ Incarnationis MCXI. Iodictione IV. Epacta „ nooa concurrentibus. Ego Colomanus „ DEI gratia rex Hungarorum, per miſericordiam DEI potitus regoo Dalmatiæ & „ Croatiæ,, - - Mirum eſt Dalmatiam Croatiæ præpoſitam eſſe, cum alias hoc regnum illi præferretur in titulis.

f) Nominat autem Diploma has ſingilatim: *Juppam ſub alpibus, ſuis cum terminis, a caſtro, latine Murula vocitato, ſclavonice autem, Stenice, uſque ad flumen Coprive, Cliſſam ſuis cum terminis, Juppam Licha, Juppam Buchani, & Bochacchi.* - -

1111.

tentiæ ſigillo non conſtringantur (g), ſed ſolo Epiſcoporum, & Archidiaconorum ſuorum ſigillo, & judicio, lege canonum cogantur, & judicentur; hoc modo decimationem, quemadmodum in Hungaria, accipiant, Præſtaldus regis, cum Præſtaldis Epiſcoporum, ex decimatione Epiſcopi, ipſi accipiant decimam partem, ex qua Præſtaldus regis dimidiam partem illius decimationis accipiat; Præſtaldi vero aliam dimidiam cum Curiali Comite ſui Epiſcopi per medium dividant, & ſic Curialis Comes dimidiam ſibi habeat, Præſtaldi vero aliam dimidiam inter ſe dividant. (h).

Qua occaſione probabiliter inveſtituris renunciat.

Ex quo facilis conjectura eſt, maritimam quoque Dalmatiam, ex inſulis Adriaticis conflatam, juribus Hungariæ obnoxiam fuiſſe. Tum illud etiam veriſimiliter conficias, litem, quam Colomano cum Paſchali interceſſiſſe ſupra memoravimus, hoc anno finem accepiſſe, cum jure inveſtiturarum ſponte rex ſe abdicaſſet. Abdicationis forma in hæc (i) verba concepta eſt: *Renuntiamus vobis pater venerande, nos legi divinæ ſubditos, ac ſecundum eam vobis ſervire paratos: unde & inveſtituram Epiſcoporum hactenus a Majoribus habitam, juxta admonitionem veſtram, dimiſimus, &, ſi quid in electione hujusmodi minus canonice retroactum eſt, de cetero, Deo volente, cavebimus* (k). Recens etiamnum fuit memoria turbarum, quæ inveſtituræ cauſa inter Gregorium VII. & Henricum III. exortæ ſunt: itaque ne quid ſibi in provinciarum, quas haud ita dudum adierat, poſſeſſione periculi crearetur, quidquid eatenus juris inde ab D. Stephano reges noſtri habuere, antiquatum voluerit.

Retenta tamen poteſtate conferendorum beneficiorum.

Prærogativam tamen conferendorum beneficiorum cum homagio, ſibi ac futuris regibus retinuiſſe, ex rebus, quas deinceps memorabimus, conſtabit. Ceterum Jadertinos, quamquam rex Dalmatiam ſumma benevolentia litteris recens editis complexus fuiſſet, in fide & obſervantia non nihil nutaſſe, ex noſtris ſcriptoribus eruitur. Quam urbem, cum iſthic rex verſaretur, quod minus, quam cupiebat, obſequentem haberet, igne corrumpere conſtituerat.

A vi Jadertinis inferenda cœlitus cohibetur.

Feciſſetque procul dubio, niſi D. Nicolaus, aut, ut alii, & rectius exiſtimant, Donatus Epiſcopus nocte ipſa aſpectabilis regem crinibus tractum, ac virga laurea verberatum ab immani facinore abſterruiſſet (l).

Admonitus tam manifeſto Numinis indicio relicta impune Jadra in Hungariam revertitur.

1112.

Uxorem ob adulterii ſuſpi-

Hic viduitatis quærens ſolatium, filiam Principis Ruſſorum conjugem ducit; quam tamen haud multo poſt ob adulterii ſuſpicionem parentibus remiſit. Atque hæc, poſtquam poſito utero Borichium, ſive ex Colomano, ſive ex alio,

nam

g) Nempe juxta Decreti Colomani caput XIV. quod ita habet: *Nullus præſumat ſæcularis judex clerico ſigillum dare.* In quæ verba PETERFY Concil. Hung. Tom. I. pag. 43. ita commentatur. „ Confirmatur privilegium „ Cleri, vi cujus nulla Eccleſiaſtica perſona ad „ forum ſæculare citetur. Sigillum autem „ veteri ad judicium evocandi conſuetudine „ dabatur, cum illud judex nudæ chartæ appreſſum, per actorem ad reum mittebat, „ eumque ad audiendam cauſam invitabat. „

h) Clauſula Diplomatis in hæc verba concepta eſt: „ Indictione quarta datum eſt hoc „ privilegium dictæ Arbenſi Eccleſiæ per „ manus venerabilis Laurentii Strigonienſis „ Archi-Epiſcopi perpetuo ex conceſſione „ Colomani regis Ungariæ, Dalmatiæ, atque Croatiæ in præſentia ſuorum Epiſcoporum, ac Comitum, quorum nomina „ hæc ſunt: Marcelli Vacienſis Epiſcopi. „ Simonis Quinque-Eccleſienſis Epiſcopi. „ Sixti Varadienſis Epiſcopi. Tulberti Colocenſis Epiſcopi: Comitum vero, Joannis Palatini Comitis, Claodini, Marci, „ Sauli, Saunici, Vgareoi, Theobaldi, „ Jandini, & quam plurium aliorum Dalmatinorum Epiſcoporum, & aſſerentium, & „ teſtificantium, per quorum teſtimonium „ probavit prædictus Præſul, dicta Arbenſis Eccleſia, ſemper ita habuiſſet. Joannis Traguriensis Epiſcopi. Petri Abſarenſis Epiſcopi, & Generalis Domini regis „ Curiæ. Et ut hoc privilegium ſtatutum, „ & ſtabile perpetuo maneat, noſtro jubemus ſigillo imprimi, atque roborari. „

i) In collect. Concil. Tom. XII.

k) Similia Martinus POLONVS in Mſ. codice Biblioth. Cæſareæ Viennenſis habet ad Paſchalem II. *Hujus etiam temporibus rex Ungariæ ad monitiones Papales per litteras ſuas ſcribens Domino Papæ, renuntiavit inveſtituris Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, quas uſque ad illa tempora reges Ungariæ facere conſueverant.* Mos autem inveſtiendi ex ſententia Franciſci FLORENTIA hic fuit. Mortuis Archi-Epiſcopo, Epiſcopo &c. baculus, ferula, vel virga paſtoralis, & annulus deferebantur ad regem, qui poſt electionem a ſe, vel ſuo permiſſu factam futuro Archi-Epiſcopo &c. in ſignum collati beneficii dabat, qui contra homagium ſive fidelitatis juramentum regi præſtabat in teſtimonium accepti doni regii. Ita Cl. KOLLAR Hiſt. Diplom. Lib. II. cap. XIII.

l) THVROCZ. Chron. Cap. LX.

1112.

nam id incertum eſt, ſublatum peperiſſet, magnas olim in Hungaria turbas concivit, ut in rebus Belæ cæci narrandi locus erit (*m*).

Concionem in Ruſſiam renittit.

Mœſtum ex ea ſuſpicione animum brevi poſt, ut erat Princeps belli cupidus, armis in Auſtriam illatis tantiſper recreavit. Fines Hungariæ egreſſus magnam provinciæ illius partem percurſabat, ac ſpoliis dives redierat (*n*). Non ſatis liquet, quid cauſæ illi fuerit, ut in Leopoldum, cognomento pium, æqui ceteroquin, & pacis ſtudioſiſſimum infeſtis ſignis procurreret, niſi forte illud ægre tuliſſet, quod is Henrico Imperatori conjunctus magnum auctoritate ſua momentum adjecerit, ut poſitis inimicitiis Almo conciliaretur. Utcunque id ſit; Leopoldus ut ſuorum injuriam vindicaret, eodem anno in Hungariam profectus, multiſque urbibus igne corruptis ampliſſimam prædam abegit.

In Auſtriam procurrens.

Viciſſim cladem accipit.

Neque Veneti, rerum futurarum magnopere providi, quidquam omiſere, quod ad recuperandam Dalmatiam facere videbatur. Ordelaphum ejus regni jactura in primis ſolicitum habebat; qui, cum cerneret, ſine Græcorum ſocietate haud facile ſe eo regno potiri poſſe, urbis Patriarcham Conſtantinopolim legarat, ut de violato ab Hungaris fœdere apud Alexium quereretur; ſimulque oraret, ne, ſi opus eſſet, reipublicæ ſuppetias mittere gravaretur: id ſe cum veteris amicitiæ cauſa petere, tum communis exitii periculo, quod, niſi Hungaria late omnis occupantibus mature obviam iretur, pene neceſſarium inſtare videbatur. Itaque ſperare ſe, Imperatorem pro virili facturum, ne Veneti, qui ejus cauſa ſemel atque iterum adverſus barbaros in Syriam profecti fuiſſent, hac parte detrimentum patiantur. Alexius liberaliter opem pollicitus Legatum ab ſe dimiſit. Hinc nova Venetis ſpes, & animus ad recuperationem Dalmatiæ adjectus (*o*).

Venetorum cum Græcis adverſum Hungaros fœdera.

1113.

Colomanus ſive non ignoraret, quas machinationes Veneti apud Græcos adhiberent, ſive futuris turbis volens cavere, Stephanum filium regem Hungariæ inaugurari juſſit, ut ex decretis priſcorum regum Timon colligit (*p*). Fertur Laurentius Archi-Epiſcopus Strigonienſis Stephanum coronaſſe, nam ea prærogativa id temporis Metropolitano nondum propria fuit. Ne quid tamen Stephano periculi crearetur ab Almo, quem tot alias indiciis regnum affectaſſe deprehendit, malumque hoc defuncto ad Belam ejus filium traduceretur, utrumque oculis orbari, Belam præterea, ut noſtri volunt (*q*), ne procreandæ ſoboli idoneus eſſet, evirari jubet. Verum is, cui hæc provincia mandata eſt, pueri innocentia, & ſi Stephanus improlis decederet, regni orbitate commotus, utroque luminibus orbato, catuli forte fortuna ſe objicientis teſtes exſecuit, regique, quo functum ſe officio probaret, exhibuit. Itaque qui inhumanam hanc barbariem a Græcis ad nos traduxit, primus, ac poſtremus omnium Colomanus fuit. Oculis mulctatos in Demeſienſe Canonicorum collegium, quod ſuis olim ſumtibus, ſed non in hunc uſum, Almus condidit, occludi imperat, ut omni ſpe potiundi deinceps regni ſe exutos intelligerent. Almus tamen haud multo poſt tempore, incertum tamen qua via, ad Græcos evaſit, & Bela poſt Stephanum, cujus cauſa luce privatus fuit, regnum obtinuerat. Qua in re Numinis providentiam manifeſtis indiciis eluxiſſe credibile eſt, quæ humana conſilia, quoties ab æquitatis norma recedunt, quamquam ſecundos in principio eventus polliceri videntur, ſemper in exitu deſtituit.

Stephano filio inaugurato.

In Almum, & Belam ſævit.

m) Thvrocz. Chron. cap. LXI.

n) Chron. Mellicenſe ad an. 1112. „Rex „ Ungarorum de terra ſua egreſſus manu„ bias, ac prædam magnam de provincia „ noſtra abduxit. In ejus ultionem Luipol„ dus Marchio cum valida manu quaſdam „ ejuſdem regia provincias invaſit, & cæde „ magna perpetrata, ac quadam civitate de„ prædata, atque combuſta, cum pace re„ meavit ad propria. „

o) Dandvlvs in annalibus. „Dux igitur, „ ſcilicet Ordelaphus, anno X. (electus autem eſt an. MCII.) „Dalmatiam recuperan„ dam intendens, Patriarcham Conſtantino„ polim cum quatuordecim galeis Alexio „ Imperatori Legatum miſit, & regalem in„ vaſionem, promiſſi fœderis oblitam, ex„ poni fecit, & ſubſidium opportunum ab „ eo ſibi exhiberi poſtulavit, maxime, quia „ opere comprobaverat, ſui imperii Vene„ tos fuiſſe intimos zelatores. Auguſtus „ requiſitioni conſentiens ad intentum perfi„ ciendum dilationem contulit, & ſic Lega„ tus, obtento propoſito, ad Ducem re„ diit. „ - -

p) In Epitom. Chronol. ad an. 1113.

q) Thvrocz. Chron. cap. LXII.

1114.

Dalmatini cum Venetis clam amicitiam ineunt.

Dum ita inhumaniter domi in ſuos ſævit Colomanus, periculum amittendæ Dalmatiæ adierat. Pleræque urbes, contra quam mutuis pactionibus conventum erat, præſidiis Hungarorum tenebantur, quorum Præfecti, ex libidine & commodo ſuo magis, quam regis voluntate rempublicam adminiſtrabant. Ex quo alienati primum civium animi, tum veterum ſociorum memoria admoniti cum Venetis clam conſilia conferre, omniaque agere, ut Hungarorum dominatum ab ſe amolirentur. Neque Veneti occaſionem pulcherrimam prætermittendam rati, opem & ſuppetias pollicebantur, in ſpem certiſſimam erecti, fore, ut Dalmatia ſi civium fides ſuæ induſtriæ adjutrix eſſet, brevi potiantur. Fiebantque eam in rem ſumma diligentia maritimi apparatus, qui exitum haud infelicem promitterent. Vivo tamen rege, quod bellicoſum, ac potentem aggredi vererentur, nihil auſos, deſtinationes
1115. ſuas futuro tempori ſervaſſe comperio.

Rex morti proximus.

Sed hac eos ceſſatione mors Colomani ſequente anno coſequuta, abſolvit. Aegrotabat rex cum alias, tum hoc anno vehementius ex capite: quem dolorem, quod per ſe ſe moleſtus eſſet, & curis publicis ineptum præterea redderet, dum Italo, cui Draconi nomen, & quo medico libenter utebatur, curandum præbet, iſque medicaminis, quod auribus applicuerat, vim haud ſatis attemperaſſet, extracta cerebri parte in exitium præcipitatus eſt. Cum admoneretur, ut rationes ſuas cum Deo iniret, parum fortem emiſſo gemitu animum exhibuit: tum vocatum ad ſe filium orabat, ne injurias, quas ſibi Ruſſi procurſionibus ſuis intuliſſent, inultas pateretur, utque rebus ejus a morte conſultum eſſet, familiarem ſuum, nomine Benedictum ad Demeſienſe collegium abire jubet, ut Almum, quem turbas daturum metuebat, in carcerem retruderet.

Almum cum Bela filio in carcerem conjici jubet.

Dux, qui pro collegii ſoribus moerens ſorte fortuna conſederat, dum equitum feſtinantium ſtrepitum auribus hauſiſſet, id quod erat, ſuſpicatus in Eccleſiam conſugit, prehenſaque D. Margaretæ ara opem & ſalutem deprecabatur. At ſceleſtiſſimus ſicarius nihil loci ſanctitatem veritus miſerum vi ſumma avellere nititur, feruntque cutim eo niſu ex Almi manu detractam, & ut recenti ſanguine manabat, aram quoque pollutam fuiſſe.

Sed conatus opera Sacerdotum irritus redditur.

Hæc cum ſine magno tum obnitentia, tum vim inferentis clamore fieri non poſſent, ſacerdotes eo tumultu exciti, cum quid ageretur, viderent, Ducis calamitatem miſerati, portam templi obvallant, prehendendique hominis modum circumſpiciunt: ſed is mature diſcrimini ſe ſubducens, re, cujus cauſa veniſſet, infecta evaſit. Conſequuta tamen barbarum divina Nemeſis, dum per Piliſienſem ſilvam reditum parat, equo excuſſum, & fracta cervice animam agentem propriis canibus lacerandum objecit (r), Colomano paucos poſt dies quoque exſtincto, ac Albæ tumulato, poſtquam annis non integris undeviginti regno præfuiſſet.

Colomani obitus, vitia, & corporis habitus.

Homo ut acer bello, ſic natura durus & aſper: neque tamen, ſi barbariem, qua in Almum & Belam uſus eſt, demas, ita ſanguinarius, ut noſtri communiter perhibent, quem & armorum tractationem ex commodo reipublicæ attemperaſſe, & pacis ſtudia bona ſatis fide coluiſſe ex rebus geſtis conſtet. Ceterum, ut Bonfinius ſcribit (s), animus illi callidus, & aſtutus, docile ac in omnem partem verſatile ingenium, moroſum tamen, ac furori nimis obnoxium. An vero tam parum ſibi æquam naturam ſortitus ſit, ut, quod Thuroczius memorat (t), non modo gibbus illi a pectore promineret, ſed præterea tam deformi eſſet corporis habitu, ut cute hiſpidus & piloſus, ad hæc luſcus, claudus, & blæſus haud mediocrem ſibi contemtum conciliaret, affirmare noo auſim. Liberos præter Stephanum, Ladislaum ac Nicolaum, quorum poſtremi duo ante patris obitum elati ſunt, Sophiam quoque filiam ſuſtulit, quæ, ubi marito, ſed cui, incertum, nuptui collocata eſſet, Saulem edidit, de quo ad ſolium evehendo, dum Stephanus res humanas faſtidiret, Hungaros cogitaſſe ſuo loco memorabimus. Neque plures illi proles fuiſſe comperio: nam Borichius aut ex adultero ſuſceptus, aut pro legitimo habitus non eſt. Adelhaidem vero, quam domeſtici annales paſſim Colomaoo itidem tribuunt, Almi filiam, & Belæ cæci ſororem fuiſſe ex rebus poſtea narrandis perſpicuum fiet (u).

S T E-

r) Thvrocz. Chron. cap. LXII.
s) Dec. II. Lib. V. in principio.
t) Chron. cap. LX.
u) De uxoribus præter Rogerii Siciliæ Comitis

STEPHANVS II.

Stephanus rempublicam capeſſens.

Secundum Patris obitum Stephanus hujus nominis II. optimatum conſenſu regni poſſeſſionem quidem adiit, ſed cum per ætatem, agebat enim decimum ac quintum annum, gubernationis impos adhuc eſſet, reſpublica ex Epiſcoporum, Procerumque, arbitrio adminiſtrabatur. Neque id inconſulte factum, ut tenero per ſe regi, ac rerum uſu haud ſatis experto, viri & ſpectatæ virtutis, ac prudentiæ adderentur, qui periculum regno imminens propulſarent.

Dalmatiam turbatam reperit.

In Dalmatia enim ſub id tempus apud Spalatenſes turbæ commotæ ſunt, tanto periculoſiæ magis, quanto minus ex civium perfidia, ſed noſtrorum maleficio ortum habuere. Vivo etiamnum Colomano turrim urbis, quæ orientem ſpectat, Hungari præſidio tenebant: Dux iis fuit idem, qui regio nomine quæſturam in Croatia exercuit. Forte hominem prædarum cupidiſſimum, libido inceſſerat urbis potiundæ, ac penitus in jus Hungaricum aſſerendi, ratum hac ſe ratione gratiam apud novum regem initurum. Communicato cum ſuis nefario conſilio, facile omnes conſentientes facinori habuit, ſed quem in modum rem effectam darent, dubitatum a pleriſque eſt. Illud ad extremum occurrit, ſi urbis Archi-Epiſcopum in ſuas partes allicerent, molitionem pietatis ſimulacro facilem, & optatum exitum ſortituram. Erat urbis Antiſtes Manaſſes, qui Creſcentio ſucceſſerat, Colomano, dum viveret, in paucis charus. Hoc facile in conſiliorum partem pertracto, placuit, ut cum præſul templum, in monte extra urbem ſitum ex ritu Eccleſiæ ſacraret, imminebat enim commodum ea ſolennitas, populusque viſendi cauſa conflueret, Hungari ex turri prodirent, occupatisque muris, ceteros, qui in inſidiis latebant, ſigno dato ad invadendam urbem commonerent, ita futurum, ut loco ſine ſanguine potirentur.

Verum ſceleſto conatui eventus non reſpondit: conjurationis indicium ad Adrianum gente Latinum, qui id temporis urbi præfectus erat, perlatum cives ad eludendas inſidias erexit. Inita cum Traguriniſ ſocietate milites clam Hungaris in urbem inducunt, qui quid hoſtis acturus eſſet, diligenter obſervent. Utque fraudem noſtrorum manifeſte tenerent, cum primum dies ſolennitati conſtitutus aderat, paſſim omnes ſe urbe exituros palam ſpargebant. Eo rumore dum noſtris novi animi adduntur, gerendæ rei occaſionem celeritate corrumpunt. Etenim vix cives egredi civitate ſe ſimulabant, cum illi tubis ex turri clangere, procurrere ad mœnia, & ſocios ad ſpolia, & prædam concire. Spalatenſes contra viſo urbis periculo ex latibulis proſiliunt, igneque turri ſuppoſito, omnes ex muris præcipites agunt, diligenterque exquiſitos internecione delent, ceteris, qui auxilio venerant, fuga diſſipatis. Archi-Epiſcopus ægre fuga evadens, facinoris conſcientia, & pudore ſuffuſus videri deinceps in Dalmatia deſiit (x).

mitis filiam, & eam quam ex Ruſſia accepit, nihil certi conſtat. Szentivanius Miſcellan. Dec. II. Part. I. Diſſert. IV. habet, S. Salomeam fuiſſe Colomani regis Hungariæ conjugem. Certum tamen eſt, aut typi ſphalma eſſe, aut Szentivanio errorem obrepſiſſe: nam hæc Salomea conjux quidem Colomani, non tamen regis, ſed illius, qui Andreæ II. filius, & Sclavoniæ Dux erat, fuit, perpetuamque cum viro caſtimoniam ſervarat.

x) Archi-diac. Spalatenſis Hiſt. Salonitanæ cap. XVIII. „Defuncto autem bonæ „memoriæ Creſcentio Archi-Epiſcopo, electio facta eſt ad inſtantiam Laicorum in „quendam clericum Colomani regis, qui erat „gratioſus apud eum, nomine Manaſſes. „Qui conſecratus a Summo Pontifice in ci„vitate manebat, & ſæpius in Hungariam „proficiſcendo regiam curiam frequentabat. „Dederunt autem Spalatenſes regi Colomano turrim orientalis anguli, rex autem „poſuerat Ducem quemdam, cum non parva militum manu, qui erat per Croatiam „exactor regalium tributorum. Contigit „autem eo tempore, ut idem Dux vellet, „civitatem capere, eamque totaliter deprædari. Habito itaque conſilio cum complicibus ſuis deliberatum eſt, hoc non poſſe „opportunius fieri, quam ſi vellet Archi-„Epiſcopus huic conſilio conſentire. Vocatus ergo Archi-Epiſcopus venit, aſſenſum præbuit, diem ſtatuit, ut cum univerſus populus ad ſolemnitatem conſecrationis cujuſdam oratorii de more conflue„ret, Hungari, qui erant in turri, ſuper„grederentur mœnia civitatis, cæteri vero, „qui erant, viſo ſigno occurrerent. Ea„tem

1115.

Veneti pleriſque illius urbibus potiuntur.

Atque ita paucorum ſcelere cauſa ſubnata eſt, ut Dalmatia omni ad tempus privaremur. Nam Veneti & exemplo Spalatenſium ad ſpem erecti, & quod regis adoleſcentiam belli molitionibus imparem futuram putarent, magna claſſe in Dalmatiam Auguſto menſe applicant, primoque impetu, quæ Jadertinis ex adverſo opponuntur, inſulas intercipiunt, neque enim Hungari, qui terreſtribus copiis duntaxat valebant, defendendis illis quidquam præſidii habuere. Abhinc, quod inſularum poſſeſſionem, ſi urbe itidem non potirentur, haud ſatis tutam fore arbitrati ſunt, ad oppugnandam Jadram curæ omnes, ac ſtudia converſa. Urbem tribus ex partibus mare circumfundit: quæ res ut difficilem exſcenſionem hoſti facit, ita propugnantibus, quod vires trifariam diſtrahuntur, magnam quoque moleſtiam creat. Tenebatur id temporis Jadra Hungarorum præſidio, cum Ordelaphus urbem obſidione premeret: qui utrinque conatus extiterint proditum non eſt: Bonfinius fame, ceteri deditione captam urbem memorant, Hungaris in urbis arcem receptis, ac inde propugnationem molientibus. Belogradum eadem opera in poteſtatem Venetorum venit; quas urbes ne quid ſubſidii interea Hungaris ſuppeditari poſſet, communiri Ordelaphus jubet, acceptisque obſidibus victor domum reverſus, (*y*) titulum Croatiæ, ac Dalmatiæ rurſum Venetiis intulit (*z*).

1116.

Arcem Jadertinam deditione capiunt.

Læti ea victoria Veneti, ſpem non inanem cœpere totius Dalmatiæ, ac Croatiæ occupandæ. Itaque de conquirendis auxiliariis maxime ſoliciti, nulli, quæ huc facere videbatur, operæ pepercerunt. Commodum Henricus V. Venetias appulerat, ubi cum a civibus honorificentiſſime acceptus fuiſſet, ne beneficiis vinceretur, Ducis provinciam regni titulo, & prærogativa cohoneſtans ſuppetias adverſum Hungaros liberaliter addicit (*a*). Alexius quoque orientis Imperator, a quo Patriarcham nuper

„ tempeſtate quidam egregiæ ſtrenuitatis vir, „ Adrianus nomine, Latinus genere, erat „ Comes, Rectorque civitatis. Hic tantæ „ fraudis nequitiam civibus patefecit, Spalatenſes vero facta ſocietate cum Tragurinis ponentes uſque quaque cuſtodias ſibi „ tacite præcaverunt. In dicta igitur ſolemnitate conſecrationis cujuſdam Oratorii, „ quod erat in rupibus montis Kyrieleiſon „ appellati, cuncti ſe civitatem ſimul aſſerunt exire. Protinus ergo circa horam „ tertiam cœperunt, qui in turri erant, tubas clangere, vexilla erigere, per mœnia „ civitatis diffundi: at vero Spalatenſes e latibulis exeuntes concito gradu ad turrim „ currunt, ignem ſupponunt, mœnia ſupergreſſos præcipitant, qui in civitate erant, „ gladio ceciderunt, qui autem ad eorum „ confluebant auxilium, fugerunt. Videns „ ergo Archi-Epiſcopus ſuæ fraudis facinus „ denudatum civitatem exivit, nunquam poſtea reverſurus. „ - -

y) DANDVLVS in annal. ad an. 1115. „ Ordelaphus anno decimo tertio, in menſe „ Auguſto, cum magno exercitu navali „ Dalmatiam aggreſſus eſt, & cepit Jadram, „ excepto caſtro, & Belgradum, quas muniit, ne Ungari cuſtodientes Jadræ caſtrum, ſubſidium obtinerent, & acceptis „ obſidibus rediit. „

z) Patet ex Diplomate anni ſequentis, ut habetur in Archivo monaſterii SS. Coſmæ & Damiani, in hæc verba: „ Anno Domini, „ & Salvatoris noſtri JEſu Chriſti MCXVI. „ Indictione IX. Ego Ordelaphus Falctrus „ gratia DEI Dux Veneticorum, Dalmaticorum, atque Croaticorum, privilegium „ S. Joannis Belgradenſis Monaſterii a Creſcimiro rege factum, ego collaudo, & in „ ſua ſtabilitate confirmo, ita, ut nullus „ Epiſcopus, aut Comes, vel civis, prædicti Monaſterii libertatem violare audeat, „ quam non ſolum a nobis confirmandam eſſe dicimus, ſed a Beato Gregorio Romanæ „ urbis Papa ſancitam in ſuis decretis eſſe „ cognoſcimus. Volo igitur Ducali auctoritate firmare, ut, ſi quislibet hujus libertatis conceſſionem temerario auſu infringere tentaverit, libram auri regali fiſco „ perſolvet, ſimiliter Eccleſiam SS. Coſmæ, „ & Damiani laudo, & confirmo, ideo, ut „ agnoſco veraciter fuiſſe propria Monaſterii „ B. Joannis Evangeliſtæ Belgradenſis Monaſterii, ex donatione Epiſcopi illius civitatis, Præſtantius nomine, & aliorum „ Epiſcoporum, & cives illius civitatis, & „ Romanæ Sedis Apocriſiariorum confirmationem, & clero, ac populo collaudo, & „ firmo eam habendam in perpetuum, quicunque autem Epiſcoporum, aut aliorum „ hominum hoc decretum infringere tentaverit, & alia illius Eccleſiæ privilegia violaverit, omnia, quæ poſſidet, in fiſco Ducali, & regali deveniant, hæc decreta ſcilicet Monaſterii S. Joannis Evangeliſtæ, „ tibi Fuſco Abbati, omnibusque ſucceſſoribus tuis firmiter, & jure perpetuo tenenda. „

a) DANDVLVS in Annal. ad an. 1116. „ in „ ſequenti menſe Martii MCXVI. Henricus V. Imperator Venetias veniens in „ Ducali palatio hoſpitatus eſt, liminaque „ B. Marci, & alia Sanctorum loca cum devotione maxima viſitat, & urbis ſitum, ædi-

An. Chr. 1116.

nuper opem imploraſſe narravimus, pactorum memor, militem & armis ſupra cete-
ros inſtructum, & copioſum auxilio Venetis miſerat. Conflato in hunc modum exer-
citu Ordelaphus menſe Majo in Dalmatiam claſſem trajicit, & in Hungaros, quos Ba-
nus Croatiæ iis, qui in Jadertino caſtro obſeſſi tenebantur, auxilio adduxeret, ſine
mora proficiſcitur, certus prælio fortunem experiri. Neque Hungari aleam detrecta-
bant, quod eadem opera, ſi campum obtinerent, & ſocios obſidione liberatum iri, &
ceteras Dalmatiæ urbes ſe recuperaturos ſpem in propinquo videbant. Itaque ſecun-
do calendas Julii coorti inter ſe paribus animis, ſed impere fortuna manus conſerunt,
protracta enim acerrima pugna ad extremum Bano in fugam verſo, captisque magna
parte nobilibus Hungarorum, Veneti victoria potiuntur. Victoriæ fructus multiplex
fuit. Arx Jedertina deditione accepta, præſidiarii Hungari in captivitatem ebducti.
Inde Sibenicum caſtra promota: id oppidum, quamquam non expugnari poſſe multi
ferebant, tamen brevi quoque captum, & ne noſtris præſidio eſſe poſſet, funditus
dirutum eſt. Spalatum & Tragurium, cum primum Ordelaphus appropinquabat, ne
victoris iras experiri cogerentur, ſponte deditionem fecere (*b*). Ita paucorum men-
ſium ſpatio totius Dalmatiæ dominium Veneti recuperarunt.

Qui quamquam victoria potiti ferociam tamen Hungarorum Legatione mol- 1117.
liendam cenſure. Miſſi itaque ad Stephanum viri præcipui, Vitalis Phaledrus Ducis
filius, Urſus Juſtinianus, & Marinus Maurocenus cum Cancellario Venetiarum, qui
reſectis litium cauſis quinquennales inducias pepigere (*c*). Sed ſimulatas fuiſſe indu-
cias annus inſequens oſtendit. Hungari ab infelici prælio non modo non fracti, ſed
vindictæ præterea cupidine ſtimulati novos ad bellum apparatus maxima cura confi-
ciunt, ac ſequente anno, ubi tempus opportunum videbatur, exercitum Dalmatiæ
infundunt. Ordelaphus præſente periculo admonitus, ſine mora proſpera nevigatio-
ne uſus ad Jadertinos, nam hos expeditio noſtrorum in primis ſpectabat, properat,
ignarus, ſe ed mortem properare. Spe enim prioris victoriæ incitatus, copiam pu-
gnandi ultro offert, qua non ſegniter uſi Hungari, equitatu, quo imprimis valebant,
adverſam aciem circumveniunt, cumque prælium maxime caleret, a latere Venetis
ex improviſo circumfuſi, ſtragem ingentem edunt. Ordelaphus hac parte ſuos la-
borare intelligens, ſumme celeritate accurrit, nutantesque confirmans, ipſe in con-
fertiſſimam turbam ſe agit, ratus eo exemplo ſuorum animos ad priſtinam virtutem
concitatum iri. Sed cum militis, Ducisque officio impigre fungitur, transfoſſus lan-
cea occubuit. Caſu ducis conſternati Veneti ſolutis ordinibus in fugam effunduntur,
maxima pars in ſuge capti, eut cæſi; reliqui Jadram petiere, urbemque ab Hunga-
rorum imperu tutam præſtitere. Atque id in cauſa erat, quod præter relatam victo-
riam nihil operæ precii e noſtris relatum fuit. Neque enim ad obſidionem tentandam
ſatis ab apparatu ſe inſtructos videbant, & obſeſſis novæ in dies ſuppetiæ, ac com-
meatus, ob liberum mare, ſubminiſtrari poterant. Quare victoriæ fructus omnis
intra ſolam gloriam conſiſtebat. Venetos contra, cum cladis nuncius allatus eſt, ita

Et inducias cum Hungaris paciſcuntur.

Sed novo bello, quo Venetorum dux occubuit, interrupta.

mœro-

„ ædificiorumque decoritatem, & regiminis
„ æquitatem multipliciter commendavit. Cu-
„ riam etiam ſuorum Principum tenens, plu-
„ ribus Monaſteriis immunitatum privilegia
„ de ſuis poſſeſſionibus Italici regni conceſ-
„ ſit, in quibus Ducalem provinciam regnum
„ appellat; multiſque igitur a Duce & Ve-
„ netis ſibi impenſis honoribus, in ſuo re-
„ ceſſu contra Hungaros deouo Dalmatiam
„ invadentes auxilium ſpopondit.„

b) Idem „Dux autem in proximo menſe
„ Majo, ſuo undique collecto exercitu, &
„ Henrici Imperatoris, atque Alexö Con-
„ ſtantinopolitani adjutus præſidiis contra
„ Hungaros, qui ad ſubveniendum caſtro
„ Jadræ redierant, in Dalmatiam iter aggreſ-
„ ſus eſt, & in die S. Pauli videlicet II. ca-
„ lendas Julii, Dux cum Hungaris campeſtre
„ prælium peragens, Banum in fogam ver-
„ tit, multoſque nobiles Hungarorum cepit,
„ & victoriam conſecutus eſt. Cui cuſtodes
„ caſtri Jadræ de ſubſidio deſperati ſe cum
„ caſtro libere tradiderunt. Ultroque Dux
„ procedens inexpugnabile caſtrum Sibenice
„ obtinuit, & diruit: Spalatum quoque &
„ Tragurium per deditiones accepit, & ſic Dal-
„ matiæ recuperato Dominio, acceptis ob-
„ ſidibus cum præda captivorum Venetias
„ rediit.„

c) In margine codicis Ambroſiani apud
Muratorium rerum Italic. ſcript. Tom. XII.
hæc notantur: „tunc tres oratores Vitalis
„ Phaledro Ducis filius, Urſus Juſtinianus,
„ & Marious Mauroceno uoa cum Cancella-
„ rio Venetiæ miſſi ad regem inducias cum
„ eo inierunt per quinquennium.„

1117. mœrore exanimatos ferunt, ut juſtitium triginta dierum indicerent (*d*). Quæ prolixe quidem Bonfinius (*e*) ſed ut in eo, cum Jadram a noſtris poſt prælium recuperatam ſcribit, exerrat, ita in hoc quoque labitur, cum res hujus anni Colomano tribuit, quem biennio ante, quam Ordelaphus in pugna occumberet, obiiſſe ſupra monſtratum eſt.

Hungari in Auſtriam incurrunt.

Hæc cum in Dalmatia eventu ſatis ſecundo agerentur, pari fortuna res ab Hungaris in Auſtria geſta eſt (*f*). Quamquam procurſionem magis, quam bellum fuiſſe in conſpicuo ſit, quod bonam partem vaſtata provincia incolumes, pugna detrectata, redirent. Tum, ſi noſtris fides ſit, in ſeptemtrionem converſa arma, & ex Polonis prædæ actæ, quod vivo Colomano infeſtis armis ſæpe in Hungariam incurriſſent. Mihi tamen, hæc procurſio improbabiliter narrari videtur quod Polonici, aut finitimi ſcriptores hujus belli nuſpiam (*g*) meminerint, noſtros autem conſtet in Dalmatia, & Auſtria fuiſſe occupatos, neque veriſimile ſit, Stephanum, qui ex
1118. Polonia conjugem habebat, in Polonoa vivo uxoris Patre quidquam obmoviſſe.

In Dalmatia quoque cum Venetis ſæpe confligunt.

Ordelapho, quem ſuperiore anno in pugna cæſum fuiſſe narravimus, Dominicum Michaelem Veneti ſubſtituerunt, qui cum recuperatam Dalmatiam retinere pro virili niteretur, & Hungari jurs ſua armis quoque vindicatum irent, alterna fortuna ſæpe dimicatum utrinque fuiſſe prorſus veriſimile eſt. Quo tamen eventu apud neminem ſcriptorum reperio: illud ex publicis inſtrumentis certum: Dalmatism, cum maritima Croatia ante annum ſeculi hujua vigeſimum tertium a noſtria non fuiſſe recuperstam, Venetos autem illius amittendæ non leve periculum adiiſſe, quod Joannes Comnenus, Calo quoque dictus, ut primum Alexio ſucceſſerat, reſciſſa cum Venetis amicitis, quæ pater iis confirmarat, rata habere nollet (*b*). Hinc primæ inter Græcoa, & Venetos ſimultates, quæ magnam partem cauſa fuere, ut veterem in Dalmatia Croatiaque dominationem Hungari recuperarent.

Rurſus Auſtriam vaſtant.

Interea rurſum in Auſtriam a noſtris procurſum eſt, & ingens ſpoliorum vis abacta. Auſtrii, quo anni præteriti & hujus damna ulciſcerentur, collecto exercitu noſtros ad Leitam fluvium, dum reditum parant, opperiuntur, prælioque decernunt: ſed cum tumultuarie concitum vulgus eſſet, neque militari diſciplinæ aſſuetum, facile a noſtris magna parte cæſi in fugam aguntur (*i*). Leopoldus Marchio cognomento pius, cum videret Hungaros nulla data injuriæ cauſa, ſed prædarum cupiditate fœdera violare, juſta ira commotus, bellum in eos decernit; Duce Bohemiæ,
1119. Uladislao in armorum ſocietatem quoque adſcito.

Cladem que viciſſim accipiunt.

Comparatis Bohemorum auxiliis in Hungariam profectionem ſuſcipit. Superato Leita fluvio opinione celerius, & prius, quam Hungari de illato bello quidquam cognoſcerent, agrum Sopronienſem igne, ferroque vaſtat; tum caſtrum ferreum (*k*), quo ſe accolarum maxima pars receperat, obſidet, eoque haud multo poſt capto, in-

d) DANDVLVA in annsl. sd an. 1117. „ Dux quoque, id eſt, Ordelaphus (quem Bonfinius male Ordephalum vocat, niſi typothetæ error ſit) finitis annis in Ducatu „ contra Hungsros, qui Dalmatiam hoſtiliter invaſerant, cum equitibus, & ſtolio „ egreſſus eſt, pugnamque cum eis iniens, „ ſicut DEO plscuit, occiſus fuit. Illi vero, qui a bello evsſerunt, Jsdram ſub „ tuitione Ducali protexerunt, Ducis sutem corpus Venetias delatum apud S. Marcum tumulatur. „

e) Dec. II. lib. V.

f) Excerptum RIKARDIANVM ad an. 1117. „ Anno MCXVII. & duobus ſequentibus „ Stephanus Ungarorum rex, omnium vicinorum pacem turbans, Lewpoldum coegit ad srma jungends cum duce Bohemorum, ut graves terræ noſtræ vaſtationes, „ & prædas abductas ulciſceretur. „

g) CROMERVS rer. Polonic. lib. V. cum eam noſtrorum in Poloniam procurſionem paucis attigiſſet, ita ſubjungit: „ cujus rei, „ præter Bonfinium nemo facit mentionem. „

b) DANDVLVA in annsl. „ Calo Joannes „ Imperator Alexio patri ſuccedit, cui Dux „ legatos miſit, ſibique Criſobolium, a patre conceſſum, approbari petit, omiſſis „ psternis veſtigiis id facere renuit.

i) Chronica AVSTRALE, NEOBVRGENSE, ZWETLENSE, VATZONIS, & cujuſdam anonymi spud Cl. PEZIVM ita ſcribunt: „ Anno „ MCXVIII. Ungari juxta Litham Theutonicos nos vsſtaverunt. „

k) Excerptum RIKARDIANVM, sd an. 1119. „ snno tertio ejus (Stephani) terras invsſit, „ & caſtrum ferreum deſtruxit, ſuam autem curism in monte Cetio ceu Caſtrum communivit. „

incenſoque ſpoliis dives revertitur (*l*); utque frenum excurſionibus hoſtium poneret, aulam ſuam, quam in Cetio monte habuerat, militaribus operibus communit. Quo obice noſtris objecto, nihil poſtea vivo Leopoldo in Auſtriam tentatum eſt. Uladislaus, ubi navata Auſtriacis in bello Hungarico opera domum rediſſet, turbatas fratrum ſeditione res reperit. Borzivojus receptus olim in gratiam, & regione ea, quæ ab Albi flumine in ſeptentrionem porrigitur, a fratre donatus, tyrannidem affectare cæperat, inde graviſſimis utrinque odiis certatum eſt, neque finis prius impoſitus, quam Borzivojus, fruſtra omnibus tentatis, in Bavariam ſeceſſiſſet. Ex qua, cum Uladislaus paullo poſt Friderico, regionis illius Principi, filiam collocaſſet, in Hungariam ad Stephanum confugit, & quarto poſt anno vitæ finem fecit. (*m*) Ea hoſpitalitate ſimultates inter Stephanum, & Uladislaum exortas tam noſtri, quam Bohemicarum rerum ſcriptores memorant; ad quas componendas cum reges in Moravia colloquium habent, impoſtoris cujusdam fraude commiſſo utrinque exercitu Stephanum collatis ſignis inferiorem abiiſſe ſcribunt. Sed hæc ſerius poſtea eveniſſe, ex auctore illius plane temporis referetur. 1119. 1120.

In oriente perinde bellum inter Venetos, ac Græcos obortum eſt. Veneti, cum ægre ferrent, a Joanne Comneno amicitiæ foedera, quæ Pater ejus ſanxiſſet, irrita haberi, diu vindictam meditabantur, in omnem, quæ ſe cunque offerret, occaſionem intenti. Oblata eſt anno ſupra milleſimum centeſimum vigeſimo ſecundo, cum novam claſſem in Syriam deſtinarent. Dominicus, quem Ordelapho ſucceſſiſſe alias memoratum eſt, claſſis ductor, arrepto in Dalmatiam itinere, acceptisque iſthinc auxiliatiis, dum mare Jonium prætervehitur, Corcyram Græcorum inſulam intercipere conſtituit. Facta excenſione principem inſulæ urbem exercitu circumvallat, fecitque brevi tempore progreſſiones ita, ut civitas, quoniam ad tolerandam obſidionem minime comparata erat, deditionem citra dubium factura fuèrit, niſi accepto nuncio, Chriſtianos in Syria defectu claſſis magnopere laborare, pulcherrimos conatus abrumpendos cenſuiſſet. Itaque ſervata tempori vindicta, impoſitis claſſi militibus in Palæſtinam navigavit, ne privatæ ultionis ſtudio Chriſtianorum periculum poſt poſuiſſe videretur (*n*). 1122.

Venetis cum Comneno implicitis, & in Syriam abeuntibus.

Stephanus interim eam ætatem jam conſequutus, ut alieno auſpicio adminiſtrari regnum dedecori ſibi duceret, rempublicam per ſe ſe deinceps gubernandam, capeſſivit. Ut ſe in principio ſuis inſigni aliquo facinore probaret, Græcos, tametſi pax utrinque conſtituta eſſet armis aggredi ſtatuit. 1123.

Stephanus Græcis bellum indicit.

Satis tamen ad rumpendam pacem cauſæ viſum eſt, quod Almum profugum Imperator liberaliter accepiſſet, opem & auxilium præterea pollicitus. Ut primum enim id Stephanus reſciſſet, Legatos ad Joannem Comnenum mittit, qui ſuo nomine poſtularent, ut Almum Romanorum finibus exigat, ſin contra, bellum pro foribus eſſe ſciret. Renuente, idque *denegante Joanne, transmiſſo Iſtro Belegradum, civitatem fluvio adjacentem, expugnat, dirutaque illa a fundamentis ipſis, lapides inde navigio avexit, & ex iis urbem Zeugmen* (*o*) *condidit in Sirmio, quæ exinde multis annis ſubſtitit donec imperante Manuele a fundamentis perinde everſa, tanquam viciſſitudine quadam, murorum Belgradenſium inſtaurationi tota inſervit. Hæc poſtquam comperit Imperator, Iſtrum* ver-

l) Otto Frisingensis Leopoldi hujus filius. Lib. VII. cap. XV. in hæc verba ſcribit: „Quem (Stephanum) illuſtris vir Leo„poldus Marchio adjuncto ſibi duce Bohe„morum ſubſequntus uſque ad clauſtra ter„ræ progreditur, captoque ac ſucceoſo ca„ſtro, quod ferreum vocatur, & cuncta „io circuitu ferro, igneque vaſtata terra, „ſine damno ad propria revertitur.„

m) Balbinus Epito. rer. Bohem. lib. III. cap. IX. Hagecius, & Pulckava in Hiſt. Bohemiæ. Cosmas lib. 3. de eo ſic canit:

Exul in Ungaria carnis compage ſoluta
Ad Chriſtum migrat, pura quem mente colebat,
Exul ter quinis, quos degens pertulit annis
Et quibus eſt paſſus ſex annos carcere clauſus
Bis ſublimatus ſolio.

n) Dandulus in annalibus: „dum hæc „agerentur, Venetorum parato ſtolio, Dux „in menſe Auguſto, Ducatus anno quinto „potenter egreſſus Dalmatiam iotravit, & „ex illis aſſumtis ad obſidendum Corphu, „qui pro Imperatore Conſtantinopolitano „tenebatur, acceſſit. Sed dum intrinſeci „diris inſultibus continuis urgerentur, nun„tius de Syria ſuper veniens, ſtolum di„miſſa obſidione, antecedere fecit.„

o) Ita Græcis paſſim urbs Sirmium dicitur.

verſus cum univerſo exercitu profectus eſt, ex Ligurinis equitibus (p) & Perſis, aſcitis in ſocietatem copiis, hæſit aliquamdiu ad fluvii ripas, ſe ſe comparans ad prælium. Interea Stephanus, etſi corpore ceteroquin invalidus, in interioribus regni partibus ægritudine detineretur, nulla interpoſita mora vires, quam poteſt, maximas contrahit, quibus Imperatorem progredi ultra prohiberet; ſuis hoc dans in mandatis, ut in transiſtriana regione manerent. Juſſis paruerunt Hungari. Imperator vero, ut, quæ negari videbantur, absque vi ulla exequeretur, hæc comminiſcitur. Separata ſociorum auxilia jubet retro a flumine veluti ad Tempam (q) regionem progredi, & qua collis quidam ex Hungarorum terra exurgens ad fluvium uſque protenditur, amnem ſuperare; dum ipſe cum reliqua parte ex adverſo Chrami caſtelli conſiſtens, fingit eo ſe ſe confeſtim ſuos transmiſſurum: quo facto, nullo negotio Romani tranſiverunt, ac ne primum quidem Hungari ſuſtinentes impetum totis viribus fugam arripuere. Inſequentibus ad flumen uſque Romanis, univerſaque Hungarorum turba in pontem, qui Iſtrum jungit, confluente, pons ipſe diſruptus complures in amnem præcipitat, ac extinguit: plurimi in manus Romanorum veniunt, quos inter viri fuere magni apud Hungaros nominis, Acuſes, & Celades (r). His feliciter geſtis Imperator, Chramoque caſtello primo impetu expugnato, confeſtim in Romanorum regionem rurſum transvolat, urbeque Branizova militari præſidio, cui Curticium præpoſuit, munita Conſtantinopolim revertitur. At non multo poſt obſeſſam Branizovam occuparunt Hungari, cæſis partim qui in ea reperti ſunt, Romanis; captis aliis, aliquot etiam fuga elapſis. Id factum graviter accipiens Imperator; Curticium, die indicta, proditionis reum condemnat, tergumque illius flagris cædi imperat, licet ille non prius quam hoſtes cum univerſo exercitu urbem irrupiſſent, incendiſſentque ædificia, ceſſiſſet mœnibus (s).

Et parum proſpera fortuna gerit in principio.

1124.

Tum profligatis hoſtibus.

Finitum alerna fortuna hoc anno bellum, ſequente recruduit: occaſio ex Serviis ſumta eſt, qui excuſſo jugo Raſam Caſtellum cæſo Romanorum præſidio occuparunt. Imperator cum id ægerrime ferret, ſingulare ſeveritatis exemplum in Critoplo, cui loci cuſtodiam mandarat, ſtatuit. Indutum enim muliebri ſtola, & aſino impoſitum per forum aſpectantibus omnibus traduci juſſit, quo ceteris metum incuteret, ut majori fortitudine loca, quæ ſuæ fidei credita eſſent, tuerentur. Deinde Branizovam, quam Hungari ſuperiore anno penitus deſtruxerunt, contendit, locumque conductis operis reparare, ac munimentis vallare occepit. *Quod ut comperit Hungariæ rex, ſtatuit, Iſtro quam citiſſime ſuperato, inopinantes, ac nihil metuentes tale invadere. Erat autem apud Hungaros mulier natione Latina, quæ divitiis, & generis nobilitate ceteris anteſtabat. Illa hoſtium conſilia per Legatos aperuit Imperatori: at ille cum viribus longe impar ſigna conferre cum hoſte non auderet, morbi quippe, & rerum neceſſariarum inopia, exercitum illius non modice imminuerant, urbe utcunque munita retro ceſſit; neve cum Hungarorum copiis congredi neceſſe haberet, per loca impedita, ac prærupta iter inſtituit: unde mala ſcala ab incolis locus iſte appellatur. Ibi in noviſſimi agminis cohortes de improviſo irruentes Hungari, cetera quidem nihil Romanis nocuerunt, raptisque tantum aulæorum, quibus inſterni ſolet Imperatoris tabernaculum, fragmentis, quæ inopia jumentorum relicta, neglectaque erant, redierunt (t).* Fuit itaque Græcorum reditus fugæ ſimilior, quam receptui.

Pacem conficit.

Neque aliud bellum id eſſe ab eo ſuſpicor, quam quod domeſtici annales, Thuroczius in primis (u) ab Hungaris in Græcos geſtum fuiſſe perhibent, quamquam multo

p) Genuenſes hoc nomine veniunt, qui ære conducti ſtipendia apud Græcos merebant.

q) Quid hoc nomine veniat, fateor me nec conjectura quidem ſatis aſſequi poſſe, quod regionum, ac locorum nomina Græci pro lubitu commutent periode Chramum, & Branizova mihi ignota ſunt.

r) Noſtri contra comitem quemdam Cz eo prælio occubuiſſe ſcribunt.

s) Joan. CINNAMVS lib. I. hiſt. NICETAS Choniates ad hunc annum id prælium affigit.

t) CINNAMVS lib. hiſt. I.

u) Chron. cap. LXIII. „habebatque rex ſecum ſeptingentos milites Francos, cum quibus Bulgariam devaſtabat. Quod Imper. ad conflictum non veniebat ad ipſum, miſit rex nuncium ad Imp. & vituperavit eum dicens: quod non eſſet dignus vocari Imperator, neque rex, ſed anus, & vetula, quia ſicut vetula ſemper eſſet in otio. Quo audito Imp. reſpondit dicens Indubitanter credat rex, quod ſua in præſenti anno ſimul cum umbilico virilia incidam. Ea de cauſa miſit Imp. exercitum ingentem in Hungariam in Haram (forte idem eſt cum Nicetæ Chramo) & Hungari aliquem impetum facere non potuerant, quia Græci inflammabant ignes ſulphureos

multo aliam a Græcis bello cauſam prætexant, nec ſatia veriſimilem, nec aliis memoratam (*x*). Pacem, quam Choniates utrinque coaluiſſe ſcribit, noſtri mutuo Imperatoris, & regis colloquio in inſula, haud procul urbe Bororich, confectam ſcribunt. Quibus condirionibus coaluerit incertum eſt: ſi tamen ex oppugnata a Venetis Corcyra, ut narravimus, tum recepta ab Hungaris Dalmatia conjecturam capiamus, veriſimile eſt, ita utriſque conveniſſe, ut Hungarus ab injuria deinceps abſtineret, Græcus contra auxiliarem claſſem Hungaro ſuppeditaret, ſi in Dalmatiam expeditio ſuſciperetur. Alioquin intelligi non poteſt, qua ratione a noſtris maritima Dalmatiæ oppida recuperata fuerint, niſi claſſe itidem aggreſſionem tentaſſent, quam non aliunde, qusm ab Joanne Comneno, aquiſiviſſe temporis ratio, & pacta cum eo fœdera ſuadent, præſertim, quod Imperator ob accepta a Venetis damna iſtis perinfenſus eſſet.

Hujus conditiones.

Confecto igitur in has conditiones fœdere Hungari ſequente anno bellum in Dalmatiam traducunt. Addebat id præſertim animum, quod Venetos in Syriam maximum militiæ robur avexiſſe ſcirent, & Dalmatas præſidiis nudatos facile ad priſtinam obedientiam redituros ſperarent. Neque opinione ſua ſruſtratos eſſe exitus oſtendit. Vix enim cum exercitu ſuperata Croatia in maritimas plagas ventum eſt, & Græci claſſiarii vim eminus oſtendebant, cum pleræque Urbes, Spalatum imprimis, Tragurium, ac Belogradum deditionem fecere. Jadra, quod & præſidiarios quantum ad vim repellendam ſatis erat, haberet, & munimentis præterea validiſſimis inſtructa in Venetorum fide perſtitit. Stephanus receptis facili labore urbibus, Belogradum conceſſit, iſthicque exemplo patris corona incinctus, Dalmatiæ Croatiæque regum titulos uſurpavit. Iisdem conditionibus Traguriuos, & Spalatinos civea Hungaris ſe dedidiſſe, quibua olim Colomano, liquet ex diplomate quo illorum privilegiis rex publica fiae cautum voluit. Litteris enim, quas Tragurini a patre obtinuerant, in hæe verba ſubjungit (*y*). *Et ego Stephanus Colomani regis filius Rex Hungariæ, Croatiæ, atque Dalmatiæ, anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXIV. Indictione II. menſe Julio nono anno regni mei* (*z*), *eandem libertatem, & pacem a Patre meo vobis Traguriuis & Spalatinis Civibus ſtabilitam, cum Epiſcopis, & Comitibus, & omnibus regni mei Principibus, ſub ejusdem ſacramenti obligatione confirmo & corroboro* (*a*). Præcipui qui ſubſcripſerant, Marcellus Strigonienſis, Gregorius Bachienſis Archi-Epiſcopi, tum Lambertus ſororius Ladislai regis, Palatii Comes fuere.

Abbinc in Dalmatiam movens.

Acceptis in fidem urbibus rex ſalutatur.

Recepca Dalmatia, allunde itidem regno facta acceſſio eſt, quæ tamen magno poſtea Hungariæ damno fuit. Cumani cum Duce ſuo Tataro, patrata reguli, cui parebant, cæde in Hungarorum fidem conceſſere; pauci primum numero, deinceps vero auctis partim popularibus, partim ſoli ubertate ſuapte allectis, in immen-

Cumanorum in Hungariam adventus.

reos in naves Hungarorum, & eas in ipſis aquis incendebant. Miſit itaque rex omne robur regni ſui quibus præfecit Setephel: qui venientes pugnaverunt cum Græcia ultra rivulum Karaſo verſus Boron. Fuitque manus Domini cum Græcis, nec potuerunt Hungari reſiſtere: rivulus enim Karaſo humano ſanguine in tantum mixtus fuerat, quod omnino ſanguis putabatur„ &c.: Ex quo magnitudo acceptæ cladis facile colligitur.

x) Idem ibidem. „ Interea Imperatrix Con„ ſtantinopolitana filia regis Ladislai nomine „ Pyriſk nuntiat regi Stephano, quod ma„ ritus ſuus ipſi regi improperaret dicena, „ regem Hungariæ eſſe hominem ſævum, „ cum autem hæc audiſſet rex collecto exer„ citu in impetu ſpiritus ſui invaſit partes „ Græciæ. „ Quis ſibi perſuadeat eam ob rem bellum obmotum? tum non ſatis recte hæc narrantur. Pyriſca enim juxta Bonfinium nupta fuit Manueli Comneno, hic autem contra quem Stephanus pugnabat Joannes Calo erat. Itaque nec illud veriſimile Pyriſcam Ladislai I. tempore Manueli collocatam eſſe, qui id temporia pueritiam nondum egreſſus eſt, aut vix natus fuerit.

y) Apud Lucium Lib. III. cap. IV.

z) Ex quo liquet, non recte eos ſentire qui Colomanum an. Chr. 1114. defunctum ſcribunt, alioquin annus 1124. fuiſſet Stephano decimus regni annus, non item, ut ipſe in litteris fatetur, nonus.

a) Diplomatis clauſula hujus tenoris eſt: „ Ego Marcellus Strigonienſis Archi-Epiſcopus laudo, & confirmo. Ego Gregorius „ Bacienſis Archi-Epiſcopus laudo, & con„ firmo. Ego Simon Quinque Eccleſienſis „ Epiſcopus laudo, & confirmo. Ego Cle„ dinus Comes laudo, & confirmo. Ego „ Marcus Comes laudo, & confirmo. Ego „ Lambertus Comes, laudo, & confirmo. „ Ego Buzco Comes laudo, & confirmo. „ Ego Nicolaus laudo, & confirmo. Ego „ Jacobus Comes laudo, & confirmo. Ego „ Sergius Comes laudo, & confirmo.„ Cledinum & Marcum quia Lamberto Palati-

ſum excreverant, & plagas quæ inter Tibiſcum ac Danubium ſitæ erant, colendas ab Stephano accepere (*b*). Magnum quidem illorum in bello poſtea uſum fuiſſe narrabimus, ſed cum gratia regum, qua apud nonnullos valebant, ſuperbe, ac inpotenter abuterentur, magnas quoque turbas concivere.

Saraceni Dalmatiam vaſtant.

Sub hæc Tragurium irreparabile damnum accepit. Saraceni, qui pyraticam in Adriatico exercebant prædarum ſpe illecti applicitis ad litus Dalmaticum inopinantibus plerisque mioparonibus nobiliſſimam urbem, abacta immenſa, & ditiſſima præda, injecto igne penitus convulſere (*c*). Ferunt tanta celeritate uſos barbaros, ut neque finitimi auxilio ſociis eſſe poſſent, neque Stephano, qui novi matrimonii cogitatione animum occupabat, tantum otii fuerit, ut improviſo malo occurreret. Quamquam ad ineundas nuptias non tam ſuapte ferebatur, quam Procerum querelis, & precibus coactus animum applicuit. Cum enim uxore, quam illi a patre deſponſam narravimus, mortua Stephanum vagos concubitus promiſcue ſectari viderent, indigneque ferrent, ſanguinem regium cum proſtitutæ pudicitiæ feminis vulgari, eo uſque hortatibus ſuis moleſti Stephano fuere, quoad filiam Roberti Guiscardi, qui in Apulia, & Sicilia latiſſime dominabatur, juſto matrimonio ſibi conjunxiſſet. Eo vinculo & regis libidini, & Dalmatiæ commodis, ſi quod periculum mari ſubnaſceretur, optimates conſultum ibant (*d*).

Rege nuptiis occupato.

Invitis Proceribus ſuſceptum in Ruſſos bellum.

Nuptias Ruſſicum bellum conſecutum eſt, quod ſicut ingratiis Procerum cæptum erat, ita exitu parum felici, & ingenti regis probro abruptum magis, quam finitum. Bezenus Ruſſorum Princeps ſolio ab fratre dejectus ad Stephanum confugerat, ejuſque clementiam, ac opem ad recuperandam dignitatem implorabat. Percomoda regi occaſio viſa eſt, qua injurias, patri olim ab ea gente illatas, clementiæ ſpecie ulciſceretur. Itaque collecto exercitu, Bezenum una ducens, in Ruſſorum ditiones profectus, primam, quæ ſe objecerat, urbem obſidere apparabat. Hic cum Bezenus locum oppugnationi opportunum ſpeculatur, ab erumpentibus, coorta velitatione, multis inflictis vulneribus cæditur. Caſu Ducis commotus rex aggreſſionem ſuis indicit, palam aſſeverans, aut mortem omnibus oppetendam eſſe, aut urbem aſſultu capi oportere. Id imperium cum optimatibus, militum Præfectis haud ſatis humanum videbatur, quod cæſo Principe, cujus reſtituendi cauſa bellum ſuſceptum fuit, ſuorum ſanguinem fundi ſupervacaneum putarent. Quare communicato inter ſe conſilio Coſmam ex Paznanorum genere eligunt, qui regem, quæ univerſorum mens eſſet, edoceret. Neque is, quamquam Stephanum præcocis iracundiæ norat, tergiverſatus, diſertis verbis regi explicarat, militem ab aſſultu vehementer abhorrere, dubiumque videri, num, ſi ad rem veniretur, imperata facturus eſſet: ita omnes Præfectos ſentire, ut imperium prius revocet, quam vulgus, detrectata obedientia, imperantem deſpicabilem faciat. Hæc cum Coſma apud regem agit, Præfecti militares miſſis præconibus exercitum ſolutis caſtris manu mittunt. Stephanus, videns ſuorum auxilio ſe eſſe deſtitutum, inglorius Hungariam repetiit. In hanc fere ſententiam Thuroczius (*e*) quæ narratio mihi tamen magnopere inprobabilis eſt, quod Stephanus militem in graviſſimis bellis, quæ in Dalmatia, & Græcia geſſerat, obſequentiſſimum alias habuiſſe legatur.

Improſpere abſolvit.

1126.

Novus fæderum cum Bohemis tractatio.

Ex Ruſſico bello Bohemicum, quamquam non belli ſed pacis cauſa anno inſequente ortum traxit. Agebant noſtri, ut fere inter finitimos fit, ſæpe ex Moravia prædas, hi viciſſim, quo damna ultum irent, in Hungariam procurrerant: obortæ hinc primum velitationes inferentium vim, & propulſantium, tum delata ad Principes utrinque cauſa res ad bellum ſpectare videbatur. Rerum ſumma apud Bohemos penes Sobieslaum fuit, qui, quod res ſuas ab Uladislai fratris exceſſu nondum ſatis firmas videret, veritus ne novo nec neceſſario bello implicaretur, orabat Stephanum, ut, ſi illi quidem videretur, mutuo colloquio controverſiam finirent. Scio a rerum Bohemicarum ſcriptoribus plerisque rem ita memorari, ut Stephanum ob impendens Polonicum, Græcumque bellum, id colloquium a Bohemo tanquam

pre-

no præponuntur ſuſpicor Dalmatiæ & Croatiæ Banos fuiſſe.

b) Thvrocz. Chron. cap. LXIII.

c) Apud Lvcivm lib. III. cap. VI.

d) Thvrocz. Chron. cap. LXIII.

e) Thvrocz. Chron. cap. LXIII.

precario efflagitaſſe perhibeant (*f*), ſed cum hoc anno Poloni a Ruſſis premerentur, Stephanus autem triennio ante fœdus cum Joanne Comneno pepigerit, & Græcis ſatis in Aſia minore agendum erat, nihil profecto fuit, cur ſibi Hungari a Polonis aut Græcis metuerent. Tum mirum eſt, Bohemos ſcriptores in rebus ſuis ita hallucinari potuiſſe, ut eam congreſſionem inter Stephanum, & Uladislaum factam ſcribant, quam certum eſt ex Bohemo itidem, & coevo Chroniſta Sobieslao tribui oportere (*g*).

Locus coitioni ad amnem Olesnam (*h*) in finibus Hungariæ conſtitutus eſt. Accepta utrinque conditione uterque magno comitatu ad præſtitutum diem adſuit, placuitque, ut cauſæ tractationem ſeorſim a multitudine inermes tranſigerent. *Erat tunc Hungarus quidam ſermonis Bohemi gnarus, Solthum vocabant, depravata mente hominem, qui cum in utriusque caſtris libere verſaretur, Stephanum regem* Sobieslaumque (*i*) *mutua ſuſpicione implevit, quaſi per ſimulationem colloquii alter alterum circumvenire cogitaret. Itaque in armis ſuos uterque eſſe mandat, nec ideo minus ad colloquium veniunt.* Sobieslao *inſuſurratur, equites Hungaros propius Bohemos accedere, ſagittiſque ad pugnam laceſſere. Omiſſo colloquio* Sobieslaus *ad ſuos accelerat jam tela in Hungaros retorquentes, ſed nondum loco ſe moventes, extra -- Vaceconem, qui Moravis præfuit,* & proximum ſaltum inſederat, ut ex inſidiis hoſtem adoriretur. Sobieslaus *repente arma indutus claſſicum cani, & ad pugnam progredi imperat; ei ſe Hungarorum multitudine tanta vi opponente, ut illam non ſuſtinentes Bohemi, pedem referre inciperent. Hic -- Bohemi cum Vacecone e ſaltu magno boatu erumpunt, ad quem Stephanus Rex primum, mox Laurentius Archi-Epiſcopus Strigonienſis terga vertunt, deinde & reſidui funduntur.* Hæc Dubravius (*k*) ſed in eo lapſus quod in Marcelli loco (*l*) qui hoc anno Strigonienſem cathedram rexerat, Laurentium jam pridem defunctum ſubſtituit. *Caſtris jam potiri cœperunt Bohemi,* ſubjungit Rewajus, (*m*) *cum Joannes Vroſius Præfectus palatii, collectis ex fuga quibuſdam, animisque reſumtis, Bohemos præda occupatos adoritur funditque, ita, ut qui paullo ante victores fuiſſent, terga victis vertere, & præda exuti, fuga ſalutem quærere ſint coacti.* Error tamen in Vroſio Palatino obrepſerat, qua dignitate Lambertum tum ornatum fuiſſe ex diplomate, quod Tragurinis ab Stephano datum ſupra memoravimus, perſpicuum fit. Impoſtor, auctorque turbarum paullum poſt comprehenſus, regique Strigonium miſſus eſt, quem ille, ne mali exemplum impunitate ad plures ſerperet, quatuor equis lacerandum, diſtrahendumque tradidit, & fœdus, quod hujus maleficio interruptum erat, per Legatos abſoluit.

Fraude impoſtoris interrumpitur.

Inter hæc fama de recuperata ab Hungaris Dalmatia ad Venetos in Syriam allata Dominicum Michaelem ad maturandum reditum perpulit. Is communicato cum Chriſtianorum Principibus conſilio haud gravate obtenta abeundi venia, dum claſſe Rhodum prætervehitur, memor Græcanicæ injuriæ ad inſulam conſcenſionem facit, urbemque illius principem ob negatum commeatum militibus diripiendam præbuit. Inde Chius pari clade affecta eſt (*n*). Poſt, diviſa claſſe para Samum, Mitile-

Veneti ex Syria reduces, Græciæ inſulas, & pleraſque Dalmatiæ urbes vaſtant.

f) Bohuslaus BALB. Miſcell. Hiſt. Lib. VII. Sect. I. cap. XXV. PVLCKAVA in hiſt. Bohem. DVBRAVIVS Hiſt. Bajem. Lib. XI.

g) Continuator Coſmæ Pragenſis, quem Illuſtriſſimus Comes JOACHIMVS A KOLLOWRATH cum in regio Thereſiano Nobilium Collegio litteris operam daret, vulgavit. Complectitur res ab anno MCXXVI. ad an. MCCLXXXIII. Opus tamen videtur eſſe duorum Scriptorum: nam rebus, quas ad annum MCXXX. narrat, ait ſe interfuiſſe: rurſum ad ad an. MCCLXXVIII. ſcribit ſe præſentem fuiſſe: quod intervallum cum hominis ætatem excedat, alioquin, ut parce dicam, oportebat illum fuiſſe 160. annorum, conſectaneum eſt, Chronicum a duobus ſcriptum eſſe, ſed utroque coævo. Incertum tamen, an auctor, ut Balbino placet, Jaroslaus dictus ſit, ſæpe hujus continuationis nobis deinceps uſus erit. Ad an. MCXXVI. ita habet: „ Eodem anno Sobieslaus Dux, & Un„ garorum rex Stephanus convenerunt ad „ colloquium, & munera dederunt ad invi„ cem. „ Itaque errant cum noſtri, tum Bohemi ſcriptores, cum alium huic colloquio annum aſſignant.

h) Alii legunt Olſenam, alii Olzavam, qui rectius ignoro.

i) DVBRAVIVS Vladislaum habet, ego Sobieslaum ſubſtitui, ut ex verbis Continuatoris Coſmæ Pragenſis paullo ante citatis conſtat.

k) Hiſt. Bohem. Lib. XI.

l) Hic enim in diplomate Tragurinis a rege conceſſo ad annum MCXXIV. diſerte expreſſus habetur.

m) Cent. II.

n) DANDVLVS in Annal. „ Certioratus „ Dux, Imperatorem Conſtantinopolitanum ad

1126. tilenem, Andrum, aliasque Archipelagi inſulas in poteſtatem redigit, ipſe Michael Ægeum mare emenſus, in Peloponeſi ora Metonem occupat, eaque præſidio firmata ſparſam claſſem rurſum colligens in Dalmatiam applicat. Hic Tragurio, & Spalato, ejectis Hungaris, facile potitur: tum Belogradum contendens, urbem, quod Hungari ad vim propulſandam haud ſatis virium haberent, pari celeritate obtinet (*o*). His e ſententia geſtis Jadram, quæ in fide inter tot belli motus conſtans permanſit, ſumma omnium gratulatione appellit. Ita fere Veneti ſcriptores. Verum cum hæc geſta eſſe referant adverſus Manuelem Comnenum, quem certum eſt, ante annum ſæculi hujus quadrageſimum imperio in oriente non fuiſſe potitum, Michael autem Venetorum Dux, ut ex ejus epitaphio (*p*) conſtat, vigeſimo nono, aut, ut annales Veneti habent, ſequente defunctus ſit, videntur Veneti Tragurio, Spalato ac Belegrado a Michaele vaſtatis, ſola Jadra, & quibuſdam maris Adriatici inſulis potiti fuiſſe, cetera autem mediterranea Dalmatiæ, & Croatiæ loca in Hungarorum poteſtate manſiſſe. Cui conjecturæ rerum narratione, quam daturi ſumus, veriſimilitudinem utcunque conciliabimus.

1127.

Almus Colomani regis frater in Græcia obit.

Almus interim, cujus cauſa Græci arma Hungariæ intulerant, extremum diem obiit. Exulis, & mortui miſericordia commoſus rex Fulbertum Epiſcopum in Græciam miſerat, qui exanime corpus in Hungariam reveheret, & Albæ regiæ conderet. Quamquam Continuator Coſmæ Pragenſis decennio integro Almum ſepultura caruiſſe (*q*) ſcribat, nec prius hunc ei honorem habitum, quam Bela Cæcus regnum adiſſet, cujus cauſa Adelhais quoque filia ex Bohemia in Hungariam advenit. Facile tamen cum noſtris conciliabitur, ſi advectum quidem juſſu Stephani corpus ex Græcia, & tumulatum, decimo autem poſt anno, cum Bela regnaret, regium in morem defuncto parentatum fuiſſe dicamus.

Stephano ægrotante Proceres de novo rege ſubſtituendo conſultant.

Neque multo poſt Stephanus, dum Agriæ reipublicæ cauſa moraretur, grave ex contracto morbo, vitæ periculum adiit; quem cum illi poſtremum fore optimates putarent, de ſubſtituendo Saule, ex Sophia ſorore filio, conſilium iniere: ſed quod non omnium ea in re conſentiens eſſet voluntas, Borſius, & Janus præpotentes Dynaſtæ tyrannidem occultis clientelis, ac pollicitarionibus affectare cœperunt: jamque a facinoroſis reges palam proclamari, vi ad dignitatem graſſabantur, cum Stephanus præter omnium opinionem valetudini reſtitutus, comprehenſum Janum capite truncari juſſit, Borſio in exilium relegato. Rex & priore morbo, & tyrannorum conſpiratione, de conſtituendo ſucceſſore admoni-

„ ad damna intendere Venetorum, cum illorum, id eſt Baroum regni Hieroſolimitani coosenſu recedens Rhodum applicuit, ab ioeolis alimenta petiit, quibus renuentibus urbem invadit, opes abſtulit, & acceptas diviſit. Inde procedens Chium obtinuit.„ - - Idem ibidem. „Dum autem ſtolus ibi reſideret, ipſius pars ſecedens, Samum, Metelinum, Andrum, & alia Imperialia loea capit, & poſtea ſpolia diſtribuit. Superveniente vero hyeme Dux recedit, & Methonam ſimiliter occupat, & prædam inter ſuos partitus eſt. „

o) Idem ibidem. „Poſtea in Dalmatiam veniens, Spalatum, & Tragurium, quos ſummiſerat Hungarica rabies, bello fugatis illis, recuperavit. - - Mox Huogari repulſi in Belgradum veniunt, eiſque reſiſtentibus Dux urbem obtinuit, & vaſtitati ſuppoſuit. „

p) Apud Lucium Lib. III. cap. VI.

Terror Græcorum jacet hic, & laus Venetorum
Dominicus Michael, quem timet Hemanuel
Dux probus, & fortis, quem totus adhuc colit orbis,
Prudens conſilio, ſummus & ingenio
Iſtius acta viri declarat captio Tyri,
Interitus Syriæ, memor & Hungariæ.
Qui fecit Venetos in pace manere quietos,
Donec enim viguit, Patria tuta fuit.
Quisquis ad hoc pulcrum venies ſpectare ſepulchrum
Cernuus ante DEUM, flectere propter eum.

Anno Domioi MCXXIX. Indictione VII. obiit Domioicus Michael Dux. Venetorum.

q) Ad an. MCXXXVII. „Egregia Ductrix Adleyta ardenter cupiens feſto beati Stephani Regis, & Confeſſoris adeſſe, Pannooiam petiit, ſed ibi diutius a fratra retenta eſt. Donec Patrem ſoum Almum ſepelivit. Hic eoim Almus - - a Colmano cæcatus io partibus Græciæ exulando vitam fioivit, ſicque intumulatum funus ejus per deeennium maoſit, dooec Rex Bela filius ſuus ab eodem prædicto tyraono luminibos orbatus io regoum ſuum illud aſportavit. „ Ex quo apparet decenoio ante, hoc eſt, anoo MCXXVII. Almum in Græcia mortuum fuiſſe.

monitus, diligenter cum familiaribus ſuis egit, in quem regni curas, a ſuo obitu de- 1127.
volui oporteret. Inter quos cum Paulus Epiſcopus, & Othmarus Comes facile
primi eſſent, captata regis voluntate, Belam quem potentiorum injuriæ ſubtractum
domi apud ſe clanculum aluerant, omnium primum videri, ad quem, quod rex im-
prolis eſſet, regni hæreditas & neceſſitudinis, & ſanguinis vinculo pertineret, ſuade-
bant. Stephanus mirum in modum gaviſus, Belam, quem jam dudum obiiſſe pu-
tarat, inter vivos cenſeri, exulem ad ſe adduci imperat, & in gratiam receptum, ſe
etiamnum vivo, regem coronari jubet, ut ejus rei publicum inſtrumentum fidem
facit (*r*). Et ne regnum ob hæredem neceſſarium turbis olim iterum objiceretur,
provincia Tolnenſi, ex qua regalis ſtipendia haberet, donum Belæ data, de Conju-
ge quoque, quæ illi locaretur, proviſum eſt. Thuroczius Uroſii magni Comitis (*s*),
Bonfinius, cæterique Macedoniæ Principis filiam, nomine Helenam fuiſſe ſcribunt:
uter rectius in dubio eſt. Quamquam cum Thuroczius ex Servia adductam per-
hibeat, vero eſt ſimilius Uroſii horum Principis filiam fuiſſe.

Bela Almi filius hæres regni conſtituitur.

Erant Uroſii hujus incunabula ſatis tenuis. Gliubomiro Stephani Græci pres- 1128.
byteri filio prognatus, brevi tantam in bellicis expeditionibus fortitudinis famam ad
eptus eſt, ut a Georgio, Serviæ rege in Chelmenſis provinciæ præfectum confirma-
tus ſit (*t*). Atque hunc Thuroczius ſine dubio innuit cum eum Magnum Ser-
viæ Comitem appellat, ejusque filiam Belæ copulatam ſcribit. Ex hac Geiſam ſe-
quente anno ſuſtulit, regemque, qui Cumanis penitus ſe permiſerat, mirifice recrea-
vit. Atque hinc eveniſſe valde probabile eſt, ut Optimates Belæ in primis ſtuderent, 1129.
Stephanum contra, qui exteros, & nuperrime advectos homines præ Hungaris com-
plexus fuerit, pene haberent deſpicatui, & in Cumanos, ut poſtea narrabitur, cæ-
dibus quoque graſſarentur.

Uroſii, Serviæ Principis, filiam uxorem accipit.

Hæc inter Boleslaus ex Narbonenſi provincia, quo pietatis cauſa profectus
eſt, in Poloniam redux, Hungariam adiit, ut alteram ad Divi Stephani ſepulcrum 1130.
peregrinationem inſtitueret: quam cum pedeſtri itinere maximam partem confeciſſet,
cognito, quis eſſet, honorifice, ac ſplendide ab Stephano genero acceptum Poloni-
ci ſcriptores memorant, eademque honoris ſignificatione, poſtquam illa ſe religione
expediiſſet, ad regni fines deductum fuiſſe (*u*). Quod ut facile Polonis permitto, ita
Stephanum id temporis generum Boleslai fuiſſe errore non caret: quippe cui defuncta
uxore, Guiſcardi Apuliæ Comitis filiam, a proceribus collocatam eſſe ſupra narratum
eſt.

Abhinc bello Ruſſico Hungariam fuiſſe implicitam Græci ſcriptores referunt,
ſed qua de cauſa ortum, aut quo eventu adminiſtratum, reticent. Credo Ruſſos, ut
inter finitimos ſæpe evenit, prædarum cauſa Hungariam ingreſſos a noſtris ad vim ar- 1131.
cendam confluentibus ejectos eſſe. Atque id bellum, ſi quod fuit, poſtremum quo-
que Stephano fuit. Paullo enim poſt ex ſoluta alvo morbum ſibi letalem conſciverat, ex
quo cum illum optimates non relevatum iri providerent, facto in Cumanos impetu,
in quos dudum vindictæ ſtudio ferebantur, pleroſque trucidabant. Quam injuriam
dum hi Stephano reſerunt, atque is, ſi valetudini reſtitueretur, vindicaturum ſe ad-
dicit, homines non maxime civiles amplexando regia manus ita extenuatum alioquin
corpus fatigant, ut aucto morbi languore Stephanus ad extrema deduceretur. Ante
mortem homo mulieroſus cucullum induit, ſignum pœnitentiæ, quaſi fræna tempe-
rantiæ, quæ vivus male ruperat, fune ſarcire moriturus voluerit (*x*). Exſtinctus
anno regni XVII, non item, ut (*y*) noſtri habent, XVIII, Varadini habitis regio
more honoribus tumulatur. Tamdiu felix, quamdiu puer; quoniam ab Optimati-
bus ſpectatæ prudentiæ coercebatur: ubi primum ſe regem credidit, omnium infeli-
ciſſimus, quod quæcunque liberent, impune a ſe fieri ſibi perſvadebat.

Stephani obitus.

r) Timon in Epit. chronol. ad an. 1127, quod quidem diploma mihi nondum viſum eſt.
s) Chron. cap. LXIII.
t) Luccari degli annali Lib. I. du Fresne de familiis Dalm. Sclav. &c. cap. III.
u) Cromerus rerum Polonic. Lib. V.
x) Lad. Thurocz. S. J. in Hung. Reg. pag. 220.
y) Thurocz. Chron. cap. LXIII. Chron. Budenſe addit: *& menſibus V. quarto Kalendas Maji, feria tertia.*

BELA II. SIVE CAECVS.

Cui Bela cæcus, hujus nominis ſecundus ſuccedit. Eodem anno Bela II, cognomento cæcus, quem vivo Stephano corona redimitum fuiſſe ſupra retulimus, omnium conſenſione improli ſucceſſerat, lumen oculorum, quo per injuriam a Colomano privatus erat, ſapientia, fortitudine, ac pietate in adminiſtranda republica mirum in modum reſarciens, inter optimos regea cenſeri poterat, niſi vitio temulentiæ, cum per ſe fœdo, tum ſi in rege ſit, quod rationem conſilii, & rerum gerendarum
1132. omnem adimat, omnium turpiſſimo notatus fuiſſet.

Stabilito affinitatibus regno. Ut primum apud finitimos fama percrebuit, Belam in Hungaria rerum potitum eſſe, cum Principes certatim amicitiam illius ambire, ac ad affinitatis vinculum aſpirare cœperunt. Erant Belæ ſorores duæ (z) Hedvigia, & Adelhais; & forma & annia prope pares: illam Adalbertus Leopoldi pii Auſtriæ Marchionis primo genitus obtinuit (*a*), ex qua tametſi pater non erat, tamen nihilo ſegnius amicitiam cum Bela coluit, ut mox narrandi locus erit. Adelhaidem veroſimile eſt, hocquoque anno Sobieslao Bohemiæ Principi nuptui datam, (*b*) quod probabile non ſit prius, quam Bela ex profugo, & exule rerum ſummam obtineret, a potentiſſimo regulo tam proſtratæ fortunæ virginem in torum adlectam fuiſſe. *Comitia Aradinum indicit.* Stabilita nuptiis amicitia cum nihil ab Auſtriis, ac Bohemis metuendum haberet ad capeſſendam rempublicam converſus Aradinum Comitia indicit. Cauſa non tam a rerum conſultationibus, quæ ad regnum attinerent, quam juſtæ ultionis ſtudio petebatur (*c*). Etenim dum Optimates cum præcipuia Antiſtitibus in conventu agerent, improviſam omnibus ſe regina Helena cum quatuor liberia infert, & paucis loquendi veniam præfata, ex Proceribus quærit, quid cauſæ eſſet, quod, cum natura omnes, qui comitiia præſentes erant; oculia exornaſſet, regem ſolum, quem ceteris oculatiorem eſſe oporteret, illis deſtitum voluerit. Id ſi naturæ inclementia factum ſit, haud ægre ſe laturam, ſin contra aliorum maleficio, tum ſingulos magnopere cum regis ipſiua, tum regni cauſa oratos velle, ut ne tam immane ſcelus iis, qui illius auctores exſtitiſſent, ſine piaculo abire ſinerent. *In his fuerunt de iis ſupplicium, qui ſui exilii cauſa erant.* Commotis hac oratione Proceribus, *quamquam*, ſubjecit, *divina benignitate pro duobus oculis, quatuor liberi ad reſarciendam orbitatem dati ſunt, quos hic præ oculis habetis, infandum tamen facinus haud quaquam eſt impune dimittendum; ut parcere regibus, qui pro diis habendi ſunt, hoc exemplo diſcat univerſa poſteritas. Facinoroſæ igitur audaciæ nunc finem imponite. Ad hæc ocius dicto, in concione tumultus ingens ſuſcitatur, ſceleris auctores vulgo ad ſupplicium expoſcuntur: quicunque ibi deprehenſi ſunt, præſentanea capitis pœna mulctantur. Nonnulli præ libidine ulciſcendi væſaniente multitudine in fruſta diſſecti, multi in gemonias unco tracti, octo ac ſexaginta cæſi. In eos, qui non graviter errarant, aliquanto mitius actum: ex iis nonnulli in vincula conjecti, ut perpetuo carcere macerarentur, ceteri longe relegati: Liberi, uxores, neceſſarii, cognationes omnes in exilium exactæ, proſcriptorum bona baſilicatim diſtributa* (*d*).

Horum propinqui, evocato ex Polonia Borichio, turbas cient. Hæc quamquam ex reginæ ſententia fierent, Bela tamen, qui regni ſui initia cædibus contaminari noluerat, impatienter ferebat, ex muliebri ingenio ſanguinariam vindictam ex reis captam fuiſſe, præſertim, quod eo numero complures innocentum comprehendi potuerint, ceteri autem, cum jua magis ex vulgi furore, quam legis diſciplina adminiſtratum eſſet, non tam crimen punitum, quam ultioni fræna laxa-

a) Quidam Hedvigem Belæ, alii Adelhaidem Colomano filiam tribuunt, ſed neutri recte, ut ex coævis ſcriptoribus mox patebit.

a) Excerptum RIKARDIANVM ad an. 1132. de Adalberto ſcribens ita habet: „ uxorem „ habuit Hatbvigem, filiam Almi Ungarorum „ Ducis, ſororem. Belæ cæci regis, quam „ duxit anno MCXXXII. „ Paria ſcribit Otto FRISINGENSIS Adalberti hujus, quod jam ſupra monui frater Lib. VII. cap. XXI. Niſi quod nomen reticet. Errat proinde Hübnerus, qui Tab. gencal. 123. Hedvigem Belæ filiam facit.

b) Continuator Coſmæ Pragenſia coævus itidem Scriptor paſſim Adelhaidem germanam Belæ vocat, & Belam Sobieslai Levirum, ita ad an. MCXXXIV. *Interea Dux Sobieslaus Levirum ſuum regem Ungarum rogabat* .. Ex quibus verbis conjectura, quam ſupra attulimua, ſatis confirmatur. Adelhaidem anno MCXXXII. Sobieslao jam conjunctam fuiſſe.

c) THVROCZ. Chron. Cap. LXIV.

d) BONFIN. Dec. II. Lib. VI.

laxata arbitrati ad res novas molliendas animos ſumerent. Neque vanam Belæ ſuſpicionem fuiſſe eventus oſtendit. Plerique, qui cæſos, aut fortunis mulctatos ſanguine contingebant, Borichium ex Ruſſia, ut paternum ſolium occuparet, evocandum ceuſuere. Atque is, quod ſe Colomano prognatum, & Stephani defuncti fratrem palam ferret, Principum aulas jam dudum ante oberrabat, ut eorum clientis fultus, ſi quæ ſe offerret occaſio, Hungaria, quam jure hæreditario ad ſe attinere jactabat, potiri poſſet. In Græciam primum delatus Calajoannem ita ſibi devinxit, ut juncta ſibi ejus conſanguinea de Græcorum auxiliis, ſi úſus foret, minime dubitaret. Inde ad Polonos abiens Principem ejus gentis, quod cum Ruſſis haud ita dudum fœdus iniiſſet, facile ad ferendam opem permovit. Itaque conflato ex Ruſſis, & Polonis exercitu, quibus Hungari copias ſuas non temnendo numero itidem adjunxerant, verſus Hungariam iter adornat (e).

Inde metuens ſibi Bela, Auſtriacos, & Bohemos in auxilium accerſit.

Bela, quæ in Polonia agerentur, non ignarus, ut propulſando bello par eſſet, cum Leopoldo Auſtriæ Marchione, cujus filio ſororem Hedvigem deſponderat, armorum quoque ſocietatem inüt. Qui cum neceſſitudinis cauſa, tum periculo, quod regi imminebat, commotus, Adalbertum cum lectiſſimis militibus ſuppetias Belæ miſerat. Cum Sobieslao, qui alteram ſororem in matrimonio habuerat, ita conventum, ut, ubi primum Polonos Hungariam ingreſſos arma circumferre comperiſſet, copias ſuas Poloniæ immitteret, ut ea ratione hoſtis proprii periculi admonitus, ad ſua tuenda ab Hungaris reflecteretur (f).

Et exploratis ſuorum animis.

His in hunc modum conſtitutis, *Bela antequam in Borichium caſtra moveret, conventum habuit, ubi Principes omnes rite percontatus eſt, anne Borichium legitimum Colomani filium, an ex adulterio natum pro explorato haberent? ad hæc Optimates, qui de regno bene ſentiebant, reſpondere: diu ſe hoc compertum habuiſſe, Borichium adulterinum eſſe filium, ac nunquam ex Colomano rege genitum, neque ullo modo corona dignum. Muſſitare ad hæc plerique factionis Principes, ac dicere, Borichium e legitimo matrimonio natum, Rutenam Colomani conjugem falſo regi delatam, & præter fas, & æquum adulterii infamia fuiſſe repudiatam. Hoc familiares quoſdam regis fuiſſe commentatos, ut miſellæ invidiam conflarent, ne a viro amaretur, & præſertim - ſi ex ea liberos ſuſciperet: neve is Rutenos amaret, quos infenſos ſibi ſemper habuerat. His verbis multi, qui leviſſimi, & inconſtantes erant, in conjuratorum partes conceſſere, & eorum numerum auxerunt. Bela hæc edoctus, non amplius cunctandum eſſe ratus, ne forte conjurati, ac proditores elaberentur, ad Borichiumque transfugerent, in eadem concione ſupplicium de his ſumendum continuo cenſuit; id ipſum cete-*

e) Otto Fasing, Lib. VII. cap. XXI. „Colomani filius, ſed ex alia matre natus dicebatur, regnum paternum requirit. Proinde in Græciam tranſiens conſanguineam ſibi Imperatoris Calojoannis copulavit, ac poſt Poloniam ingrediens, ducem terræ illius ad voluntatem ſuam inclinavit, ſicque cum exercitu adjutorio illius ex vocatione quorundam Ungarorum Comitum, ſilvam, quæ Polonos, & Hungaros ſejungit, tranſiens Pannoniam ingreditur. Verum Bela rex mox aſcito ſibi Alberto Leopoldi Marchionis filio, qui ejus ſororem habuerat, a quibuſdam de regno noſtro nobilibus Boritio occurrit: ille vero audito ſtrepitu, ac adhortantium voce ex linguæ idiomate multitudinem Teutonicorum in acie fore cognoſcens illorum - - terrore perculſus una cum Polonorum duce amiſſis in fuga multis terga vertit. At in ipſo primo Uogarorum, & Polonorum congreſſu, antequam Teutonici ſupervenirent, ex utraque parte cæſis plurimis, quidam ex illis, qui ex parte Belæ aderant, ſed hoſtibus ſuos perfide tradiderant, juſto judicio fraudis ſuæ pœnas ſolventes occubuerunt.„

f) Contin. Coſmæ Pragenſis ad an. 1132. „Eodem anno dux Polonorum cum infinito exercitu in Uogariam profectus eſt, volens filium Colomani, expulſo rege Cæco, qui vocatur Bela, invitis Ungaris intronizare. Mater enim præfati juvenis a marito ſuo rege, videlicet Colomaoo, repudiata, dum eſſet prægnans, rediit ad patrem, atque ibi puerum peperit. Hunc ergo dux Polonorum regem Uogaris præponere cupiebat, ſed ejus propoſitum divina providentia deſtruxit: nam Cæcus rex cum exercitu ſuo ei occurrit, & Boleslaus cum ſuis perterritus, expectata nocte fugam iniit, quem Ungari inſecuti DEO auxiliante multos in ipſa fuga interfecerunt. Interea dux Sobieslaus DEI miſericordia, precibuſque S. Venceslai munitus Poloniam cum exercitu ſuo XV. Calendas Novembris intravit, totamque partem illius regionis, quæ Slansko vocatur, penitus igne conſumpſit. Multos etiam captivos cum innumera pecunia oec non indomitorum equorum greges non pautos inde ſecum adduxit, & ita DEI gratia favente, cum ingenti triumpho atque tripudio repatriavit.

1132.

ris amicis, & Optimatibus viſum eſt. Quare mox ſignum dedit, ut proditores in media concione vagantes, qui regni exitium moliuntur, extremis repente ſuppliciis afficerentur, ne forte ſi res ipſa differatur, multum detrimenti univerſa Pannonia patiatur. Itaque in conjuratos continuo fit impetus, ſeditio magna oritur: illi, dum ſe tueri conantur, aut fuga ſalutem quærunt, vulgo cæduntur. Proditionis crimine notati deferuntur, diſquiruntur paſſim Principes factionis, & deprebenſi indicta cauſa obtruncantur. Lampertum Comitem, e regis pedibus, ad quos confugerat, evulſum, frater proditionis impatiens, ſubſelliorum fragmine diffracto capite interfecit. Nicolaum ejus filium in medium adduxit, & ante regem obtruncari juſſit. Maylatus Aci genere natus (*g*), *& e nobilibus complures ibidem trucidati* (*b*).

Adverſus æmulum movet.

Inde adverſus Polonos, qui, ſi domeſticos (*i*) annales ſequimur, ad Sajonem fluvium, ſi exteros, & ea ætate viventes, (*k*) in Scepuſio caſtra metabantur, promotum eſt. Bonfinius & Thuroczius miſſis ulto citroque legatis, abſtractos a Borichio Polonos, ac Ruſſos prius, quam manus confererentur, perhibent. Otto contra Friſingenſis, illius plane ævi ſcriptor, univerſis copiis hoſtes congreſſos eſſe memorat, primoque impetu maximum eorum numerum, qui clam Borichio ſtudebant, ex Hungaris interfectum (*l*): poſtea autem, quam Teutonicæ copiæ impreſſionem in Ruſſos feciſſent, Borichium, eorum vim non ferentem, aperta fuga ægre ſalutem reperiſſe. Quæ quamquam haud ſatis æquo in Hungaros animo dici videntur, tamen ex Bohemo (*m*) chronographo itidem coævo extra dubium eſt, Boleslaum Polonum cum Borichio divinitus metu correptum in fugam præcipitem actum eſſe, quos dum Bela cum Adalberto acerrime conſequitur, ſic ab utroque belli rationem adminiſtratam fuiſſe, ut maxima hoſtium pars in fuga cæderetur.

Confertoque prælio vincit.

Bohemi hoſtem ex Hungaria reflectunt.

Neque ſegnius interea Sobieslaus Bohemiæ Princeps, ut prius conventum erat, rem geſſit. Is XV. calendas Novembris *Slanſckenſem* Poloniæ tractum cum exercitu ingreſſus, circumlata vaſtitate, abactaque ingenti captivorum, pecuniæ, pecudumque vi, ac numero triumphans reverſus eſt (*n*). Atque id in cauſa fuiſſe Cromerus rerum Polonicarum ſcriptor diſerte refert, cur Boleslaus accepto tam triſti nuncio iter reflectere opus habuerit. Quamquam Polonis ſuis, quam æquum erat, faventior, belli cum Hungaris geſti eventum multo, quam ceteri, aliter enarret. Ubi enim breviter retuliſſet, Stephani defuncti filios, Bela cæco ab Hungaris in Solium promoto, ad Polonos confugiſſe, & Boleslaum exulum caritate ac precibus permotum, cum Ruſſis in Scepuſium promoſſe, in hæc verba ſubdit (*o*): *occurrit ei in Scepuſienſi territorio cum magnis Hungarorum, & Auſtriorum copiis Albertus Marchio ſuperioris Pannoniæ, ſive Auſtriæ, cum quo ſoror Belæ regis nupta erat. Committitur durum prælium. Tandem virtute, & conſtantia noſtrorum, ac ducis ſolerti diligentia in fugam aguntur adverſarii: nec longius eos fugientes noſtri perſecuti ſunt, ita enim a Principe præceptum erat. Duxit deinde ad Budam metropolim Boleslaus: ſed in itinere certior fit, Sobieslaum Boemum in gratiam Hungarorum excurſionem in Poloniam feciſſe, & Vratislavienſem tractum* (nam Sileſia id temporis Poloniæ quoque nomen ſortita fuit) *ferro & igni vaſtare. Advocato caſtrenſi conſilio conſulitur in medium, quid facto opus ſit? vicitque ea ſententia, quæ propria defendenda potius, quam aliena vindicanda eſſe cenſebat. Itaque intermiſſo in præſens Hungarico bello, Boleslaus magnis itineribus adverſus Boemum ſua invadentem recta per Moraviam contendit. Verum Boemus cognito Boleslai adventu, domum ſe cum præda raptim recepit: nec anni tempus ſpatium noſtris dabat, ingratum & perfidum hoſtem ulciſcendi.* Hæc Cromerus: ſed ut in eo hallucinatur, quod Stephano, quem inprolem obiiſſe perſpicuum eſt, liberos tribuat, ita illud nihilo melioris quoque fidei, cum Polonos victoriam ex Hungaris tuliſſe ſcribit, quam a noſtris reportatam eſſe, ut domeſticos annales prætercam, Germanus, ac Bohemus ſcriptor, uterque coævus meminere (*p*).

Polonorum Scriptorum error.

Neque

g) Thvrocz. Chron. cap. LXIV. in loco *Maylati*, habet *Maynolth*.

b) Bonfin. Dec. II. Lib. VI. congruuntque hæc cum Ottone Frising.

i) Bonfin. Dec. II. Lib. VI. Thvrocz. Chron. cap LXIV.

k) Otto Frising. Lib. VII. cap. XXI.

l) Ibid.

m) Contin. Coſmæ Pragenſis, ut ex laudatis ante verbis clarum eſt.

n) Idem ad annum 1132.

o) Rerum Polonicarum. Lib. V.

p) Otto Frising. & Continuator Coſmæ Pragenſis laudatis locis.

Neque ſcio cujus momenti ea ſint, quæ ad ſequentem annum Idem his ver-
bis refert. *Ceterum* (ſcribit) *æſtate, quæ conſecuta eſt, parantem* (Boleslaum) *in Boe-*
mos arma, magnis precibus expugnant exules Hungari, qui ad Stephani liberorum partes
multi in dies perfugiebant, ut cœptam potius in Hungariam expeditionem proſequeretur.
Itaque Vratislavienſi conventu, & comitatu omni præſidio ad tutandos fines ſuos adverſus
vim Boemorum relicto, cum reliquis copiis, & auxiliaribus Ruſſis Hungariam ingreditur,
& nemine magnopere reſiſtente, atque adeo compluribus Hungaris cum eo ſe ſe conjungentibus,
ad Viſſegradum, quo Bela ſe receperat, contendit. Interim cognoſcit Boemos majore vi Si-
leſiam rurſus, cedentibus ſuis, qui relicti erant in præſidio, nec ſuſtinere vim hoſtium valen-
tibus, crudeliter divexare. Itaque omiſſis iterum Hungaris, transmiſſisque celeriter monti-
bus, atque ſilvis, quæ Moraviam ab Hungaria diſterminant, magnam Moraviæ partem,
ut par pari referret, depopulatus eſt, vaſtatisque agris abacta ingenti præda in Poloniam
revertit. Neque deinceps reductionem nepotum, & Hungarorum exulum tentavit, ne ma-
jorem, quam pro viribus, belli molem in ſe attraheret (*b*).

Borichius rurſum infeſtat, ſed fruſtra, Hungariam.

Hactenus ille: cui ne nihil tribuamus, veriſimile eſt, Borichium, non item
Stephani liberos, quos nullos habuit, tentata infeliciter priore anno alea, Boles-
laum partim promiſſis, partim precibus ad inferendum rurſus Hungariæ bellum, per-
ſuaſiſſe, atque hunc, ſive ut cladem præteritam ſarciret, ſeu dedecus, quod ex fu-
ga contraxerat, abolere vellet, non invitum profectionem adverſus Hungaros ador-
naſſe. Sed cum regni limites transgreſſus omnia impune vaſtat, &, quia Bela haud
ſatis ad arcendam vim præſidii comparaverat, regionem actis rapinis latiſſime perva-
gatur, Sobieslaus ex pacto fœdere XVII. calendas Februarias Poloniam milite nuda-
tam invadit, & trecentis pene oppidis igni corruptis Polonum cum Ruſſis in Mora-
viam reflectit (*r*). Hic quamquam Boleslaus viciſſim agris vaſtitatem intulerit, ta-
men prælio congredi non auſus Poloniam inglorius repetiit. Sobieslaus contra Hun-
gariam cum exercitu ingreſſus Belam regem ad Vagum amnem obvium habuit, ubi
longo ſatis tempore moratus fœdera cum Hungaris renovat, (*s*) ac multis datis,
acceptisque viciſſim benevolentiæ, & amicitiæ argumentis in Bohemiam revertit. Cre-
dibile eſt inter renovati fœderis conditiones illam præcipuam fuiſſe, ut, ſi quid Boles-
laus rurſum in Hungariam, aut Bohemiam tentaret, bellum utrique commune eſſet:
tum ad Lotharium Imperatorem Legatos Bela mitteret, qui injuriarum, quas Polo-
ni intuliſſent, vindictam ab eo depoſcant: reperturum faciles apud Lotharium aures,
qui Polono alioqui Bohemorum cauſa infenſus credebatur. Hæc ita habere ex rebus,
quas ad inſequentem annum narraturi ſumus, conſtabit.

Fœdus inter Hungaros, & Bohemos renovatum.

Sunt, qui ad eundem annum Ramæ titulum a Bela uſurpatum referant, ſed
jurene armorum, an hæreditate, in dubio ponunt. Armis ſubactam hanc Serviæ
partem fuiſſe, dum Stephanus cum Joanne Comneno bellum gereret, locum habere,
ut nonnulli exiſtimant, non poteſt: alioquin nihil cauſæ eſt, cur Stephanus aſſerta
ea provincia illius titulo non fuerit uſus. Neque hæreditate poſſeſſionem eſſe adi-
tam a Bela ſatis veriſimile (*t*) fit. Etſi enim Helenam Uroſii Serviæ Principis, ita-
que Ramæ etiam Domini filiam in conjugio habuerit, tamen quod Uroſius tres filios
ſuperſtites, Prinislaum, Beluſem, & Deſſam reliquiſſet (*u*), quem in modum vi-
vis fratribus hæreditatis jura ad ſororem devolvi potuerint, haud ſane facile intelli-
gitur: niſi forte dum Prinislao, & Deſſæ male conveniret, alterutrum ex fratribus
Hungariæ regi clientelari jure ſe obnoxium feciſſe arbitremur. Verum hæc quinto
abhinc

Incertum eſt, an Bela Ramam ſubegerit.

q) Rerum Polonicarum. Lib. V.

r) Contin. Coſmæ Prag. ad an. 1133. XVII. „ Kal. Februarii acer dux Sobieslaus ſecun- „ do Poloniam invaſit, eamque inſigni tro- „ phæo devaſtavit, multos inde captivos „ abduxit, villas fere trecentas ſuccendit „ tandem victoria cum Deo præſtante ad „ propria remeavit. „

s) Idem ad eund. an. „ Dux Sobieslaus „ Ungariam leviro ſuo regi Ungarorum pro- „ ficiſcens cis pagum (forte rectius *amnem*, niſi intelligatur locus hodie Vág Uihely „ dictus) nomine Vag caſtra metatus eſt, „ ibique multo tempore moratus tandem „ perfecto negotio ſuo ad propria rediit. „

t) In Tractatione poſteriori quæ adjecta eſt ad Caroli Du Fresne Illyricum vetus, pag. 153.

u) Du Fresne de familiis Dalm. & Scla- von. cap. III. & Cinnamus Lib. V. cap. V.

abhinc anno eveniſſe, cum Bela Spalatenſi Eccleſiæ privilegia confirmaret, ex diplomate, quod Ramæ titulum præfert, extra omne dubium eſt (*x*).

Lotharium Imperatorem Legatione excolit. Bela, ut fœdere anno priori conventum erat, Legatos ad Lotharium mittendos cenſuit, qui de injuriis, a Polono ſemel, atque iterum illatis quererentur, ipſumque Imperatorem, ſi ex uſu videretur, in armorum ſocietatem adverſus inſenſiſſimum hoſtem pertraherent. Eas partes Petro Albenſi Epiſcopo præcipue mandatas fuiſſe Continuator Coſmæ Pragenſis memorat: cujus nominis Epiſcopatus cum nunquam in Hungaria fuerit, credibile eſt, Albenſem Præpoſitum magnæ olim apud reges dignitatis, & auctoritatis innuere voluiſſe. Hic prius, quam Lotharium conveniret, in Bohemiam ad Sobieslaum delatus de modo obeundæ legationis conſilia cum eo init. Placuit, ut Sobieslaus, quoniam magna illius apud Imperatorem eſſet auctoritas, & gratia, aditum Legato apud Lotharium complanaret. Neque is, quamquam reipublieæ cauſa domi neceſſarius erat, hanc amico regi operam negabat, unaque cum Hungaris Legatis profectus ex ſententia rem omnem confecit. Petrus Imperatori inter cetera ditiſſima munera duos a candore præſtantiſſimos equos, quorum ſellæ ſeſſoriæ XXVI. marcas auri puri appenderant, regis nomine donum dedit: viciſſimque ab Lothario, & ejus Conjuge muneribus, ae officiis exultus, cum Sobieslao, re feliciter patrata, reverſus eſt (*y*).

Nova cum Moravis affinitas, & fœdera conciliantur. Reducem in Bohemiam Sobieslaum lætus nuncius accepit, qui natum ſibi filium, ſalva & incolumi Adelhaide, ſignificarat. Bela haud multo poſt de re edoctus, ut amiciſſimum Principem officiis ſibi devinciret, Legatum ſuum continuo admonet, ageret apud Sobieslaum, ut filium recens natum in Hungariam adduci pateretur; magnoque opere ſe deſiderare, ne honorem levandi ex fonte infantis alteri præ ſe deſerret (*z*). Sobieslaus morem gerens filium cum Maynbardo Pragenſi Antiſtite, eeteriſque optimatibus, & magno illuſtrium virorum ſatellitio ſtipatum in Hungariam miſit, in cujus limitibus magna honoris ſignificatione Bohemi ab Hungaris accepti ad regem adducuntur, ipſoque Pentecoſtes die ſolemni apparatu ex Eccleſiæ more infans abluitur (*a*). Tum nuptiæ inter reginæ ſororem, ac Conradum Znoymenſem Principem eonciliatæ, quibus adjectum fœdus, quo Hungari cum Bohemis ac Moravis comprebenſi communes belli rationes haberent (*b*).

Quid

x) Lvcivs de regno Dalmatiæ, & Croatiæ Lib. III. cap. VIII.

y) Cnnt. Coſmæ Pragenſis in Chron. ad an. 1134. „Rex autem Pannoniorum cæcus „ Epiſcopum albæ civitatis, nomine Petrum „ ad Imperatnrem magnis cum muneribus, „ & ut injurias a Pnlnnicn duce ſibi illatas „ corum audientia Imperatoria, ejuſque „ Principum prnclamaret, miſerat. Sed „ quia ut ſnlet in talibus negntiis fieri parum, ant nihil Legatin minnris apud majorem prnficit, niſi mediatnr interſit, præfatus Epiſcnpus ad Sobieslaum ducem in „ Bnhemiam venit, quatenus eo mediatnre, „ ae Interceſſore legatio ſua proficua fieret. „ Hanc igitur nb cauſam Dux Sobieslaus „ prnfectua eſt ad Imperatnrem, qun poſtquam pervenit, benevole, ac bnnnrifice „ ab Imperatnre ſuſceptus eſt, nmnemqoe „ petitinnem benigne conſecutus eſt. - - - „ Dona autem Ungarorum Imperatori nblata hæc ſunt: duo albi equi decenter ſallerati, quorum ſellæ XXVI. marcas auri in „ ſe continebant, & alia quam plurima. „ Prædictus ergn Petrus albæ civitatis Epiſcopus nptata legatione potitus, inſuper „ ab Imperatnre, ac ab ejus cnntectali multis muneribus pretioſis donatus, lætus repatriavit.„

z) Idem ad eundem an. „Sæpe dictus rex „ Pannoniorum Bela - a duce Sobieslan petivit, ut infantem ejus de fonte ſanctæ re„ generatinnis levaret.„

a) Cont. Coſmæ Pragenſis ad an. 1134. „ Rex vero Bela generum ſuum (alias & rectius Levirum vocat) „ dc infante ſollicitavit, cujus petitioni dux Snbieslaus non „ abnuens venerandum Pragenſis Eccleſiæ „ Præſulem Megnardnm, ceternſqne Primates quam plurimos cum infante in Ungariam miſit, quo poſtquam ventum eſt, „ non minnri honorificentia Præſul Megnardus a rege Ungarorum ſuſceptus eſt, quam „ cum primum Pnntificalibus infulis decoratus ad principalem Epiſcopatus ſui ſedem „ veniſſet. Baptizato itaque in die pentecnſtes infante, prædictus Pontifex plurimis pretinſis muneribus a rege remuneratus ad propria remeat. „ - -

b) Idem ad eundem an. „Dux Sobieslaus „ Levirum ſuum regem Ungarorum rogabat, „ quatenus ſororem conjugis ſuæ, videlicet „ reginæ Principi Conradn Znnymenſi in „ conjugium traderet, qun percuſſum fœdus invicem hujuſmndi cauſis corrobnratum firmius perduraret. „ - -

Quid rerum interea geſtum a noſtris ſit in Dalmatia, ac Croatia apud neminem conſignatum reperio. Veriſimile eſt, Hungaros cum Venetis abhinc, quam Spalatum ac Tragurium a Dominico duce vaſtata narravimus, ſervatis bona utrinque fide fœderibus præſtolari voluiſſe, quo res inter orientis Imperatorem, ac Rogerium evaderet. Hic enim ut armis acerrimus erat, ita vaſtata Apulia ceteriſque provinciis mire felix, magnam ſibi militia gloriam, & vires comparavit. Græci, ut moleſtiſſimum hoſtem ab ſe reflecterent, non uſitato hactenus facile exemplo, Legatos ad Lotharium expedivere, qui oblatis copioſiſſimis muneribus Imperatorem ad obmovendum Rogerio bellum perſuaderent (c): quid ea Legatione effectum ſit, perinde incertum eſt: quamquam haud multo poſt Rogerium, compoſitis cum orientis Imperatore rebus, pacem cum Græcis iniiſſe ex ſcriptorum ſilentio facile confieri poſſit. 1135.

Res Dalmaticæ.

Inter hæc diſſidii non nihil Belæ cum Innocentio Pontifice interceſſit. Cauſa ab Salonitano, ſeu Spalatenſi Epiſcopatu petebatur. Cui dum Gaudium, qui aliis male Claudius ſcribitur (d), ob egregias tum corporis, tum animi dotes ſibi chariſſimum rex præfeciſſet, iſque, præterito Papa, ab Archi-Epiſcopo Strigonienſi conſecratus fuiſſet, Innocentius, jura ſua violari queſtus, per litteras cum rege agebat. Delinitus tandem Belæ precibus Gaudium in dignitate confirmat, data ad eum epiſtola, qua quantopere deliquiſſet, & cujus gratia delicti veniam illi faceret, prolixe inculcat. *Quocirca*, inquit, *in ſanctam Romanam Eccleſiam graviter deliquiſſe, & claves Beati Petri auſu temerario evacuare voluiſſe dignoſceris, dum, ſpreta dignitate ſedis Apoſtolicæ, ad alium provinciam convolaſti, & contra veterum conſuetudinem a Strigonienſi Archi-Epiſcopo conſecrationem ſuſcipere attentaſti. Licet ergo vehementer exceſſeris, licet contra ſtimulum calcitrare molitus ſis, quia tamen dilectus filius noſter, Bela Hungariæ rex, pro te multoties apud ſedem Apoſtolicam per litteras, & nuncios interceſſit, ipſius tandem precibus condeſcendimus, & per dilectum filium noſtrum Ubaldum, Diaconum Cardinalem, virum ſiquidem honeſtum, & litterarum peritia eruditum, fraternitati tuæ pallium Pontificale, officii plenitudinem, ſignum humilitatis, & juſtitiæ, deſtinamus, ut videlicet eo his diebus utaris, quibus in Eccleſiæ tuæ ſcriptis authenticis continetur* - - (e). Hæc Pontifex Gaudio, qui poſtea, quam Deſſam Maccarellum Traguriensem cum uno duntaxat Epiſcopo conſecraſſet, exauctoratus privatam vitam obſcurus duxit. Ceterum ſatis ex hoc perſpicuum ſit, Dalmatiam, & Croatiam, ſi Jadram demas, Belæ tempore in Hungarorum poteſtate fuiſſe, contra quam Venetarum rerum ſcriptores, aliique memorent. 1136.

Lis inter Pontificem, & regem, ob confirmatum Spalatenſem Archiepiſcopum.

Sobieslaus Bohemus rurſum in Hungariam verno jejunii tempore profectus, multa regni cauſa cum Bela conferebat (f). Quibus de rebus conſultatum fuerit, in obſcuro eſt: id fortaſſe conjectura haud vana aſſequimur, de nuptiis inter Mariam filiam Sobieslai, & Leopoldum, Leopoldi pii filium, conſilia utrinque collata fuiſſe. Nuptiarum enim pactio, ut ut rebus Bohemicis opportuna plane erat, periculo tamen non caruit, quod Adalbertus Leopoldi pii natu maximus, quamquam gravi morbo implicaretur, adhuc ſuperſtes eſſet, quo vivo non apparebat, qui matrimonium utrinque coalere poſſet. Sed his ad annum inſequentem ſuus locus erit. Sobieslaus in Bohemiam reverſus Adelhaidi conjugi veniam ad fratrem itidem eundi facile conceſſit: quæ, cum diem divo Stephano regi ſacrum ſumma pietate in Hungaria exegiſſet, diutius, quam putarat, a Bela in regno detenta, funebribus quoque honoribus Patris ſui Almi interfuit. Hunc enim in Græcia exulem obiiſſe alias memoratum eſt, & a Stephano conditum: Continuator autem Coſmæ Pragenſis hoc primum anno ex Græcia advectum, ac, ubi decennio ſepulcri honore caruiſſet, tumulo illa- 1137.

Bela publicam patri defuncto funerationem habet.

Improbabile eſt, decennio ſepultura caruiſſe.

c) Idem ad an. 1135. „Eodem tempore „ Legati regis Græciæ ad Imperatorem ve„ nerunt, multa, & magna ferentes dona „ hanc videlicet ob cauſam. Quidam enim „ Dux nomine Rocherius manens ultra Si„ ciliam partes Græcorum infeſtabat, & ut „ hunc Imperator compeſceret, rex Græco„ rum poſtulabat. „

d) In codice ſac. congreg. de Propaganda, qui inſcribitur, *Servia*, *Albania*, *Illyricum*, *Dalmatia* apud FARLATVM Tom. II. Illyrici ſacri pag. 321.

e) Apud LVCIVM lib. III. cap. XI. ex regiſtro Archi-Epiſcopor. Spalatinenſ.

f) Continuator Coſmæ Pragenſis ad an. 1137. „Eodem anno Dux Sobieslaus in „ quadrageſima Levirum ſuum regem Ungariæ convenit, cum quo multis cauſis, di„ verſiſque pertractatis ſanctum Paſcha in „ caſtro Olomucz celebravit. „

1137. illatum memorat (g). Sed hæc jam ſupra innuimus hunc in modum conciliari poſſe, ſi ſepultum quidem Almum ſub Stephano, nunc exequiis regio more cohoneſtatum fuiſſe opinemur. Adelhaide poſt parentationem reverſa, Sobieslaus ad confinia Bohemiæ cum Bolesiao Polono pacem confecit, qua ob neceſſitudinem, cum Bela initam, Hungaris quoque cautum eſt, nihil boſtile deinceps a Polonis in Hungariam tentatum iri (h). Sub hæc *Rogerii victor Lotharius ex Italia rediens apud Tridentum morbo correptus in ipſis montibus in viliſſima caſa Imperator potentiſſimus miſeram humanæ conditionis relinquens memoriam XIII. regni ſui, imperii VII. anno Chriſti MCXXXVII. plenus dierum obiit; futurus; niſi morte præventus fuiſſet, cujus virtute, & induſtria corona Imperii*
1138. *ad priſtinam dignitatem reduceretur* (i).

Conciliatis inter Leopoldum Auſtriæ ducem, & Mariam Sobieslai Bohemi filiam nuptiis.

Eodem fato poſtquam Adalbertus ſuperiore anno ereptus eſſet, Leopoldus, cognomento Largus, patri in Auſtria ſucceſſerat; & Conradus a pleriſque Lothario ſuffectus Bambergam Comitia indixit, quæ cum agente Henrico ſuperbo exitum, ut ſpes erat, non ſortirentur, Sobieslaus brevi Saxones eo adegit, ut deſerto ſuo duce veniam ab Conrado flagitarent (k). Secundum hæc gemino matrimonio fœdus inter Auſtrios, & Bohemos corroboratum, Gertrude Leopoldi ſorore Uladislao, Sobieslai patruo, deſponſa, & Maria Adelhaidis filia Leopoldo conjuncta (l). Nuptiarum apparatus Olomucii ſummo ſplendore celebratus, quibus pleroſque ex finitimis Principibus interfuiſſe ob conciliata nuper fœdera veriſimile eſt (m).

1139.

Rex Sophiam Henrico Conradi Imperatoris filio deſponſat.

Atque hinc eveniſſe crediderim, ut Conradus ad petendam Henrico puero Sopbiam Belæ filiam animum quoque adjiceret. Miſſi propterea Legati in Hungariam ſemel, atque iterum, qui, quamquam puella connubio nondum matura fuiſſet, filio ſponſam ab rege exorarent. Bela Sobieslaum, ſine quo nihil facile patratum voluit, eam ob cauſam ad ſe invitatum conſuluerat, (n) a quo cum commoda, quæ ex eo matrimonio ſperari poſſent, cognoſſet, facile in Conradi ſententiam conceſſit. Rei geſtæ modum Mſ. codex Admontenſis Cænobii, ad quod Sophia, dum Henricus adoleſceret, Conradi juſſu deducta eſt, in hæc verba conſignat: *Sophia Belæ regis Hungarici, cognomento Cæci, filia, ante annos nubiles petita eſt Henrico puero, Conradi regis Teutonicorum filio primogenito. Bela ergo, cum ſæpe rogatus acquieviſſet hanc illi dare, & nuntii propterea veniſſent Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi, aliique Primates de regno Allemanniæ, ut juxta Imperialem magnificentiam clare ad nuptias traheretur, & duceretur, hoc ordine, & hac ratione ad ſponſalia eam direxit. Domine, inquiens Bela, cæli & terræ, tu omnia vides, ego vero nihil video. Tua ordinatione, ſicut voluiſti Domine, cæcus factus ſum, ſed tu omnia videns intueris abdita cordium, vides præterita, & futura indifferenter. Et manus ponens ſuper caput filiæ, hæc inquit Domine, mihi unica eſt filia, hæc me ſola prole feminea in miſeratione beaſti: hanc hodie, te teſte, te ad auxilium noſtrum advocato, ad nuptias mitto, tali fixa inter te & me, Domine DEus, conditione, ut nunquam eam deſeras. Et ſi forte is, qui eam petit filio ſuo, Dominus Imperator Conradus unquam mali quicquam adverſus eam cogitaverit, tua in protectione tibi hanc commiſſam habeas. Ad Legatos autem: en, inquit, coram*

g) Ad eundem an. „Egregia Ductrix Adleyta ardenter cupiens feſto Beati Stephani regis, & confeſſoris adeſſe, Pannoniam petiit, ſed ibi diutius a fratre retenta eſt, donec Patrem ſuum Almum ſepelivit. Hic enim Almus a Colomano cæcatus in partibus Græciæ exulando vitam finivit, ſicque intumulatum funus ejus per decennium manſit, donec rex Bela filius ſuus in regnum ſuum illud aſportavit.„

h) Contin. Coſmæ Prag. ad an. 1137. „Princepa Sobieslaus, & dux Boleslaus in caſtro Kladerko, quod eſt in confinio Bohemiæ in feſto Pentecoſten convenerunt, ibique fœdus pacis inierunt.„

i) Otto Fabino Lib. VII. cap. XX.

k) Cont. Coſmæ Prag. ad an. 1138. „Electo itaque Conrado rege omnes Principes, & quique Primates, ac familiares regni ſui ſtatuerunt, quatenus in ſancta ſolemnitata Pentecoſtes, quod erat XI. calend. Junii, Curiam, & Concilium Bamberch in civitate facerent.„

l) Excerptum Rickard. ad an. 1138. „Uxorem accepit Mariam Sobieslai Bohemiæ ducia filiam.„ - -

m) Contin. Coſmæ Prag. „Eodem anno imminente feſto beati Patroni noſtri Wenceslai dux Sobieslaus filiam ſuam nomine Mariam filio Leopoldi orientalis Marchionis legitimo connubio conjunxit, quam quingentis marcis argenti donavit.„

n) Cont. Coſmæ Prag. ad an. 1139. „Eodem tempore Dux Sobieslaus Levirum ſuum Belam regem Pannoniæ convenit: nam idem rex B. filiam ſuam filio regis Teutonicorum Conradi tradebat. Hæ nuptiæ in feſto Pentecoſten celebratæ ſunt.„ - -

ram vobis, tollite filiam meam & ducite eam Imperatori veſtro: & quia vita mea ipſa mibi eſi charior, omne, quod charum, & pretioſum babeo, cum ea tranſmitto. Juſſitque apportari omnia regolia ſua, capellam ſuam totam, & patrocinium ſanctorum (o) cum immenſis paraturis, & utenſilibus aureis, & argenteis, cum tentoriis, ac papilionibus, cum jumentis optimis ad ſubvectionem rerum, inſuper aurum, & argentum absque ulla æſtimatione, dona genero ſuo, ac filiæ. Et apprebendens ſcrinium, in quo erat patrocinium S. Blaſii, ſtatuit ſuper boc filiam ſuam: debinc ad legatos: en, inquit, filiam meam cum Patrono ſuo, in bæc verba ut locutus ſim, in nomine Domini vobis committo. Igitur abeuntibus nuntiis, exita jam Ungaria, cum ad taurum montem Carintbiæ propinquaſſent, Imperator Conradus obviam eis mittens, ad virgines Admontenſis Cænobii Dominam cum puellis ſuis interim locari fecit, donec opportuno tempore ſolemni babita curia, conveniente boneſtate ad nuptialia locaretur ſacramenta. Dona vero ac omnes divitias, quæ allata cum eo fuerant, ſibi appartari fecit. Hactenus laudatum Mſ. (*p*). Ex quo facile conjecturam capimus eos, qui Belæ plures filias tribuunt, vehementer aberrare, niſi forte ſequenti anno ex conjuge aliam ſuſtuliſſet, de quo tamen vehemens dubium eſt: itaque Gertrudis, Helena, Adelhais, & Conſtantia inter fabellas relegandæ ſunt (*q*). Quid Sophia factum, deinceps memorabitur.

1140. *Tyrnavienſis urbis initia.*

Poſt datam ſponſionis fidem condendæ Tyrnaviæ initium Belam, dediſſe plerique affirmant, tametſi non deſint, qui, quod rex id temporis ebrioſus eſſe coeperit, & reipublicæ minus, quam antea, ſtudioſus, eam gloriam illi ereptum velint. Dubravius urbis initia ad Conſtantiam Belæ III. filiam refert, (*r*) alii ad Geiſam II; rurſum quidam ad Belæ IV. tempora retrudunt, crediderim, diplomate, quod in eam rem exſtat, in hanc opinionem adductos: *Regiæ*, inquit iſthic Bela, *magnitudinis incumbit officio, diſperſa colligere, & congregata conſervare, & populum ſuæ ditioni ſubjectum, in pace tranquilla ſua cuilibet jura reddendo confovere. Cum igitur in Comitatu Poſonienſi locus, qui Zumbatbelii dicitur, boſpitibus congregandis aptiſſimus videatur, civibus in eodem loco reſidentibus, &, qui in poſterum venire voluerint, talem conceſſimus libertatem, ut ad regiam coronam ſpecialiter pertineant, nec cujusquam jurisdictioni, donationi, vel cujuscunque translationis modo committantur &c. Datum per manus Magiſtri Stepbani, Aulæ noſtræ Cancellarii. Præſulibus venerabilibus Bartbolomæo Veſprinienſi, Mattbia Vacienſi Epiſcopis. Andrea Poſonienſi Comite, Dominico Magiſtro Tavernicorum &c.* (*s*) Hæc ita ſentientium opinio eſt: quod, etſi ab ceteris vehementer abhorreat, tamen ita conciliari cum reliquis poſſe urbis illius Magiſtratus exiſtimat, *ut initia circa annum MCXL. ad Belam II. referantur: progreſſus vero, atque mœnium inprimis molitiones ad annum MCLII. Geiſæ attribuantur, ipſa denique adfecti operis conſummatio, atque donatio illa privilegiorum Belæ IV. vindicetur, cum palam fiat ex aurea ejus bulla, Zumbatbelii, ſive Tyrnaviam, jam tum a civibus cultam fuiſſe. Ægre proinde fidem merebuntur, quæ de Conſtantia Ottocari regis avia Dubravius memorat, niſi credamus eam quoque elaboraviſſe in urbe, ſeu communienda operibus ſeu percolenda ædificiis* (*t*). Hæc de Tyrnavia indicare libuit, non deerunt viri, qui, ut ſunt in ea urbe doctiſſimi, cum uſus, aut otium feret, incunabula illius litteris illuſtraturi ſint.

Annus hic Sobieslao Bohemo XVI. calend. Martias exſtincto fatalis fuit (*u*). Bela pro conſuetudine, quæ illi cum eo interceſſerat, amiciſſimi Principis jacturam graviter tulit, aucto non mediocriter dolore, ubi ſeptimo abhinc Menſe XVII. calendas Octobris Adelhaidem ſororem elatam quoque intellexiſſet (*x*).

o) Suſpicor hoc nomine reliquias SS. intelligi.„

p) Eſt is Codex MS. num. XXVII.

q) Has Belæ filias tribuunt Hening. Reuſnerus, Schönleben, & Balbinus, tametſi hic errorem revocet de Adelhaide, & ſororem Belæ fuiſſe memoret.

r) Hiſtoriæ Bohemicæ Lib. XVI.

s) Belius in Comit. Poſon. parte ſpeciali Membro I. Sect. I. Hiſt. urbis Tyrnav. cap. I. pag. 9. diploma id anno MCCXXXVIII. ſignatum eſt. Sed cum irruptione Tartarorum perditum eſſet, renovavit id Bela IV. ad an. MCCLXVII.

t) Idem eodem loco.

u) Cont. Coſmæ Prag. ad an. 1140. „deinde magis magiſque debilitate corporis „invaleſcente, percepto viatico XVI. cal. „Martii migravit a ſeculo - - cui Uladislaus „ſucceſſit.„

x) Idem ad eundem an. „Eodem anno „Ductrix Adleyta vivens poſt obitum mariti ſui VII. menſibus, XVII. calend. Octobris migravit de hoc ſeculo.„

1141.

Bela, tribus relictis filiis, obit.

Rerum ſumma ad Vladislaum Sobieslai patruum devoluta, Vladislaus puer patre ac matre orbatus ad regem in Hungariam confugiens fatum Belæ attuliſſe videri poterat, quippe qui haud multo poſt ex hydrope letalem morbum contrahens vivere deſierit, Albæ regiæ, poſtquam annos IX. regnaſſet & menſes XI. regio more tumulatus. (y) Præter Almum, qui præmaturo fato terris ereptus eſt, filios reliquit Geiſam, Ladislaum, ac Stephanum: de quo, quoniam inſignem ſcriptoribus omnibus, qui res noſtras adhuc conſignarunt, errorem obrepſiſſe video, ex litteris publicis ſuo loco perſpicue acturi ſumus.

LIBER III.

GEISA II.

1142.

Ex quibus Geiſa patri ſuccedit.

Geiſa ejus nominis II. die, Virgini Cæciliæ ſacro, corona redimitus patri rite ſucceſſerat. Primos regni annos contra, quam noſtri communiter perhibent, pacatos habuit. Nam bellum, quod contra Henricum Auſtriæ Ducem, cognomento Jaſomirgottum, geſſerat, & annales domeſtici ad regni illius primordia locant, patebit ex ſynchronis ſcriptoribus ad poſteriora tempora referendum eſſe.

1143.

Hic primus omnium Saxones in Tranſilvaniam evocat.

Annus ſupra milleſimum centeſimus, ac quadrageſimus tertius ab evocatis in Tranſilvaniam Saxonibus, ſi Braſſovienſis templi inſcriptiones fidem merentur, celebria eſt (z). Ex qua Germaniæ ditione, & quam ob cauſam evocati ſint, haud ita perſpicuum eſſe puto, ut nonnulli ſibi perſuadent. Cum enim in diplomatibus primorum Regum generatim Teutones nuncupentur, neque annales Saxonum ullius coloniæ in Tranſilvaniam deductæ meminerint, opinor ex variis Germaniæ populis conflatos potius, quam e Saxonia omnes iſthuc delatos eſſe. Ex quo Toppeltini (a) fidem merito in dubium voces, qui eam gentem ex Gothorum reliquiis coaluiſſe arbitratus ſit, ut ex annalibus veterum Hunnorum, ac Avarum, in quibus converſiones harum gentium copioſe tractavimus, perſpicue prorſus conficitur.

Variæ de his Scriptorum opiniones.

Etenim quamquam Gothi prius, quam Hunni ex Aſia in Europam migraſſent, iſthic rerum potirentur, eos tamen poſt Attilæ exceſſum ab Savo flumine ad hodiernam uſque Auſtriam coluiſſe Jornandes ſcriptor haud longe ab ea ætate remotus memorat. His haud multo poſt tempore Longobardi ſucceſſere, Teutonicum quidem genus, ſed non ex Gothis ortum: Gepidæ contra Ardarici regis auſpicio, ubi Ellacum Attilæ natu maximum filium conſerto prælio viciſſent, veteres Gothorum ſedes in Dacia ad Pontum colendas accepere, ut idem Jornandes memoriæ prodidit. Quod ſi Gepidas, ut nonnulli volunt, ex Gothis originem ducere putemus, haud majorem Toppeltinus opinioni ſuæ fidem propterea concilisbit. Gepidas enim ab Avaribus, & Longobardis maximam partem cæſos, & ea provincia verſus Tibiſcum penitus ejectos ex Menandro, Theophane, & Simocatta, temporum illorum ſcriptoribus, extra omnem dubitationem eſt, ut adeo Gepidarum reliquias cum Hungari & Patzinacitæ, ſeu Tranſilvani Daciam occuparunt, nullas iſthic

fuiſſe,

y) Idem ad an. 1141. „--puer Uladislaus „ ipſo feſto die (Natalis Domini) dum nox „ occupaverat totum mundum, iniit fugam „ ad avunculom ſuum nomine Bela, qui „ tunc regnabat in Uogaria. Bela rex Un„ garorum obiit, & nostrates profugi ſub„ miſſis capitibus doluerunt. „

z) Tom. I. Script. rerum Hungar. „ 1143. „ Geiſa II. avus Andreæ Regis Saxones avo„ cavit in Tranſilvaniam. „

a) De orig. & occaſu Tranſilvanorum.

fuiſſe, ſed partim aliorſum delatas, partim conſuetudine ſenſim in Sclavorum Marahanorum mores, & ſanguinem, qui ditionem ad Tibiſcum protulerunt, commigraſſe vero ſit ſimillimum. Hæc propterea, ut errorem, qui genti huic dudum inſedit, animis exemptum illuſtraremus (*b*). Quare dignum riſu commentum eſt, quod quidam *Kircherum* ſequuti de pueris, ac puellis Hamellenſibus perhibent, terra nimirum abſorptos, occulta ſubtus terram via in Tranſilvaniam delatos, genti primordia, & originem dediſſe. 1143.

Neque cauſa ob quam Teutones in Daciam evocati a Geiſa fuerint, ſatis in comperto eſt. Qui in ea opinione ſunt, ut illos ob ſuppetias adverſum Tartaros regi allatas excitos putent, (*c*) vehementer falluntur, quoniam primam Tartarorum in Tranſilvaniam irruptionem, ſi iiſdem Braſſovienſis templi inſcriptionibus fides (*d*), nonaginta poſt annis, quam Saxones a Geiſa evocati eſſent, contigiſſe in confeſſo eſt. Ego ſi quid conjectura aſſequor, ob frequentes Cumanorum in Daciam procurſiones, tractum illum terrarum, quem hodie colunt, vaſtiſſimum fuiſſe, atque adeo ab Geiſa idcirco, ut ditionem eam frequentem redderent, evocatos mihi perſuadeo, & prærogativis, quemadmodum ex diplomate Andreæ II. poſtea conſtabit, ornatos fuiſſe, quas magna annalium jactura, inſignique jurium illuſtrandorum damno intercidiſſe dolemus.

Hæc dum Geiſa ad ſtabiliendum regnum ſatagit, Borichius, de quo jam alias quoque memoria a nobis facta eſt, novas rurſum res ad recuperandam Hungariam moliebatur. Cum Vladiſlao Bohemiæ Principe ad Conradum (alii Fridericum ſcribunt) in Bavaris tum commorantem adit: apud quem *flebili ac miſerabili voce querimoniam ſuam de privatione Paterni regni depromens, quatenus auctoritate Imperiali, ad quam totius orbis ſpectat patrocinium, ei ſubveniat, depoſcit* - - (*e*). Conradus, etſi ſatis cum Rogerio Siciliæ Rege in Italia agendum haberet; Vladiſlai tamen precibus facile ad ſuppetias Borichio ferendas ſe perſuaderi paſſus eſt. Addebat Gertrudis Bohemi conjux non leve momentum, cum fratris ſui Henrici Auſtriæ ducis auxilia itidem polliceretur. His promiſſis ad ſpem regni erectus Borichius, militem partim ex Bohemis, partim Auſtriis quoque conſcribit, quibus, ſi auxiliarii ex Germania, ut Conradus receperat, ſequerentur, irruptionibus in Hungariam belli præludia auſpicari poſſet. 1145. *Borichius novas turbas molitur Auſtriacorum opera adjutus.*

Geiſa poſtquam, quid æmulus in Germania confeciſſet, aliunde edoctus eſt, ex ſuorum Conſilio hoſtem ab Hungaria reflectendum cenſuit. Commode Guelfo res Germanicas in Norico miſcebat, Conrado, & Henrico Auſtrio Bavariæ cauſa perinfenſus. Hunc ad ſe accitum Proceres, nam hi pro impubere Geiſa rempublicam adminiſtrabant, multo auro donatum, in Conradum exſtimulant, utque in propoſito confirmarent, magnam quotannis pecuniæ ſummam daturos pollicentur. Guelfo, qui ad eandem operam præſtandam jam antea a Rogerio immani ære conductus erat, fidem facile dedit, ſe, quidquid poſtulatum eſſet, naviter facturum. Itaque redux *ſtrenui militis exercens officium modo in Bavaria, modo in transalpinis partibus Sueviæ, modo circa Rhenum tot tempeſtates bellorum movit, ut regem potius ad defenſionem ſui, quam ad exterarum nationum invaſiones excitaret* (*f*). Borichius ergo rem, quam ſperarat, lentius progredi videns, Ratiboldum Auſtriacarum arcium, quæ Hungariæ finitimæ erant, Præfectum cum lectiſſimis militibus in Hungariam immittit, viſurum, ſi Poſonio per inſidias potiri poſſet. Id ſi ex ſententia caderet, locum ſe habiturum ſperabat, ex quo infeſtis armis & procurſionibus Geiſæ moleſtiam creaturus eſſet. Ratiboldus ad intercipiendam urbem cum per ſe ſe pronus, tum ex Iuliani Poſonienſis Comitis ſimplicitate ſpem nactus, concubia nocte ex inſidiis, quas pridie apparaverat, emergens prius locum occupavit, quam adeſſe intelligeretur. *Quod audiens Rex Hungariæ - - præmiſſis quibuſdam Comitibus ſuis, qui, quare, vel qualiter hoc factum fuerat, inquirerent, ipſe eoſdem ſubſecutus, ad liberationem Caſtri cum magna Hun-* *Per ſuos Poſonium occupat.*

b) Videri hæc poſſunt annal. noſtror. de veteribus Hunnis parte I. circiter finem. Parte II. in principio & diſſertatione prævia. Parte III. diſſertatione prævia.

c) Albertus HUTTERUS Judex Regius Cibinienſis in oratione coram Sigismundo Bathoreo an. 1591. dicta, diſerte hanc accitorum Saxonum cauſam affert.

d) Tom. I. ſcript. rer. Hungar. „ 1233. „ Tartari primo vaſtarunt Hungariam. „

e) Conradus URSPERG. in Chron. de rebus Conradi Regis.

f) Idem loco laudato.

1145. *garorum properat multitudine. Comites, qui præceſſerant, ab oppidanis, cujus rei cauſa tam gravem Regi intulerint injuriam, ſolerter percunctantur. Qui reſponderunt, ſe nec pro Romanorum Principe, nec pro Duce ſuo hoc feciſſe, ſed pro Domino ſuo Boriſio -- . Igitur rex Hungariæ ſuperveniens, caſtraque ponens, oppidum cinxit, diverſis inſtrumentis, tormentorumque generibus adhibitis, ac ſagittariis oppido circumfuſis. Teutonici, eo, quod Dux in ſuperioribus Bajoariæ partibus moraretur, Princeps vero in remotis regni maneret locis, cum nullum liberationis ſuæ ſolatium haberent, de facienda cum Hungaris pace pertractare incipiunt. Ita, ne multis morer, mutuo colloquentes, accepto a Rege ſub jure jurando promiſſo trium millium librarum in pondere, Caſtrum ſibi reddunt, ipſique ad propria redeunt* (g).

1146.

Inde bellum inter Hungaros & Auſtriacos obortum.

Abhinc grave inter Hungaros ac Auſtrios ſequente anno bellum exarſit (h). Cum enim Geiſa Borichium aut coooivente Henrico Marchione, aut opitulante etiam hæc moliri intellexiſſet, hoſtem illum palam declarat, ac vindictæ ſtudio copias Moſonium coire jubet, iode in Auſtriam moturus, ut initia militiæ ante ſuorum ora rudis adhuc tum pugil caperet. Molitiones utrinque adhibitas, & prælii eventum Friſingenſis his verbis complexus eſt: *Igitur Rex ad portam Meſiam* (i). *LXX. pugnatorum millia vel amplius habens, erupit, in campoque inter portam præfatam, & fluvium Litobe, qui Teutenia lingua Virvelt, & Lervelt, quod nos vacantem campum dicere poſſumus, caſtra poſuit. Dux etiam cum ſuis non longe ex altera parte ejusdem fluvii, qui Imperii Romani, & Regni illius ex uno Danubii latere, nam ex altero Maracha fluvius, limes eſt, ſuos convocans itidem caſtra metatur, miſſis exploratoribus, qui ſtatum hoſtium diligenter inquirendo ediſcerent. Altera die Rex in prædicto campo ad quandam ligneam Eccleſiam accedit, ibique ab Epiſcopis, nam eo uſque in puerilibus annis poſitus, nondum militem induerat, accepta ſacerdotali benedictione ad hæc inſtituta, armis accingitur. Poſt hæc acies ordinat, militem inſtaurat, poſitis in capite duabus alis, in quibus ſagittarii, quatenus vim hoſtium eminus repellerent, erant, & e regione una magna acie, cui avunculus ſuus Bela Dux præerat, in propria legione, ut ajunt plus quam XII. millia equitum retinens. Dehinc fluvium Litabe ex improviſo, exploratoribus Ducis non bene, propter quod miſſi erant, obſervantibus, trans vadando permeat. Appoſito mox in vicinis igne Dux itidem acies inſtituerat, & jam, quid facto opus eſſet, conſultabat, fruſtra exploratores, qui aut dolo, aut pigritia tardabant, expectans. Cumque alii pugnandum, nonnulli ex alio latere amnis Fiſcabæ, ſuper quem reſidebat, a termino ad duo tantum Teutonica milliaria diſtantem expectandum, atque robur hoſtium melius explorandum conſuluere, ſubito fumus apparens, ignis & hoſtium certum ſignum dedit, quibusdam ex noſtris putantibus, ac dicentibus, hoſtibus in fugam verſis, propria caſtra ignibus data eſſe. Itaque Dux, eſt enim manu fortis, mente audax, ſed moræ impatiens, ſubito arma corripuit, & ſecus, quam diſciplina militaris, & ordo expoſcit, non pedetentim incedens, ſed præcipitanter advolans, in hoſtem ruit, ſuis gregatim adventantibus, & dirupto legionum ordine confuſe venientibus. Denique ex præpetis curſus nimia velocitate, ſagittariorum impetum, qui in duabus præcedentibus alis poſiti erant, prævenit, ac illas cum duobus Comitibus, qui eisdem præerant, ferme funditus delevit. Poſt hæc illas duas magnas acies, Regis ſcilicet, & avunculi ſui Ducis impegit, ex Regis legione nullo egrediente, ſed tanquam in modum ſylvæ fixa immobiliter manente. Jamjam Hungari de fuga cogitabant, dorſaque vertere volebant, & ecce Teutonici, qui in poſterioribus alis Ducem ſuum ſequebantur, fugam ineunt Duce ignorante, vel ea quæ fiebant, ex pulveris multitudine, quæ illis in partibus ſiccitatis tempore maximus eſſe ſolet, conſpicere non valente. Barbari tunc primo vires ſummunt, Ducique tanquam a ſuis deſtituto, circumfunduntur. Dux nunc demum terga hoſti dare compellitur, ac tam pugnacis dextræ, quam pulveris aerem obducentis beneficio belli periculis exemtus, in vicinum oppidum Viennis, quod olim a Romanis inhabitatum Favianis dicebatur, declinavit. Hungari uſque ad prædictum fluvium tantum Fiſcabæ hoſtes perſequentes ad propria redeunt. Cecidit in hoc prælio virorum, nobilium, & illuſtrium pars magna, vulgi vero multitudo innumerabilis* (k). Hactenus Friſin-

Illi profligatis Germanis populationem ad Viennam circumferunt.

g) Otto Frising. de rebus geſtis Friderici I. Imp. lib. 1. cap. XXX.

h) Chronica Australis & Zvetlense chron. quod prælium affigit ad III. Idus Septembres anni 1146.

i) Opinor Moſonium legi oportere, quod non longe a Leita, ſeu Litaha flumine abeſt.

k) Lib. 1. cap. XXXII. de rebus Friderici.

ſingenſia: Aventinus (*l*). VII. millia cæſa: ex Proceribus Ratiboldum, & Otto- 1146.
nem captos perhibet. His quamquam ſimilia Bonfinius referat, maluimus tamen nar-
rationem ex illo depromere, ne quid a nobis exauctum ſuiſſe cuiquam videatur.

Ceterum Bela, quem hoc loco Friſingenſia Geiſæ avunculum ſcribit, Græ-
cis paſſim Beluſes dicitur, & Uroſio Serviæ Principe prognatum, cujus filiam Bela
cæcus in matrimonio habuerit, res explorata eſt. Poſtquam Principatum Serviæ ali-
quamdiu tenuiſſet, Deſſæ fratri natu minori cedere coactus in Hungariam ſe tranſtu-
lit (*m*), ubi paulum poſt dignitatibus ornatus Sclavoniæ præficitur, ut ex diplomati-
bus ejus ævi perſpicuum (*n*) ſit, nec nullam deinceps, ut narrandi locus erit, a ge-
ſtis bellis gloriam tulit.

Profligato Henrico Auſtrio haud minus periculum ab Conrado imminebat, 1147.
quod illum & partes Borichii aperte foviſſe ſciret, & itineris in Palæſtinam adornan-
di ſpecie ultionem capturum ſibi perſuadebat. Etenim Conradus poſtquam Henri-
cum filium ſuum, nondum pueritiam egreſſum, & cui Sophiam Belæ cæci filiam nu-
per deſponſam narravimus, Aquisgrani regem Romanorum creari feciſſet, immanes
copias ducens, numerabat enim præter peditatum, & levis armaturæ equites ad LXX.
millia loricatos, (*o*) emenſa Bavaria ac Auſtria, ſuperatoque Leita fluvio Hungariæ
ſe ſe infuderat, partim ſecundo Danubio, partim terreſtri itinere. Geiſa, viſo Con-
radum tantam multitudinem trahere, *ut*, quemadmodum Friſingenſis ſcribit (*p*),
& flumina ad navigandum, camporumque latitudo ad ambulandum vix ſufficere videretur,
de placando potius homine, quam vi, ſi quam appararet, repellenda cogitabat. Ita-
que non modo Conradum, ſed transeuntes quoque commeatu, & omni officiorum
genere, quantum res ſinebant, adjuvit. Verum Conradus ea humanitate nihilo mi-
tior, *ſub viatici, ſtipendiive ſacri nomine*, ita Bonfinius ſcribit (*q*) *e cunctis ſacris ædi-
bus, cænobiis, & Xenodochiis immodicam pecuniam extorſit.* Tum in Manuelis Græco-
rum Imperatoris ditiones delatus, variis fraudibus circumducitur, nullaque re felici-
ter patrata biennio poſt ex Syria reverſus eſt, ut temporum illorum ſcriptores litte-
ris conſignatum reliquere.

Conradus Imp. per Hungariam in Saracenos movet.

Haud multo poſt Ludovicus Franciæ rex Conradum ſubſequitur, & ipſe
demta claſſe, LXX. armatorum (*r*) millia per Hungariam ducens. Ut erat magno
illuſtrium virorum comitatu ſtipatus, habebat enim ſecum ex Lotharingis Stephanum
Metenſem, & Henricum Tullenſem Epiſcopos, tum Hugonem Vaudemontium Co-
mitem. Ex Italia autem Amadeum Taurinenſem, & hujus fratrem Guilielmum Montis
Ferrati Marchionem (*s*), ita, dum diſciplinæ conſuetus miles pacate, & ſine inju-
ria iter facit, ſumma ab rege & Hungaris benevolentia acceptus. Parum tamen ab-
fuit, quin in exitu litium aliquid oboriretur. Borichius enim conſilio quorundam
Hungarorum accitus, ſpem non levem conceperat, pleroſque, ſi penetrare in Hun-
gariam poſſet, ab rege tranſitionem ad ſe facturos. Itaque Francorum caſtris ſe
immiſcuit, ratus & inobſervatum ſe, & Ludovici clientela tutum fore. Aliter ta-
men conſilium cecidit. Proditum nonnullorum indicio Geiſa ab Ludovico per Lega-
tos repetit, hominem turbulenti ingenii eſſe, qui non modo regio ſanguini infamem
adulterii maculam aſpergeret, ſed ſemel, atque iterum rempublicam infeſtis armis
perturbaſſet. Quamobrem haud dubitare ſe, quin pro vetere amicitia Ludovicus
hominem omni cruciatu dignum legatis ſuis facile permiſſurus eſſet. Borichius de pe-
riculo admonitus poſito metu Ludovicum adit, & ad pedes ejus proſtratus, vitam
ſimul & veniam exorat. Rex quamquam infelicis calamitate commoveretur, tamen
ne, ſi incolumem dimitteret, Geiſam offendere videretur, rem omnem in conſilium
adducit: ferunt rogatis ſententiis *Epiſcopos & optimates diſcuſſa ratione judicaſſe, ut Rex
regi pacem ſervaret, & viro nobili, licet capto, vitam ſervaret, quia ſcelus eſſet utrum-
que, & morti hominem reddere, & amici ſine ratione fœdera rumpere* (*t*). Itaque voca-
tos ad ſe legatos edocet, re cum ſuis communicata omnium ſententiam eſſe, captum

Eum Ludovicus Franciæ rex conſequitur.

Latentem in hujus exercitu Borichium repetit.

Sed is matura fuga

Ll 2 ſine

l) Annal. Boicor. lib. VI.
m) Du Fresne de famil. Dalm. ac Sclav. cap. III.
n) Hiſt. Zagrab. p. 78.
o) Villelm. Tyrius lib. XVI.
p) De rebus Friderici I. lib. I. cap. XLIV.
q) Dec. II. Lib. VI.
r) Villelm. Tyrius loco laudato. Cui conſentit Chronicon Reicherſperg ad an. 1147.
s) Otto Frising. lib. & cap. cit.
t) Odo de Diogilo lib. II. qui in caſtris Francorum tum fuit.

1147.

in Græciam evadit.

ſine ſcelere reddi non poſſe, qui ad ſuos pedes, tanquam aram publicam, quæ omnibus ſaluti ſit, confugiſſet. Quo animo reſponſum ab Geiſa acceptum ſit, non conſtat: neque certum ſatis, quod Bonfinius perhibet (*u*). Borcichium ſubtracto Ludovici equo, caſtris, & diſcrimini ſe eripuiſſe. In Græciam tamen delatum, paucoſque poſt annos Manuelis milite adjutum Hungaros bello infeſtaſſe infra memorabitur.

1148.

Geiſa Minoslai Ruſſorum Principis filiam uxorem accipit.

Rex curis eatenus ſolutus Minoslao Ruſſorum Principi ſuppetias miſerat, quibus refractarios in officio contineret, & vim, quæ a Polonis imminebat, propulſaret. Sed Hungari a Rutenis & Cumanis male accepti (*x*) vix in Ruſſiam penetrarint. Utcunque inſeliciter expeditio ceſſiſſet, minime tamen deſerendum Minoslaum Geiſa cenſuit, quin ut amicitia firmiore vinculo ſtabiliretur, pubertatis annos jam ingreſſus filiam Ducis, quam ex Bulla Innocentiii IV. quibus privilegia cruciatorum confirmat, Eufroſinam fuiſſe dictam conſtat (*y*) perpetuo matrimonio ſibi copulavit, atque id unum navatæ in bello operæ precium fuit.

Ejus in res ſacras munificentia.

A bello Ruſſico ſacras res complexus eſt. Cum enim Eccleſia Budenſis caſtri a miniſtris Regiis injurias dolo malo acciperet, rex non modo quæ Ladislaus I. olim donaſſet, rata habuit, ſed nova ad hæc reddituum acceſſione locupletavit. Literas publicas, quoniam, quæ Geiſæ nomen referant, rariſſimas exſtare puto, operæ precium me referre arbitratus ſum, ſi annalibus inſeruero. In hunc vero modum habent.

In nomine S. Trinitatis, & individuæ unitatis. Cum generatio præterit, generatio ſuccedit, manifeſtum ſit tam modernis chriſtianæ religioni obedientibus, quam poſteris eorum devotionem imitantibus. Quod ego Geiſa ſecundus, ſecundi Belæ regis filius, divina diſpoſitione ſceptra paterni regni jure hereditario obtinens, reditus, quos prædeceſſor meus, rex Ladislaus, ad uſum fratrum Budenſis Eccleſiæ, ſcilicet CCCLX. penſas ſingulis annis de ſua camera ordinaverat, quod etiam mali regiæ Cameræ diſpenſatores ab Eccleſiaſtico uſu ſæpe ſubtrahere ſolebant, pro his omnibus, totius regni mei conſenſu, pro petitione Micko, ejuſdem loci Præpoſiti, tributum fori Geiſæ, & tributum portus Peſt, & Kerpes, navium etiam cum vino, ſive cum ſalibus aſcendentium, ſive cum aliis venalibus deſcendentium, eidem Eccleſiæ, Regiæ Majeſtatis authoritate condonare curavi. Præterea piſcaturam, quæ vulgo Thompa dicitur, a portu Megyer, uſque ad inſulam magnam Regis, ſicut Rex Ladislaus, ad uſum ejuſdem Eccleſiæ ordinaverat, ejuſdem litteris feci roborari, tali tamen tenore, ut abſque voluntate Præpoſiti, vel Capituli ejuſdem, nullus ibi piſcari præſumat: & ſi quis impoſterum quoque Regiæ diſpoſitioni contra ire voluerit, anathematis feriatur exterminio, Regis, & regni totius reus exiſtat. Cujus rei cauſa, multorum regni nobilium ſignata eſt teſtimonio, quorum ibi adfuit præſentia, ſcilicet Bani Beli, Joannis Epiſcopi, Antonii Epiſcopi, Gereonis regiæ curiæ curam gerentis, Joannis Comitis, Appa Comitis Zaith, Gabrielis Dapiferi, Cayphæ Magiſtrorum pincernæ, Bogislai regiæ cameræ Præſidentis. Et ut hujus rei ſeries firma, irrefragabiliſque permaneret, ſigillo privilegii per regiæ Majeſtatis Authoritatem inſignita eſt. Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quadrageſimo octavo. Glorioſo Geiza Rege in anno regni ſui octavo. Nicolao vero regiæ Capellæ præſidente, Notario Barnaba exiſtente hæc charta aſſignata eſt (*z*).

Habemus ex diplomate non modo certum aditi regni annum, ſed magiſtratuum quoque ac dignitatum normam, ac diſcrimen, quæ ad hodiernum fere modum jam in uſu fuere.

1149.

Gertrudem ſororem Miecislao Poloniæ Duci deſpondet.

Sequente anno Miecislaus Poloniæ Princeps defuncta Evdoxia Halicienſis Principis filia, quam in matrimonio prius habuerat, Gertrudem Geiſæ ſororem haud gravate obtinuit, virginem lectiſſimam, in qua liberalis forma cum ſingulari pudicitia ex æquo certabat, quæque virum, ipſo nuptiarum die, ad ſervandam ſecum caſtimoniam facile pertraxerit. In hanc ſententiam Timon (*a*), qui Miecislaum eundem cum Henrico Boleslai cognomento Criſpi fratre exiſtimat. Cromerus autem (*b*) utrumque diſertis verbis ſecernit, & Henricum quidem cælibem vitam ſectatum, Miecislaum contra conjugio innexum fuiſſe perhibet. De hoc tamen malim Poloni

ut

u) Dec. II. lib. VI.

x) Thvrocz. Chron. cap. LXVI.

y) Timon in Epitom. Chronol. ad hunc annum.

z) Peterfy Tom. I. Concil. Hungar. diploma id ſub Andrea III. quod fere jam vetuſtate exeſum eſſet, renovatum fuit Anno 1292.

a) In Epitom. Chronol. ad hunc annum.

b) Rerum Polonicar. lib. VI.

ut diſceptent. Ceterum narrationem veritati vix conſentaneam eſſe ax auctore Mſ. Admontenſis, quem ſupra laudavimus, nullo pene negotio conficitur, qui Belæ cæco præter Sopbiam Henrico Conradi filio deſponſam, nullam filiam tribuit, niſi Bela in vitæ exitu, quod magnopere ambiguum eſt, Gertrudem ex conjuge ſuſtuliſſet.

Sophiam ex Admontenſi cœnobio repetit.

Commodum Sophiæ injecta mentio eſt: quæ etſi, ut narravimus, Conrado per Legatos crebro agente, Henrico puero, ut illi in manus conveniret, promiſſa fuiſſet, &, quoad utrinque connubio aptarentur, in cænobio virginum Admontenſium ſervata, tamen Henrico e vivis erepto, mentem ad ſanctiora traducens, inter cænobii Virgines ut adlegeretur, impenſe orabat. Verum Parthenonia Antiſtita metuens, ne quid ſibi, & cænobio ab rege moleſtiæ propterea crearetur, collaudato virginis animo nec negare aditum, nec polliceri auſa eſt. Non vanum fuiſſe metum exitus haud multo poſt tempore oſtendit. Geiſa enim mortuo Henrico ſemel atque iterum, tertium denique, ſed fruſtra ſororem in Hungariam per Legatos acciverat. *Ad extremum*, ut habet Mſ. Admontenſe, *reputans apud ſe, vi fortaſſe teneri eam a rectoribus monaſterii, indignari cæpit adverſus locum, & niſi quantocius redderetur; excidium, vaſtationemque minari: ſed virgo caſtiſſima, mente & corpore ad omne bonum diſpoſita, DEO magis, quam ſæculo placere deſiderans, & ſororibus ibidem degentibus adhærere; apertis oſtiis Clauſtri cum Abbas in ejus poſuiſſet deliberatione, intus manere, vel ad nuntios fratris exire, manere intus dilexit, & nunquam a propoſito virginitatis recedere. Rex autem nimio germanitatis affectu circa ſororem affectus, cum ſecundum ſæculi hujus magnitudinem ſublimare eam vellet, modo vi, modo aſtu, & ingenio teneri eam quærebat, habitoque cum neceſſariis conſilio ire parat, liberare eam in manu forti: ſed viri magni, & prudentes, quos conſilio adſciverat ſuo, regem monebant, non abire, nec cito Teutonicorum regno bellum importari debere ſine cauſa belli, optimum eſſe factu, ut miſſa perſona publica, & honeſto comitatu, cum decore, & diſciplina repeteret Dominam, quæ ſi inordinate detineatur, juſtas demum commotionis cauſas fore. Sed quid multis? licet ægro facto animo rex audiit conſilium. Mittit proinde Ducem unum, virum fortem, cognatum ſuum* (c), *amatorem gloriæ ſuæ, & cum eo militiam magnam. Et ecce! ventum eſt in Agmont. Abbas vero, & Fratres conſpecta multitudine, & potentia Legati, rem agi ſerio vident, turbantur, præſidia orationis quærunt. Deinde egreſſi ad Legates, reſponſa Tyranni accipiunt: ſcilicet ut puellam reddant, aut graves regis Ungarorum experiantur inimicitias. Abbas vero* (erat is Godefridus) *vir dignæ authoritatis, gnarus ad omnia, maturoque pollens conſilio, meritis, ac religione, decus, ac firmamentum monaſtici ordinis, ad verba Legatorum his paucis reſpondit: In hac cauſa nihil a nobis perperam actum eſt, ſive agetur, ſed hodie curam corporum veſtrorum, quia itinere fatigati eſtis, volo, ut agatis, negotium vero veſtrum craſtina die expediatis. Itaque lauto apparatu epularum, multaque diligentia eis miniſtratur.*

Litem propterea obortam.

Sequenti vero die Abbas ad Legatos, & quid, inquit, facietis, ſi Domina veſtra ſponte vobiſcum venire noluerit, numquid invitam abſtrahetis? numquid volenti, & renitenti, manus violentas injicietis? ſiquidem hoc regibus, & reginis extremum eſt dedecus, vi trahi ad quod nolit, & mitti quo non velit, atque alienæ voluntati, ſeu violentiæ mancipari, non id puto convenire libertati ingenuæ. At illi ſic inquiunt, & nos libertati ſuæ reſtituemus, & non vim, ſed obſequium præbebimus eunti. Denique ſi ab indigna coactione ſoluta, libertati fuerit reſtituta, certe quidquid propria deliberatione elegerit, neque nos prohibere debebimus. Et rex Hungarorum invictiſſimus indecenter, vel contra decus regii ſanguinis habitam germanam ſuam cauſari non poterit. Placuit ſermo Abbati, & Patribus; venientesque in atrium Baſilicæ ante fores clauſtri, quo virgo ſancta cum convirginibus clauſa degebat, duos globos faciebant: ſeorſim Legati, & milites, populuſque multus, qui ad ſpectaculum venerat, & ſeorſim Abbas cum fratribus. Reſerantur ergo poſtes, januæ clauſtrales panduntur, regina ad nuntios exire rogatur. Negat illa, nihil ſibi, & eis eſſe dicens; legem ſe loci, & limen januæ, niſi morte obita non eſſe tranſituram. Docetur ergo, quid inter Abbatem & Legatos ſententiæ, ac rationis de ipſa conſtiterit: illam de clauſtris in apertum egredi oportere, liberam fieri, coactione ſolvi, cæterum in ejus arbitrio locandum, quam ſibi viam

c) Suſpicor aliquem ex fratribus fuiſſe, Ladislaum, aut Stephanum, niſi forte Bela avunculus fuerit, Sclavoniæ Banus, & Dux militiæ, qui nuperno bello contra Auſtrios geſto inclaruit.

1150.

elegerit. At illa fœmineo corpore viriles animos gerens, ubi vidit, quia ſic neceſſe eſſet, neque litem aliter poſſe decidi, pede limini impoſito: en, ait, ſancta Maria Domina mea, Patrona mea, Mater Domini mei JEſu Chriſti ſponſi mei, ſalva gratia tua, & pace, te Duce, te Comite limina tua tranſeo, te adjuvante, te protegente cito reverſura, tibi commendo cauſam meam Virgo Virginum. Et tu beate Blaſi Martyr Chriſti, Patrone, Admontenſium, Domine & Dominator hujus loci, qui me a Parente meo tibi commendatam divina ordinatione in hæc tecta ſuſcepiſti peregrinam, obſecro, ne me derelinquas. His dictis flebant Virgines, fratres flebant, univerſi egrediuntur; illa modeſto gradu ac lento in medium tendens: Legati ſtabant immobiles, veſtes tantum, ac purpuram, gemmaſque pretioſas in cultum ſæculi ei offerentes, ac prætendentes ad reginæ animos pelliciendos.

Ipſa inſtitutum religioſum amplexa diſſolvit.

Omnes igitur qui aderant, immoti ſtabant, avide ſpectantes, quid eſſet factura, nullo ei appropinquante. Sacræ autem Virgines ſtabant ardentiſſime flentens, & orantes, veritæ admodum, ne tantum decus ſocietatis amitterent. Itaque Virgo libertatem, & abſolutionem ſuam in medio poſita ſatis oſtenderat omnibus. Ad nuntios autem verſa regina Virgo, modeſte inclinans vale fecit eis. Deinde via, qua venerat, ad ſorores rediens, clara voce multam compunctionem omnibus excitans, cantare cæpit: regnum mundi, & omnem ornatum ſæculi contempſi, ſuccinentibus cæteris virginibus, quæ illam in limine ſtantem operiebantur. Omnis quoque populus voces, & laudes dedit, in excelſum gratias agens Deo, quod virgo nobilis, & tenera, tam virili mente ſæculi abjeciſſet delicias. Nuntii quoque non minus aliis Dominam magnificabant, omniaque ornamenta, ſeu veſtes, quas in uſum ſæculi ei portaverant, monaſterio conferunt, & reginæ valefacientes, ejusque ſe orationibus commendantes, in pace, & gaudio ad Dominum ſuum revertuntur, quæ geſta erant, ei referentes. Mitigatus eſt itaque rex, ultra a propoſito ſuo illam revocare deſiſtens.

Hæc propterea prolixius, quod regiæ virginis memoriam, quæ ab exceſſu ſanctimoniæ famam adepta eſt, a nemine, quod ſciam, noſtrorum litteris conſignatam repererim.

Profligato bello Ruſſico.

Abhinc curæ ad Ruſſicum bellum convertendæ erant. Cum enim Lodomerius tum per ſe ſe clientelis multorum potens, tum Cumanorum auxiliis fretus in Minoslaum ſemel atque iterum arma corripuiſſet, multiſque captis oppidis ad ſtabiliendam tyrannidem animum jam adjiceret, Geiſa ſocero undequaque in arctum redacto ſuccurrendum cenſuit. Itaque comparato ingenti exercitu una cum Ladislao & Stephano fratribus in Ruſſos contendit, quo & Minoslao imperium confirmaret, & rebellem Lodomerium in ordinem redigeret. Hic nihilo ſegnior In retinenda dignitate, quam in arripienda fuerit, collectis itidem ex Rutenorum, ac Cumanorum plebe copiis occurrit: mox initum prælium, in quo cum acerrime utrinque dimicatur, Lodomerius ad extremum inclinata acie cum ſuis in fugam vertitur. Noſtri bello feliciter confecto, ac paucos intra dies omnibus recuperatis, quæ Minoslaus ſive

1151. ignavia, ſeu aliorum perfidia amiſerat, ovantes in Hungariam redeunt.

Arma in Serviam traducit.

VIx res adverſum Ruſſos in anni exitu feliciter patrata fuit, cum ſequente aliud in Servia bellum exortum eſt. Fuit id temporis Serviæ Jupanus, ſive Princeps, nomine Bachinus, cujus ſororem Bela, Geiſæ avunculus matrimonio ſibi conjunctam habuit. Is cum Manuelis dominationem plenam faſtus patienter ferre non poſſet, affinem miſſis clam nunciis obteſtatus eſt, ut præ Græcorum dominatu Hungarorum clientelam eligeret. E-dem crebro Geiſæ dicere, & hortari, ne pulcherrimam adipiſcendæ Serviæ occaſionem ignave præterlabi ſinat, ſin id nollet, certe ſuppetias Principi, qui non peſſime de ſe meritus eſſet, & Græcanicis injuriis præterea pateret, mittere ne gravaretur. Geiſa ſive re ipſa ſpem obtinendi illius Principatus habuit, ſeu Belæ precibus ſecum a teneris educti, id tribuit, magnam auxiliariorum copiam Bachino pollicitus eſt. (*d*) Atque hæc cum hujus, tum aliorum bellorum, quæ inter Hungaros & Græcos deinceps coorta ſunt, cauſa, & origo fuere. Quæ mirum eſt, cum a noſtris, tum exteris plerisque ſcriptoribus ſilentio involvi; niſi forte aut ignorata, aut ſtudio a domeſticis ſint prætterita, quod & cum inſigni jactura, tum nonnullo noſtrorum dedecore parum feliciter geſta eſſent. Sed nos, quibus potior verita-

tis

d) Joannes CINNANUS Hiſtoriarum lib. III. §. VII. Extat in collectione ſcriptor. Byzantinorum.

cis, quam ignominiæ debet eſſe ratio, præſertim ſi ex rebus, quæ in noſtro arbitra-
tu non ſunt, contracta ſit, omnem bellorum quæ cum Græcis geſſimus, eventum
ex Cinnamo, homine quidem Græco, ſuisque ſupra fidem ſtudioſo, coævo tamen,
& qui maximam partem rebus geſtis interfuerit, depromemus.

Inde Græcanicum bellum exortum.

Manuel igitur, penes quem res orientis tum erant, ut primum certis nun-
ciis comperiſſet, Servios ab Geiſa adjutum iri, imperata continuo ſuis profectione
magnis itineribus in Serviam contendit. Haud procul Strimone fluvio obvios in Thra-
cia Hungaros habuit, quibus a Joanne Protoſebaſto levi velitatione profligatis, ma-
gis enim explorandi, quam „ pugnandi cauſa illo ex Servia procurrerant, intellecto-
„ que ex captivis, Dalmatis, Hungarorum copias in dies exſpectari, ad Taran flu-
„ vium caſtra figit. Huc ut ventum eſt, Dalmatarum vis innumera armis inſtructa
„ ante ſolis occaſum apparuit, qua conſpecta, angore & metu perculſi Romani id con-
„ feſtim nuntiatum veniunt. At Imperator felici aſſecutus conjectura, copias, quæ
„ conſpiciebantur, eas eſſe, quas ab Hungaris in auxilium exſpectabant Dalmatæ
„ (e), id firmante præterea Churupo, quo ſpeculatore uſus erat, nunc igitur, in-
„ quit, Romanos invadere decreverunt Dalmatæ. Neque haud ita procul caſtra ii
„ poſuerant: ſed quia nox inſtabat, ejusmodi cœpit conſilium. Moris eſt euntibus
„ in bellum Romanis, ſiccubi morari neceſſe eſt, præcipiti jam die tuba per exer-
„ citum canere; idque pro ſigno eſt multitudini, etiam poſterum diem eo in loco
„ tranſigendum. Quo igitur conſuetudinis hujus Romanæ haud ignari hoſtes falle-
„ rentur, canere tubas continuo imperat: ſingulis autem Ducibus mentem ſuam,
„ quam poteſt, occultiſſime aperit. Oportere nimirum, orto ſtatim ſole quemque
„ cum delectis ex ſua phalange cataphractis immotum ſtare, ſuumque expectare
„ mandatum, ſed, ne manifeſti forent, præcepit, ut viliſſimis tegumentis armatu-
„ ram circumducant; illi prout ȷ.nperatum erat, faciunt.

Manuelis Imperatoris adverſum Servios apparatus.

„ Poſtquam igitur illuxit dies, cum illis, velut pabulatum iturus, excedit
„ ex caſtris, eoque inermes aliquot præcedere jubet cum ligonibus, & dolabris,
„ quibus ſubterranea inveſtigare ſolent granaria, qui commeatum, & res neceſſarias
„ exercitui provident; ſimul autem, ac invadentes hoſtes cernerent, fugere impe-
„ rat, donec ſubſequentibus a tergo Romanis adjuncti in tutum reciperentur. Ut
„ enim, quæ gerebantur, in tempore Duci eſſent cognita, primum duos, inde par-
„ vo intervallo quatuor, tum ſex, poſtea decem, denique plures jubet præire;
„ aliamque ad hæc phalangem pharetratam cum ordinaſſet, aliunde in hoſtes ire præ-
„ cepit, cum mandatis, ut, ſi prælium inirent Dalmatæ, terga verterent, velut
„ numero inferiores, ſin vero nemo occurreret, quieti ante vallum conſiſterent.
„ Non alio itaque hæc inſtituit conſilio, quam, ut ſi ipſo cum cæteris copiis in-
„ gruente, fugere inciperent Dalmatæ, ab expeditioribus iis comprehenſi cæderen-
„ tur. Haud igitur longe proceſſerant, cum Romani quidam ſpeculatores reverſi
„ ad Imperatorem vacillante lingua, metuque pallidi nunciarunt, innumerum in ad-
„ verſa ripa fluminis inſtructa acie ſtare exercitum, neque illum tantum in indige-
„ nis, ſed immenſum etiam alium ex auxiliaribus copiis conflatum, præſertim Hunga-
„ ricis equitibus, &, qui apud illos diverſæ ſunt religionis, Chaliſiia (f). Hos igitur,
„ ut & Pazinacas (g) Dalmatis adjunctos eſſe referebant. Ea ut audivit Imperator,
„ veritus, ne pauci, qui præceſſerant Romani a pluribus circumcluſi perſtringeren-
„ tur, confeſtim perexit, urgenſque ſigniferum, ut ſubſequeretur, cum defeſſo
„ ſcilicet equo lentius incederet, ipſe arrepto ſigno Princeps maturavit curſum, ac
„ loco editiore conſiſtens, & ſe, qualis eſſet; & vexillum hoſtibus conſpiciendum
„ præbuit. Delati interea ad flumen ſagittarii, Dalmatis ſtabant obverſi, ſed neu-
„ tris pugnam concitantibus quievere. Simul autem, ac Imperatoris conſpectum
„ eſt vexillum, a ponte abſceſſere Dalmatæ, & abſque ullo impedimento ſagittis

e) Hoc nomine Servios innuit, ut ex futuris patebit, & ex aliis ſcriptoribus certum eſt, quod Græci Serviam Dalmatiæ quoque nomine nuncupariat.

f) Iidem forte ſunt qui in primorum regum decretis Saraceni appellantur, cum Cinnamus diſerte eos ritum Moſaicum ſectatos eſſe prodiderit. Judæi profecto non erant, qui Romanis ex Syria & Aſia non poterant non eſſe cogniti.

g) Hoc nomine Tranſilvanos Græci paſſim innuunt.

1151.

„ hoſtes impetiere. Id ubi Princeps videt, ſtabat enim in loco eminentiori, &
„ quæ gerebantur, advertebat, velut cum ceteris flumen trajecturus, advolat. Dal-
„ matæ vero licet haud magno numero militea inſequerentur, fugere nihilominus
„ donec ad loca difficilia pervenerunt. Mox inde converſi occurrerunt hoſtibus:
„ verum facto congreſſu ceciderunt utrinque pauci; quippe, ubi Imperatorem ad-
„ eſſe percipiebant, diſſolvebantur iterum. At Romani fugientibus ſemper inſtan-
„ tes eorum multos, ut & Pannonum occiderunt. Tum quoque in manus venere
„ Romanas celeberrimi inter Dalmatas viri, Gurdeſes, & Bultzines. Imperator
„ interea ſuis indui armia vehementer exoptabat. Ejus rei gratia cum aliquantum
„ inſumſiſſet temporis, neque enim prope aderant, qui ea afferent, accidit, ut qui-
„ dam e Romanorum Ducibus, in quibus ſuere Giphardus, & Michael cognomento
„ Branas, compluresſque alii, manu perinde, ac regendis copiis ſtrenui, dum ef-
„ fuſius hoſtes inſequuntur, in ardua, & avia loca delati manifeſto periculo invol-
„ verentur; Dalmatæ quippe Romanos a ſuis ſejunctos conſpicati, reverterant, ſta-
„ bantque obverſi.

In hoſtem proficiſcitur.

„ Ea cum ſe ita haberent, jam armis indutus Imperator, totis habenis in
„ illos fertur, quos cum uno in loco arctiſſime in ſe coeuntes advertiſſet, palam re-
„ prehendit, increpatque acerbiſſime, & metum, & militiæ imperitiam exprobrat.
„ At iis loci ſitum, & immenſam nivium vim cauſantibus, præcedit ipſe, ac reliquis,
„ ut ſequerentur, imperavit, jam enim & aliæ advenerant Romanorum copiæ. Dum
„ itaque iter faciunt, hoſtium aliqui repente ex inſidiis coorti, Romanos, qui ad
„ ſiniſtram erant, adoriuntur: ſed Imperator videns eos numero pauciores, contem-
„ tis illis, continue hoſtes inſequebatur pertinaciter, quo Archizupanum ipſum ca-
„ peret, aut, qui tum Pannonicis copiis præerat, ea tempeſtate fortiſſimum Du-
„ cem (*b*). Qui igitur ex inſidiis prodierant, nullo edito facinore rurſum diſſipati
„ ſunt. Aliquanto ſpatio hoſtes inſequutus Princeps, ubi ſuos delaſſatos advertit,
„ relictis iis, ac duobus aſſumtis cognatis, quorum alter fuit Joannes Ducas, alter,
„ qui uxorem duxerat Andronici Sebaſtocratoris filiam, nomine Joannes, cogno-
„ mento vero Cantacuzenus, cum iis in hoſtes perexit, ſed illo ab iis agnito ex ar-

Et feliciter confligit.

„ mis, quæ multo obducta erant auro, cum præterea corporis ſtatura excelſiore
„ ſatis proderetur terga nullo pudore dederunt. Fugientibus incumbentem ajunt
„ uno haſtæ ictu quindecim ex hoſtibus in terram proſtraviſſe. „ (Quo loco non
poſſum me continere, quin narrationem Cinnami interrumpam, & lectorem, quam-
quam per ſeſe offucias has me etiam non monente intelligat, commonefaciam, aucto-
rem Græcanici quidem faſtus eſſe, & nimis in narrandis rebus minutum, quia tamen
alii, qui res eas conſignarint, deſunt, propemodum neceſſarium. Sic vero rem ge-
ſtam porro pertexit). „ Cantacuzenum autem, unicus quippe adequitabat ex Impe-
„ ratoriis cognatis, ut progrederetur, & cum barbaris manus conſerret, imperavit,
„ ut nimirum, dum circa illum ſic occuparentur, ipſe viciſſim eos aſſequeretur. Nec
„ aberravit a conſilio; poſtquam enim quam citiſſime ſe ſe in hoſtes intulit Joannes,
„ Bachini Archizupani tergum percuſſit, totumque haſta transverberaſſet hominem,
„ ni præpediviſſent arma. Is autem converſus videt ſe a duobus impeti; namque Im-
„ peratori aderat alter Joannes, cujus modo mentio facta eſt. Septem igitur ſuorum
„ adſcitis cum Cantacuzeno congreditur, fitque collato pede prælium. Sed dum ſub-
„ inde advenere undecunque barbari, in extremum periculum adductus eſt Cantacuze-
„ nus, & ab iis fuiſſet obtruncatus, niſi haud procul conſpectus illum exemiſſet Im-
„ perator. At neque ipſe expers fuit diſcriminis. Verum abjecta protinus haſta
„ enſem, quo accinctus erat, ſtringens, crebrius in eos verſat, ferit viciſſim, & feri-
„ tur, donec diſſipatis aliis in Bachinum fortitudine præcellentem, & procero admo-
„ dum corpore virum tota prælii vis incubuit. Poſt longum ergo certamen Bachinus
„ maxillam Imperatoris gladio percuſſit, nec tamen diſſecare potuit dependens ex
„ galea ſuper oculos velamen: adeo autem vehemens ictus fuit, ut galeæ circuli
„ non modice carni inhærerent, notasque imprimerent. At Princeps acceptum e
„ bar-

b) Mirum eſt, Cinnamum, qui alias res tam minutim perſequitur, nomen præſtantiſſimi viri non prodidiſſe. Suſpicor Belam, aut, ut nonnulli ſcribunt, Belum fuiſſe, qui ſub Geiſa Comes Palatinus erat, horum enim partes fuere, exercitum ducere.

An. Chr. 1151.

„ barbari manibus enſem patrueli ſuo tradidit; inde iterum in hoſtem contendere ve-
„ hementius peroptabat; ſed impetum inhibuere uterque Joannes, & Bachinus,
„ quippe captus barbarus benevolentiam ſimulabat. Nec ita multo poſt Legati ab
„ Archizupano in caſtra venerunt, qui præteritorum oblivionem deprecarentur; ſta-
„ timque jubente Principe venit ipſe ſub miſerandi hominis, ac ſupplicis habitu, at-
„ que ab Imperatore benevole exceptus veniam delicti obtinuit. Tum paulisper ab
„ humo exſurgens, ubi ad Imperatoris pedes proſtratus jacebat, jure jurando pacta
„ confirmavit, fidemque dedit, ſervum ſe Romanorum omni tempore futurum, &,
„ ſi vel in occidentem arma princeps circumferret, cum duobus ſe millibus ſecu-
„ turum illum profeſſus eſt: ſi vero in Aſia bellum gereretur, trecentis, quos prius
„ mittere conſueverat, ducentos additurum (*i*). His conditionibus confecta pace
Manuel in urbem rediit.

1152. *Secunda fortuna elatus in Hungarorum ditiones bellum infert.*

Nihilo tamen minus ab armorum cura utrinque ceſſatum eſt: Hungari ſecundas Græcorum in Servia progreſſiones veriti, Dalmatiæ, & ſuo quoque regno metuebant; Manuel contra moleſte ferebat, Servios a noſtris ſuperiore anno adjutos: Ad hæc certis nunciis comperit, Lodomerium Haliciæ Principem, cui fœdere illigatus erat, Minoslai cauſa aliquot præliis fractum, pene de provincia deturbatum ab Hungaris eſſe. His de cauſis ad inferendum Hungariæ bellum confirmatus eſt. Ne quid tamen præter æquitatem facere videretur, litteras ad Geiſam dat, quibus breviter de violato foedere queſtus, ingratiis coactum ſe ſignificarat, ut correptis armis ſuas, & ſuorum injurias vindicaret; adfuturum ſe proinde cum exercitu, quo controverſiæ ferro dirimerentur. Neque multis moratus trajecto Savo obvia quæque populatur, tum Sirmio oppido, Græcis Zeugminum dicitur, obſidionem circumdat; quæ cum lentius, quam vellet, progrederetur curam eam Batatzi, ſtrenuiſſimo ſuorum Ducum, mandat; ipſe cum parte exercitus regionem omnem cædibus, ac rapinis pervagatur. Interea, qui loci præſidium tenebant, quod Geiſa cum auxilio propediem affuturus credebatur, omnem defendendo Sirmio operam impendere. Ea res Batatzi difficilem prorſus oppugnationem fecerat: nihilo tamen ſegnius urgebat, quoad præſidiarii, cum nec locum, magna parte hoſtium machinis jam dirutum, tueri ſatis poſſent, neque ſpes ſuppetiarum affulgeret, deditionem ſe facturos pollicerentur, hac conditione, ut ſalvis corporibus liceret oppido excedere. Id cum abnueret Manuel, dedito Sirmio omnes in captivitatem abducti ſunt (*k*).

Sirmio urbe potitus.

Diruta funditus urbe ne præſidio noſtris eſſet, reditum apparabant Græci, jamque ad Savum conſtiterant, cum repente nuncius affertur, Geiſam immenſas ſecum copias ducere, & rem prælio experiri velle. „ Quo cognito Imperator reliquam aciem,
„ impedimenta, ingentemque, & innumeram captivorum multitudinem in adverſam
„ transferri ripam jubet, ibique conſidere. Ipſe cum delectis militibus, etſi conſi-
„ lium haud probarent ducum plerique, ſumma celeritate in hoſtem contendit. - -
„ Illud etiam de eo fertur, quod quidem, ſi id egit ex animi conſilio, laudare vix
„ poſſum; ſi autem, quia tum quidpiam præviderit, quod reor, aut tutari, ac de-
„ fendere voluerit, qui circa ſe erant, Romanos, militaris prorſus providentiæ fa-
„ cinus memoratu dignum eſſe arbitor. Cum enim ab Savo ſtatueret diſcedere, quo
„ Hungaris occurreret, vaſaque jam collegiſſet, imperavit navium Præfecto, ut in
„ alteram fluvii ripam trajiceret, ibique conſiſteret cum navibus: ac ſi quis ex Ro-
„ manis fugam meditatus ſe trajici poſtularet, quaſi non videret, hominem nihil mo-
„ raretur. „ Vel ſi ipſe, ajebat, Imperator adero, aliaque, ac modo videantur,
in animum induxero, quæ juſſero, negligas neceſſe eſt, ſin ſecus feceris, continuo
palo affixus ſupplicium non effugies. „ Ea quidem ille ſic tum ordinavit, ut ad au-
„ daciam, & magnanimitatem aditum - - militibus quodammodo faceret. Ubi enim
„ nullum ex metu compendium adeſt, tum ab audacia neceſſario petendum eſt auxi-
„ lium. Abitum itaque inde paranti quidam e Romanis captivis, qui ab Hungaris
„ evaſerat, jam jam adventurum regem indicat. Hoc accepto nuncio, Imperator
„ vix ſe ſe continere potuit, veritus, ne cum prior adveniret, fugientes Roma-
„ nos aggredi videretur Hungarorum exercitus. Ordinata igitur acie retro ceſſit, ut

Adventanti Geiſæ occurrit.

i) Cinnamus lib. Hiſt. III.

k) Idem ibid.

1152.

„ vero conſtitit non ipſum adeſſe regem; ſed (*l*) Beloſim, qui primas apud eum obtinebat, Banum vocant ejusmodi dignitatem Hungari (*m*), appropinquare cum exercitu, in eum citato impetu fertur. Verum cum nox ingrueret, equo deſiliens, totus armatus ſuper inverſo, & ſupino clipeo ſomnum cepit, idemque, ut milites facerent, imperavit. Poſtero autem die Beloſis adventare Principem certior factus, cum univerſo exercitu retroceſſit, neſcio, quos haud ſanæ mentis ſimulans prætextus. Quo enim fugæ captaret occaſionem, mandatum ſibi ajebat a rege, ut ab hac regione abſcederet, iterque intenderet ad Branizovam, ut inde facilius Romanos adoriretur. At Imperator, cum necdum fugientes inſequi ceſſaret, ſuperato fluvio Branizovam pervenit, ibique caſtra poſuit. Paullo poſt in aliam Hungariæ partem, ubi mons eſt, Temiſes ab incolis dictus, quo vaſtaret adjacentes agros mittit cum exercitu Borizem (*n*). - - Eum in locum poſtquam venit - - majores vicos incolarum frequentia late extenſos, omnibusque refertos bonis circumeundo depopulatur. Ad hæc cum tribus Hungaricis phalangibus conſertis manibus hoſtes plane fudit, qui adeſſe Principem putaverant, rediitque in caſtra præda gravis. Rex autem, ubi intellexit Borizem, non Romanorum Imperatorem hæc intuliſſe Hungariæ damna, totus prælium ſpirans a tergo inſequitur: ſed enim non potuit aſſequi Borizem, qui ſub noctem exceſſerat, prælucentibus facibus, quas crebras Princeps accenſas ſubmiſerat e caſtris. His fortunate geſtis Imperator, expugnatisque, quantum licuit, transiſtrianis oppidis, ibi aliquamdiu moratus, Iſtrum ſuperare rurſum, & cum rege, qui in altera fluvii ripa caſtra habebat prælium conſerere ſtatuit. Quod poſtquam ille advertit, veritus fortunæ exitum, &, ſi male res cederent, ne Hungari internecione delerentur, Legatos ad petendam pacem ad Imperatorem miſit, qui tandem Byzantium redux, acto triumpho præclaras DEO gratias retulit „ (*o*). Triumphus tamen majore levitate, quam gloria actus eſt. Ejus enim elegantiam, ut ſubdit Choniates (*p*) „ Hungarorum & Serviorum captivi illuſtrarunt, veſtibus ſplendidioribus, quam pro ſua conditione, ab ipſo exornati, ut ea quoque re victoria glorioſior, & civibus, atque exteris admirabilior eſſet. - - Illud etiam pompæ ejus admirationem auxit, quod captivi non omnes una ibant, ſed in claſſes diſtributi, atque intervallis diſtincti, ut ſpectantium oculi decepti majorem eſſe numerum arbitrarentur. „ Diceres ridiculam magis ſcenam agi, quam ovationem Græcanico tamen faſtu non indignam.

Et Borichium in Temeſienſem agrum immittit.

Confecta demum pace triumphum Græcanico faſtu agit.

1153.

Recrudeſcit bellum, tum renovatis fœderibus ſopitur.

Annus inſequens bis obmoto bello, totiesque confecto fœdere Hungaros inter & Græcos memorabilis fuit. Geiſa enim cum præteritis calamitatibus, quas Manuel Hungariæ ditionibus inflixiſſet, ad ultionem irritaretur, conſcriptis undique copiis, Græcorum provincias invadere conſtituit. Confirmabant regem in propoſito novæ molitiones Imperatoris, quas in Siciliam machinabatur, quo claſſem cum bona exercitus parte miſſam eſſe ex variis nunciis intellexit. Itaque tempore uſus magnis itineribus in Græciam properabat; e re publica futurum ratus, ſi bellum in hoſtico traheretur. Manuel ut primum, quid Geiſa molieretur, accepit, *ad Iſtrum quanta potuit celeritate reverſus Hungaricis copiis in altera fluvii ripa conſidentibus ſe objecit. Aliquamdiu pars utraque a prælio ceſſavit, quod neutra vellet incipere, ac Romanorum præſertim, quorum naves nondum advenerant. Sed ubi aliquot poſt diebus, confectas ex ea, quæ occurrebat, materia naviculas complures deduxere in flumen. Tum, quæ gererentur, edoctus Hungariæ rex, veritusque ne rurſum belli fortuna inclinante principatum ipſum diſcrimini exponeret, iterum ſe ad pacis conditiones contulit. Miſſis igitur Legatis petiit, ut*

decem

l) Belam ſeu Belum, nam hoc quoque nomine a noſtris ſcribitur, intelligit, Geiſæ, ut alias dixi, avunculum.

m) In Sclavonia & Dalmatia, non item in Hungaria, ubi Palatini dignitas poſt regem prima eſt. Fortaſſe Belus hoc quoque anno Palatinus fuerit: certe fuiſſe anno 1156. hac dignitate ornatum Jongellinus perhibet. Cujus res geſtas R. P. NICOLAVS SCHMITT e S. J. erudite, ut in aliis ſuis operibus, quæ hactenus in lucem magno reipublicæ litterariæ augmento emiſit, complectitur. Viro huic, ſi quid in re hiſtorica poſſum, quod me primus litteris politioribus inſtituendum acceperit, permultum me debere palam profiteor.

n) Borichium ſine dubio innuit, quem ex caſtris Francorum, aut cum his ad Græcos avaſiſſe ſupra narravimus.

o) CINNAMVS Lib. III.

p) Annal. Lib. II.

An. Chr. 1153.

decem non amplius Hungarorum millibus mulctatis, reliquam captivam multitudinem recipe-
ret, his conditionibus amicum ſe, quamdiu viveret, Romanorum, & fœderatum ſemper fore
pollicitus (q). Hunc in modum pax coaluit oſtentato ſolum eminus bello; quod e
ſententia confectum iri ſpes non erat nulla, ſi in principio, cum navibus Romani
deſtituebantur, ab Geiſa illatum fuiſſet: adeo verum eſt, uno ſæpe temporis mo-
mento, quod hoſtibus impune elabi ſinitur, omnes belli rationes converti. Rur-
ſum in anni exitu, ubi Græcorum claſſem a Siculis partim captam, partim profliga-
tam Hungari accepiſſent, Manuelem bello petendum cenſuere. Sed cum is in iſto-
rum motus pervigil excubaret, contracto repente exercitu improviſus omnibus in-
gruit prius, quam militem ab eo comparari intelligerent. Itaque finitimorum turbas
cauſati priora fœdera novis pactis confirmant.

Hungari, pellecto in ſuas partes Andronico, rurſus bellum moliuntur in Græcos.

Geiſa æger animo, quod, quæ hactenus in Græcos tentarat, minime ex 1154.
ſententia cecidiſſent, omnem operam eo conferebat, ut contracto milite gloriam mi-
litarem, quæ magnopere ex prioribus bellis defluxerat, repararet. Commodum
Andronicus Manuelis neceſſarius ſeſe obtulit. Id quemadmodum evenerit, tametſi
relatu leve, tamen ab ipſo primordio referendum eſt. Manuel ad Heracleam
Myſiorum, ut erat certaminum iſtiuſmodi non minus amans, quam peritus, haſtilu-
dia exercebat: ibi forte fortuna evenerat, ut adverſo haſtæ ictu Joannes Andronici
filius, adoleſcens & vultu liberalis, & maximæ ſpei, oculum amitteret. Quem ca-
ſum ut aliquo ſolatio levaret Imperator, juvenem Protoveſtiarii; tum Protoſebaſti
dignitate exornavit. Patris tamen dolorem his illiciis lenire non potuit: hæc prima
irarum cauſa, ex qua ſpes ad invadendam tyrannidem ſubnata. Inde ad gerendum
bellum in Ciliciam translatus, regem Palæſtinæ, & Perſarum Sultanum in ſuas partes
pellexit. Redux ceu ob navatam egregie operam ducatu Naiſſæ, & Branizovæ do-
natur. Nova dignitas novam ad occupandum imperium cauſam ſuggeſſerat: ut enim
erat Hungaris ditione proximus, eoſque ob acceptas clades Manueli infenſos norat,
per litteras Geiſæ pollicetur, ſe, ſi ſibi auxilio adverſus Manuelem eſſet, Naiſſum,
& Branizovam, ut primum ejus ope imperio potiretur, bona fide ceſſurum. Nihil
erat magis accommodatum ad regis ſententiam, qui animo utramque urbem futuro bello
jam prius deſignaſſet. Andronicus tamen, veritus, ne, ſi res proderetur, ſibi pe-
riculum apud Manuelem crearet, fraudem fraudi addit, Imperatoremque edocet,
quid cum Hungaris clanculum egiſſet, adeſſe itaque occaſionem, qua pleroſque
Hungariæ proceres dolo circumventos Imperatoris poteſtati traderet. Verum Ma-
nuel, ad quem, neſcio quo auctore, proditionis indicium allatum erat, ut hominem
manifeſte teneret, collaudato propoſito facultatem Andronico impertit, ut rem porro
& ad exitum iiſdem inſidiis adduceret. Ille omni ſuſpicione ſolutum ſe eſſe ratus,
majore, quam oportebat, fidentia Legatos ad Hungaros, & Fridericum Romano-
rum regem mittit, qui, ut auxiliarii in tempore adeſſent, ſollicitarent. Interea Ma-
nuel, quæ ſanandæ hominis amentiæ accommoda videri poterant, omnia pertentarat,
ad extremum cum fruſtra fuiſſet, convictum proditionis, ne malum indulgentia cre-
ſceret, palatio includi juſſit (r).

Et varia fortuna rei gerunt.

Rex autem Hungariæ nihildum edoctus eorum, quæ Andronico evenerant, con-
tracta ex Czechis, & Saxonibus, & aliis gentibus compluribus exercitu, Branizovam ur-
bem oppugnare contendit, pactis forte confidens, quæ cum Andronico pepigerat. Ejus rei
nuntio obſtupefactus Princeps, miratus eſt perfidiam Hungarorum, quod, quæ ſacramentis
haud pridem ſanciverant, nulla de cauſa poſthaberent. Celeritate igitur rem egere opinatus,
verſus Iſtrum continuo iter intendit. At cum ſciret ſuos nequaquam eſſe Hungaris pares,
quippe Romanorum vires, nemine tum obſiſtente, in provinciis diſperſæ conſidebant, talia
excogitat. Quidam locus eſt, arduus ſatis, nomine Smeles: hunc occupare inſtituit, ut eſſet
ſedes, unde excurreret in Hungaros. Ut vero civitatem ſibi conſervarent Branizovitæ, lit-
teras, quibus ſe jamjam adventurum illis ſignificat, militi cuidam tradit, imperatque, ut
telo alligatas in urbem conjiceret. Quod ille, ut juſſum erat, fecit: ſed enim litteræ longius,
quam oportebat, projectæ in manus venere Hungarorum. Continuo igitur illos invaſit me-
tus, machiniſque, & rebus aliis, quæ ad urbis oppugnationem apparatæ fuerant, incenſis
ad Iſtrum tranſituri contenderunt. Sed exundantem invenientes fluvium, quippe venti, im-

q) Cinnamus libro cit.

r) Hæc prolixe Lib. III. Cinnamus.

1154. *breſque cælo effuſi ruebant, verſus Belegradam iter vertere. His cognitis Imperator, acceptoque Borizem Boſinæ, regionis Dalmatiæ* (Banum) *(s), qui auxilio venerat Hungariæ regi in ſuum redire Principatum, fortiſſimos militum delectos, qui manus cum Boriza conſererent, dimittit. Copiis iſtis præfuit Baſilius - - obſcura quidem natus familia, ceteroquin Chartularius Principis. Ipſe Imperator a tergo cum reliquo Romanorum exercitu lento ſequebatur gradu. Verum Baſilius oblitus opinor, cujus gratia, & quo cum hoſte pugnaturum ſe emiſiſſet Princeps, maturato itinere ad Hungaros quam proxime ſucceſſit. Cumque in præcurſores quoſdam incidiſſet, fugatis iis, in mediam deinde irruit phalangem, egregium ſe facinus editurum credens, ſi eo conterritos metu aggreſſus, ordines perturbaſſet. Neque illa eum omnino ſpes fruſtrata eſt. Namque Hungari primo quidem ipſum copiis iſtis præeſſe Imperatorem rati nullo ordine fugam arripiunt; eorumque multi, dum in ſcaphas conferti incidunt, flumine abſorbentur. At ubi cognovere, retro quidem ſubſequi Principem, aciem vero iſtam regere Baſilium, ſuſtulere animos, & converſo agmine Romanos excepere; qui etſi bellatorum numero hoſtibus longe inferiores, ſuſtinuere tamen eos. Magna utrinque facta eſt cædes; donec Hungari, qui cum Stephano Geiſæ* (fratre) *(t) Romanis militabant, primi fugam cæpere. Mutata demum atque ab altera parte facta inſecutione, Hungari, qui cum Stephano erant, fere omnes, ex Romanis vero multi cecidere, alii fuga evaſere incolumes, atque in iis Dux ipſe Baſilius. Hæc Imperatori, inſuper etiam Belegradam a fide defeciſſe, nunciata, valde ejus animum conſternarunt, Joannem igitur Cantacuzenum mittit, tum ut urbem in defectionis - - propoſito fluctuantem, firmaret, tum ut humo mandaret Romanorum cadavera; & fugientes, quocunque laterent loco, revocaret, eo caſu maxime irritatus, Hungaros a tergo inſequi prorſus geſtiebat. Nequaqum vero id conſilii probantibus Romanis*, at, plane, inquit, viri, mihi videtur inglorium, nullo accepto vulnere diſcedere, dum pro fortuna decerto Romanorum. *Ubi autem longius jam progreſſos Hungaros accepit, impetum remiſit. Interea Cantacuzenus confectis, ob quas miſſus erat, rebus rediit, vinctoſque adduxit, ex Belegradenſibus eos, qui defectionem fuerant moliti. Igitur motis inde caſtris haud procul Berrhæa civitate hiemavit* (u).

Stephanus Geiſæ frater ad Græcos ſecedit, & neptem Manuelis uxorem duxit.

Hæc Cinnamus: qui, etſi panegyricum magis quam hiſtoriam Manuelis complexus ſit, tamen, quod rerum inter Hungaros & Græcos id ætatis geſtarum nemo alius facile meminerit, non omni prorſus fide indignus. Ceterum in eo graviter lapſus, quod Stephanum, qui cum Hungarorum parte ad Manuelem ſeceſſit, Geiſæ filium fsciat, qui frater dicendus fuit, cui Mariam, ex Iſaacio fratre neptem, nuptui Manuel collocarat, & ad occupandum Hungariæ regnum, ut dicturi ſumus, auxilio fuit. Neque multo poſt Ladislaus fratrem conſequutus ad Græcos quoque confugerat. Acceptus eſt ab Imperstore humaniter, dstaque optio, ut quamcunque vellet, ex ſtirpe Imperatoria, uxorem duceret. *Verum conjugio abſtinuit, ne illius blanditiis irretitus, neglecto in patriam reditu, rebus ſuis minus conſuleret* (x) Neque ſatis plsnum, quis Borizes, quem Cinnamus memorat, fuerit. Cangius (y) diſerte eundem cum Borichio, qui ſe Colomano rege prognatum gloriabatur, exiſtimat, minus tamen recte opinatum fuiſſe virum cetoroquin doctiſſimum diplomata illius ævi (z) evincunt. Saxones, quos bello huic interfuiſſe Cinnamus ſcribit, immunitatibus ab Geiſa donatos noſtri sd hunc annum referunt. Quod ſi ita habet, veriſimile eſt, ob navatam in bello operam his prærogativis ornstos eſſe, quæ cujuſmodi fuerint, quoniam litteræ eæ interciderunt, haud ita pronum eſt conjicere.

1155. *Græci novum bellum in Hungariam parantes receptis captivis pacantur.*

Manuel clade prioris anni magis irritatus, quam fractus, non modo ſuas ditiones adverſum Hungaros tueri, ſed bellum in ipſum hoſticum transferre conſtituit. Eam in rem apparatus maximos fieri imperat, inprimis navium eopiam ingentem per Pontum in Danubii oſtis immittit, quæ sdverſis aquis Belgradum adductæ, ſi quando flumina transmitti oporteret, ad rem feliciter gerendam maximo commodo futræ eſſent. Primo vere igitur cum univerſo exercitu ad Iſtrum properat, inde

trans-

s) CINNAMVS habet: *Principem*, ſed Banum dici oportuiſſe diplomata illius ætatis docent.

t) CINNAMVS habet: Στεφανον τὸν Ιατζᾶ παῖδα. Sed fratrem fuiſſe ex rebus narrandis patebit.

u) Hiſt. Lib. III. circiter finem.

x) Nicet. Choniates Annal. Lib. IV.

y) In notis ad CINNAMVM.

z) Hiſt. Zagrab. pag. 78. & nos infra diploma, quod huic rei fidem faciat, in medium producemus.

tranſmiſſo Savo in Sirmium, & porro in mediterranea Hungariæ loca militem tradu- 1155.
cturus. Magnum Hungariæ imminebar diſcrimen, niſi Geiſa, quod & imparatus ad vim propulſandum eſſet, neque ab nuperna clade Græcos tam cito redituros putarat, legatos Imperarori obviam miſiſſet, qui, ſi Manuel ab injuria, & bello abſtineret, omnes Romanos, quos priore anno cœpiſſet, ſe redditurum pollicerentur. Manuel, ſive tempus belli feliciter gerendi ſibi vacuum elabi non pateretur, ſeu ex faſtu Græcanico legatos primum minus comiter habuit, & ab ineunda pace magnopere abhorrebat, poſtea autem quam intellexiſſer, novum ex Iralia bellum impendere, faciles aures præbuit, eaque conditione, ur Romani captivi omnes redderentur, icto fœdere exercitum reduxir (*a*). Abhinc nihil amplius Geiſæ cum Græcis ſive litium, ſive belli interceſſerar.

Croatia, & pleræque Dalmatiæ urbes in fide Hungarorum perſiſtunt.

Quo loco interea res Dalmatiæ, ac Croatiæ fuerint; nec noſtri, nec exteri ſcriptores ſatis rite memoriæ prodiderunt. Etſi enim Manuelem utrique regno, ac Hungariæ in primis inbiaſſe ex rebus hactenus narratis veriſimile ſir, magisque ex iis, quas deinceps referemus, perſpicnum fiet, tamen, quia ex diplomatibus privilegia Spalatinis, & Tragurinis ab Geiſa conſtat confirmata eſſe (*b*), dubium non eſt, pleraque Dalmatiæ oppida aut ab Venetis ad Hungaros tranſiſſe; aut in fide conſtanter manſiſſe. Croatiam certe omnem in noſtrorum fuiſſe arbitrio, Bani illorum temporum, quoa publicæ regum litteræ exhibent, confirmant. Ceterum, qua ratione Conradus Comes Dachovienſis, gente Bavarus, Dux Dalmariæ, & Croatiæ ea tempeſtate (*c*) legatur, non intelligo. Niſi fortaſſe Fridericum quoque ejus nominis I. Imperatorem Germaniæ quidpiam juris ſibi in utrumque regnum arrogaſſe opinemur, qui ut non nulli exiſtimant (*d*), eundem Conradum Meraniæ quoque Ducem creavit.

Geiſa a confecta pace rempublicam diligenter curat.

A confecta pace Geiſa curandæ reipublicæ, quæ ob collata ſæpe cum Græ- 1156.
cis arma non nihil labis acceperat, ſtudium omne impendit. Viros inprimis, qui præclare factis nuperno bello inclaruiſſenr, ad magiſtratus promovere, ac, ut virtuti ſuum etiam præmium eſſet, muneribus exornare cœpit. Quæ res ut hominum animos ad navandum reipublicæ ſtudium mirifice exacuit, ita cum perſonarum, non meritorum habetur ratio, plurimum obeſſe ſolet. Belum, cujus fortitudo in præliis præcipue enituerar, ex Bano Sclavoniæ Comitem Hungariæ Palatinum creat, ut Jongelinus ex tabulario Abbatiæ D. Martini in monre Pannoniæ (*e*) fidem facit. Quam dignitatem, etſi eam in primordio nonnulli exiſtiment annum non ſolitam excedere, ſequente itidem anno Belus retinuit. Hinc ſacras res complexus Epiſcopatum Nitrienſem, jam tum cum Avares Pannoniam inſedere, celebrem, ſed temporum injuria deinde collapſum priſtinæ dignitati reſtituit, fundisque liberaliter auctum Everardi primi omnium Antiſtitis curæ commiſit (*f*).

Obturbat Stephanus regis frater, ad Fridericum Imp. profugus.

Sub hæc lis pene imprudenti apud Fridericum Imperatorem conſcita fuit. 1158.
Stephanus Geiſæ frater, quem ſub Manuele adverſum Hungaros militaſſe narravimus, qua erat inconſtantia, ad Fridericum conceſſerat opem contra Geiſam imploraturus. Rex veritus, ne quid mali iſthinc regno conflaretur, Legatos ad Fridericum, qui Comitia Ratisbonæ tum habebat, mittir, ut invidiam omnem auctoritate ſi a diſſiparent. Juvat rem ex Radevico (*g*), temporis illius ſcriptore, quoniam cauſſas

a) Cinnamus lib. III. Hiſtor.

b) Lucius lib. 3. cap. VIII. diſerte habet: Tragurinis an. Chr. 1151. & Spalatenſibus ao. Chr. 1161. privilegium ab Geiſa confirmatum eſſe ſimile illi, quod olim rex Colomanus iis conceſſerat.

c) Anno 1153. Meichelbeck in Hiſt. Friſing. Tom. I. part. II. pag. 550. citat chartam Ottonis Epiſcopi Friſingenſis, in qua hæc leguntur *Chunradus de Dachawe Dux Croaciæ, Dalmatiæque.*

d) Ludewig Reliqu. Mſ. Tom. XI.

e) Tom. Script. Hung. II.

f) Timon in Epit. chronol. ad hunc annum ex Szentivanyio.

g) De rebus geſtis Friderici I. Lib. I. cap. XII. ab ipſo Friderico juſſus Ottonis Friſing. Hiſtoriam continuare, itaque rebus geſtis ſynchronus. Etſi autem videatur narrare, Stephanum obortis diſſidiis a fratre recta ad Fridericum tetendiſſe, quia tamen bellum a Manuele contra Geiſam geſtum, cui Stephanus cum Hungarorum parte interfuir, plerique ad annum 1155. aut 56. affigunt, veriſimile eſt a Manuele, quod is ſui cauſa parum adverſus Hungaros proficeret, ad Fridericum confugiſ-

1158.

quoque complectitur, cur Stephanus ad Græcos antea confugiſſet, narrare. *Siquidem frater ejus* (ſcribit) *nomine Stephanus quorundam criminationibus regi delatus fuerat, quaſi ad regnum aſpiraret, atque in ea re avunculum amborum Belum, virum valde prudentem, & ad innovandas res idoneum, ſuaſorem habere putabatur, pro eo., quod honorificentius habito adoleſcenti, per ſtudia colendi, ferociæ viſus eſt nutrimenta ſuggerere. Rex autem ſuſpectum habens tantum fratris honorem, & pejora re ipſa de illo veritus, non tam ipſum, quam amicos, & familiares ejus jam aperte inſimulans, omnia facta ſeu dicta eorum in crimina vertebat; multisque adverſus fratrem vulgatis, pluribus ad conteſtandum ſubordinatis, per inſidias necem fratris dicebatur adoptare. Is ante hac compertum habens, quod Romanum Imperium totius orbis eſſet aſylum, fugiens ad Imperatorem evaſit, ærumnasque ſuas, ac erga ſe germani crudelem acerbitatem lacrimabili conqueſtione deploravit, criminationumque ſuarum invidiam diluendo, ficta quæ adverſum ſe dicebantur, aſſerere, & purgationis ſuæ fidem omnibus conſtare: nunquam calumniatores defore, dum exſtet, cui perſuadeatur: iniquiſſimum eſſe, quod fratri non ſufficeret paterno eum regno expuliſſe, niſi de capite quoque ſuo, vita innocentiſſima ſupplicium ſumeretur.*

Qui miſſis ad Geiſam Legatis cauſam illius agit.

Tali deprecatione permotus Fridericus miſſis in Hungariam Legatis de reſtitutione juvenis cogitabat, imperialem precibus adjungens dignitatem, & auctoritatem. Rex itaque adverſus fratrem duos de Optimatibus regni ſui dirigit ad curiam (b), *Epiſcopum Gervaſium de caſtro ferreo* (i), *& Comitem Heidenricum, viros opulentos, & copia dicendi ſatis inſtructos, per quos & objecta diluere, & de fratris ejectione invidiam in eum, qui paſſus erat, retorquere ſatageret: proſequens injurias, & peccata plurima in ſe admiſſa. Regni conſortio ſecum illum participaſſe, ſolo nomine ſe illo priorem tantum fuiſſe, quamdiu germanitatis jura inter ſe inviolata manſiſſent. Deinde pravorum conſilia ſecutum, quæ ad peſſima ſtudia lubricam in adoleſcente ætatem impellebant; ita factum, quemadmodum in corpore, ubi ſemper, dum aliqua pars tumeſcit, ſuaque corruptione totum corpus debilitat, & inficit, ex quo curari deſperatur, reſcindi oportere. Bellum ultro inferentem* (k), *poſtquam ſuperatus ſit, queri, quod injuriam facere nequiviſſet: fuga ipſum ſimulaſſe, in regno manere licuiſſe, donec odia omnium, & inimicitias adeo contra ſe firmaverit, ut, velut crudelem hoſtem, & regni inſidiatorem pellendum arbitrarentur, antequam facinoribus ſuis illud cruentari, & principatus ejus monarchiam ſcindi, ac dilacerari contigiſſet.*

Viſa tamen rei difficultate, hominem in Græciam remittit.

Imperator partibus auditis, cum videret rem eo venturam, quod aut in communi dividendo, aut in unius cujuſvis condemnatione litem opus eſſet terminari, conferens quoque in corde ſuo plurium negotiorum occupationes ad opportuniora tempora deciſionem hujus litis placuit protelandam. Itaque rogatus ab adoleſcente per Venetias illum tranſmiſit in Græciam.

Hunc in modum Imperatoris æquitate belli metus diſcuſſus eſt. Quamquam munera mille fere talentorum, quæ Legati Friderico obtulerant, huc non nihil contuliſſe videri poſſunt, ut idem Radevicus memorat. Ceterum quod de Belo addit, vix puto locum habere; quod eum Geiſa haud multo poſt, quam Stephanus ad Græcos evaſiſſet, Palatini dignitate exornarit, qui Magiſtratus, ut auctoritate a rege primus eſt, ita viris, quos præclare facta, in primis fides commendat, deferri ſolet.

Quibus officiis Geiſa delinitus, fœdera cum Friderico adverſus Mediolanenſes init.

Remiſſo in Græciam Stephaoo amicitia ioter Fridericum, & Geiſam nova pactiooe confirmata eſt, qua ſe rex DC. equites ſuppetias adverſum Mediolanenſes, in quos Cæſar bellum parabat, miſſurum ſpopondit. Hungari cum præcipuis Comitibus ac Baronibus ſub Henrici Auſtriæ ducis auſpicio partim per ſinum Adriaticum, partim per forum Julii io Mediolanenſem agrum eluctati, poſtquam Fridericus cum univerſo exercitu adfuiſſet, egregiam in oppugnanda urbe operam, navarunt. Cum enim obſeſſi ea porta, quam Henricus Auſtrius obſervabat, ſæpe cum oppugnantium

jactu-

fugiſſe. Quia autem Cinnamus Lib. IV. memorat confecta cum Hungaris pace Manuelem legatos ad Fridericum miſiſſe, ſuſpicor in iſtorum comitatu Stephaoum perveniſſe ad Fridericum, ſed ab hoc, ut narrabitur, rurſus ad Manuelem in Græciam remiſſum eſſe, ne amicum ſibi Geiſam offenderet.

b) Sive Comitia Ratisbonæ tum celebrata.

i) Sine dubio Epiſcopum Jaurinenſem innuit, in cujus diœceſi caſtrum ferreum eſt. Exſtatque in inſtrumento tabularii Strigonienſis ad an. 1156. Gervaſius Geroienſis (Györienſis) Epiſcopus teſte Otrocotſio.

k) Videtur conjectura noſtra ex hoc confirmari: bellum enim hoc illatum non reor aliud eſſe, quam quod cum Manuele Hungaris intuliſſe ſupra memoravi.

jactura erumperent, is aſſumto Hungarorum equitatu, quorum ſagittandi peritiam 1158.
ex velitationibus ſibi cognitam habuit, acerrime in erumpentes invehitur, magnam-
que partem cæſis, & captis reliquos intra mœnia adegit, nihil unquam hac parte
deinceps auſos (*l*). In gratiam receptis Mediolanenſibus, actoque triumpho Fri-
dericus noſtros ob rem præclare geſtam collaudatos, ab ſe dimiſit (*m*).

Sequente anno cum Mediolanenſes rupto fœdere iterum tumultuari rumor 1159.
ferret, rurſum Legatos Mathæum, & Primogenitum Magiſtros ad Fridericum Geiſa *Quæ dum*
miſerat, qui ſuo nomine majores, quam antea, ſuppetias polliceantur, diſerteque *nova ami-*
affirment, ſe perlibenter facturum, quod Imperatori ad domandos rebelles ex uſu *citia reno-*
futurum videretur. Sed Cæſar gratiam amiciſſimo regi habuit, & Oratoribus, poſt- *vat.*
quam muneribus eos liberaliſſime donaſſet, in Hungariam redeundi veniam fecit;
(*n*) id unum poſtulans, quoniam Eccleſia ſtudio partium ſciſſa eſſet, ne rex ad ſo-
piendas factiones conventui, quem Papiam in ſequentem annum indixerat, aut per
ſe ſe, aut Legatos intereſſe gravetur. Exſtincto enim Hadriano Rolandus Cancel-
larius potiſſimorum ſuffragio in Pontificatu ſucceſſit, Alexandri III. nomine inſignitus.
Sed Octavianus, qui ad eam dignitatem jam dudum aſpiraverat, Joannis, ac Guido-
nis Cardinalium ſeditione illi oppoſitus Eccleſiam moleſtiſſimis turbis implicuit. Fri- 1160.
dericus, qui Rolando ob diſſidia, quæ ſibi cum Hadriano interceſſerant, minus æquus *Et Impe-*
fuit, Octaviani partes amplexus Papienſi conventui utrumque intereſſe voluit. Ale- *ratori ad-*
xandro judicium profanum renuente, Octavianus ab concibabulo ſub Victoris nomi- *verſus le-*
ne Papa conſtituitur aſſentientibus primi nominis Germaniæ ac Galliæ Epiſcopis. Sub- *gitimum*
ſcripſere Regum nomine Legati Hungariæ, Angliæ, Daniæ, ac Bohemiæ. Quæ *Pontifi-*
res ſatis argumento eſt, Geiſam aut ab factionibus iſtiusmodi vehementer abhorruiſſe, *cem ſtu-*
aut implicitum morbo prohibitum fuiſſe, quo minus conventui, ac Fridericus optarat, *det.*
intereſſe potuerit (*o*). Æſtate enim proxima pridie calendas Junii, poſtquam annos
regnaſſet viginti, menſes tres, dies quindecim, exſtinctus, ac magna omnium comple-
ratione (*p*) Albæ regiæ ſepultus eſt. Pater plurium liberorum: ex quibus Bela, & 1161.
Stephanus regno paterno deinceps potiti. In adoleſcentia, quam vitæ exitu, feli- *Præter*
cior; pacis ſtudio rempublicam fortuna ſatis ſecunda adminiſtravit: in bellis cum Ma- *opinionem*
nuele geſtis fere inferior, quorum & regni hæredem ex aſſe filium reliquit (*q*). *extremum diem agit.*

STEPHANVS III.

Patrem Stephanus hujus nominis III. exceperat, adoleſcentiam, ut *Stephano*
videtur non dum egreſſus. Cum primum rerum ſummam tenuit, *a patris*
ne ſibi a patruis, quorum magna apud Manuelem Græcorum Im- *obitu re-*
peratorem erat gratia, & auctoritas, quidquam periculi, aut *rum poti-*
moleſtiæ conflaretur, regnum triennii immunitate donarat. Qua *to.*
facilitate, etſi totius populi, ac præcipui nominis optimatum be-
nevolentiam, amoremque ſibi conciliaſſet, cavere tamen non potuit, quin diſcrimi-
ne maximo quod ab oriente imminebat, implicaretur. Id quem in modum eve-
nerit,

l) Radevicus de rebus geſtis Friderici I. Lib. I. cap. XXV. & XXXIV.

m) Idem. Ibid. cap. XLIV.

n) Radevicus in rebus Frider. I. Lib. II. cap. XXII. & LV.

o) Idem Ibidem cap. LXX.

p) Thurocz. Chron. cap. LVI.

q) Filios nonnulli plures cenſent. Bonfinius Almi cujuſdam & Ludovici meminit: ſed id incertum eſt. Jus autem patrium refert Arpadum, de quo nemo alius quidquam conſignavit. Filias autem ſequentes numerant I. Gertrudem Mieciſlao Poloniæ duci nuptam teſte Albizio, ſed hanc ſororem fuiſſe veriſimilius eſt, ut ex Cromero notavi. II. Helenam Leopoldo Auſtriæ duci nuptam juxta König, & Heningum. III. Hulicham Suatoplugi Bohemiæ Principis conjugem, ut volunt Nidanus & Jordan. & Balbin. IV. Eliſabetham Friderico Bohemiæ duci nuptam, Balbinus in Origin. Guttenſtein. V. Anonymam Conrado Moraviæ Marchioni collocatam, Hening. Dubravius. Balbino in ejuſmodi genealogiis ſatis exacto ſcriptori facile defero: de ceteris, quoniam ſæpe exerrant, cautionem dare nolim.

1161. nerit, quoniam trium regum ſibi continenter ſuccedentium, ac mutuo rurſus ſe pellentium res geſtæ cum a noſtris, tum exteris ſcriptoribus magnopere confunduntur, operæ precium putavi, ab ipſis cauſis, ex quibus turbæ ortum ſumſere, ordiri.

Manuel Græcorum Imp. turbas conſciſcit.

Stephanum, & Ladislaum Geiſæ fratres ſtudio rerum novandarum ad Græcos confugiſſe alias memoratum eſt. Illi Manuel, quod neptem in conjugio haberet, magnopere ſtuduit, ejuſque cauſa ſemel atque iterum Hungaris bellum obmoverat. Et quamquam pietatis cauſa hæc Græcos moliri, primum utcunque videri potuit, tamen in exitu fraudis machinationes, quæ ſub ſimulacro illo latuerant, evolutæ ſunt. Ut primum enim de Geiſæ obitu nuncium Manuel accepit, confeſtim de regno ad Græcos traducendo conſilium inierat. Stephanus, omnium maxime idoneus viſus eſt, qui rationibus ſuis in tam arduo negotio ſubſerviret. Nam ſi is imperio apud Hungaros potiretur, facile videbat futurum, ut homo Græcanicis moribus, & ingenio præditus, plurimiſque nominibus Imperatori obſtrictus, regni jura ad Græcos olim transferret. Neque, ſi bello ad eam rem opus eſſet, ſpecioſam cauſam prætexere homini Græco arduum erat. Novum injuriæ genus comminiſcitur, Stephanum a Geiſa fratre regno per neſas excluſum, quod Hungarorum conſuetudine, & legibus ad fratrem, non item ad filium, devolvi oportuerit. Quæ res non modo apud noſtros inaudita, ſed nunquam alias uſurpata fuit, niſi cum regem improlem

1162. decedere contigiſſet (*r*).

Et Stephanum, ejus patruum, regno nititur præficere.

Hæc ut narravimus, in numerato habens Imperator primo vere anni ſequentis cum exercitu Sardicam proficiſcitur: inde Legatos in Hungariam mittit, qui de regno ad Stephanum Geiſæ fratrem transferendo cum optimatibus agerent: addidit Manuel munera, quibus ad corrumpendos eos, quos auctoritate præ ceteris valere intelligerent, nec parce, nec timide uterentur. Hungari *vero ad primum auditum a Stephano abhorruerunt, & nomen ejus ægre tulerunt: eum ſe cum ob alia repudiare aſſerentes, tum quod Romanam uxorem duxiſſet. Minime enim e re ſua eſſe virum admittere, Romanorum Imperatori affinitate junctum: vereri ſe, ne Hungari ſuo regi, rex vero Imperatori Romanorum pareret. His de cauſis nec Stephano illuc profecto ſtuduerunt, & Legatos Imperatoris, rebus infectis, dimiſerunt* (*s*). His cognitis Imperator majoribus viribus Stephano opitulandum ratus, cum exercitu Branizobam primum, tum Belogradum profectus, nepotem ſuum Alexium Contoſtephanum cum copiarum parte in Hungariam immittit, mandatque ut partim oſtentato armorum metu, partim pollicitationibus, ac blanditiis Proceres ad Stephani partes pelliceret, ſe Belgradi moraturum, ut, quid rerum ageretur, facile cognoſcat. Alexius mandatam ſibi provinciam naviter exequitur; magnaſque in optimatum pleroſque largitiones facit, quo Stephanum ad ſolium eveheret.

Sed Hungari Ladislaum præ illo malunt.

Hungari armatas preces conſpicati, facile videbant, ſi omnia negarum irent, quæ Manuel poſtulaſſet, detrectationem nec ſibi, nec regno profuturam, illud ad extremum, quamquam inviti etiam, permiſere, ut Ladislaus Stephani frater, quem, quod uxorem Græcam ducere renuiſſet, præ Stephano ferebant, regno potiretur (*t*). Imperator ne, ſi nihil de conditionibus, quas propoſuerat, remitteret, bello non neceſſario implicaretur, ratam optimatum voluntatem habuit, Stephanum tamen *Urumi* dignitate ornari volebat, quo nomine, ut Cinnamus ſcribit (*u*) regni ſucceſſor apud Hungaros indicatur. Facile hunc errorem Græco ſcriptori condonamus, quod imperitiam diligentia ſua in rebus conſignandis, quas noſtri penitus præteriere, reſarſerit.

LADIS-

r) CINNAMVS Hiſt. lib. V.
s) Nicetas CHONIATES Annal. lib. IV.
t) Nicetas loco laud.

u) CINNAMVS Lib. V. vox *Urumi* ſine dubio ex Hungarico *Uram*, vel *Urunk*, quod *Dominum noſtrum* notat, detorta eſt.

LADISLAVS II.

Hoc aut exſtincto, aut amoto.

Manuel, poſtquam Ladislaus in Stephanii III. loco, omnium conſenſu rex conſtitutus eſſet, ceu re præclare facta in urbem rediit. Quid abhinc in Hungaria geſtum ſit, apud neminem ſcriptorum reperio. Credibile eſt, largitione novum regem bonam populi, ac optimatum partem ſibi devinxiſſe; ab Stephano autem Geiſæ filio, ad quem regnum hæreditatis jure, & electione jam pertinuerat, nihil eorum omiſſum, quæ ad recuperandam poteſtatem facere videbantur. Nec deerant Stephano Ladislai fratri Clientelæ, quibus ſibi viam ad ſolium quoque complanaret. Ita Hungariam trium de regno contendentium libidine in partes diſtrahi neceſſe fuit. Quies tandem medio poſt anno reſtituta, ſive Ladislaus, quod aliqui volunt (x), mortuus ſit, ſive ſponte regno ſe abdicarat, ſive quod potius reor, a fratre Stephano de ſolio deturbatus fuerit. Nam hunc regno bona pene omnium optimatum venia potitum eſſe conſtat. Quem, ne error ob ſimilitudinem nominis cuiquam obrepat, *Stephanum IV.* nuncupare mihi libuit.

STEPHANVS IV.

1163.

Stephanus, ejus frater, non invitis Proceribus rex ſalutatur.

Mira viciſſitudine Hungaria agebatur, quæ biennio non integro tres continenti ſerie reges numeraverit, ut ſtudio factionum ad regni poſſeſſionem eluctatos, ita haud multo poſt tempore eorum arbitrio, quibus dignitatem debebant, in ordinem quoque redactos. Et Stephanum quidem IV. dubium non eſt, rite electum, ac coronatum eſſe. Id ne conjecturæ ſolum quis tribuat, non erit abs re, ſi diploma ejus nomine ſignatum, ac Bernardo Zagrabienſium Epiſcopo conceſſum, in medium protulerimus, quod & annum aditi regni, & quæ ſupra conjecturis ducti narravimus, mirifice confirmet. Ita vero diploma habet: *Ego Stephanus inſpirante divina gratia, paterna inſignitus dignitate, præ cunctis negotiis Eccleſiæ ſanctæ DEI providens, quæ a ſanctis Patribus ſtatuta, membris Sathanæ deſtructa reperio, emendare non differo. In nomine itaque ſanctæ, & individuæ Trinitatis, quæ prior rex Ladislaus glorioſiſſimus, & II. Bela rex felicis memoriæ pater meus, & Dominus, Zagrabienſi Eccleſiæ contulerant, & coram Principibus ſuis, ſigillis confirmarant, omnia prædictæ Eccleſiæ - - concedo. Coram Principibus regni, Michone Bachienſi Archi-Epiſcopo, Macario Quinque Eccleſienſi Epiſcopo, Nicolao Varadienſi (y) Epiſcopo, Stephano Chanadienſi Epiſcopo electo. Belo Bano ejusdem cauſæ judice, Thoma Palatino Comite, Broccha Curiali Comite, Boricio Bano, Adriano Comite, Henrico Bodrugienſi Comite, Euſa Chanadienſi Comite. Anno Dominicæ Incarnationis MCLXIII. Indictione XI. Epacta XIV. Stephano piiſſimo rege Hungariæ II. Belæ regis filio. Primo anno regni ſui. Hugone Notario, Thoma Magiſtro Capellæ Strigonii hoc privilegium factum eſt* - - (z).

At cum ob Græcos mores Hungaris inviſus eſſet.

Ex ſuſcriptis nominibus facile mihi perſuadeo, Stephanum non invitis plerisque Proceribus regni poſſeſſionem adiiſſe: verum haud multo poſt, quam Principatum adeptus fuiſſet, *gravis moleſtusque adeo ſubjectis eſſe cœpit, ut paſſim illum probris inſectarentur Hungari, & regno viderentur ſtatim depulſuri. Quibus Stephanus conterritus* opem

x) Chronicon CLAVSTRO NEOBVRO. apud Cl. PEZIVM ad annum 1162. ita habet: „Ladislaus obiit, cui Stephanus frater ejus „in regnum ſuccedit.„ Similia CINNAMVS, & NICETAS locis cit. TIMON tamen in chronolog. Epitome ait Laurentium aliquem Comitem curialem Ladislai fuiſſe ad an. 1172. Si vera refert Timon, veriſimile eſt Ladislaum ſponte regno ceſſiſſe, qui autem curiales comites poſtea etiam nominare potuerit, non intelligo, niſi id juris ab Stephano III., qui regno interea reſtitutus eſt, obtinuerit.

y) In Mſ. habetur *Garadienſi* uti & *Sunadienſi*, ſed legendum ſine dubio eſt, *Varadienſi*, & *Chanadienſi*.

z) Hiſt. Zagrab. pag. 76.

1163.

opem rurſum (Manuelis) *imploravit. Motis igitur circa æquinoctium caſtris, Philippopolim venit Imperator, ibique cum majori exercitus Romani parte manens, Alexium, Contoſtephani filium ex ſorore nepotem, cum ceteris copiis in Hungariam miſit. Sed enim Stephanus interea reconciliatum ſe cum Hungaris ratus, ejus operam non adhibuit; qua propter domum rediit Romanus exercitus. Verum mox in Stephanum rurſus inſurgentes Hungari, tum alia ei multa, tum & ſub illo perditas eſſe Hungarorum res exprobrarunt* (a). *Stephanus autem diſcrimen veritus, fugit primum, & in quandam e vicinis Iſtro civitatibus, quæ jam pridem Imperatori obnoxiæ fuerant, venit: inde in Sardicam tranſiens, ibi cum* Imperatore *congreſſus eſt. Ille eo caſu admodum perculſus, & hominis vicem miſeratus, pecuniis eum, & idoneis viribus donat ad recuperandum paternum regnum. Iis præfuit copiis Alexius - - Imperator autem a tergo paululum ſubſequebatur* (b). Atque ita Naiſſum proximis caſtris veotum eſt. Hinc ad Iſtrum cootendens, obvios Hungarorum Legatos habet, quos, ubi nihil ſani ab eis afferri cognoſſet, caſtris Romanis excedere, & recta domum abire juſſit. Abhioc oihil cunctandum ratus magnis itineribus Belgradum properat, ut pulſo Stephano tempori adeſſet. Sed auxilium ſerum fuiſſe paullum poſt patuit: Hungari enim Stephanum Geiſæ filium, quem ingratiis ſuis ex ſolio prius amovere, rurſum paterno regno ſumma voluntatum conſenſione reſtituerant (c).

STEPHANVS III. RESTITVTVS.

Stephanum Geiſæ filium regno reſtituunt, contracto inter Belam hujus fratrê, & Manuelis filiam matrimonio.

Id poſtquam Maouel comperit, turbatas ſuas rationes iotelligens, quibus antea *Hungariam - - ſibi comparare totis viribus ſatagebat* (d) beoevolentia, quam armis deinceps Hungaros aggredi maluit. *Qua propter Belam, qui poſt Stephanum Geiſæ filius erat, Mariæ filiæ ſuæ matrimonio jungere conſtituit. Georgium igitur cohortis Imperatoriæ tunc temporis Præfectum, gente Palæologum, atque Sebaſti auctum dignitate in Hungariam miſit, qui de hac ineunda affinitate ſermones ingereret, ipſe vero Byzantium rurſus rediit. Hungari colloquio cum Palæologo habito, & Belam ipſi tradiderunt, & regionem, quam ſuperſtes adhuc pater illi aſſignaverat, lubentes in hæredii ſortem conceſſerunt. Eo itaque accepto, Palæologus - - Byzantium reverſus eſt. Deinceps autem quæ ad affinitatem iſtam conficiendam neceſſaria erant, curavit Imperator. Atque puero in primis, mutato nomine, Alexii nomen indidit, eumque Deſpotæ dignitate donavit* (e). Quæ regio hæreditatis titulo Belæ obvenerit, in obſcuro eſt: ſuſpicor tamen, ſi conjecturæ locus ſit, eum Sclavoniæ tractum fuiſſe, qui poſtea Ducatus Sirmienſis nomen obtinuit, ut ex rebus, quas narraturi porro ſumus, ſatis aperte

1164. conficitur.

Qui tamen nihil moratus affinitatis vinculum, adſcitis in armorum

Quamquam autem pax matrimonii vinculo corroborata eſſet, Stephanus tamen ob Græcanicum iogenium haud ſatis tutum ſe hac parte futurum putabat, niſi finitimorum amicitia quoque fulciretur. Itaque miſſis ad Fridericum Germaniæ Imperatorem Legatis, eum oblatis dono quinque marcarum millibus argeoti facile in fœdus pertraxit (f). Tum cum Uladislao, quem haud ita dudum Cæſar regem Bohemiæ creaverat, armorum itidem ſocietas inita (g). His fœderibus audentior factus

a) Fortaſſe Stephanus, ut ſe gratum Imperatori exhiberet, tractum Sirmienſem Græcis ceſſerat; videtur id Choniates Annal. Lib. IV. ſubobſcure inouere, cum ſcribit, Manuelem ſpem habuiſſe, ut Zeugmino, ſeu Sirmio, & Francochorrio, quo nomine Ducatum Sirmienſem Græci intelligunt, potiretur.

b) Cinnamus Hiſt. Lib. V.

c) Idem ibid.

d) Idem ibid.

e) Cinnamus Hiſt. Lib V.

f) Chronicon incerti auctoris apud Cl. Pezium ad an. 1164. in hæc verba: „ diſſentientibus inter ſe fratribus Goizi (Geiſæ) „ & filio ejus parvulo, puer Imperatorem datis quinque millibus marcarum ſuæ parti adjungit. „

g) Contin. Coſmæ Prag. ad an. 1164. „ Uladislaus rex terram Hunorum intravit, „ regem Græcorum ex ea perturbavit, Ungarorum Optimates pacificavit. „

ſocietatem Bohemis, Manueli bellum infert.

factus Stephanus, non modo ad vim, ſi quam Græci pararent, repellendam, ſed bellum quoque inferendum ſatis ſe virium habere arbitrabatur. Neque illius obmo- vendi cauſa defuit. Hungaros pœnitudo inceſſerat, quod ſpecioſo nuptiarum titulo pulcherrimam Sclavoniæ partem ab Hungaria avelli ſiviſſent, cujus, ſi Bela regno potiretur, recuperandæ ſpes aliqua quidem affulgebat, contra, ſi apud Græcos rebus humanis eximeretur, amittendæ periculum certiſſimum. Cui ut caveret Stephanus, non invitis Optimatibus, adſcitoque in auxilium Uladislao Bohemo in Sirmium, nil tale opinantibus Græcis irrumpit, brevique tempore provinciam in ditionem redi- git (*b*).

Hujus in Hungaros apparatus.

Hæc cum ex ſententia eveniſſent, ſpem conficiendi feliciter belli Stephanus patruus tantiſper intercepit, qui per Anchialum Civitatem Hungariam ingreſſus ad recuperandum regnum nihil non moliebatur. *Verum temeritate potius, quam prudentia rem aggreſſus, a propoſito aberravit. Statim enim, atque eum nonnullos Hungaros in ſuas partes adduxiſſe* (rex) *accepit, cum univerſis copiis in illum profectus eſt. Quamobrem Imperator - - verſus Iſtrum denuo contendit: Savoque transmiſſo caſtra poſuit ad Titelium* (*i*), *tum ut Belæ paternam hæreditatem reciperet, tum ut Stephanum præſenti eriperet diſcrimine. Quippe jam illius imminutæ erant vires, ſummisque premebatur anguſtiis. Hungaris, qui cum eo erant, ad regem undique deficientibus. Itaque Andronico Contoſtephani filio, qui magni Ducis dignitatem brevi tempore obtinuit, cum copiis miſſo, Stephanum quidem periculo exemit: ipſe vero motis Titelio caſtris, cum univerſo exercitu ulterius perexit. - - Ut ad locum quemdam pervenit, quem Petricum vocant* (opinor Petrovaradinum legi oportere) *caſtra ibi poſuit. Eſt vero locus iſte, aditus in interiorem Hungariam primus terminus. Quo cum perveniſſet hunc in modum Stephano reſcripſit.* „Non ad inferendum Hungariæ bellum, Fili mi, venimus, ſed ut Bela fratri tuo poſſeſſionem reſtituamus, quam „a dominatione tua minime abſtulimus, ſed quam tu ipſe, paterque veſter jam pridem conceſſiſtis, atque adeo etiam ut patruum tuum Stephanum Majeſtatis noſtræ „affinem periculo eximamus. Si igitur te etiam volente Belam generum noſtrum eſſe „contigit, quod & tu pactis ipſis firmaſti, cur non reddita ei ſua poſſeſſione, noſtra potius frueris ſocietate, & benevolentia? ſi vero neceſſitudinem, & affinitatem reſpuis, „aliaque modo de iis tibi mens eſt, ſcias longe nos amplius ab eo abeſſe, ut vim „nobis inferri patiamur„ (*k*).

Regem litteris pertentat.

Quibus dum nihil proficit, Bohemorum Ducem miſſis clam Legatis aggreditur.

Hæc epiſtolæ ſententia fuit: neque exſpectato reſponſo iter porro pertendit; cumque ad Sirmienſis agri metropolim ventum eſſet, poſitis caſtris futuro bello naviter omnia comparat, quoniam regem cum exercitu haud procul abeſſe nunciatum fuit. Ne tamen quidquam eorum, quæ ad conciliandam pacem valere poſſunt, omiſiſſe videretur, Romanum quemdam linguæ Bohemorum non ignarum ad ſe vocat, mandatque, ut mutatis veſtibus caſtra Uladislai ſubiret, eumque, ubi conveniendi regia copiam nactus eſſet, his verbis alloqueretur. *Quo tandem proficiſceris? quod iter cum tuis capeſſis copiis? an neſcis te in magnum Imperatorem manum intentare velle, cum quo vel juſtis de cauſis bellum gerere periculoſum eſt, nedum contra Hungaros præliante, qui eam, quam Belæ in hæreditatis partem conceſſerant, poſſeſſionem abſtulerunt, ſacramentis pro ludo, jocoque habitis. Sed neque, qui cum privato homine paciſcitur, innocens ex lege judicatur, ſi cum in mentem venit, negligere pacta velit. An vero, qui tantum Imperatorem violatis fœderibus offenderunt Hungari, manebunt impuniti? nequaquam: bellum igitur juſtum gerit Imperator, & ad juſtitiam ſemper belli fortuna inclinat. Tu vero illud perpende: ſervus Domino bellum illaturus venis, non tamen ſervus, cui per vim impoſita eſt ſervitus, ſed - - ſervus voluntarius, ſeu, ut vos dicitis, Ligius: niſi tuam effugerint memoriam, quæ quondam Byzantii pactus es, cum in Aſiam una cum Conrado expeditionem ſuſcepiſti. Huc uſque igitur ab optione tua pendet rei exitus; elige, quod & tibi, & Cſecbis omnibus expediat. Quæ enim non opportuna ſit pœnitentia, eam facienti, prodeſſe haud quaquam ſolet* (*l*). Pupugit oratio Bohemum graviter: re enim vera, cum in Palæſtinam profectus eſt, ſumma benevolentia a Manuele acceptus amicitiam pepigit. Itaque quid reponeret, in promtu non habebat: com-

b) CINNAMVS Hiſt. Lib. V.

i) Puto hodiernum Titulium intelligi ad oſtia Tibiſci ſitum.

k) CINNAMVS Lib. cit.

l) CINNAMVS Hiſt. Lib. V.

1164.

Is pollicetur ſe pacem utrinque conciliaturum.

municatis deinde cum Stephano conſiliis in hæc verba breviter reſpondit. „ Non „ illaturi bellum magno Imperatori huc venimus o bone; neque enim eorum, quæ „ cum illo pacti ſumus, memoria nos fugit; ſed Stephano injuſte a patruo impetito „ opem laturi. Illum quippe paterna primum terra, & hæreditate exuit: deinde lite „ rurſum intentata bello laceſſit, & regnum, quod male imperando amiſit, per vim „ recuperare iterum contendit. Eapropter Imperatorem ſupplicaturus venio, ut „ pupillum potius puerum protegat, ac tutetur. Si quid autem Stephanus hic ju- „ nior in tuam peccavit Majeſtatem, audio enim Belæ terram, nihil ad ſe attinen- „ tem, occupaſſe, continuo nobis arbitris conciliatus, & regiones reſtituet, & „ omnimode delictum expiabit „ (*m*). His dictis Romano abeundi poteſtatem fecit.

Qua, quamquam non bona fide nullo negocio coaleſcit.

Qui ubi in caſtra reverſus, omnia ex ordine retexuiſſet Manueli, haud illibenter ſpem pacis affulgere audiit, etſi fidem dictis omnino non haberet. *Neque enim hæc ab Uladislao ex animi ſententia dicta eſſe opinabatur, verebaturque, ne quis ſubeſſet dolus. Quapropter quoſdam ex ſuis ad illum denuo miſit, ut pacta jure jurando firmarent, quod ille continuo, nihil moratus, confecit. Neque ea ſolum, verum quæ olim etiam pepigerat, ſecundo juramento ſancivit. Paullo poſt & Stephanus miſſis ad Imperatorem Legatis, regionem reſtituit, ſimulque deprecatus eſt, ne unquam Stephanum patruum bello Hungariam infeſtare permitteret. His acceptis conditionibus* (Manuel) *bello diremto, in Romanos propere rediit fines* (*n*). Neque tamen bona fide pactis fœderibus Manuelem ſtetiſſe brevi poſt patuit. Etſi enim Stephano auctor fuiſſet, ut poſitis recuperandæ Hungariæ ſpebus quietem coleret, tamen, ubi ambitioſo homini ſapiens ceteroquin conſilium perſuadere nequiviſſet, Nicephorum Chaluphem cum copiarum

Stephano patruo novas res moliente.

parte juſſit reſiſtere, ut Stephano adeſſet, & negotiorum rationes, prout res, ac tempus poſtularent, expediret. Rex his compertis omnia veritus, quamdiu Stephanus in Hungaria ageret, contracto rurſum exercitu, rem totam bello ſtatuit decernere. Conſciverat Stephanus magnam ſeditioſorum turbam, quæ cum ad primam regis adventantis famam fuga dilapſa eſſet, Chaluphes magnopere illi auctor fuit, ut relicta Hungaria, ubi illum fortuna toties deſeruiſſet, in Sirmienſem agrum concederet, futurum, ut in ditione, quæ Imperatori pareret, & tutior eſſet, & rationes, ſi regem Hungarorum bello petere cupiat, magis expeditas haberet. Sed illo ſanum conſilium pertinaciter renuente, Chaluphes, ne copias ſuas periculo objiceret, litteras ſe ab Imperatore habere confingens, quibus Græcorum ditiones tueri juberetur, in Sirmienſem provinciam conceſſit. Haud multo poſt Stephanus pene a præcurſoribus regis interceptus Sirmium fuga quoque attigit. Hoc modo ſopitum magis,

1165. quam exſtinctum bellum eſt (*o*).

Quare bellum denuo exardeſcit.

Nam anno ſequente rurſus utrinque recruduit, incertum tamen, utra ex parte bello data cauſa ſit. Sive enim Hungaros alienatorum regni finium pœnitentia ſubierit, ſive, quod vero eſt ſimilius, Manuel hæreditatis titulo majorem provinciarum portionem quam conventum eſſet, cœperit, Stephanus nihil fœdera priora anni moratus, exercitum Sirmienſi agro infudit, eoque brevi potitus, Principem regionis illius urbem obſidere parat. Manuel inopinata irruptione partim territus, partim indignatus litteras ad regem in hanc ſententiam mittit. *Non juſte agis vir nobiliſſime, dum ſacramenta, quæ nuper de Sirmio, aliisque locis Majeſtati noſtræ dediſti, infringis. Scias igitur, longiori enim te detinere oratione probibent, quæ a te acta ſunt, quod, niſi primo quoque tempore ab iis, quæ tui non ſunt juris, decedas, non tanta te effecturum, Sirmium eripiendo, quanta confeſtim paſſurus es, cum tuos viciſſim fines ferro, & incurſionibus vaſtabunt Romani. An te fugit, quot olim millium jacturam primum fecerit Hungaria, cum pater tuus Romanum imperium offendiſſet? ſed enim horum delictorum pœnitentia ſalutaris ipſi fuit. Tu vero vide, ne & pœnitere perinde tibi inutile ſit, & infructuoſum. Juſtitiæ quippe gladius, quamvis jam dudum exacutus, hoc uno maxime modo quandoque ad hebetudinem ſolet redire. Secus haud ſcio, an quisquam omnium ejus aciem effugerit* (*p*). Hactenus Manuelis litteræ: ut faſtus, ita injuriarum plenæ: re enim ipſa, ut deinceps

dicendi

m) CINNAMVS Hiſt. Lib. V.

n) Idem ibid.

o) CINNAMVS Hiſt. Lib. V.

p) CINNAMVS Hiſt. lib. V.

dicendi locus erit, Græci hæreditatis, quæ Belæ obvenerat, ſpecie, Dalmatiæ, ac Croatiæ inhiabant.

Stephanus nihil litteris commotus, ad oppugnandum Sirmium omnem curam intenderat. Imperator viciſſim, ubi comminationes ſuas fruſtra eſſe vidit, ad inferendum bellum totis viribus incubuit; utque regi ægre faceret: patruum illi opponere, ac regno iterum reſtituere decrevit. Inde, ut majore apparatu, quam antea, expeditio in hoſticum ſuſciperetur, de finitimis in fœdus pertrahendis actum. Omnium maxime idoneus viſus eſt Hieroslaus Haliciæ Princeps, qui, in utramvis partem ſuppetias ferret, magnum ad feliciter conficiendum bellum momentum allaturus erat. Hunc, quoniam Stephano regi filiam deſponderat, ut ab Hungarorum amicitia abſtraheret, his litteris conveniendum cenſuit. *Non imitabimur tuam ingratitudinem, quam, nulla ad id impellente neceſſitate, erga nos exhibuiſti, neglectis promiſſis, pactisque iis, quæ nuper ſanciveras: ſed tibi, ultima nos injuria afficere paranti, ob oculos eam proponimus. Scias igitur, dum filiam tuam Hungariæ regi uxorem tradis, illam te jungere viro maligno, animoque valde inſtabili. Quando enim juſtitiæ, ſeu veritatis reſpectum ullum habuit? hominem autem, qui nec naturam, nec leges reveretur, ſuoque prorſus fertur arbitrio, omnia exequi poſſe, haud ægre exiſtimo. Proinde neque filiam tuam ducet Stephanus, neque aliud quidpiam legibus conſentaneum, quantum ad illam ſpectat, exequetur. Quod ſi eam ducat, vulgaris cujusdam, & velut e trivio eductæ feminæ loco habebit. Qui enim Majeſtatem noſtram tantopere offendit, & ſacramenta nuper data pro ludo habere non erubuit, cogita, quam in te inhumanitatem non ſit commiſſurus* (q). Effectum his litteris eſt, ut Hieroslaus Stephanum non modo generum nollet, ſed bellum quoque contra illum decerneret.

Ad quod ex ſententia conficiendum Græci Ruſſos in regem concitant.

Conſcito Hungaris hoſte, qui regnum a ſeptentrione invaderet, eadem opera in occidentem converſus Manuel, hac quoque parte Hungaris turbas dare conſtituit. Spes erat, Henricum Auſtriæ Marchionem, quod Theodoram ex Imperatoris fratre neptem in conjugio haberet, itidem ſibi auxilio futurum, num tamen reipſa ſuppetias venerit, nihil habeo, quod affirmem. Cum Venetis ſic tranſactum: ut hi, cum Imperator in Hungariæ mediterranea bellum intulerit, centum triremium claſſem auxilio adducant: ad hæc Sultanus ex Aſia quoque accitus, ut omni ex parte formidoloſiſſimum bellum eſſet (r). His conſtitutis veritus, ne Sirmium, quod arctiſſima obſidione Stephanus premebat, deditionem faceret, urbi idoneas copias ſubmiſit, Ducibus Michaele Gabra, & Joſepho Bryennio, quibus magni præterea nominis Præfecti additi, Joannes Angelus militiæ peritiſſimus, tum Joannes cognomento Iſes, natione quidem Perſa, ſed fide, & moribus, quod a teneris in Europam adductus eſſet, pene Græcus. Tum naves annona, milite, ac rebus ad obſidionem tolerandam neceſſariis inſtructiſſimas adverſo Iſtro in Savum deduci imperat, ut obſeſſis præſidio eſſent. *Hungari vero, cum diu circa urbis mœnia morati, ea ſæpius ne quidquam tentaſſent, rem ſupra vires aggredi ſtatuerunt. Claſſis enim Romana in alterum fluvii latus advecta, tum & magna Romanis, qui in urbe erant, commoda præſtabat, tum etiam iis, qui inter pugnandum vulnera acceperant, receptis, alios corporibus integros in eorum locum ſubſtituebant. Navigiis igitur & ipſi collectis, priusquam Gabræ, & Bryennii in Hungariam adveniſſent copiæ, per flumen in Romanas naves delati ſunt, easque ſubmerſiſſent, aut citra laborem prælio ſuperaſſent, niſi curſu, & velificatione fuiſſent inferiores. Eorum quippe naves minus apte fabricatæ, & in immodicam extenſæ latitudinem, eoque inhabiles, velocitate Romanarum ſuperabantur. Et jam in flumen deductæ erant, cum Romani navibus ſuis in aciem ordinatis, illas excipiunt, crebrisque jaculationibus infeſtant, quibus illi fatigati, naves inhibuere. Earum pars alteri appulſa litori, diſcrimen evaſit, una vero Ducum militarium in Romanorum poteſtatem venit, arteque confecto igne abſumta eſt* (s).

Auſtriacos itidem in armorum ſocietatem attrahere nituntur.

Qua fortuna res ab Hungaris ad Sirmium geſtæ.

Hungari tam parum proſpero eventu minime fracti, quia Imperator affuturus crebris nunciis ferebatur, majore cura obſidionem inſtaurant; nec viribus ſolum rem agunt, ſed, quoniam Stephanus regis patruus urbem acerrime tueretur, ad dolos quoque, etſi ingenuis hominibus parum dignos, converſi, hunc e medio tollere decernunt. Itaque nonnullos ex Hungaris, qui Stephano in urbe famulabantur, per ho-

Stephanus regis patruus urbem acerrime tuetur.

q) CINNAMVS Hiſt. Lib. V.
r) Idem ibid.
s) CINNAMVS Hiſt. Lib. V.

mines clam ſubmiſſos ingenti ære corrumpunt, ut dominum, qui tot bellis regnum hactenus implicuiſſet, neque, ſi vivat, quieturus videretur, veneficio ex vita proturbent. Ea res cum periculo non careret, Thomam, cujus opera familiariter utebatur, conveniunt, facileque ad inferendam mortem perſuadent. *Is vero veneficii inſignis artifex, e ſuo ingenio alia ratione depromta, cum forte Stephanus venam incidiſſet, veneno ictum inunxit: quod in totum corpus diffuſum, correptis vitalibus, hominem celeriter confecit* (t). Hic Stephani exitus fuit, patriam toties bello extero objicientis. Didita morte præſidiarii deditionem faciunt, eam conditionem imprimis pacti, ut Hungarus, Romanusque nullo diſcrimine ſalvus, & incolumis eſſet. Noſtri ut primum, Sirmio potiti ſunt, victoriam parum humano facinore contaminarunt. Nam *Stephani cadaveri illudentes - - primum quidem illud nullis ſacris proſecuti ſunt honoribus, neque aliis, quæ mortuis debentur, officiis; ſed expoſitum, projectumque ante urbis portas, inhumatum reliquerunt. Verum ipſis naturæ affectibus permoti, illud tandem in Stephani Protomartyris intulere templum, ibique humo mandavere* (u).

Quo per veneficium exſtincto noſtri urbe potiuntur.

Eam Manuel in ſuppetias accurens nova obſidione cingit.

Sub hæc Manuel, Junio menſe exacto, ad Savum pervenerat; quem ſimulato ad Belgradum trajectu, deluſis Hungaria, prope Sirmium ſine magna jactura tranſmiſit. Oborta velitatione repulſi noſtri, urbem, etſi ab nuperna obſidione nondum penitus reparata eſſet, magnis animis tuendam ſuſcepere. *Romani poſt hæc*, ut ſcribit Cinnamus (x) *omnibus, quæ ad oppugnationem neceſſaria erant, apparatis, tertio poſt die rem aggrediuntur. Hungari autem e turribus propugnantes, clamoribusque, & vociferationibus implentes aerem, tela continuo jaciebant, teliſque viciſſim impetebantur. Atque in eo certaminis genere dies iſte, & ſequens conſumtus eſt. Romanis perinde, ac Hungaris nihil proficientibus. Tum & alia demirari ſubit, in ea obſidione facta, præſertim vero Imperatoris audaciam; quam, niſi tunc temporis adfuiſſem præſens, & eorum, quæ hic geſta ſunt, inſpector ipſe exſtitiſſem, aliis narrantibus vix, ac ne quidem crederem. Romani enim lignea exſtructa turri tranſcendere in urbem, & cominus cum Hungaris mœnia defenſantibus manus conſerere ſtatuerant. Ipſe autem primus omnium conſcendere voluit:* Iſtud præ ceteris, *inquiens* viri Romani, erit mihi benevolentiæ veſtræ argumentum, ſi me aſcendere non prohibueritis. *Neque tamen, quod animo voluerat, perfecit, quia ducum præcipui, qui eum circumſtabant, pertinacius obnixi ſunt. Ille itaque urbis mœnia obequitans, &, qua parte expugnatu facillima viderentur, explorans, foſſas urbem ambientes, profundas ſatis, & latas, faſcium, & virgultorum penuria, lapidibus compleri, ſicque tranſportari machinas imperavit. Sed neque ea res quidquam momenti ad capiendam urbem attulit. Hungari quippe, quamvis a Romanis militibus gravia eſſent paſſi, majores, quam antea, clamores edebant* (y), *ſpeque alebantur proxime venturi in eorum auxilium alterius Hungarorum exercitus.*

Tum Hungaris appropinquantibus cum copiarum parte occurrere ſtatuit.

Dum in eo eſſent rerum ſtatu, Romanorum ſpeculatores, magnum hoſtibus auxilio exercitum advenire nunciant: pulverem enim ſe in aerem altius elatum advertiſſe ajebant. Sed & Hungarus quidam ex illuſtrioribus, nomine Baſakis, qui Romanorum partes amplexus erat, non longe abeſſe Hungarorum regem affirmabat, & præter infinitum bellatorum numerum, tum & Scytharum ſimul, & Tauro Scytharum (z) *aciem, inſuper etiam Czechorum Principem cum univerſis viribus rurſum cum ipſo venire. Poſtquam hæc Principi comperta ſunt, Magnatum concilium cogit, deque modo agendarum rerum ſententias eorum rogat.*
„Non illud ſolum viri Romani, *inquiens*, rerum exigit natura, ut quia modo audaciam præſeferat, ſed ut audaciæ minus conſentanea non arripiat, aggrediaturve opera, maxime equidem vel leviter prudenti attendendum arbitror. Ne igitur, quia gens iſta, ſi nempe divina ordinante providentia, rebus elata proſperis in Romanum imperium terribiliter ingruit, propterea ſatis nobis eſſe arbitremur, ſi in eorum tantummodo ſolo bellum geramus. Verum quid temporibus quibusque conveniat inſpiciendum eſt, & facienda, quæ præſens hic ſtatus poſtulaverit. Neque enim quisquam, ut arbitror, proſpere habentibus, & adverſa utentibus fortuna res eaſdem „un-

t) Nicetas CHONIATES Annal. Lib. IV.

u) CINNAMUS loco laud. Paria CHONIATES habet.

x) Hiſt. Lib. V.

y) Si ſolo Hungarorum clamore impediti Græci ſunt, quo minus urbem caperent, ignavos Cinnamus ſuos facit: ſin aliud præterea fuit, non rite Hiſtorici partes egit, cum illud ſiluit.

a) Eo nomine Ruſſos auctor intelligit.

„ unquam aptaverit. „ Romanorum itaque imperio, etſi priſtinam nondum felicitatem conſecutum fuerit, ſed, quod DEO juvante longe melius, nobis nunc defenſoribus, habet, dedecori erit, ſi univerſi Hungarorum regi cedant, qui cum ingenti ut ajunt, indigenarum exercitu accedit, ac majoribus adhuc ſociorum copiis auctus eſt, ac inſtructus. Quapropter maxime proſpicere quiſque debet, qua ratione utraque illi conſerventur, & gloria, quæ jam in melius ire cœpit, & potentia, quæ inde tota ab ipſo recederet. *In hunc modum diſſeruit Imperator. Quidam autem ex Romanis, qui concilio illi intererant, transferenda inde ad Savum caſtra cenſebant, ut tutius ex eo loco hoſtibus poſſet obſiſti. Aliis id minime placuit: ſed, relicta obſidione, cum omnibus viribus imminentem hoſtem ſuſtineri debere exiſtimabant. At Princeps utrumque reſpuens Conſilium, illud metus, hoc contra temeritatis damnavit. Nobis enim, ajebat, obſidionem omittentibus, integrum erit Hungaris, majores copias cogere, & commeatui largius providere. Cenſuit igitur ipſe, ut imbellis exercitus pars, lixæque, ac calones armarentur, & circa urbem ſub aliquot ducibus, haud admodum nobilibus manerent, reliquus autem exercitus ſecum in Hungaros pugnaturus exiret.*

Hæc ubi ſententia ſtetit; ad iter ſe in proximum diem comparant. Cum vero nihil certi ipſis eſſet nunciatum, ſumtis prima luce armis, tertium in urbem impetum faciunt. Pugna itaque rurſum conſeritur, ac Hungari quidem, qui mœnia defenſabant, lapidibus, ſagittisque, rebuſque aliis quibuſcunque obviis ſubeuntes arcebant Romanos: Hi vero longe quam antea vehementius fundamenta ſuffodiebant, machiniſque petrariis admotis, murorum loricas diſtringebant. Crebræ utrinque adhortationes, & incitamenta, voceſque, & ululatus, diſſonuſque, ac incertus clamor exaudiebantur. Statim igitur atque Hungari a Romanis fundamenta viderunt commoveri, id ſtatim molliuntur. Saxum erat intra mœnia ingentis magnitudinis: id trabibus ſuppoſitis, alligatiſque funibus in ligneum educunt propugnaculum, quod ipſi fabricaverant, muris ipſis longe excelſius, ut inde in Romanos illud devolverent. Sublato igitur in turrim lapide, cum tantum pondus ſuſtinere illa non poſſet, erat enim immenſæ molis, repente cum ipſis Hungaris quorum nemo diſcrimen evaſit, delapſa in terram corruit. Inde iterum clamor oriri cœpit, & pugna multo acrior facta (a).

Sed cognito hos longiſſime abeſſe, extremis viribus oppugnationem inſtaurat.

Ubi a pugna utrinque diſceſſum eſt, Hungari ad extremum veriti, ne muris ingentes jam hiatus agentibus, ex victoris arbitrio duriſſima quæque perpeti cogerentur, oratores ad Manuelem mittunt. Qui deditionem paciſcerentur; ſi ſalvis ex urbe egredi integrum eſſet. *At ille non ſe prius id facturum reſpondit, quam Gregorius, & qui cum iis erant, Zupani (b), adſtricto funibus collo, pedibus, capitibuſque nudis veniſſent (c).* Id vero cum nondum conclamatis rebus parum humanum poſtulatum videretur, honeſtam præ tam turpi ſervitute mortem elegere. Interea Græci omnibus viribus connixi rurſus aggreſſionem faciunt, cumque feſſis integri ſemper ſuccederent, & civium quidam ſchedas ſagittis ſine ferro appenſas noctu in caſtra emitterent, & quid noſtri molirentur, detegerent, urbe potiuntur. Cædes præſidiariorum ingens edita, direpti theſauri & civium fortunæ (d). Sed commiſeratione ac indignatione in hoſtes vir quidam nobilis, ac dives ſpectaculum edidit. Cum enim uxorem ſuam, excellenti forma mulierem, ad ſtuprum a milite rapi videret, nec ejus pudicitiam aliter tueri poſſet, acinace miſeram confodit (e). In Gregorium, ceteroſque, qui vivi in hoſtium manus venere, durius animadvertere Imperator ſtatuit, niſi Bela, qui obſidioni intererat, iram victoris placaſſet (f).

Et Sirmio per vim potitur.

Interea Stephanus, ingenio, & opeibus civitatis confiſus, quoad ſociorum auxilia confluerent, lentus appropinquabat, neque enim tam cito urbem deditum iri putavit: at poſtquam, quid Sirmio factum fuerit, certis nunciis comperiſſet, neque anni tempus, qui jam in exitu erat, trahendo bello opportunum videretur, Legatos ad Manuelem mittit, qui ſi Imperator a pace non abhorreret, Sirmienſem agrum & quidquid bello ab Hungaris captum fuiſſet, ſe redditurum polliceantur. *Id ille primo negavit: rem certe magnam, inquiens, confecturus ille eſſet, Legati, ſi, quæ jam ablata ſunt, ea rurſum donare vellet. Habemus Sirmium, cepimus Zeugmen, Dalma-*

Stephanus de urbis caſu edoctus pacem haud invitus cum Græcis conficit.

a) Cinnamus Hiſt. Lib. V.

b) Eo nomine Duces, & domini apud Croatas, & Sclavones veniunt, itaque hi quoque cum Hungaris urbi præſidio erant.

c) Idem ibid.

d) Nicet. Choniat. Annal. Lib. IV.

e) Nicetas Annal. Lib. IV.

f) Cinnamus Hiſt. Lib. V.

tas tenemus, eorumque omnino Domini facti ſumus, quæ vobis erepta, etiam concedere non vultis. Eſt ne ergo alterum apud vos Sirmium, & altera Zeugme. Dalmatiaque alia, quæ nobis traduturi ſitis? ſi habetis, ea nobis oſtendite, ut hæc apertis continuo manibus excipiamus, quæ quidem, etſi haud tuto nos poſſeſſuros eſſe ſciamus, quippe contra jus faſque agere, nulla vobis eſt cura, iiſdem tamen noſtris viribus, Deo juvante, ut & iſta tuebimur. Si ergo hæc noſtra ſunt, nihilque vobis amplius in iis juris eſt, quæ vos daturos dicitis, quibus conditionibus pacta fient, aut quid illud erit, quod vos nobis conciliet? (g) Hæc cum parum provide dixiſſet, nihil enim imprudentius, quam in victos, qui aliquando victores eſſe queant, acerbum eſſe, commutata rurſum oratione, *ſed ut ſciatis, ait, quam libenter vobiſcum, qui chriſtiani eſtis, velimus paciſci, agedum ſacramenta fiant* (h). Firmatis dein jurejurando pactorum conditionibus, Legati ad regem, Manuel Conſtantinopolim reverſus eſt.

Præſertim quod Dalmatiæ itidem Manuel minaretur.

Quo loco nemini mirum videri debet, Stephanum, qui tot ſociorum auxiliis fultus erat, ne tentata quidem prælii alea, pacem cum Græcis iniiſſe. Etenim cum Hungari partem copiarum Sirmienſi agro infuderant, reliqua autem, quod auxiliarii confluerent, domi reſtitiſſet; Manuel alibi bellum minatus, alibi reipſa geſſit. Nam ut primum exercitus partem ad defendendum Sirmium ipſe duxiſſet, ceteros Joanni Ducæ commiſit, ut in Dalmatiam irrumpens, aut hoſtium vires diſtraheret, aut, ſi fortunam faventem reperiret, eam regionem, quam ad Belæ hæreditatem attinere prætexebat, in ditionem redigeret. Quæ cum nil tale opinantibus Hungaris fierent, rati enim ſunt copias omnes ad Sirmium cum Manuele adeſſe, brevi temporis ſpatio, Tragurium, Sebenicum, Spalatum, ac univerſim ſeptem & quinquaginta Dalmatiæ, Croatiæque urbes in Græcorum poteſtatem venere (i). Atque id in cauſa fuit, cur Stephanus integris adhuc viribus pacem bello prætuleret. Fere enim amittendorum major metus eſſe ſolet, quam ſpes amiſſa recuperandi (k).

1166.

Cui ut rex caveret, Dionyſium in Serviam bellum inferre jubet.

Quamquam pax recens inita haud diu ſibi conſtitit. Stephanus enim cum tot provinciarum jactura per ſeſe angeretur, & ab optimatibus præterea ad eas recuperandas magnopere ſtimulatus eſſet, Dionyſium primarium aulæ virum, & militiæ ſcientiſſimum cum exercitu in Sirmienſem tractum immittit: facile enim videbat, quamdiu ea provincia in Græcorum arbitrio eſſet, nec Hungariam ſatis tutam fore, & Dalmatiam præterea cum Croatia ægre recuperari poſſe. „ Quod ſtatim atque „ percepere Romani duces, quid in eo rerum ſtatu eſſet agendum deliberant. Sed „ non in Romanorum commodum proceſſit ejuſmodi conſilium, utpote in id intentis conſiliariis, ut alius alium deciperet, utroque inprimis Michaele, Gabra nimirum, qui dux erat regionis, & Brana, qui & ipſe exercitui præerat, ſibi invicem „ inſenſiſſimis. Verum prævaluit Branas. Cum igitur Dionyſium nocte adoriri „ vellent, quando quidem ita inter ſe decreverant, motis inde caſtris, cum omnibus viribus ulterius ſunt progreſſi. Ubi ad eum pervenere locum, in quo ſua „ Dionyſius caſtra poſuerat, nullumque omnino in iis invenere exercitum, tum eos „ occupavit pavor. Si quid enim aliud, locus certe deſertus, & incognitus in hoſtium ſolo ad commovendos militum animos plurimum valet. Nihilominus iter „ agebant, eorum ſubinde obſervantes veſtigia, & forte confeciſſent quidpiam, ſi

Iſto rem feliciter agente.

„ maturius adorti fuiſſent Hungaros. Tum enim clara jam luce, ut id illi advertere, „ equis, qui in paſcuis erant, in caſtra abactis, & ceteris, qui ante tentoria ſtare de „ more ſolent, conſcenſis, in turmas ordinantur: mox, ut Romanos negligenter, „ & incompoſite ferri vident, illos invadunt. Plurimi enim ex iis, dum Hungaros, qui equos in caſtra agebant, adoriuntur, ſeſe huc illuc effuderant, fuſiſque „ iis, ceteros, qui Romanam phalangem a tergo ſequebantur, propulere etiam. „ Ex quibus perculſi Romani receptum primo cogitarunt, ac deinde longe majorem ſuo inſtare exercitum rati, in fugam ſeſe conjecere. Veritatem enim aut cogno-

g) Idem ibid.
h) Idem ibid.
i) Cinnamus Hiſt. Lib. VI.
k) Occupatam ab Manuele Dalmatiam hoc anno inde mihi pene certum eſt: quod Lucius Lib. III. cap. VIII. diſerta dicat, Stephani confirmationes in Croatia extare de annis 1163. & 64. Biennium autem poſt conſtabit, rurſus Dalmatiam fere omnem ab Hungaris recuperatam.

„ gnoſcere, aut dijudicare iis in momentis pauci admodum mortales ſciunt. Proti-
„ nus itaque omnibus diſcedentibus aliquamdiu cum ſignis, & paucis ex ſuis reſti-
„ tere dux uterque, aliquot adhuc ſecum permanſuros Romanos rati. Sed ubi ne-
„ mo uſquam cum iis ſtetit, terga & ipſi tandem dederunt. - - Tum demum, quod
„ in conſilio prius inter eos diſſidium interceſſerat, innotuit. Poſtquam enim fugien-
„ tem Gabram iterum aſſecutus eſt Branas, irridens, ac illudens, num, inquit,
„ vidiſti o Sebaſte, ut iterum reſtiterim hoſtibus, eoſque haſta invaſerim. Illo an-
„ nuente, enim vero, ait, per caput Imperatoris, nuſquam vidi te, niſi fugien-
„ tem „ (*l*). Ridicula ſane in Ducibus altercatio, qui ſi ferro ac prudentia tam promti, quam lingua fuiſſent, multo difficilius noſtris prælium fecerant. Ceterum victoriam, quam Cinnamus diſſimulat, tam illuſtrem fuiſſe Nicetas prodidit, ut Dionyſius ex cæſorum Romanorum cadaveribus tumulum in ſignum trophæi erigeret (*m*).

Manuel intellecta ſuorum clade, partim fortunæ, quæ ſe poſt tot relatas victorias tam turpiter in exitu deſtituiſſet, partim imperitiæ Ducum indignatus, ut quidquid eatenus damni acceptum erat, ſarciret, rurſus in Hungariam profectionem imperat. Atque ut hoſtium conſilia & vires diſtraheret, hujuſmodi dolum comminiſcitur. Alexium Protoſtratorem cum parte exercitus verſus Iſtrum jubet contendere, ut Hungari hac parte belli molem ſibi incubituram opinarentur: *Leonem autem Batatzem nomine, aliunde cum exercitu perinde magno, maxime vero Valachorum ingenti multitudine - - ex locis Ponto Euxino vicinis irruptionem in Hungariam facere jubet, qua ex parte nemo adhuc a primis ſeculis eos invaſerat. Alexius itaque, & alius Romanorum exercitus, cum ad Iſtrum perveniſſent, metum Hungaris fecere, quaſi continuo inde trajecturi. Batatzas autem ab iis, quæ diximus, locis irrumpens, omnia depopulatus obvia quæque proſternit, hominum ingentem cædem edit, nec pauciores captivos ducit. Ad hæc pecorum, equorumque, & aliorum inde animalium greges agens ad Imperatorem revertitur. Sed ille alteram quoque iis inferre plagam volens, novas in eos rurſum copias miſit, juſſitque, ut ſuperiora adirent loca, ac Hungaros, qui Tauroſcythiam accolunt, aggrederentur. Iis copiis præerat Andronicus Lampardas, Nicephorus Petralipha, aliique non pauci. Summa autem rerum penes Joannem Ducam fuit. Nec diu cunctati, loca longa, atque inacceſſa, terrasque hominibus prorſus vacuas emerſi, Hungariam invadunt, & in vicos incidentes frequentiſſimos complures, ingenti præda potiuntur, homines multos cædunt, plurimos captivos faciunt. Cumque inde eſſent exceſſuri, confectam ex ære crucem iſthic loci ſtatuunt, cum hujusmodi inſcriptione:*

Manuel, ut hoſtem reflecteret, ſuos in Tranſilvaniam immittit.

Pannonicæ quondam numeroſa hic germina ſtirpis
Mars, & dura manus ſuſtulit Auſonium.
Imperium Manuel Romæ cum divus habebat
Comnenum Auguſtæ gloria prima domus (*n*).

Poſitoque iſthic trophæo inducias paciſcitur.

Sed hæc majore jactantia, quam merito cruci inciſa ſunt: nam præter populationem agrorum, ac hominum inermium cædem, nihil, quod operæ precium fuerit, retulere. Ceterum cum Tauro Scythiæ nomine Ruſſos Cinnamus accipit, valde probabile eſt, Græcos ea parte, qua Prutus amnis eſt, cum Valachis in Tranſilvaniam irrupiſſe. Alexius contra, qui ſe trajecto Savo in Hungariam irrupturum ſimulabat, deſes iſthic reſtitit, ſive metu territus, ſive id Manuel ita imperavit. Neque deinceps quidquam in noſtros tentatum: quod Henricus Auſtriæ Dux cum Theodora conjuge, Manuelis nepte Imperatorem Sardicæ conveniens, ut induciæ utrinque eſſent, efficeret. Narrat Cinnamus, Henricum, dum in Auſtriam revertens Stephanum regem adiſſet, huic auctorem fuiſſe, ut conjuge, quam ex Ruſſia duxerat, toro ejecta, ſuam filiam, cui Agnes nomen, ſubſtitueret. Sed id Græcanica fide conſignatum eſſe reor. Etſi enim Agnetem Henrici filiam Stephano collocatam hoc anno (*o*) non diffitear, tamen Ruſſiæ Principis filiam prius in matrimonio regem ha-

Stephanus Agnetem, Henrici Auſtriæ Ducis filiam, conjugem accipit.

l) CINNAMVS Hiſt. Lib. VI.
m) Annal. Lib. V.
n) CINNAMVS Hiſt. Lib. VI.
o) Chronicon CLAVSTRO NEOBVRG. & ZVETLENSE apud Cl. PEZIVM. Item appendix ad Radevicum incerti auctoris; ut dubium eſſe non poſſit, Agnetem Henrici filiam Stephano III. copulatam fuiſſe.

1166.

buiſſe veriſimile non eſt, quod eodem Cinnamo teſte, Hieroslaus Halicıæ regulus, poſtquam fœdus cum Græcis adverſum Hungaros iciſſet, ſpoeſionem inter Stephanum, & filiam prorſus irritam declaraſſet. Quamquam Aventinus (p) conciliatas nuptias Friderico Imperatori aperte tribuat. *Hiſce confectis* (ſcribit) *Auguſtus in Auſtriam movet, receptis quadraginta unciarum auri millibus a Stephano, eundem adverſus Ladislaum patruum ejuſdem regem declarat Hungariæ. Eidem Agnam filiam Henrici Auſtriaci, - - deſpondet.* Sed mirum non eſt, Aventinum, quem in rebus Bavaricis toties hallucinari conſtet, in Hungaricis prorſus ineptire. Ladislao enim non Stephanus patruus, ſed frater ejusdem nominis rex oppoſitus eſt, ut ſupra ex diplomate perſpicuum fecimus. Neſcio autem, quid de XL. marcarum milliibus præterea ſomniet. Quinque quidem marcarum millia, ſi ſe adverſus patruum Fridericus tueretur, Stephanum per legatos obtuliſſe ſupra docuimus, ſed cum nemo ſcriptorum præſtitam Hungaris ab Imperatore opem commemoret, nihil profecto juris Friderico
1167. fuit, ut ea ab Stephano, quod Aventinus commentus eſt, repeterèt.

Tum traductis in Dalmatiam copiis, pleraſque urbes occupat.

Induciis nondum elapſis Hungari fortunam in Dalmatia tentandam rati, illuc copias ſuas miſere, ut, ſi eventus coeſiliis reſponderit, eam in priſtinam poteſtatem redigerent. Metus enim non vanus erat, Manuelem in eo præcipue elaborare, ut titulo hæretitatis, quam Beiæ nomine prætexuit, regionis illius jura, ac dominatum ad Græcos transferat. Quid a noſtris ea expeditioee actum ſit, Græci ſcriptores prorſus reticent: id ueum memorant: Nicephorum Chaluphem, qui Dalmatiam, & Croatiæ maritimas partes Manuelis juſſu adminiſtrabat, dum Spalato egreſſus hoſtem ardentius perſequeretur, ab Hungaris interceptum eſſe (q). Veriſimile tamen valde eſt, capto Dalmatiæ Præfecto, Spalatum quoque, ceteraſque regni illius urbes fere omnes partim armis, partim deditione in Hungarorum rurſus poteſtatem veniſſe, cui conjecturæ non modo diploma hujus anni, quo Stephanus Sibeniceeſibus privilegia confirmat (r), fidem facit, ſed ipſe quoque Dandulus in chronico diſerte (s) affirmat, regem cum exercitu ad maritimas Dalmatiæ partes appropinquantem, Tragurium, Spalatum, Sebenicum, aliaque plura oppida immunitatibus donaſſe. Tameſi Jadræ, & inſularum dominium fere penes Venetos eſſet, ac propterea Dalmatiæ, Croatiæque titulo uterentur (t). Stephanus, ee quid recuperatæ Dalmatiæ ab Venetis periculi crearetur, Michaelem Vitalem Venetorum Ducem conciliare ſibi ſtuduit. Fuere huic duo nati, Leonardus Auſarenſis, & Nicolaus Arbenſis Comites: utrumque nuptiarum vinculo ſibi, rebuſque ſuis illigavit, dum illi Deſſæ ducis, ſeu Serviæ (u) Jupani filiam, huic Mariam ex Ladislao patruo genitam nuptui collocaſſet (x). Ex quo facile mihi perſuadeo, Serviam quoque, cui Deſſa præfuit, occupata Dalmatia, in Stephani quoque clientelam conceſſiſſe.

Venetoſque, ne quid obturbarent, vinculo affinitatis ſibi conciliat.

1168. Ex tam ſecundo rerum eventu haud parva ſpes noſtris oborta eſt, Sirmienſis agri quoque potiundi; quem ſub Dionyſii ducis auſpicio emenſi, Savum quoque traje-

Inde ſigna in Serviam infert.

p) Annal. Boicorum Lib. IV.

q) CINNAMVS Hiſt. Lib. VI.

r) LVCIVS Lib. III. cap. VIII.

s) „Rex autem quod in corde conceperat, avomans, ad maritima cum exercitu „ venit, & immunitatibus Dalmatinos attrabens, Spalatum, Tragurium, & Sebinſcum, & plura alia loca demum obtinuit, „ illoſque largifluia privilegiis inſignivit. „ Hæc ad hunc annum conſignari patat ax codica Ambroſiano apud Cl. Muratorium Tom. XII. ſcriptor. rer. Ital. pag. 292. Quare naſcio, unde Bonfinius acceperit ea, quæ Dac. II. Lib. VI. narrat: certa præcapiſſe illum multa ex dicendis patebit.

t) Apud Muratorium Tom. XII. cit. habetur confirmatio privilegiorum Arbenſibus data da an. 1166. in cujus builla plumbea hæc apigrapha eſt: *Ki. Michael Dei grat. Venet. Dalmat. atq. Croat. Dux.*

u) TIMON ie Epitome chronol. ad hunc an. in luco *Deſiæ*, ſcribit, *Geiſæ*, minus tamen ut puto, recte: nequa anim quis hic Geiſa fuerit, certum eſt. Et ſi ax regum ſanguine fuiſſet hujus filia, quemadmodum Ladislai, profecto illius memoriam Dandulus feciſſet. Conſtat autem Deſſam Uroſii filium tum ax Græcis ſcriptoribus, tum ex du Freſne familiia Dalm. & Sclav. Serviæ Jupanum, aut, ut Græci loquuntur, Zupanum, ſeu Principem fuiſſe.

x) Dandul. ia Chroe. „ Inter hæc Stephanua Rex Ungariæ cum Duce (Vitale Michaela) „ amicitiam fingens, Leonardo, „ ajus nato, Comiti Auſeria filiam ducis „ Edaſſæ (legendum Deſſæ) in conjugem „ tradidit, & Nicolao ſimiliter Ducis nato, „ & Arbæ Comiti filiam Ladislai da ſtirpe „ regali ia uxorem dedit. „

trajecere, & prædas ex hoſtico impune agebant. Id cum Imperatori nunciatum fuiſſet, quo hoſtium procurſionibus finem denique faceret, bellum majore, quam antea, apparatu in Hungaros decernens, Sardicam proficiſcitur, ubi, legionibus Romanis convenire juſſis, Perſarum quoque auxilia exſpectabat. *Dum autem copiæ contrahuntur, audit duarum mulierbrium æneareum ſtatuarum, quæ in occidentali fornice fori Conſtantini ſitæ ſunt, alteram, quæ Hungariſſa dicatur, erectam ſtare; alteram, nomine Romanam, vetuſtate collapſam eſſe. Quo intellecto ſtatim illam dejecit, hanc repoſuit, ea ſtatuarum mutatione ſe fortunam etiam gentis utriusque mutaturum ratus, & rem Romanorum erecturum, Hungaricam contra depreſſurum. Legionibus in unum conductis deliberandum proponit, utrum ipſe quoque bello Hungarico intereſſe, an ſummam rerum duci alicui committere debeat? Ubi omnibus placuit, ut ipſe Sardicæ maneret, & generales belli duces crearet, ut abſente Imperatore incerti bellorum eventus, acceptæque cladis dedecus mitiora eſſent, & victoria plus laudis haberet. Summa belli Andronico Contoſtephano claſſis Præfecto mandatur. Exercitu Sardica moturo Imperator præclara oratione Contoſtephanum exhortatur: nec rationes tantum, ſed tempus etiam gerendi belli edocet, armorumque, & aciei inſtruendæ rationem monſtrat. Legatos item ejus, tribunos, ceteroſque milites ad pugnam acuit, commemoratis prioribus eorum facinoribus, & exemplis ad feſtinandum, & imminentia pericula ſubeunda, quibus, DEO adjutore, fortiter ſuperatis, illuſtrem victoriam reportaturi ſint, incitat. Quod ſi gloriam ipſius illuſtrarint, atque abſenti victoriam pepererint, ſe liberaliter illos remuneraturum. At illi, & dum hæc dicebantur, attentione, ſilentioque alacritatem ſuam oſtendebant, & finita oratione, magis etiam - - incitatos animos declarabant, ut verborum lenociniis deliniti, ſi quid moleſtiæ ex ſuperioribus pugnis in memoria reſidebat, id totum abolitum videretur. Nam & Imperatorem lætis acclamationibus celebrabant, & ſe ultra vires etiam dimicaturos pollicebantur. Ita incitatis exercitibus ſtatim confuſus clamor in caſtris tollitur; quod quidam ex gente Pannonica, dum concitato equo, ac toto impetu fertur, pronus in faciem prolapſus erat. Quo Imperator audito, & ipſe exhilaratus eſt, & omnes bono animo eſſe juſſit, bonum id omen interpretatus belli feliciter eventuri, & Deum ſervatorem, ut ductor eſſet exercitus, invocavit (y).*

Cui Manuel Andronicum opponit.

Andronicus vero cum omnibus copiis digreſſus, poſt aliquot dies Savo ſuperato (z), Zeugminum ingreditur. Pannonii vero ea re nihil territi, ſed ſuis cohortibus inſtructis, & non parvis auxiliis a finitimis populis, atque ipſis Alemannis, ut ferebatur, conductis, ſummaque rerum Dionyſio, viro ſtrenuo, & victoriis inclito mandata, pleni animorum, & jactabundi incedebant. Is Dionyſius, ut primum audiit, Romanum exercitum Savum tranſiſſe, victoriis prioribus inflatus, inſolenter gloriatus eſt, ſe, ut pridem, ita nunc etiam occiſorum Romanorum oſſibus in tumulum aggeſtis pro trophæo uſurum (a).

Hic Savo ſuperato in Dionyſium Hungarorum Ducem movet.

Græci Sirmio egreſſi caſtra haud longo ab Hungaris intervallo ponunt, diuque ſatis a prælio utraque pars abſtinuit, quod, cum neuter Ducum de altero, quantis viribus adeſſet, cognitum habuerat, temerarium videretur, pugnæ aleam fortunæ ſolum eventui committere: quæ cura, ut ducis providentiam per ſe ſe mirifice commendare ſolet, ita, ſi modum excedat, ſæpe pulcherrimam rei feliciter gerendæ occaſionem peſſumdat. Andronicus, quoniam ſpeculatoribus non ſatis tutus in Hungarorum caſtra aditus eſſet, nonnullos ſuorum adverſus hoſtem procurrere jubet, mandatque, ſi Hungaros ad velitationem prolicerent, cum iis coorti, id in primis darent operam, ut abſtractum ab aliorum conſortio aliquem, captumque in caſtra reducerent. *Illi igitur, uti juſſum fuerat, capto hoſte redire. Tum vero ab eo ſciſcitatur, cum quantis copiis ad Sirmium acceſſiſſent Hungari, & quid demum ii facere conſtituiſſent: Omnia itaque nude, vereque ille enarrans: Præſunt, inquit, huic exercitui ſeptem & triginta militiæ apud nos duces, ſed omnibus ſupremo jure imperat Dionyſius. Totus vero exercitus quindecim ad ſummum bellatorum millibus conſtat, partim equitum cataphractorum, partim ſagittariorum, & peltaſtarum. Tanta vero iis ineſt audacia, ut ne primum quidem illorum impetum ſuſtinere poſſe Romanos ſibi perſuadeant (b).* His cognitis non multum moræ interponendum ratus, educto ex caſtris milite, aciem hunc in modum inſtruit.

Ejuſque virtutem veritus primum cunctatur.

Tum intellecto ex captivis hoſtium numero.

Rr 2 Scy-

y) Nicetas CHONIAT. Annal. Lib. V.

z) Habet auctor diſerte *Danubio*: ſed hunc Sardica ad Savum eunti exercitui neceſſe non fuit trajicere. Quem errorem ſæpe alias Cinnamus quoque committit. Itaque libere ſubſtitui ubique Savum.

a) Idem ibid.

b) CINNAMVS Hiſt. lib. VI.

Aciem explicat prælii copiam offerens.

Scythas, & maximam Perſarum partem, cum paucis equitibus, qui haſta decertant, præcedere jubet. Inde a lateribus Romanorum ſequebantur phalanges, quibus præerant Coccobaſilius, & Philocales, prætereaque Tatitius, & quem Aſpietem vocabant. Horum e tergo ibant gravioris armaturæ milites ſagittariis intermixti, & Perſarum turma gravis armaturæ. Poſt iſtos utroque a latere, Joſephus Bryennius, & Georgius Branas incedebant. Item Demetrius ejus frater, & Conſtantinus Aſpietes, vir Sebaſti dignitate auctus: inde Andronicus, cognomento Lampardas, cum delectis ſimul Romanis, & Alemannis, nec non & Perſis. In poſtrema denique acie erat Andronicus, ſupremus Dux, cum aliis multis incliti nominis viris, quales Imperatori in bellum eunti adeſſe ſemper moris eſt, & Italis ſtipendiariis, itemque Serviis, qui pone ſequebantur, haſtis armati, & longioribus clipeis inſtructi (c).

Vetatur ab Imperatore prælium conſerere.

Vix aciem inſtruxerat Andronicus, cum litteræ ab Imperatore afferuntur, *quibus pugnam in alium commodiorem diem in litteris declaratum, differre jubebatur. At ille libello in ſinu condito juſſa negligit, & apud proceres aliarum rerum mentione injecta callide diſſimulat. Is autem dies, ut ater, & infauſtus ad pugnam, improbabatur. Neſcio enim, quomodo plurima, & maxima quæque negotia, quæ arbitratu DEI ſecundos, & adverſos exitus ſortiuntur ad aſtrorum circuitus, & certos poſitus, ac progeſſiones Manuel referebat, & nugas aſtrologorum pro oraculis excipiebat. Ceterum Contoſtephanus iis litteris plane contemtis, non ignarus, ſæpe modicam cohortationem ad certamen pugili multum profuiſſe; legiones ad hunc modum alloquitur. Fortes viros vos præbete Quirites, neque fortuna, & gloria veſtra quicquam indignum admittite. Scitis enim etiam feras, ſiquis fortiter invadat, terreri, ac in fugam conjici, timidos vero, & fugaces ab eis devorari. Quare cum immanibus iſtis barbaris ſtrenue dimicandum eſt, ne mortis formidine, quæ non ſalutem, ſed exitium affert, jugum eorum turpiter ſubeamus, & ignaviæ noſtræ graves pœnas demus. Neque vero aut nos ſoli vulneribus, & morti expoſiti ſumus, aut hoſtes ærei ſunt, & invulnerabiles: ſed ut illi ferro muniti ſunt, & velocibus equis inſident, ita eædem quoque res nobis ſuppetunt, neque fortitudine illis cedimus. Omnibus eadem eſt inſtructio, eadem belli exercitatio, eadem armorum ratio. Nam illud omitto, nos, quantum eloquentia, & doctrina barbaros ſuperamus, tanto etiam diſplina militari, & ſolertia ſuperiores eſſe. Sumus etiam antehac cum Pannoniis congreſſi, eorumque agres vaſtavimus: aggrediamur eos nunc quoque victoriæ habitu confirmato. Agite viri, agite commilitones, ita liberos, & conjuges veſtras videatis, barbarorum pereuntium voces Iſtri gurgites hauriant, cruentumque flumen Pannoniorum cladem, & Romanorum victoriam, inſolito ſpectaculo terris iis nunciet, quas perfluit. Præterea illud etiam eſt conſiderandum, cum a quo huc miſſi ſumus, totum pendere a nobis, & bona ſpe ex noſtris pollicitationibus concepta, jam fere captivos agitare animo, & victoriæ magnitudinem ſibi imaginari. Ne igitur præſenti periculo, quod nihil habet morte gravius, debilitati, vel illi pudori, vel nobis ipſis calamitati ſimus. Summa enim mala tergiverſationem non patiuntur; in quibus vel exigua negligentia, ſummæ rerum eſt everſio* (d).

Diſſimulato tamen Manuelis imperio pugnæ ſe accingit.

His dictis ſigna cani jubet, & copias adverſus hoſtem in patentiſſimos campos educit. Neque Dionyſius interea ſegnior, pro locorum ſitu, & tempore aciem inſtruit: ut vero Græcorum latera firmiſſima vidit, frontem contra attenuatam, totum exercitum in unam quaſi turrim, globatum, ac denſatum contraxerat, ratus, ſi toto pondere hac parte perrumperet, diviſas hoſtium alas nullo negotio fuſum iri. Hunc in modum atræ nubis inſtar in Græcos imminebat. „ Vexillum ejus in craſſa „ & alta trabe, quam rotis impoſitam, quatuor juga boum trahebant, ſublime a „ ventis agitabatur. Erat ea acies omnino horrenda viſu, tota equeſtris, & haſtata. „ Nec viri tantum armis egregie ad pedes uſque muniti, ſed & equorum pectora, „ & frontes ferro contra ictus armabantur. Ad hæc equorum hinnitus, armorum„ que fulgor ſolis radiis everberatus, ut propius ventum eſt, utrique exercitui „ majorem admirationem & terrorem afferebat (e).

Acre, & anceps utrinque prælium.

Cum ita mutuo ſibi ſub meridiem appropinquant, Andronicus pugnæ initium faciens, iis, qui in fronte ſtabant, breviter, quid fieri vellet, cohortatis mandatum dat, ut telis Hungaros eminus impeterent, „ & ſimul, ac in ſe illos ir„ ruere cernerent, terga darent, non recta quidem ad Romanorum exercitum, „ ſed

c) CINNAMVS Hiſt. lib. VI.
d) Nicetas Annal. Lib. V.
e) Nicetas Annal. Lib. V.

„ ſed oblique magis in latera, ut ſic utramque in partem diſtracti Hungari, medium
„ phulangis locum vacuum relinquerent. Sed illi, facta ab hoſtibus irruptione, ſta-
„ tim effuſe fugiunt, uſque dum ad Savum pervenere. Perſtitere vero Romano-
„ rum integræ duæ in ſiniſtra ăcie cohortes, quas Coccobaſilius, & Tatitius rege-
„ bant, ceteræ omnes jam inclinatæ. At Demetrius Branas, ſoia diſſipatis, cum
„ octoginta relictus, hoſtibus ſe ſe intulit, & fortiſſime dimicans, accepto in capite
„ letali vulnere, concidit, captusque ab Hungaris, in eorum caſtra relatus eſt. Fra-
„ ter autem illius Gregorius, hoſtium multitudine conterritus, prælium conſerere
„ non auſus eſt. Sic quidem ſiniſtra Romanorum acies in fugam inclinavit: dextra
„ vero ſiniſtram Hungarorum invadens, omnino hanc fudit. At Dionyſius, ubi hæc
„ advertit, eas, qui Andronicum ducem circumſtabant, adoriri ſtatuit. Sed ex
„ ſuis complures conterriti, ad ſe equitatum continuo evocarunt: quæ ut reſcivit
„ Dionyſius, timiditatem ipſis exprobrat, ſimulque obteſtatur, ut ibi conſiſtant,
„ ne pavorem ſuum Romanis proderent. Andronicus autem Lampardas, quæ pa-
„ rabantur, videns, veritus, ne, ſi alio abiret, Dionyſii copiæ Andronicum ducem,
„ opprimerent, neceſſarium duxit, cum ipſo primum Dionyſio manus conſerere.
„ Cumque invicem concurrerent, ſublatus continuo eſt clamor, tumultusque paſſim
„ factus, impactæque jam in clipeos haſtæ fruſtatim diſciſſæ decidebant in terram.
„ Romani autem, etſi, qui ſub altero Brana Georgio erant, jam acceſſiſſent, fatiſ-
„ cebant tamen. Ut id percepit dux Andronicus, ne iis, qui cum Lamparda di-
„ micabant, omnino fuſis, ac devictis, tota in ſe belli moles incumberet, cum ho-
„ ſtibus pugnare inſtituit, adeoque atrox concitatur prælium, ut primo conflictu
„ Romanorum quidem octoginta, Hungarorum autem multo plures ceciderint,
„ Sed enim Romani incredibili conſtantia ſuſtinentes certamen, tandem eos propria
„ virtute in fugam verterunt.

Hæc Cinnamus (*f*): prælium ad veſperam protractum, quo diremto Græci Savum trajecere, quod Hungaros poſtridie nova auxilia accepturos fama erat. Ex quo facills conjectura fit, haud tanti momenti, ut Imperatori deinde perſuaſum fuit, a Græcis victoriam reportatam fuiſſe; qua ſine dubio, ſi Dionyſiua obſequentiores Præfectos habuiſſet, noſtri fuſa ſiniſtra Græcorum ala in ſolidum potiti fuiſſent. Fortaſſe idem hic Dionyſiua fuerit, qui deinde ſub Bela III., Palatini dignitatem conſequutus eſt. Ceterum præter prægrande vexillum, cujus ſupra meminimus, & equum Dionyſii, qui, cum primum ſuos nutare vidiſſet, pedeſtrem pugnam auſpicatus eſt, nihil prædarum in hoſtis poteſtatem venit. Unde mirari ſubit, Manuelem huc levitatis delabi potuiſſe, ut tanquam victo omnium maximo hoſte, triumphum in urbe ageret. Juvat tamen Græcanicam vanitatem ex ſcriptore itidem Græco audire. „ Im-

In ambiguam victoriam deſinit.

„ perator (inquit) tanta victoria lætus & exultans, Deo gratiia actis, ſtatim rei bene geſtæ
„ nuncios in urbem mittit, ac poſt dies aliquot & ipſe Conſtantinopolim ingreſſus,
„ triumphum ducit ab orientali porta, quæ ad arcem patet, eumque ob inſignem,
„ & incruentam victoriam quam ſplendidiſſime, & magnificentiſſime adornat. Ex-
„ panſæ ſunt omnes purpureæ, & auratæ veſtes, & cives alii aliunde ad pompam
„ illam confluentes, inſtar torrentes ex monte decurrentis, fora, ædes, templa,
„ officinas, & loca omnia urbis ampliſſimæ deſeruerunt. Sunt & captivi in trium-
„ phum ducti. Platea illa utrinque ſuggeſta habuit, ad binas & ternas contignatio-
„ nes educta: tecta quoque omnia ſpectatoribus referta fuerunt. Imperatorem qua-
„ drigæ argenteæ auratæ cum equis nive candidioribus præcedebant; quibus impoſi-
„ ta erat imago invictæ adjutricis, & inſuperabilis commilitonis Matris Dei. - -
„ Eum currum Imperatoris propinqui, atque amici, ſenatus, viri magiſtratibus, &
„ dignitatibus inſignes pone ſequebantur. Deinde ipſe Imperator prodiit, equo fe-
„ roci inſidens, vir inclitus, & maximus, ornamentis illuſtribus inſignis, comitan-
„ te Contoſtephano triumphi auctore, qui ob victoriam, & rem bene geſtam cele-
„ brabatur. Magnum templum ingreſſus, Deoque, coram omni populo, laudato
„ in palatium pergit, laxataque nimia bellorum contentione, ludis equeſtribus re-
„ creatur (*g*). „

Ob quam magna jactantia triumphum Manuel in urbe ducit.

f) Hiſt. Lib. VI.

g) Nicetas CHONIATES Annal. V.

1169.

Dalmatiamque pene totam occupat.

Quæ etſi pietatis ſpeciem præferrent, vanitatis tamen plena erant: ſed per-
multum ſæpe profuit ſive ad levandam hoſtium victoriam, ſive ſuam jacturam occulen-
dam, populo triumphi ſimulacro palpum obtrudere. Ceterum victoriæ qualiſcunque
demum nuntius in Dalmatiam allatus, urbes, quæ haud ita dudum in Hungarorum
poteſtatem venere, paullum poſt in clientelam Græcorum rurſus traduxit. Tragu-
1170. rium enim, Spalatum, Sibenicum, & tota pene Dalmatia Manuelis imperium ſpon-
te acceperant (*b*), ſola Jadra in fide Venetorum perſtitit. Quamquam haud multo
poſt Hungarici juris facta ſit. Jadrenſes namque, dum Veneti Archi-Epiſcopum

Jadrenſes tamen Hungarorum fidei ſe dedunt.

Jadertinum Patriarchæ Gradenſi ſubjeciſſent, rati imminuta Eccleſiaſtica auctoritate,
ſuam quoque oppreſſum iri, pulſo Dominico Mauroceno, qui urbi Venetorum no-
mine præerat, Stephano Hungariæ regi ſe ſubdidere, acceptiſque præſidiariis, ac
erecto Hungarorum in urbe vexillo, ſpem omnem recipiendæ civitatis Venetorum
1171. duci eatenus ſucciſam volebant. Fuit is Vitalis Michael, qui hanc Jadrenſium per-
fidiam, coacta triginta navium claſſe, ultum (*i*) quidem ibat, ſed præſidio Hunga-

Haud multo poſt a Venetis ſubacti.

rorum tutos aggredi veritus, re infecta abſceſſit. Noſtri ſive Venetos tam cito re-
dituros non putabant; ſive adverſus Manuelem, rurſus novas res in Hungariam
molientem, copiarum partem ex Dalmatia extraxiſſent, Jadrenſes ſequente anno in
exitium imprudentes adduxere. Michael quippe captata occaſione nil opinantibus
majore, quam prius, claſſe ingruit, urbemque quamquam civium, & noſtrorum
1173. opera ſtrenue defenderetur, ad extremum occupat, nudatamque mœnibus, acceptis
ducentis obſidibus, priſtinæ ditioni reſtituit (*k*).

Hæc inter Stephanus fato defungitur.

Acceptam in Dalmatia jacturam Stephanus biennio abhinc contracta affinita-
te utcunque reſarſit, cum Helenam ſororem (*l*) Leopoldo, qui virtuoſi cognomen-
tum adeptus eſt, Henrici Auſtriæ ducis filio nuptui collocavit. Nuptiarum appa-
ratui credibile eſt Henricum Saxoniæ ducem, Leonem dictum, quoque interfuiſſe,
qui cum iter Jeroſolymas per Hungariam facturus Viennam forte fortuna appulit. In-
de comitante Henrico Jaſomergotto Auſtrio Strigonium delatus pridie IV. nonas Mar-
tii, eadem qua venerat nocte, ſi Thuroczio fides, Stephanum defunctum reperit.
Arnoldus Lubecenſis coævus ſcriptor inopinum regis caſum in hæc verba comple-
xus eſt. „ Cum magna ergo commoditate ad civitatem, quæ Meſenburg (hodie Me-
„ ſeritz) dicitur, pervenerunt, (uterque Henricus Saxoniæ, & Auſtriæ duces) quæ
„ ſita eſt in confinio terræ Hungariæ, ubi Legatus Hungarorum, Florentius dictus
„ paratus fuit ad excipiendum ducem Saxoniæ, una cum duce orientalis Auſtriæ cu-
„ jus (filiam) rex habebat (*m*). Et ita præcedentes cum ſumma tranquillitate appli-
„ cuerunt ad urbem quamdam, quæ naturaliter eſt munitiſſima. Nam ex uno late-
„ re cingitur Danubio, ex alio alveo profundiſſimo, qui Grane dicitur, a quo arx,
„ & civitas, quæ in altera ripa ſita eſt, nomen accepit. Gravis autem mœſtitia du-
„ cem

b) Hæc oppida DANDVLVS quidem poſt annum XV. Vitalis Michaelis collocat, itaque poſt annum 1171. ſed cum hoc anno Stephanus defunctus ſit, neque Dandulum annorum ordinem rite ſectatum eſſe ex Codice Ambroſiano certum ſit, tum victoriæ nuncius recens facilius Dalmatinos a noſtris ad Venetos reflectere potuerit, veriſimile mihi fuit, oppidorum deditionem ad hunc annum locari debere.

i) DANDVLVS in Chron. „ Jadertini igitur „ ſubjectionem ſui Archi-Epiſcopatus Patriarchæ Gradenſi moleſtam habentes nunc „ tertio rebelles duci effecti Dominicum „ Mauroceno, defuncti ducis natum, eorum Comitem expulerunt, & regis vexilla „ erigentes, ſe ejus dominio tradiderunt. „ Dux illico XXX. galeis armatis Jadram „ properat, quam ab Hungaria munitam inveniens, dum obtinere nequiret, Venetias remeavit. „

k) DANDVLVS in Chron. „ Dux itaque anno XV. ingentem paratum exercitum „ cum Dominico Mauroceno Capitaneo denuo Jadram mittit, quos ex Hungarorum „ præſidio in errore tenaces, appoſitis ſcalis „ & gattis, & variis inſultibus idem Capitaneus impugnare non deſinit. Hungari ab „ hoc territi, relictis tentoriis fuga ſalvati „ ſunt. Cives - - Jadrenſem civitatem Capitaneo libere tradiderunt, qui eandem „ muniens ducendum de nobilibus Jadræ ſecum aſſumtis Venetias rediit. Jadrenſes igitur diruptis muris, & datis obſidibus obtenta „ a Duce venia in urbe ſua reſtituti ſunt. „

l) Chron. CLAVST. NEOBVRG. ad an. 1173. „ Liupoldus, & Henricus frater ejus, filii „ Henrici Auſtriæ ducis, accincti ſunt gladio: & eodem die Liupoldo copulata eſt „ uxor ſua filia (ſoror) regis Hungariæ.

m) Auctor ſororem ponit, ſed conſtat ex reliquis, ut Cinnamo, aliiſque, filiam Henrici Auſtriæ ducis, non item ſororem fuiſſe.

„ cem illic perculit : nam ipſa nocte rex veneno periit, appotiatus a fratre ſuo,
„ quem de terra ejecerat. Unde gravi afflictione conſtricti, ignorabant, quid fa-
„ cerent. Dux enim Saxoniæ graviter cum ſuis angebatur, quod in peregrinatione
„ conſtitutus, tuto ulterius progredi non poſſet, quia morte regis, quaſi præfoca-
„ tus, ducem viæ habere non poterat. Nec minus alter affligebatur de tam ſubito
„ regis interitu, eo, quod inteſtatus obiiſſet, & (filiam ſuam) viduam, prægnan-
„ tem tamen, quaſi exſortem regni, ſine hærede reliquiſſet (*n*). „ Agnes ab obi-
tu regis uterum gerens in Auſtriam rediit: de prole, quam enixa ſit, altum apud
omnes ſcriptores ſilentium. Deinceps Hermanno Ortenburgico Carinthiæ duci col-
locata, Ulricum, & Bernardum, ambos Carinthiæ duces genuit (*o*). Ceterum
Henricus Saxoniæ dux Archi-Epiſcopi Strigonienſis opera per Florentium bona fide
in Græciam, ex hac in Syriam pervenit.

Error ſcriptorum circa mortis genus.

Errat autem Arnoldus Lubecenſis, & cum eo omnes, qui Stephanum veneno ſublatum prodidere, quo mortis genere Stephanum, ejus patruum, ut ex coævo ſcriptore Græco alias memoravi, defunctum non quidem Zemlini, quod noſtri plerique exiſtimant, ſed Zeugmini conſtat, quo nomine Sirmium urbem a Græcis accipi, ex rebus hactenus narratis vix dubitari poteſt. Neque ſatis recte illud exactum eſt, quod Stephano, Ladislaum ac Stephanum patruos in regno ſucceſſiſſe nonnulli tradunt, quorum res geſtas, & tempora inter Stephanum III. a patris obitu rerum potitum, & invaleſcentibus turbis regno amotum, rurſuſque reſtitutum, in tam pertinaci domeſticorum annalium ſilentio ſatis rite ad fidem hiſtoricam me complexum fuiſſe, quoad certiora in lucem educantur, mihi perſuadeo. Fateor tamen de mortis anno haud ita me certum eſſe, ut dubium obmoveri non poſſit, quod nec Stephani, nec, qui illi ſucceſſit, Belæ diploma ullum, ex quo annorum ratio rite iniri queat, uſpiam repererim.

Improlis cum deceſſiſſet, Hungari Belam a Manuele repetant.

Improlis cum deceſſiſſet Stephanus Hungariam non tam hæredi, quam partium ſtudiis, ac factionibus reliquit. Quamquam enim Bela frater, ad quem regnum jure pertinebat, ſupereſſet, tamen quod adoleſcens olim ad Græcos traductus fuerit, iſtosque ob faſtum, & acceptas bellis ſuperioribus jacturas æquanimiter non ferrent, veriti, ne juvenis alienos mores edoctus, rempublicam ad Græcanicum ingenium adminiſtraret, diu ancipites hæſere, num ad capeſſendum regnum evocandus eſſet. Ad hæc, cum Stephanus, ut ex Arnoldo Lubecenſi conſtat, uxorem gravidam reliquiſſet, magna procerum pars, præſertim, quæ Græcis infenſior erat, exſpectandum rati, quam prolem vidua enixura eſſet, magnum momentum ad interregnum adjecere. His ſtudiis incertos Manuel, ex improviſo occupavit. Dum enim turbis omnia miſceri apud Hungaros audiit, recta cum exercitu Sardicam profectus eſt, ut, ſi qua ſe offerret rerum gerendarum occaſio, in promtu eſſet. „ Illic morantem „ (ſcribit Cinnamus) convenere Hungarorum Legati: Belam ſibi mitti in regem poſtu- „ lantes. Stephano quippe defuncto, ad eum regni jus ſpectabat. Ceterum Bela „ iſte in generum Imperatoris primo delectus, quemadmodum in ſuperioribus a me „ narratum eſt, poſtea cognationis lege obſtante (*p*), ſororem Auguſtæ duxerat, „ ideoque Cæſar fuit renuntiatus, iſtius dignitatis prærogativa ceteris prælatus in urbe „ Byzantina proceribus. Regem igitur -- cum uxore in Hungariam miſit, cum ju- „ re jurando prius eum obſtrinxiſſet, quæ Imperatori, & Romanis profutura eſſent, „ per omnem ſe vitam ſervaturum. Illum vero comitabantur, a quibus in regnum „ deduceretur, Joannes Protoſebaſtus, aliique illuſtres viri. „ Hæc Cinnamus: (*q*) ex quo illud præterea habemus, nequaquam, ut pactis primum utrinque convenerat, filiam Manuelis Belæ copulatam fuiſſe, ſed ſororem Auguſtæ: an vero Irenes Alemannæ, quam primum Manuel in conjugio habuit, num contra Mariæ Antiochenæ, quam defuncta Irene uxorem acceperat, incertum eſt.

n) In Chronico ad annum 1173.

o) MAGISERVS Annal. Carinth. Lib. VIII. cap. I. pag. 832.

p) Cognationis legem non aliam fuiſſe puto, quam, ut idem Cinnamus ſupra meminit, quod filia Ladislai, quam Græci Irenem vocant, Calojoanni, qui Manuelis pater erat, nupta fuerit.

q) Hiſt. Lib. VI.

BELA III.

Redditur Hungariæ Bela a Colocenſi Archiepiſcopo coronatur.

Redditus Hungariæ Bela, ne quid regno turbatis temporibus periculi crearetur, a Colocenſi Archi Epiſcopo, credo Strigonienſem, quo minus officio fungi poſſet, morbo prohibitum fuiſſe, poſtulantibus Hungariæ Optimatibus corona redimitus eſt. Ex quo, ne præjudicium Strigonienſium Archi-Epiſcoporum juribus oboriretur, ipſe rex publico inſtrumento in hæc verba cavit. *Ego Bela Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramaque rex divina diſponente clementia ſuſcipio coronam de manu Colocenſis Archi-Epiſcopi, ſed non in præjudicium Strigonienſis Eccleſiæ, quo minus Hungarici reges ab ejusdem Eccleſiæ Archi-Epiſcopis ſemper debeant in poſterum coronari* (r). Ab adito regno nihil antiquius habuit, quam ut latrocinantium turbas, quæ interregni tempore invaluerant, partim milite, partim graviſſimis edictis ac pœnis coerceret.

Rempublicam magno animo capeſſit, renovata judiciorum ratione.

Et cum reges ante hac promiſcue, ac immodeſtius ab hominibus adirentur, auresque indoctæ multitudini accommodantes, modo garulitatis faſtidio, modo loquendi inſcitia afficerentur, neque gravitatem pro dignitate ſervarent, neque diſtincte judicia enunciarent, hinc factum eſt, ut Bela primus petitionum, ac precum formulas inſtituerit, ex Imperatorum, Pontificumque more; & duos precum miniſtros adſciverit, qui quotidianas petitiones ei ſecreto legerent, reſcriptaque manu regia reſponſa referrent. Unde optimus judiciorum, & gratiarum mos tunc Ungaris introductus (s). Crediderim Belam morem hunc ex Manuelis aula, in qua bene longo tempore verſabatur, in Hungariam traduxiſſe: qui, ut ad conciliandam regibus auctoritatem, riteque cognoſcendas cauſas multum momenti affert, ita injuriarum perſæpe occaſio eſt, præſertim ſi regum aditus iſtiusmodi homines obſepiant, qui rempublicam ſeu ex fortunarum, quas ſperent, commodo, ſeu ex perſonarum, quas ament, oderintve, conſuetudine adminiſtrari oportere, ſibi perſuaſum habent.

Quo loco res in Dalmatia fuerint.

Pacatis domi rebus de recuperandis Dalmatia, & Croatia cogitaſſe quidem regem, ſed deſtinationem ſuam tempori magis opportuno ſervaſſe credibile eſt, quod regni poſſeſſionem adiens, Manueli jure jurando recepiſſet, nihil ſe, quod adverſus illum eſſet, unquam facturum. Diſtrahebatur id temporis Dalmatia variis dominis obnoxia: præter Jadram enim, & Tragurium, quæ Veneti juris erant (t), Spalatum (u) cum ceteris ampliſſimi regni oppidis Manueli parebat, quin univerſam pene Croatiam Græcis ſubjectam fuiſſe Thomas Archi-Diaconus memoriæ prodidit (x), idque non tam armorum vi, quam benevolentia, qua ſibi Manuel civium animos mirum in modum conciliaverat, eveniſſe idem perhibet, quod hanc rationem præ illa multo commodiſſimam reipublicæ futuram arbitraretur, armia enim corpora, beneficentia animi vincuntur. *Ipſe autem* (ita de Manuele ſcribit Archi-Diaconus) *erat benigniſſimus circa omnes ſibi ſubjectos, non tributorum exactor, ſed divitiarum ſuarum liberaliſſimus diſtributor. Omnes ad ſe venientes honorabat, omnibus impenſas ex fiſco regio exhibebat. Recepta autem computatione capitum civitatis Spalatenſis, mittebat ſtipendia omnibus, infantibus etiam in cunis jacentibus, ſingulos aureos dari faciebat. Mittebat autem Duces ſuos cum magno apparatu armorum, portantes pro ſumtibus pecuniam copioſam, qui veniebant, & tenebant civitates maritimas, & magnam Croatiæ partem* (y). Sed Manuel, qui boni Principis rationes eatenus ſectatus eſt, alia parte graviter exerravit,

cum

r) Habentur hæc verba in Epiſtola Innocentii ad Joannem Archi Epiſcopum Strigonienſem data de anno MCCIX. quam in loco referemus.

s) Bonfin. Dec. II. Lib. VII.

t) De Jadra ſupra ex Dandulo dictum eſt: de Tragurio exſtat inſtrumeutum publicum ex tabulario Tragurienſium hujuſmodi: *Sebaſtianus Ziani Dei gratia Venetiæ, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, omnibus fidelibus ſuis, ad quos iſtæ litteræ pervenerint, ſalutem cum bonæ voluntatis gratia. Credentes & certa relatione ſcientes, quod Tragurini ad noſtram devotiſſime exiſtunt fidelitatem, nolumus, ut aliquo modo offendantur, quicunque aliter facere præſumſerit, noſtram ſe ſciat amiſiſſe gratiam. Data menſe Februarii Indictione VII. feliciter.* Indictio hæc cadit in annum 1174.

u) Apud Lucium Lib. III. cap. X. ſequens exſtat inſtrumentum: *In Chriſti nomine. Anno ab Incarnatione Domini noſtri JEſu Chriſti MCLXXIV. Indic. VII. tempore invictiſſimi, ac ſemper triumphatoris Domini noſtri Imperatoris Manuelis in civitate noſtra Spalatina prominente Conſtantino Sevaſto* (rectius Sebaſto, græce dignitatis nomen) *Buccaratu Heliæ.* in ..

x) Hiſt. Salon. cap. XXII.

y) Idem ibid.

cum, quæ Belæ nomine olim in Dalmatia, ac Croatia occuparat, nunc ſibi per injuriam uſurparet; neque minus a Bela in eo peccatum fuit, quod privatam amicitiam regni juribus anteponens ad hæc conniveret; fere enim quæ ſibi perdunt reges, ſuis regnis perdunt. Quamquam poſtea, quæ neglecta prius erant, Belam diligenter ſarſiſſe narrabimus.

1175.

Rex Manueli ſuppetias in Perſiam mittit.

Interea Henricus Leo Saxoniæ dux ex Palæſtina reverſus in Hungariam advenit: acceptus eſt ſumma benevolentia, eademque voluntatis ſignificatione commeatus illi ad Hungariæ limites datus eſt; ubi ſalutato rege, pactaque mutuo amicitia, Saxoniam repetiit, (z) inde ad Fridericum abiturus, qui adverſus Italiam, ut Manuel in Perſas, bellum apparabat: hujus ad Hungaros pars quoque attinebat, illius non item. Cauſam ſcriptores Græci ex eo capite repetunt, *quod Imperator Sultano immemorem & ingratum pro tantis beneficiis & auxiliis animum, quibus regnum in populares ei confirmaſſet: Sultanus contra Imperatori violata pacta, & in diſſolvenda amicitia levitatem, & pacis conditionibus temere abrogandis, & inanes magnorum munerum pollicitationes quæ rubricatis quidem litteris inſcriberentur, ſed exigua præberentur, objiciebat.* (a). Manuel, ut barbari faſtum coerceret, ingentes ad bellum in Aſiam traducendum apparatus fecerat, Belamque per nuncios rogabat, ut ſibi auxiliarios, quanto poſſet numero, mittere ne gravaretur (b). Rex, quamquam Venetos apparebat aliquid molituros, tamen ne amico & cognato deeſſet, Tranſilvanos, & Sclavones Bani ac Vayvodæ auſpicio ſuppetias in Aſiam Imperatori transmiſit. His acceptis recta Iconium tetendit, ultionem capta urbe ex Perſis ſumturus. Verum errore viarum inſidias præcipitatus, capitale diſcrimen adiit. Ubi enim per oblongam convallem verticibus montium, ac rupium præcipitiis utrinque aſſurgentem, copias traducit, coorti repente ex inſidiis Perſæ a fronte & tergo imminent, & velut indagine clauſos immaniter trucidant. Cædes potius quam prælium fuit, quod cum neque progredi, neque regredi integrum eſſet, nec ſe ſatis tueri, nec hoſtem loco movere poſſent. Pars tamen partim cum Perſis partim collibus luctata evaſit. *Imperator vero*, quem Tranſilvani ac Sclavones, quod Græcus ſcriptor maligne ſiluit, potiſſimum ſtipaverant, *etſi ſæpe barbaros ex anguſtiis illis depellere eſt conatus, & ſuis viam complanere, tamen cum eum conatum non ſuccedere, ſeque æque periturum videbat, creſcentibus ſubinde* (c) *Perſarum viribus, ut qui e ſuperiore loco pugnarent, ſi maneret, at ſi progrederetur cum paucis, quos ſecum habebat, recta in hoſtes fertur, ceteroſque monet, ut quisque ſalutem quærat, ut poſſit: ſe enim nihil boni ſperare poſſe, ex iis, quæ videat. Atque ita poſt multa vulnera, & vibices, enſibus, & ferrea clava facta, ex barbarica illa phalange, tanquam decipula, eſt elapſus. Sic quidem toto corpore convulneratus, ut ſcuto ejus circiter XXX. ſagittæ inhærerent, & ipſe caſſidem decuſſam attollere non poſſet* (d). Eminuit in hoc prælio duorum Tranſilvanorum egregia virtus, Lobii & Thomæ fratrum, qui Manuelem, cum in maximo periculo verſaretur, objectis corporibus diſcrimini eripuerunt. Reduces ab Vayvoda Tranſilvaniæ, & Sclavoniæ Bano, qui pugnæ itidem intererant, ob præclare facta collaudati, latifundiis ab rege donati ſunt, quæ Bela deinde nepos publico litterarum teſtimonio confirmavit: eas, ne præſtantium virorum facinora poſteros lateant, quantum ad rem præſentem faciunt, annalibus inferendas putavimus, ſuntque in hæc verba conſcriptæ.

Imperator ab hoſte circumventus, magnam militum jacturam facit.

Ipſeque capitali periculo implicitus Tranſilvanorum virtute eripitur.

Bela Dei gratia rex primogenitus regni Hungariæ -- Univerſis præſentès litteras inſpecturis ſalutem in eo, qui ſalus omnium eſt. Cum voluntate Patris noſtri, & maturo Prin-

Quod Bela publicis litteris teſtatus eſt.

Tt

z) „Arnoldus LUBECENSIS in Chron. & „tranſito nemore magno venit ad regem „Ungarorum, qui tunc noviter creatus „erat, & regnum fratris obtinuerat. Qui „honeſtiſſime ſuſcepit eum dans ei conductum per terram ſuam, & ita Dux reverſus eſt in fines ſuos. Poſt hæc abiit ad „Imperatorem.„

a) Nicetas CHONIATES. Annal. Lib. VI.

b) Idem ibid. „His de cauſis Imperator „& veteres copias colligebat, & novas „conſcribebat, & auxilia peregrina haud „parva accerſebat, a Latinis potiſſimum, & „Scythis ad Iſtrum accolentibus.„-- Chronologia quidem Nicetæ bellum id affigit ad an. 1172., quo tempore Bela III. nondum regnavit, ſed patet ex hujus diplomate vel ad an. 1174. vel 75. rejiciendum eſſe.

c) Re autem vera Turci erant, qui occupato Iconio Græcis moleſti erant. Perſas autem ſive *Iran* a Græcis ideo dici obſervant, quod ex Perſia iſtuc delati ſint, ut in annalibus veterum Hunnorum Parte III. obſervavi.

d) Nicetas Annal. Lib. VI.

1166.

buiſſe veriſimile non eſt, quod eodem Cinnamo teſte, Hieroslaus Halicíæ regulus, poſtquam fœdus cum Græcis adverſum Hungaros iciſſet, ſponſionem inter Stephanum, & filiam prorſus irritam declaraſſet. Quamquam Aventinus (*p*) conciliatas nuptias Friderico Imperatori aperte tribuat. *Hiſce confectis* (ſcribit) *Auguſtus in Auſtriam movet, receptis quadraginta unciarum auri millibus a Stephano, eundem adverſus Ladislaum patruum ejuſdem regem declarat Hungariæ. Eidem Agnam filiam Henrici Auſtriaci, - - deſpondet.* Sed mirum non eſt, Aventinum, quem in rebus Bavaricis toties hallucinari conſtet, in Hungaricis prorſus ineptire. Ladislao enim non Stephanus patruus, ſed frater ejusdem nominis rex oppoſitus eſt, ut ſupra ex diplomate perſpicuum fecimus. Neſcio autem, quid de XL. marcarum millibus præterea ſomniet. Quinque quidem marcarum millia, ſi ſe adverſus patruum Fridericus tueretur, Stephanum per legatos obtuliſſe ſupra docuimus, ſed cum nemo ſcriptorum præſtitam Hungaris ab Imperatore opem commemoret, nihil profecto juris Friderico

1167. fuit, ut ea ab Stephano, quod Aventinus commentus eſt, repeteret.

Tum traductis in Dalmatiam copiis, pleraſque urbes occupat.

Induciis nondum elapſis Hungari fortunam in Dalmatia tentandam rati, illuc copias ſuas miſere, ut, ſi eventus conſiliis reſponderit, eam in priſtinam poteſtatem redigerent. Metus enim non vanus erat, Manuelem in eo præcipue elaborare, ut titulo hæretitatis, quam Belæ nomine prætexuit, regionis illius jura, ac dominatum ad Græcos transferat. Quid a noſtris ea expeditione actum ſit, Græci ſcriptores prorſus reticent: id unum memorant: Nicephorum Chaluphem, qui Dalmatiam, & Croatiæ maritimas partes Manuelis juſſu adminiſtrabat, dum Spalato egreſſus hoſtem ardentius perſequeretur, ab Hungaris interceptum eſſe (*q*). Veriſimile tamen valde eſt, capto Dalmatiæ Præfecto, Spalatum quoque, ceteraſque regni illius urbes fere omnes partim armis, partim deditione in Hungarorum rurſus poteſtatem veniſſe, cui conjecturæ non modo diploma hujus anni, quo Stephanus Sibenicenſibus privilegia confirmat (*r*), fidem facit, ſed ipſe quoque Dandulus in chronico diſerte (*s*) affirmat, regem cum exercitu ad maritimas Dalmatiæ partes appropinquantem, Tragurium, Spalatum, Sebenicum, aliaque plura oppida immunitatibus donaſſe. Tametſi Jadræ, & inſularum dominium fere penes Venetos eſſet, ac propterea Dalmatiæ, Croatiæque titulo uterentur (*t*). Stephanus, ne quid recuperatæ Dalmatiæ ab Venetis periculi crearetur, Michaelem Vitalem Venetorum Ducem conciliare ſibi ſtuduit. Fuere huic duo nati, Leonardus Auſarenſis, & Nicolaus Arbenſis Comites: utrumque nuptiarum vinculo ſibi, rebuſque ſuis illigavit, dum illi Deſſæ ducis, ſeu Serviæ (*u*) Jupani filiam, huic Mariam ex Ladislao patruo genitam nuptui collocaſſet (*x*). Ex quo facile mihi perſuadeo, Serviam quoque, cui Deſſa præfuit, occupata Dalmatia, in Stephani quoque clientelam conceſſiſſe.

Venetoſque, ne quid obturbarent, vinculo affinitatis ſibi conciliat.

1168. Ex tam ſecundo rerum eventu haud parva ſpes noſtris oborta eſt, Sirmienſis agri quoque potiundi; quem ſub Dionyſii ducis auſpicio emenſi, Savum quoque traje-

Inde ſigna in Serviam infert.

p) Annal. Boicorum Lib. IV.
q) Cinnamus Hiſt. Lib. VI.
r) Lucius Lib. III. cap. VIII.
s) „Rex autem quod in corde conceperat, evomens, ad maritima cum exercitu venit, & immunitatibus Dalmatinos attrahens, Spalatum, Tragurium, & Sebinicum, & plura alis loca demum obtinuit, illoſque largifluis privilegiis inſignivit.„ Hæc ad hunc annum conſignari patet ex codice Ambroſiano apud Cl. Muratorium Tom. XII. ſcriptor. rer. Ital. pag. 292. Quare neſcio, unde Bonfinius acceperit ea, quæ Dec. II. Lib. VI. narrat: certe præcepiſſe illum multa ex dicendis patebit.
t) Apud Muratorium Tom. XII. cit. habetur confirmatio privilegiorum Arbenſibus data de an. 1166. in cujus bulla plumbea hæc epigraphe eſt: *Vi. Michael Dei grat. Venet. Dalmat. atq. Croat. Dux.*

u) Timon in Epitome chronol. ad hunc an. in loco *Deſiæ*, ſcribit, *Geiſæ*, minus tamen ut puto, recte: neque enim quis hic Geiſa fuerit, certum eſt. Et ſi ex regum ſanguine fuiſſet hujus filia, quemadmodum Ladislai, profecto illius memoriam Dandulus feciſſet. Conſtat autem Deſſam Uroſii filium tum ex Græcis ſcriptoribus, tum ex du Freſne familiis Dalm. & Sclav. Serviæ Jupanum, aut, ut Græci loquuntur, Zupanum, ſeu Principem fuiſſe.

x) Dandul. in Chron. „Inter hæc Stephanus Rex Ungariæ cum Duce (Vitale Michaele) „amicitiam fingens, Leonardo, „ejus nato, Comiti Auſeris filiam ducis „Edeſſæ (legendum Deſſæ) in conjugem „tradidit, & Nicolao ſimiliter Ducis nato, „& Arbæ Comiti filiam Ladislai de ſtirpa „regali in uxorem dedit.„

traiecere, & prædas ex hoſtico impune agebant. Id cum Imperatori nunciatum fuiſſet, quo hoſtium procurſionibus finem denique faceret, bellum majore, quam antea, apparatu in Hungaros decernens, Sardicam proficiſcitur, ubi, legionibus Romanis convenire juſſis, Perſarum quoque auxilia exſpectabat. *Dum autem copiæ contrahuntur, audit duarum muliebrium æneарum ſtatuarum, quæ in occidentali fornice fori Conſtantini ſitæ ſunt, alteram, quæ Hungariſſa dicatur, erectam ſtare; alteram, nomine Romanam, vetuſtate collapſam eſſe. Quo intellecto ſtatim illam dejecit, hanc repoſuit, ea ſtatuarum mutatione ſe fortunam etiam gentis utriusque mutaturum ratus, & rem Romanorum erecturum, Hungaricam contra depreſſurum. Legionibus in unum conductis deliberandum proponit, utrum ipſe quoque bello Hungarico intereſſe, an ſummam rerum duci alicui committere debeat? Ubi omnibus placuit, ut ipſe Sardicæ maneret, & generales belli duces crearet, ut abſente Imperatore incerti bellorum eventus, acceptæque cladis dedecus mitiora eſſent, & victoria plus laudis haberet. Summa belli Andronico Contoſtephano claſſis Præfecto mandatur. Exercitu Sardica moturo Imperator præclara oratione Contoſtephanum exhortatur: nec rationes tantum, ſed tempus etiam gerendi belli edocet, armorumque, & aciei inſtruendæ rationem monſtrat. Legatos item ejus, tribunos, ceterosque milites ad pugnam acuit, commemoratis prioribus eorum facinoribus, & exemplis ad feſtinandum, & imminentia pericula ſubeunda, quibus, DEO adjutore, fortiter ſuperatis, illuſtrem victoriam reportaturi ſint, incitat. Quod ſi gloriam ipſius illuſtrarint, atque abſenti victoriam pepererint, ſe liberaliter illos remuneraturum. At illi, & dum hæc dicebantur, attentione, ſilentioque alacritatem ſuam oſtendebant, & finita oratione, magis etiam - - incitatos animos declarabant, ut verborum lenociniis deliniti, ſi quid moleſtiæ ex ſuperioribus pugnis in memoria reſidebat, id totum abolitum videretur. Nam & Imperatorem lætis acclamationibus celebrabant, & ſe ultra vires etiam dimicaturos pollicebantur. Ita incitatis exercitibus ſtatim confuſus clamor in caſtris tollitur; quod quidam ex gente Pannonica, dum concitato equo, ac toto impetu fertur, pronus in faciem prolapſus erat. Quo Imperator audito, & ipſe exhilaratus eſt, & omnes bono animo eſſe juſſit, bonum id omen interpretatus belli feliciter eventuri, & Deum ſervatorem, ut ductor eſſet exercitus, invocavit* (y).

Cui Manuel Andronicum opponit.

Andronicus vero cum omnibus copiis digreſſus, poſt aliquot dies Savo ſuperato (z), *Zeugminum ingreditur. Pannonii vero ea re nihil territi, ſed ſuis cohortibus inſtructis, & non parvis auxiliis a finitimis populis, atque ipſis Alemannis, ut ferebatur, conductis, ſummaque rerum Dionyſio, viro ſtrenuo, & victoriis inclito mandata, pleni animorum, & jactabundi incedebant. Is Dionyſius, ut primum audiit, Romanum exercitum Savum tranſiſſe, victoriis prioribus inflatus, inſolenter gloriatus eſt, ſe, ut pridem, ita nunc etiam occiſorum Romanorum oſſibus in tumulum aggeſtis pro trophæo uſurum* (a).

Hic Savo ſuperato in Dionyſium Hungarorum Ducem movet.

Græci Sirmio egreſſi caſtra haud longo ab Hungaris intervallo ponunt, diuque ſatis a prælio utraque pars abſtinuit, quod, cum neuter Ducum de altero, quantis viribus adeſſet, cognitum habuerat, temerarium videretur, pugnæ aleam fortunæ ſolum eventui committere: quæ cura, ut ducis providentiam per ſe ſe mirifice commendare ſolet, ita, ſi modum excedat, ſæpe pulcherrimam rei feliciter gerendæ occaſionem peſſumdat. Andronicus, quoniam ſpeculatoribus non ſatis tutus in Hungarorum caſtra aditus eſſet, nonnullos ſuorum adverſus hoſtem procurrere jubet, mandatque, ſi Hungaros ad velitationem prolicerent, cum iis coorti, id in primis darent operam, ut abſtractum ab aliorum conſortio aliquem, captumque in caſtra reducerent. *Illi igitur, uti juſſum fuerat, capto hoſte rediere. Tum vero ab eo ſciſcitatur, cum quantis copiis ad Sirmium acceſſiſſent Hungari, & quid demum ii facere conſtituiſſent: Omnia itaque nude, vereque ille enarrans: Præſunt, inquit, huic exercitui ſeptem & triginta militiæ apud nos duces, ſed omnibus ſupremo jure imperat Dionyſius. Totus vero exercitus quindecim ad ſummum bellatorum millibus conſtat, partim equitum cataphractorum, partim ſagittariorum, & peltaſtarum. Tanta vero iis ineſt audacia, ut ne primum quidem illorum impetum ſuſtinere poſſe Romanos ſibi perſuadeant* (b). His cognitis non multum moræ interponendum ratus, educto ex caſtris milite, aciem hunc in modum inſtruit.

Ejuſque virtutem veritus primum cunctatur.

Tum intellecto ex captivis hoſtium numero.

Rr 2 *Scy-*

y) Nicetas Choniat. Annal. Lib. V.

z) Habet auctor diſerte *Danubio*: ſed hunc Sardica ad Savum eunti exercitui neceſſe non fuit trajicere. Quem errorem ſæpe alias Cinnamus quoque committit. Itaque libere ſubſtitui ubique Savum.

a) Idem ibid.

b) Cinnamus Hiſt. lib. VI.

1165.

tas tenemus, eorumque omnino Domini facti ſumus, quæ vobis erepta, etiam concedere non vultis. Eſt ne ergo alterum apud vos Sirmium, & altera Zeugme. Dalmatiaque alia, quæ nobis tradituri ſitis? ſi habetis, ea nobis oſtendite, ut hæc apertis continuo manibus excipiamus, quæ quidem, etſi haud tuto nos poſſeſſuros eſſe ſciamus, quippe contra jus faſque agere, nulla vobis eſt cura, iiſdem tamen noſtris viribus, Deo juvante, ut & iſta tuebimur. Si ergo hæc noſtra ſunt, nihilque vobis amplius in iis juris eſt, quæ vos daturos dicitis, quibus conditionibus pacta fient, aut quid illud erit, quod vos nobis conciliet? (g) Hæc cum parum provide dixiſſet, nihil enim imprudentius, quam in victos, qui aliquando victores eſſe queant, acerbum eſſe, commutata rurſum oratione, *ſed ut ſciatis*, ait, *quam libenter vobiſcum, qui chriſtiani eſtis, velimus paciſci, agedum ſacramenta fiant* (h). Firmatis dein jurejurando pactorum conditionibus, Legati ad regem, Manuel Conſtantinopolim reverſus eſt.

Præſertim quod Dalmatiæ itidem Manuel minaretur.

Quo loco nemini mirum videri debet, Stephanum, qui tot ſociorum auxiliis fultus erat, ne tentata quidem prælii alea, pacem cum Græcis iniiſſe. Etenim cum Hungari partem copiarum Sirmienſi agro infuderant, reliqua autem, quoad auxiliarii confluerent, domi reſtitiſſet; Manuel alibi bellum minatus, alibi reipſa geſſit. Nam ut primum exercitus partem ad defendendum Sirmium ipſe duxiſſet, ceteros Joanni Ducæ commiſit, ut in Dalmatiam irrumpens, aut hoſtium vires diſtraheret, aut, ſi fortunam faventem reperiret, eam regionem, quam ad Belæ hæreditatem attinere prætexebat, in ditionem redigeret. Quæ cum nil tale opinantibus Hungaris fierent, rati enim ſunt copias omnes ad Sirmium cum Manuele adeſſe, brevi temporis ſpatio, Tragurium, Sebenicum, Spalatum, ac univerſim ſeptem & quinquaginta Dalmatiæ, Croatiæque urbes in Græcorum poteſtatem venere (i). Atque id in cauſa fuit, cur Stephanus integris adhuc viribus pacem bello præhaberet. Fere enim amittendorum major metus eſſe ſolet, quam ſpes amiſſa recuperandi (k).

1166.

Cui ut rex caveret, Dionyſium in Serviam bellum inferre jubet.

Quamquam pax recens inita haud diu ſibi conſtitit. Stephanus enim cum tot provinciarum jactura per ſeſe angeretur, & ab optimatibus præterea ad eas recuperandas magnopere ſtimulatus eſſet, Dionyſium primarium aulæ virum, & militiæ ſcientiſſimum cum exercitu in Sirmienſem tractum immittit: facile enim videbat, quamdiu ea provincia in Græcorum arbitrio eſſet, nec Hungariam ſatis tutam fore, & Dalmatiam prætarea cum Croatia ægre recuperari poſſe. „ Quod ſtatim atque
„ percepere Romani duces, quid in eo rerum ſtatu eſſet agendum deliberant. Sed
„ non in Romanorum commodum proceſſit ejuſmodi conſilium, utpote in id inten-
„ tis conſiliariis, ut alius alium deciperet, utroque inprimis Michaele, Gabra nimi-
„ rum, qui dux erat regionis, & Brana, qui & ipſe exercitui præerat, ſibi invicem
„ infenſiſſimis. Verum prævaluit Branas. Cum igitur Dionyſium nocte adoriri
„ vellent, quando quidem ita inter ſe decreverant, motis inde caſtris, cum omni-
„ bus viribus ulterius ſunt progreſſi. Ubi ad eum pervenere locum, in quo ſua
„ Dionyſius caſtra poſuerat, nullumque omnino in iis invenere exercitum, tum eos
„ occupavit pavor. Si quid enim aliud, locus certe deſertus, & incognitus in ho-
„ ſtium ſolo ad commovendos militum animos plurimum valet. Nihilominus iter
„ agebant, eorum ſubinde obſervantes veſtigia, & forte confeciſſent quidpiam, ſi

Iſto rem feliciter agente.

„ maturius adorti fuiſſent Hungaros. Tum enim clara jam luce, ut id illi advertere,
„ equis, qui in paſcuis erant, in caſtra abactis, & ceteris, qui ante tentoria ſtare de
„ more ſolent, conſcenſis, in turmas ordinantur: mox, ut Romanos negligenter,
„ & incompoſite ferri vident, illos invadunt. Plurimi enim ex iis, dum Hunga-
„ ros, qui equos in caſtra agebant, adoriuntur, ſeſe huc illuc effuderant, fuſiſque
„ iis, ceteros, qui Romanam phalangem a tergo ſequebantur, propulere etiam.
„ Ex quibus perculſi Romani receptum primo cogitarunt, ac deinde longe majo-
„ rem ſuo inſtare exercitum rati, in fugam ſeſe conjecere. Veritatem enim aut co-

gnoſce-

g) Idem ibid.

h) Idem ibid.

i) CINNAMVS Hiſt. Lib. VI.

k) Occupatam ab Manuele Dalmatiam hoc anno inde mihi pene certum eſt: quod Lucius Lib. III. cap. VIII. diſerte dicat, Stephani confirmationes in Croatia exſtare de annis 1163. & 64. Biennium autem poſt conſtabit, rurſus Dalmatiam fere omnem ab Hungaris recuperatam.

„ gnoſcere, aut dijudicare iis in momentis pauci admodum mortales ſciunt. Proti„ nus itaque omnibus diſcedentibus aliquamdiu cum ſignis, & paucis ex ſuis reſti„ tere dux uterque, aliquot adhuc ſecum permanſuros Romanos rati. Sed ubi ne„ mo uſquam cum iis ſtetit, terga & ipſi tandem dederunt. - - Tum demum, quod „ in conſilio prius inter eos diſſidium interceſſerat, innotuit. Poſtquam enim fugien„ tem Gabram iterum aſſecutus eſt Branas, irridens, ac illudens, num, inquit, „ vidiſti o Sebaſte, ut iterum reſtiterim hoſtibus, eoſque haſta invaſerim. Illo an„ nuente, enim vero, ait, per caput Imperatoris, nuſquam vidi te, niſi fugien„ tem„ (*l*). Ridicula ſane in Ducibus altercatio, qui ſi ferro ac prudentia tam promti, quam lingua fuiſſent, multo difficilius noſtris prælium fecerant. Ceterum victoriam, quam Cinnamus diſſimulat, tam illuſtrem fuiſſe Nicetas prodidit, ut Dionyſius ex cæſorum Romanorum cadaveribus tumulum in ſignum trophæi erigeret (*m*).

Manuel, ut hoſtem reflecteret, ſuos in Tranſilvaniam immittit.

Manuel intellecta ſuorum clade, partim fortunæ, quæ ſe poſt tot relatas victorias tam turpiter in exitu deſtituiſſet, partim imperitiæ Ducum indignatus, ut quidquid eatenus damni acceptum erat, ſarciret, rurſus in Hungariam profectionem imperat. Atque ut hoſtium conſilia & vires diſtraheret, hujuſmodi dolum comminiſcitur. Alexium Protoſtratorem cum parte exercitus verſus Iſtrum jubet contendere, ut Hungari hac parte belli molem ſibi incubituram opinarentur: *Leonem autem Batatzem nomine, alunde cum exercitu perinde magno, maxime vero Valachorum ingenti multitudine - - ex locis Ponto Euxino vicinis irruptionem in Hungariam facere jubet, qua ex parte nemo adhuc a primis ſeculis eos invaſerat. Alexius itaque, & alius Romanorum exercitus, cum ad Iſtrum perveniſſent, metum Hungaris fecere, quaſi continuo inde trajecturi. Batatzas autem ab iis, quæ diximus, locis irrumpens, omnia depopulatus obvia quæque proſternit, hominum ingentem cædem edit, nec pauciores captivos ducit. Ad hæc pecorum, equorumque, & aliorum inde animalium greges agens ad Imperatorem revertitur. Sed ille alteram quoque iis inferre plagam volens, novas in eos rurſum copias miſit, juſſitque, ut ſuperiora adirent loca, ac Hungaros, qui Tauroscythiam accolunt, aggrederentur. Iis copiis præerat Andronicus Lampardas, Nicephorus Petralipha, aliique non pauci. Summa autem rerum penes Joannem Ducam fuit. Nec diu cunctati, loca longa, atque inacceſſa, terrasque hominibus prorſus vacuas emerſi, Hungariam invadunt, & in vicos incidentes frequentiſſimos complures, ingenti præda potiuntur, homines multos cædunt, plurimos captivos faciunt. Cumque inde eſſent exceſſuri, confectam ex ære crucem iſthic loci ſtatuunt, cum hujusmodi inſcriptione:*

Poſitoque iſthic tropæo inducias paciſcitur.

Pannonicæ quondam numeroſa hic germina ſtirpis
Mars, & dura manus ſuſtulit Auſonium.
Imperium Manuel Romæ cum divus habebat
Comnenum Auguſtæ gloria prima domus (*n*).

Sed hæc majore jactantia, quam merito cruci inciſa ſunt: nam præter populationem agrorum, ac hominum inermium cædem, nihil, quod operæ precium fuerit, retulere. Ceterum cum Tauro Scythiæ nomine Ruſſos Cinnamus accipit, valde probabile eſt, Græcos ea parte, qua Prutus amnis eſt, cum Valachis in Tranſilvaniam irrupiſſe. Alexius contra, qui ſe trajecto Savo in Hungariam irrupturum ſimulabat, deſes iſthic reſtitit, ſive metu territus, ſive id Manuel ita imperavit. Neque deinceps quidquam in noſtros tentatum: quod Henricus Auſtriæ Dux cum Theodora conjuge, Manuelis nepte Imperatorem Sardicæ conveniens, ut induciæ utrinque eſſent, efficeret. Narrat Cinnamus, Henricum, dum in Auſtriam revertens Stephanum regem adiſſet, huic auctorem fuiſſe, ut conjuge, quam ex Ruſſia duxerat, toro ejecta, ſuam filiam, cui Agnes nomen, ſubſtitueret. Sed id Græcanica fide conſignatum eſſe reor. Etſi enim Agnetem Henrici filiam Stephano collocatam hoc anno (*o*) non diffitear, tamen Ruſſiæ Principis filiam prius in matrimonio regem ha-

Stephanus Agnetem, Henrici Auſtriæ Ducis filiam, conjugem accipit.

l) Cinnamus Hiſt. Lib. VI.
m) Annal. Lib. V.
n) Cinnamus Hiſt. Lib. VI.
o) Chronicon Clavstro Neoburg. & Zvetlense apud Cl. Pezium. Item appendix ad Radevicum incerti auctoris; ut dubium eſſe non poſſit, Agnetem Henrici filiam Stephano III. copulatam fuiſſe.

1166.

buiſſe veriſimile oon eſt, quod eodem Cinnamó teſte, Hieroslaus Halicíæ regulus, poſtquam fœdus cum Græcis adverſum Hungaros iciſſet, ſpooſionem inter Stephaoum, & filiam prorſus irritam declaraſſet. Quamquam Aveotinus (*p*) conciliatas nuptias Friderico Imperatori aperte tribuat: *Hiſce confectis* (ſcribit) *Auguſtus in Auſtriam movet, receptis quadraginta unciarum auri millibus a Stephano, eundem adverſus Ladislaum patruum ejuſdem regem declarat Hungariæ. Eidem Agnam filiam Henrici Auſtriaci, - - deſpondet.* Sed mirum non eſt, Aventinum, quem in rebus Bavaricis toties hallucinari conſtet, in Hungaricia prorſus ineptire. Ladislao enim ooo Stephaous patruus, ſed frater ejusdem oominis rex oppoſitus eſt, ut ſupra ex diplomate perſpicuum fecimus. Neſcio autem, quid de XL. marcarum millibus præterea ſomniet. Quinque quidem marcarum millia, ſi ſe adverſus patruum Fridericus tueretur, Stephanum par legatos obtuliſſe ſupra docuimus, ſed cum nemo ſcriptorum præſtitam Hungaris ab Imperatore opem commemoret, nihil profacto juris Friderico
1167. fuit, ut ea ab Stephano, quod Aventinus commentus eſt, repeteret.

Tion traductis in Dalmatiam copiis, pleraſque urbes occupat.

Ioduciis nondum elapſis Hungari fortuoam in Dalmatia tentandam rati, illuc copias ſuas miſere, ut, ſi eventus conſiliis reſponderit, eam in priſtinam poteſtatem redigerent. Matus enim non vanus erat, Manuelem in eo præcipue elaborare, ut titulo hæretitatis, quam Belæ oomine prætexuit, regionis illius jura, ac dominatum ad Græcos transferat. Quid a noſtris ea axpaditione actum ſit, Græci ſcriptores prorſus reticent: id unum mamorant: Nicepborum Chalupbem, qui Dalmatiam, & Croatiæ maritimas partes Manuelis juſſu adminiſtrabat, dum Spalato egreſſus hoſtem ardentius perſequeretur, ab Huogaris interceptum eſſe (*q*). Veriſimila tamen valde eſt, capto Dalmatiæ Præfecto, Spalatum quoque, ceteraſque regni illius urbes fere omnes partim armis, partim deditione in Hungarorum rurſus poteſtatem veniſſe, cui conjecturæ non modo diploma hujus anni, quo Stephanus Sibenicenſibus privilegia confirmat (*r*), fidem facit, ſed ipſe quoque Dandulus in chronico diſarte (*s*) affirmat, regem cum exercitu ad maritimas Dalmatiæ partea appropinquantam, Tragurium, Spalatum, Sebenicum, aliaqua plura oppida immunitatibus donaſſe. Tametſi Jadræ, & inſularum dominium fere penes Venetos eſſet, ac propterea Dalmatiæ,

Venetoſque, ne quid obturbarent, vinculo affinitatis ſibi conciliat.

Croatiæqua titulo uterentur (*t*). Stephanus, ne quid recuperatæ Dalmatiæ ab Venetis periculi crearetur, Michaelem Vitalem Venetorum Ducem conciliare ſibi ſtuduit. Fuere huic duo nati, Leonardus Auſarenſis, & Nicolaus Arbenſis Comites: utrumque nuptiarum vinculo ſibi, rebuſque ſuis illigavit, dum illi Deſſæ ducis, ſeu Serviæ (*u*) Jupani filiam, huic Mariam ex Ladislao patruo genitam nuptui collocaſſet (*x*). Ex quo facile mihi perſuadeo, Serviam quoque, cui Deſſa præfuit, occupata Dalmatia, io Stephani quoque clientalam conceſſiſſe.

1168.

Inde ſigna in Serviam infert.

Ex tam ſecundo rerum eventu haud parva ſpes noſtris oborta eſt, Sirmienſis agri quoque potiundi; quem ſub Dionyſii ducis auſpicio emenſi, Savum quoque traje-

p) Annal. Boicorum Lib. IV.

q) CINNAMVS Hiſt. Lib. VI.

r) LVCIVS Lib. III. cap. VIII.

s) „Rex autem quod in corda concepe„rat, evomens, ad maritima cum exercitu „venit, & immunitatibus Dalmatinos attra„hens, Spalatum, Tragurium, & Sebini„cum, & plura alia loca demum obtinuit, „illoſque largiſſuis privilegiis inſignivit.„ Hæc ad hunc annum conſignari patet ex codice Ambroſiano apud Cl. Muratorium Tom. XII. ſcriptor. rer. Ital. pag. 292. Quare neſcio, unde Bonfinius acceperit ea, quæ Dec. II. Lib. VI. narrat: certe præcepiſſe illum multa ex dicendis patebit.

t) Apud Muratorium Tom. XII. cit. habetur coofirmatio privilegiorum Arbenſibus data de ao. 1166. in cujus bulla plumbea hæc apigraphe eſt: *Vi. Michael Dei grat. Venet. Dalmat. atq. Croat. Dux.*

u) TIMON in Epitoma chronol. ad hunc an. in loco *Deſſæ*, ſcribit, *Geiſæ*, minus tameo ut poto, recte: ocque enim quis hic Geiſa fuerit, certum eſt. Et ſi ex regum ſanguioe fuiſſet hujus filia, qoemadmodum Ladislai, profecto illius memoriam Dandulus faciſſet. Conſtat autem Deſſam Uroſii filium tum ex Græcis ſcriptoribus, tum ex du Freſoe familiis Dalm. & Sclav. Serviæ Jupanum, aut, ut Græci loquuntur, Zupanum, ſeu Principem fuiſſe.

x) Dandul. in Chron. „Ioter hæc Ste„phanua Rex Ungariæ cum Duce (Vitale Michaele) „amicitiam ſingeos, Leonardo, „ejus nato, Comiti Auſeris filiam ducis „Edeſſæ (legendum Deſſæ) in conjugem „tradidit, & Nicolao ſimiliter Ducis nato, „& Arbæ Comiti filiam Ladislai de ſtirpe „regali in uxorem dedit.„

trajecere, & prædas ex hoſtico impune agebant. Id cum Imperatori nunciatum fuiſſet, quo hoſtium procurſionibus finem denique faceret, bellum majore, quam antea, apparatu in Hungaros decernens, Sardicam proficiſcitur, ubi, legionibus Romanis convenire juſſis, Perſarum quoque auxilia exſpectabat. *Dum autem copiæ contrahuntur, audit duarum muliebrium æneарum ſtatuarum, quæ in occidentali fornice fori Conſtantini ſitæ ſunt, alteram, quæ Hungariſſa dicatur, erectam ſtare; alteram, nomine Romanam, vetuſtate collapſam eſſe. Quo intellecto ſtatim illam dejecit, hanc repoſuit, ea ſtatuarum mutatione ſe fortunam etiam gentis utriusque mutaturum ratus, & rem Romanorum erecturum, Hungaricam contra depreſſurum. Legionibus in unum conductis deliberandum proponit, utrum ipſe quoque bello Hungarico intereſſe, an ſummam rerum duci alicui committere debeat? Ubi omnibus placuit, ut ipſe Sardicæ maneret, & generales belli duces crearet, ut abſente Imperatore incerti bellorum eventus, acceptæque cladis dedecus mitiora eſſent, & victoria plus laudis haberet. Summa belli Andronico Contoſtephano claſſis Præfecto mandatur. Exercitu Sardica moturo Imperator præclara oratione Contoſtephanum exhortatur: nec rationes tantum, ſed tempus etiam gerendi belli edocet, armorumque, & aciei inſtruendæ rationem monſtrat. Legatos item ejus, tribunos, ceterosque milites ad pugnam acuit, commemoratis prioribus eorum facinoribus, & exemplis ad feſtinandum, & imminentia pericula ſubeunda, quibus, DEO adjutore, fortiter ſuperatis, illuſtrem victoriam reportaturi ſint, incitat. Quod ſi gloriam ipſius illuſtrarint, atque abſenti victoriam peperint, ſe liberaliter illos remuneraturum. At illi, & dum hæc dicebantur, attentione, ſilentioque alacritatem ſuam oſtendebant, & finita oratione, magis etiam - - incitates animos declarabant, ut verborum lenociniis deliniti, ſi quid moleſtiæ ex ſuperioribus pugnis in memoria reſidebat, id totum abolitum videretur. Nam & Imperatorem lætis acclamationibus celebrabant, & ſe ultra vires etiam dimicaturos pollicebantur. Ita incitatis exercitibus ſtatim confuſus clamor in caſtris tollitur; quod quidam ex gente Pannonica, dum concitato equo, ac toto impetu fertur, pronus in faciem prolapſus erat. Quo Imperator audito, & ipſe exhilaratus eſt, & omnes bono animo eſſe juſſit, bonum id omen interpretatus belli feliciter eventuri, & Deum ſervatorem, ut ductor eſſet exercitus, invocavit* (y).

Cui Manuel Andronicum opponit.

Andronicus vero cum omnibus copiis digreſſus, poſt aliquot dies Savo ſuperato (z), *Zeugminum ingreditur. Pannonii vero ea re nihil territi, ſed ſuis cohortibus inſtructis, & non parvis auxiliis a finitimis populis, atque ipſis Alemannis, ut ferebatur, conductis, ſummaque rerum Dionyſio, viro ſtrenuo, & victoriis inclite mandata, pleni animorum, & jactabundi incedebant. Is Dionyſius, ut primum audiit, Romanum exercitum Savum tranſiſſe, victoriis prioribus inflatus, inſolenter gloriatus eſt, ſe, ut pridem, ita nunc etiam occiſorum Romanorum oſſibus in tumulum aggeſtis pro trophæo uſurum* (a).

Hic Savo ſuperato in Dionyſium Hungarorum Ducem movet.

Græci Sirmio egreſſi caſtra haud longo ab Hungaris intervallo ponunt, diuque ſatis a prælio utraque pars abſtinuit, quod, cum neuter Ducum de altero, quantis viribus adeſſet, cognitum habuerat, temerarium videretur, pugnæ aleam fortunæ ſolum eventui committere: quæ cura, ut ducis providentiam per ſe ſe mirifice commendare ſolet, ita, ſi modum excedat, ſæpe pulcherrimam rei feliciter gerendæ occaſionem peſſumdat. Andronicus, quoniam ſpeculatoribus non ſatis tutus in Hungarorum caſtra aditus eſſet, nonnullos ſuorum adverſus hoſtem procurrere jubet, mandatque, ſi Hungaros ad velitationem prolicerent, cum iis coorti, id in primis darent operam, ut abſtractum ab aliorum conſortio aliquem, captumque in caſtra reducerent. *Illi igitur, uti juſſum fuerat, capto hoſte rediere. Tum vero ab eo ſciſcitatur, cum quantis copiis ad Sirmium acceſſiſſent Hungari, & quid demum ii facere conſtituiſſent: Omnia itaque nude, vereque ille enarrans: Præſunt, inquit, huic exercitui ſeptem & triginta militiæ apud nos duces, ſed omnibus ſupremo jure imperat Dionyſius. Totus vero exercitus quindecim ad ſummum bellatorum millibus conſtat, partim equitum cataphractorum, partim ſagittariorum, & peltaſtarum. Tanta vero iis ineſt audacia, ut ne primum quidem illorum impetum ſuſtinere poſſe Romanos ſibi perſuadeant* (b). His cognitis non multum moræ interponendum ratus, educto ex caſtris milite, aciem hunc in modum inſtruit.

Ejuſque virtutem veritus primum cunctatur.

Tum intellecto ex captivis hoſtium numero.

y) Nicetas Choniat. Annal. Lib. V.

z) Habet auctor diſerte *Danubio:* ſed hunc Sardica ad Savum eunti exercitui neceſſe non fuit trajicere. Quem errorem ſæpe alias Cinnamus quoque committit. Itaque libere ſubſtitui ubique Savum.

a) Idem ibid.

b) Cinnamus Hiſt. lib. VI.

Aciem explicat præ-lii copiam offerens.

Scythas, & maximam Perſarum partem, cum paucis equitibus, qui haſta decertant, præcedere jubet. Inde a lateribus Romanorum ſequebantur phalanges; quibus præerant Coccobaſilius, & Philocales, prætereaque Tatitius, & quem Aſpietem vocabant. Horum a tergo ibant gravioris armaturæ milites ſagittariis intermixti, & Perſarum turma gravis armaturæ. Poſt iſtos utroque a latere, Joſephus Bryennius, & Georgius Branas incedebant. Item Demetrius ejus frater, & Conſtantinus Aſpietes, vir Sebaſti dignitate auctus: inde Andronicus, cognomento Lampardas, cum delectis ſimul Romanis, & Alemannis, nec non & Perſis. In poſtrema denique acie erat Andronicus, ſupremus Dux, cum aliis multis incliti nominis viris, quales Imperatori in bellum eunti adeſſe ſemper moris eſt, & Italis ſtipendiariis, itemque Serviis, qui pone ſequebantur, haſtis armati, & longioribus clipeis inſtructi (c).

Vetatur ab Imperatore prælium conſerere.

Vix aciem inſtruxerat Andronicus, cum litteræ ab Imperatore afferuntur, *quibus pugnam in alium commodiorem diem in litteris declaratum, differre jubebatur. At ille libello in ſinu condito juſſa negligit, & apud proceres aliarum rerum mentione injecta callide diſſimulat. Is autem dies, ut ater, & infauſtus ad pugnam, improbabatur. Neſcio enim, quomodo plurima, & maxima quæque negotia, quæ arbitratu DEI ſecundos, & adverſos exitus ſortiuntur ad aſtrorum circuitus, & certos poſitus, ac progeſſiones Manuel referebat, & nugas aſtrologorum pro oraculis excipiebat. Ceterum Contoſtephanus iis litteris plane contemtis, non ignarus, ſæpe modicam cohortationem ad certamen pugili multum profuiſſe; legiones ad hunc modum alloquitur. Fortes viros vos præbete Quirites, neque fortuna, & gloria veſtra quicquam indignum admittite. Scitis enim etiam feras, ſiquis fortiter invadat, terreri, ac in fugam conjici, timidos vero, & fugaces ab eis devorari. Quare cum immanibus iſtis barbaris ſtrenue dimicandum eſt, ne mortis formidine, quæ non ſalutem, ſed exitium affert, jugum eorum turpiter ſubeamus, & ignaviæ noſtræ graves pœnas demus. Neque vero aut nos ſoli vulneribus, & morti expoſiti ſumus, aut hoſtes ærei ſunt, & invulnerabiles: ſed ut illi ferro muniti ſunt, & velocibus equis inſident, ita eædem quoque res nobis ſuppetunt, neque fortitudine illis cedimus. Omnibus eadem eſt inſtructio, eadem belli exercitatio, eadem armorum ratio. Nam illud omitto, nos, quantum eloquentia, & doctrina barbaros ſuperamus, tanto etiam diſplina militari, & ſolertia ſuperiores eſſe. Sumus etiam antehac cum Pannoniis congreſſi, eorumque agros vaſtavimus: aggrediamur eos nunc quoque victoriæ habitu confirmato. Agite viri, agite commilitones, ita liberos, & conjuges veſtras videatis, barbarorum pereuntium voces Iſtri gurgites hauriant, cruentumque flumen Pannoniorum cladem, & Romanorum victoriam, inſolito ſpectaculo terris iis nunciet, quas perfluit. Præterea illud etiam eſt conſiderandum, eum a quo huc miſſi ſumus, totum pendere a nobis, & bona ſpe ex noſtris pollicitationibus concepta, jam fere captivos agitare animo, & victoriæ magnitudinem ſibi imaginari. Ne igitur præſenti periculo, quod nihil habet morte gravius, debilitati, vel illi pudori, vel nobis ipſis calamitati ſimus. Summa enim mala tergiverſationem non patiuntur; in quibus vel exigua negligentia, ſummæ rerum eſt everſio* (d).

Diſſimulato tamen Manuelis imperio pugnæ ſe accingit.

His dictis ſigna cani jubet, & copias adverſus hoſtem in patentiſſimos campos educit. Neque Dionyſius interea ſegnior, pro locorum ſitu, & tempore aciem inſtruit: ut vero Græcorum latera firmiſſima vidit, frontem contra attenuatam, totum exercitum in unam quaſi turrim, globatum, ac denſatum contraxerat, ratus, ſi toto pondere hac parte perrumperet, diviſas hoſtium alas nullo negotio fuſum iri. Hunc in modum atræ nubis inſtar in Græcos imminebat. „ Vexillum ejus in craſſa „ & alta trabe, quam rotis impoſitam, quatuor juga boum trahebant, ſublime a „ ventis agitabatur. Erat ea acies omnino horrenda viſu, tota equeſtris, & haſtata. „ Nec viri tantum armis egregie ad pedes uſque muniti, ſed & equorum pectora, „ & frontes ferro contra ictus armabantur. Ad hæc equorum hinnitus, armorum„ que fulgor ſolis radiis everberatus, ut propius ventum eſt, utrique exercitui „ majorem admirationem & terrorem afferebat (e).

Acre, & anceps utrinque prælium.

Cum ita mutuo ſibi ſub meridiem appropinquant, Andronicus pugnæ initium faciens, iis, qui in fronte ſtabant, breviter, quid fieri vellet, cohortatis mandatum dat, ut telis Hungaros eminus impeterent, „ & ſimul, ac in ſe illos ir„ ruere cernerent, terga darent, non recta quidem ad Romanorum exercitum, „ ſed

c) Cinnamus Hiſt. lib. VI.
d) Nicetas Annal. Lib. V.
e) Nicetas Annal. Lib. V.

„ ſed oblique magis in latera, ut ſic utramque in partem diſtracti Hungari, medium
„ phalangis locum vacuum relinquerent. Sed illi, facta ab hoſtibus irruptione, ſta-
„ tim effuſe fugiunt, uſque dum ad Savum pervenere. Perſtitere vero Romano-
„ rum integræ duæ in ſioiſtra ăcie cohortes, quas Coccobaſilius, & Tatitius rege-
„ bant, ceteræ omoes jam inclinatæ. At Demetrius Branas, ſuis diſſipatis, cum
„ octoginta relictus, hoſtibus ſe ſe intulit, & fortiſſime dimicans, accepto in capite
„ letali vulnere, concidit, captusque ab Hungaris, in eorum caſtra relatus eſt. Fra-
„ ter autem illius Gregorius, hoſtium multitudine conterritus, prælium conſerere
„ non auſus eſt. Sic quidem ſiniſtra Romanorum acies in fugam inclioavit: dextra
„ vero ſiniſtram Hungarorum invadens, omnioo hanc fudit. At Dionyſius, ubi hæc
„ advertit, eas, qui Androoicum ducem circumſtabant, adoriri ſtatuit. Sed ex
„ ſuis complures conterriti, ad ſe equitatum cootinuo evocarunt: quæ ut reſcivit
„ Dionyſius, timiditatem ipſis exprobrat, ſimulque obteſtatur, ut ibi cooſiſtant,
„ ne pavorem ſuum Romanis prodereot. Andronicus autem Lampardas, quæ pa-
„ rabantur, videns, veritus, ne, ſi alio abiret, Diooyſii copiæ Andronicum ducem,
„ opprimerent, neceſſarium duxit, cum ipſo primum Dionyſio manus conſerere.
„ Cumque iovicem concurrerent, ſublatus continuo eſt clamor, tumultusque paſſim
„ factus, impactæque jam in clipeos haſtæ fruſtatim diſciſſæ decidebant io terram.
„ Romani autem, etſi, qui ſub altero Brana Georgio erant, jam acceſſiſſent, fatiſ-
„ cebant tamen. Ut id percepit dux Andronicus, ne iis, qui cum Lamparda di-
„ micabant, omoino fuſis, ac devictis, tota io ſe belli moles incumberet, cum ho-
„ ſtibus pugnare inſtituit, adeoque atrox coocitatur prælium, ut primo conflictu
„ Romanorum quidem octoginta, Hungarorum autem multo plures ceciderint,
„ Sed enim Romani incredibili conſtantia ſuſtinentes certamen, tandem eos propria
„ virtute in fugam verteruot.

In ambiguam victoriam deſinit.

Hæc Cinnamus (*f*): prælium ad veſperam protractum, quo diremto Græci Savum trajecere, quod Hungaros proſtridie nova auxilia accepturos fama erat. Ex quo facilis conjectura fit, haud tanti momenti, ut Imperatori deinde perſuaſum fuit, a Græcis victoriam reportatam fuiſſe; qua ſine dubio, ſi Dionyſius obſequentiores Præfectos habuiſſet, noſtri fuſa ſiniſtra Græcorum ala io ſolidum potiti fuiſſent. Fortaſſe idem hic Diooyſius fuerit, qui deinde ſub Bela III., Palatini dignitatem conſequutus eſt. Ceterum præter prægrande vexillum, cujus ſupra meminimus, & equum Dionyſii, qui, cum primum ſuos nutare vidiſſet, pedeſtrem pugnam auſpicatus eſt, nihil prædarum in hoſtia poteſtatem venit. Unde mirari ſubit, Manuelem huc levitatis delabi potuiſſe, ut tanquam victo omoium maximo hoſte, triumphum in urbe ageret. Juvat tamen Græcanicam vaoitatem ex ſcriptore itidem Græco audire. „ Im-

Ob quam magna jactantia triumphum Manuel in urbe ducit.

„ perator (inquit) tanta victoria lætus & exultans, Deo gratiis actis, ſtatim rei bene geſtæ
„ ouncios in urbem mittit, ac poſt dies aliquot & ipſe Conſtaotinopolim ingreſſus,
„ triumphum ducit ab orientali porta, quæ ad arcem patet, eumque ob inſignem,
„ & incruentam victoriam quam ſplendidiſſime, & magnificentiſſime adornat. Ex-
„ panſæ ſunt omnes purpureæ, & auratæ veſtes, & cives alii aliunde ad pompam
„ illam confluentes, inſtar torrentes ex moote decurrentis, fora, ædes, templa,
„ officinas, & loca omnia urbis ampliſſimæ deſeruerunt. Sunt & captivi in trium-
„ phum ducti. Platea illa utrinque ſuggeſta habuit, ad binas & ternas contignatio-
„ nes educta: tecta quoque omnia ſpectatoribus referta fuerunt. Imperatorem qua-
„ drigæ argenteæ auratæ cum equis nive caodidioribus præcedebant; quibus impoſi-
„ ta erat imago invictæ adjutricis, & inſuperabilis commilitooia Matris Dei. - -
„ Eum currum Imperatoris propinqui, atque amici, ſenatus, viri magiſtratibus, &
„ dignitatibus inſignes pone ſequebantur. Deinde ipſe Imperator prodöt, equo fe-
„ roci inſidens, vir inclitus, & maximus, ornamentis illuſtribus inſignis, comitan-
„ te Contoſtephano triumphi auctore, qui ob victoriam, & rem bene geſtam cele-
„ brabatur. Magnum templum ingreſſus, Deoque, coram omni populo, laudato
„ in palatium pergit, laxataque nimia bellorum contentione, ludis equeſtribus re-
„ creatur (*g*). „

S e Quæ

f) Hiſt. Lib. VI.

g) Nicetas Choniates Anoal. V.

1169.

Dalmatiamque pene totam occupat.

Quæ etſi pietatis ſpeciem præferrent, vanitatis tamen plena erant: ſed permultum ſæpe profuit ſive ad levandam hoſtium victoriam, ſive ſuam jacturam occulendam, populo triumphi ſimulacro palpum obtrudere. Ceterum victoriæ qualiscunque demum nuntius in Dalma.iam allatus, urbes, quæ haud ita dudum in Hungarorum poteſtatem venere, paullum poſt in clientelam Græcorum rurſus traduxit. Tragu-
1170. rium enim, Spalatum, Sibenicum, & tota pene Dalmatia Manuelis imperium ſponte acceperant (*b*), ſola Jadra io fide Venetorum perſtitit. Quamquam haud multo poſt Hungarici juris facta ſit. Jadrenſes namque, dum Veneti Archi-Epiſcopum Jadertinum Patriarchæ Gradenſi ſubjeciſſent, rati imminuta Eccleſiaſtica auctoritate, ſuam quoque oppreſſum iri, pulſo Dominico Mauroceno, qui urbi Venetorum nomine præerat, Stephano Hungariæ regi ſe ſubdidere, acceptisque præſidiariis, ac erecto Hungarorum in urbe vexillo, ſpem omnem recipiendæ civitatis Venetorum

Jadrenſes tamen Hungarorum fidei ſe dedunt.

1171. duci eatenus ſuccisſam volebant. Fuit ia Vitalis Michael, qui hanc Jadrenſium perfidiam, coacta triginta navium claſſe, ultum (*i*) quidem ibat, ſed præſidio Hungarorum tutos aggredi veritus, re infecta abſceſſit. Noſtri ſive Venetos tam cito redituros non putabant; ſive adverſus Manuelem, rurſus novas res in Hungariam molientem, copiarum partem ex Dalmatia extraxiſſent, Jadrenſes ſequente anno in exitium imprudentes adduxere. Michael quippe captata occaſione nil opinantibus majore, quam prius, claſſe ingruit, urbemque quamquam civium, & noſtrorum

Haud multo poſt a Venetis ſubacti.

1173. opera ſtrenue defenderetur, ad extremum occupat, nudatamque mœnibus, acceptis ducentis obſidibus, priſtinæ ditioni reſtituit (*k*).

Hæc inter Stephanus fato defungitur.

Acceptam in Dalmatia jacturam Stephanus biennio abhinc contracta affinitate utcunque reſarſit, cum Helenam ſororem (*l*) Leopoldo, qui virtuoſi cognomentum adeptus eſt, Henrici Auſtriæ ducis filio nuptui collocavit. Nuptiarum apparatui credibile eſt Henricum Saxoniæ ducem, Leonem dictum, quoque interfuiſſe, qui tum iter Jeroſolymas per Hungariam facturus Viennam forte fortuna appulit. Inde comitante Henrico Jaſomergotto Auſtrio Strigonium delatus pridie IV. nonas Martii, eadem qua venerat nocte, ſi Thuroczio fides, Stephanum defunctum reperit. Arnoldus Lubecenſis coævus ſcriptor inopinum regis caſum in hæc verba complexus eſt. „ Cum magna ergo commoditate ad civitatem, quæ Meſenburg (hodie Meſeritz) dicitur, pervenerunt, (uterque Henricus Saxoniæ, & Auſtriæ duces) quæ ſita eſt in confinio terræ Hungariæ, ubi Legatus Hungarorum, Florentius dictus paratus fuit ad excipiendum ducem Saxoniæ, una cum duce orientalia Auſtriæ cujus (filiam) rex habebat (*m*). Et ita præcedentes cum ſumma tranquillitate applicuerunt ad urbem quamdam, quæ naturaliter eſt munitiſſima. Nam ex uno latere cingitur Danubio, ex alio alveo profundiſſimo, qui Grane dicitur, a quo arx, & civitas, quæ in altera ripa ſita eſt, nomen accepit. Gravis autem mœſtitia du-

„ cem

b) Hæc oppida DANDVLVS quidem poſt annum XV. Vitalis Michaelis collocat, itaque poſt annum 1171. ſed cum hoc anno Stephanus defunctus ſit, neque Dandulum annorum ordinem rite ſectatum eſſe ex Codice Ambroſiano certum ſit, tum victoriæ nuncius recens facilius Dalmatinos a noſtris ad Venetos reflectere potuerit, veriſimile mihi fuit, oppidorum deditionem ad hunc annum locari debere.

i) DANDVLVS in Chron. „ Jadertini igitur „ ſubjectionem ſui Archi-Epiſcopatus Patriarchæ Gradenſi moleſtam habentes nunc „ tertio rebelles duci effecti Dominicum „ Mauroceno, defuncti ducis natum, eorum Comitem expulerunt, & regis vexilla „ erigentes, ſe ejus dominio tradiderunt. „ Dux illico XXX. galeis armatis Jadram „ properat, quam ab Hungaris munitam inveniens, dum obtinere nequiret, Venetias remeavit. „

k) DANDVLVS in Chron. „ Dux itaque anno XV. ingentem paratum exercitum „ cum Dominico Mauroceno Capitaneo denuo Jadram mittit, quos ex Hungarorum „ præſidio in errore tenaces, appoſitis ſcalis „ & gattis, & variis inſultibus idem Capitaneus impugnare non deſinit. Hungari ab „ hoc territi, relictis tentoriis fuga ſalvati „ ſunt. Cives - - Jadrenſem civitatem Capitaneo libere tradiderunt, qui eandem „ muniens ducendum de nobilibus Jadræ ſecum aſſumtis Venetias rediit. Jadrenſes igitur diruptis muris, & datis obſidibus obtenta „ a Duce venia in urbe ſua reſtituti ſunt. „

l) Chron. CLAVST. NEOBVRG. ad an. 1173. „ Liupoldus, & Henricus frater ejus, filii „ Henrici Auſtriæ ducis, accincti ſunt gladio: & eodem die Liupoldo copulata eſt „ uxor ſua filia (ſoror) regis Hungariæ.

m) Auctor ſororem ponit, ſed conſtat ex reliquis, ut Cinnamo, aliisque, filiam Henrici Auſtriæ ducis, non item ſororem fuiſſe.

Digitized by Google

„ cem illic perculit: nam ipſa nocte rex veneno periit, appotiatus a fratre ſuo, „ quem de terra ejecerat. Unde gravi afflictione conſtricti, ignorabant, quid fa- „ cerent. Dux enim Saxoniæ graviter cum ſuis angebatur, quod in peregrinatione „ conſtitutus, tuto ulterius progredi non poſſet, quia morte regis, quaſi præfoca- „ tus, ducem viæ habere non poterat. Nec minus alter affligebatur de tam ſubito „ regis interitu, eo, quod inteſtatus obiiſſet, & (filiam ſuam) viduam, prægnan- „ tem tamen, quaſi exſortem regni, ſine hærede reliquiſſet (*n*). „ Agnes ab obitu regis uterum gerens in Auſtriam rediit: de prole, quam enixa ſit, altum apud omnes ſcriptores ſilentium. Deinceps Hermanno Ortenburgico Carinthiæ duci collocata, Ulricum, & Bernardum, ambos Carinthiæ duces genuit (*o*). Ceterum Henricus Saxoniæ dux Archi-Epiſcopi Strigonienſis opera per Florentium bona fide in Græciam, ex hac in Syriam pervenit.

Error ſcriptorum circa mortis genus.

Errat autem Arnoldus Lubecenſis, & cum eo omnes, qui Stephanum veneno ſublatum prodidere, quo mortis genere Stephanum, ejus patruum, ut ex coævo ſcriptore Græco alias memoravi, defunctum non quidem Zemlini, quod noſtri plerique exiſtimant, ſed Zeugmini conſtat, quo nomine Sirmium urbem a Græcis accipi, ex rebus hactenus narratis vix dubitari poteſt. Neque ſatis recte illud exactum eſt, quod Stephano, Ladislaum ac Stephanum patruos in regno ſucceſſiſſe nonnulli tradunt, quorum res geſtas, & tempora inter Stephanum III. a patria obitu rerum potitum, & invaleſcentibus turbis regno amotum, rurſuſque reſtitutum, in tam pertinaci domeſticorum annalium ſilentio ſatis rite ad fidem hiſtoricam me complexum fuiſſe, quoad certiora in lucem educantur, mihi perſuadeo. Fateor tamen de mortis anno haud ita me certum eſſe, ut dubium obmoveri non poſſit, quod nec Stephani, nec, qui illi ſucceſſit, Belæ diploma ullum, ex quo annorum ratio rite iniri queat, uſpiam repererim.

Improlis cum deceſſiſſet, Hungari Belam a Manuele repetant.

Improlis cum deceſſiſſet Stephanus Hungariam non tam hæredi, quam partium ſtudiis, ac factionibus reliquit. Quamquam enim Bela frater, ad quem regnum jure pertinebat, ſupereſſet, tamen quod adoleſcens olim ad Græcos traductus fuerit, iſtosque ob faſtum, & acceptas bellis ſuperioribus jacturas æquanimiter non ferrent, veriti, ne juvenis alienos mores edoctus, rempublicam ad Græcanicum ingenium adminiſtraret, diu ancipites hæſere, num ad capeſſendum regnum evocandus eſſet. Ad hæc, cum Stephanus, ut ex Arnoldo Lubecenſi conſtat, uxorem gravidam reliquiſſet, magna procerum pars, præſertim, quæ Græcia infenſior erat, exſpectandum rati, quam prolem vidua enixura eſſet, magnum momentum ad interregnum adjecere. His ſtudiis incertos Manuel, ex improviſo occupavit. Dum enim turbis omnia miſceri apud Hungaros audiit, recta cum exercitu Sardicam profectus eſt, ut, ſi qua ſe offerret rerum gerendarum occaſio, in promtu eſſet. „ Illic morantem „ (ſcribit Cinnamus) convenere Hungarorum Legati: Belam ſibi mitti in regem poſtu- „ lantes. Stephano quippe defuncto, ad eum regni jus ſpectabat. Ceterum Bela „ iſte in generum Imperatoris primo delectus, quemadmodum in ſuperioribus a me „ narratum eſt, poſtea cognationis lege obſtante (*p*), ſororem Auguſtæ duxerat, „ ideoque Cæſar fuit renuntiatus, iſtius dignitatis prærogativa ceteris prælatus in urbe „ Byzantina proceribus. Regem igitur -- cum uxore in Hungariam miſit, cum ju- „ re jurando prius eum obſtrinxiſſet, quæ Imperatori, & Romanis profutura eſſent, „ per omnem ſe vitam ſervaturum. Illum vero comitabantur, a quibus in regnum „ deduceretur, Joannes Protoſebaſtus, aliique illuſtres viri. „ Hæc Cinnamus: (*q*) ex quo illud præterea habemus, nequaquam, ut pactis primum utrinque convenerat, filiam Manuelis Belæ copulatam fuiſſe, ſed ſororem Auguſtæ: an vero Irenes Alemannæ, quam primum Manuel in conjugio habuit, num contra Mariæ Antiochenæ, quam defuncta Irene uxorem acceperat, incertum eſt.

n) In Chronico ad annum 1173.

o) Megiserus Annal. Carinth. Lib. VIII. cap. I. pag. 832.

p) Cognationis legem non aliam fuiſſe puto, quam, ut idem Cinnamus ſupra meminit, quod filia Ladislai, quam Græci Irenem vocant, Calojoanni, qui Manuelis pater erat, nupta fuerit.

q) Hiſt. Lib. VI.

cum, quæ Belæ nomine olim in Dalmatia, ac Croatia occuparat, nunc ſibi per injuriam uſurparet; neque minus a Bela in eo peccatum fuit, quod privatam amicitiam regni juribus anteponens ad hæc conniveret; fere enim quæ ſibi perdunt reges, ſuis regnis perdunt. Quamquam poſtea, quæ neglecta prius erant, Belam diligenter ſarſiſſe narrabimus.

Interea Henricus Leo Saxoniæ dux ex Palæſtina reverſus in Hungariam advenit: acceptus eſt ſumma benevolentia, eademque voluntatis ſignificatione commeatus illi ad Hungariæ limites datus eſt; ubi ſalutato rege, pactaque mutuo amicitia, Saxoniam repetiit, (z) inde ad Fridericum abiturus, qui adverſus Italiam, ut Manuel in Perſas, bellum apparabat: hujus ad Hungaros pars quoque attinebat, illius non item. Cauſam ſcriptores Græci ex eo capite reperiunt, *quod Imperator Sultano immemorem & ingratum pro tantis beneficiis & auxiliis animum, quibus regnum in populares ei confirmaſſet: Sultanus contra Imperatori violata pacta, & in diſſolvenda amicitia levitatem, & pacis conditionibus temere abrogandis, & inanes magnorum munerum pollicitationes quæ rubricatis quidem litteris inſcriberentur, ſed exigua præberentur, objiciebat.* (a) Manuel, ut barbari faſtum coerceret, ingentes ad bellum in Aſiam traducendum apparatus fecerat, Belamque per nuncios rogabat, ut ſibi auxiliarios, quanto poſſet numero, mittere ne gravaretur (b). Rex, quamquam Venetos apparebat aliquid molituros, tamen ne amico & cognato deeſſet, Tranſilvanos, & Sclavones Bani ac Vayvodæ auſpicio ſuppetias in Aſiam Imperatori transmiſit. His acceptis recta Iconium tetendit, ultionem capta urbe ex Perſis ſumturus. Verum errore viarum inſidias præcipitatus, capitale diſcrimen adiit. Ubi enim per oblongam convallem verticibus montium, ac rupium præcipitiis utrinque aſſurgentem, copias traducit, coorti repente ex inſidiis Perſæ a fronte & tergo imminent, & velut indagine clauſos immaniter trucidant. Cædes potius quam prælium fuit, quod cum neque progredi, neque regredi integrum eſſet, nec ſe ſatis tueri, nec hoſtem loco movere poſſent. Pars tamen partim cum Perſis partim collibus luctata evaſit. *Imperator vero*, quem Tranſilvani ac Sclavones, quod Græcus ſcriptor maligne ſiluit, potiſſimum ſtipaverant, *etſi ſæpe barbaros ex anguſtiis illis depellere eſt conatus, & ſuis viam complanere, tamen cum eum conatum non ſuccedere, ſeque æque periturum videbat, creſcentibus ſubinde* (c) *Perſarum viribus, ut qui e ſuperiore loco pugnarent, ſi maneret, ac ſi progrederetur cum paucis, quos ſecum habebat, recta in hoſtes fertur, ceteroſque monet, ut quisque ſalutem quærat, ut poſſit: ſe enim nihil boni ſperare poſſe, ex iis, quæ videat. Atque ita poſt multa vulnera, & vibices, enſibus, & ferrea clava facta, ex barbarica illa phalange, tanquam decipula, eſt elapſus. Sic quidem toto corpore convulneratus, ut ſcuto ejus circiter XXX. ſagittæ inhærerent, & ipſe caſſidem decuſſam attollere non poſſet* (d). Eminuit in hoc prælio duorum Tranſilvanorum egregia virtus, Lobii & Thomæ fratrum, qui Manuelem, cum in maximo periculo verſaretur, objectis corporibus diſcrimini eripuerunt. Reduces ab Vayvoda Tranſilvaniæ, & Sclavoniæ Bano, qui pugnæ itidem intererant, ob præclare facta collaudati, latiſundiis ab rege donati, ſunt, quæ Bela deinde nepos publico litterarum teſtimonio confirmavit: eas, ne præſtantium virorum facinora poſteros lateant, quantum ad rem præſentem faciunt, annalibus inſerendas putavimus, ſuntque in hæc verba conſcriptæ.

1175. *Rex Manueli ſuppetias in Perſiam mittit.*

Imperator ab hoſte circumventus, magnam militum jacturam facit.

Ipſeque capitali periculo implicitus Tranſilvanorum virtute eripitur.

Bela Dei gratia rex primogenitus regni Hungariæ -- Univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in eo, qui ſalus omnium eſt. Cum voluntate Patris noſtri, & maturo

Quod Bela publicis litteris teſtatus eſt.

Tt   *Prin-*

z) „Arnoldus Lubecensis in Chron. & „ tranſito nemore magno venit ad regem „ Ungarorum, qui tunc noviter creatus „ erat, & regnum fratris obtinuerat. Qui „ honeſtiſſime ſuſcepit eum dans ei conductum per terram ſuam, & ita Dux reverſus eſt in fines ſuos. Poſt hæc abiit ad „ Imperatorem. „

a) Nicetas Choniates. Annal. Lib. VI.

b) Idem ibid. „ His de cauſis Imperator „ & veteres copias colligebat, & novas „ conſcribebat, & auxilia peregrina haud „ parva accerſebat, a Latinis potiſſimum, & „ Scythis ad Iſtrum accolentibus. „ -- Chronologia quidem Nicetæ bellum id affigit ad an. 1172., quo tempore Bela III. nondum regnavit, ſed patet ex hujus diplomate vel ad an. 1174. vel 75. rejiciendum eſſe.

c) Re autem vera Turci erant, qui occupato Iconio Græcis moleſti erant. Perſas autem ſive *Irim* a Græcia ideo dici obſervant, quod ex Perſia iſtuc delati ſint, ut in annalibus veterum Hunnorum Parte III. obſervavi.

d) Nicetas Annal. Lib. VI.

1175.

Principum terræ noſtræ conſilio perpetuitatum donationes inutiliter factas revocaremus, obtulit nobis Choma, filius Lob, terræ noſtræ nobilis, quoddam privilegium piæ recordationis Avi noſtri Belæ regis conceſſum, ſuper donatione novem terrarum, ſeu poſſeſſionum quod poſtmodum apud nos caſu accidente, vel inprovidentia eſt amiſſum. Nos ergo conſiderantes fidele, & excellentiſſimum ſervitium Lob Patris ipſius, & Thomæ fratris ejusdem quod exhibuerunt in Græcia (e), fideliter invigilantes regiæ majeſtati, & honori, uſque ad ſanguinis effuſionem dimicando ſe morti tradere non formidantes. Quorum probitas, & inſignia facta, & ſervitia fideliter exhibita Ompudinus tunc Banus, & Lenſtathius Wavvoda ad aures Belæ regis, & notitiam retulerunt, cum quibus dicti homines in Græcia militaverunt. Et propter tot inſignia virtutum, & quia merita non debent defraudari præmio, idem Bela rex avus noſter contulit, & donavit Lob, & Thomæ, pro fidelitatis ſuæ conſtantia poſſeſſiones in Comitatu de Doboka exiſtentes - -. Nos igitur volentes deſervire antiquitati, & poſſeſſiones ab avo noſtro donatas, & conceſſas, & ſtabilitatem in nullo diminuere, ut veri anteceſſorum noſtrorum imitatores inveniamur, eaſdem confirmamus. Confirmationis ſeriem ſcribi facientes ſigilli noſtri munimine corroboramus (f). Hactenus litteræ; ex quibus non modo Ompudinum ante Sclavoniæ Banum, ſed Lenſtathium quoque Tranſilvanorum Vayvodam fuiſſe perſpicuum eſt: atque hunc omnium Vayvodarum primum ex diplomatibus, quod ego quidem ſciam, habemus.

Veneti Dalmatiam pene omnem a Græcis recipiunt.

Neque magis in Dalmatiam Manueli res ſecundæ, quam nuper in Aſia fuere. Veneti ob interceptas naves onerarias, cum nullum injuriæ ſolatium, miſſis in urbem Legatis, impetrarent, maximos mari apparatus fecerant, ad vim non modo repellendam, ſed etiam inferendam. Coacta igitur centum & viginti navium claſſe, aſcitiſque Iſtrianorum, ac Dalmatinorum auxiliis Tragurium, quod Græcanici tum juris fuiſſe ſupra monſtratum eſt, contendunt, primoque impetu captam urbem ſpoliant, & muris nudant, Inde Raguſam delati, ſuperata mœnium parte, nobiliſſima urbe potiuntur: victorum iram urbis Archi-Epiſcopus cum populo Venetis obviam factus mollivit, ne ſimili, qua Tragurienſes, pœna mulctarentur. Græci, poſtquam res Dalmaticas peſſum ire comperiſſent, claſſem quoque in hoſtes emittunt: ſed cum Venetos & robore, & numero navium ſuperiores viderent, detrectata pugna ad fraudes convertuntur, aquasque veneno inficiunt. Dux Venetus, ne rei gerendæ tempus vacuum elaberetur, erat enim menſis September, mari Jonio ventorum ferocia infeſtus, Nigropontem, tum Chium applicuit, ſpoliaque ampliſſima egit. Hic cum oratorum miſſitatione de pace agitur, fere maxima claſſiariorum pars lue abſumta eſt. Quo periculo admonitus dux ſolutis anchoris viam domum relegens Sebenicum quoque ceteris captis urbibus adjungit. Ita unius menſis ſpatio totam fere Dalmatiam, ſi Spalatum demas, Græcis Veneti eripuere, non multo poſt ad Hungaros redituram (g).

Quam

e) Græciam pro Aſia hic uſurpari liqoet, quod ſuppetias Græcorum Imparatori adverſus Perſas Bela miſerit, ut ex Choniata notavi. Alioquin vivo Manuele nihil Belæ cum Græcis litium fuit.

f) Clauſula diplomatis ſequens eſt: *Datum per manus Mathiæ Zagrabienſis Præpoſiti, Aulæ noſtræ Cancellarii, in anno Domini MCCXXX. Pous Thavernicorum, Gab Dapiferorum, Pouza Agazonum, Michaele filio Ompud Pincernarum noſtrorum magiſtris exiſtentibus, & Gyula filio Lenſtathii Wavvoda exiſtente.* Hæc ex Mſ. Andreæ Huszty, qui pene omnia Tranſilvaniæ tabularia pervolverat. Jam alias viri hujus cum laude memini, hic illud, quod nuperrime edoctus ſum, adjiciendum putavi, eum, prius quam moreretur, ab heterodoxis ad noſtra ſacra tranſiiſſe.

g) Danovlvs in Chronico. „ Fabricatis „ igitur & paratis in centum diebus, centum „ galeis, & viginti navibus, dux de menſe „ Septembris cum ipſis egrediens decem galeas Iſtrenſium, & Dalmatinorum aſſumſit, „ & contra Tragurium, qui Emanueli ſubjecti erant, XXX. miſit galeas, quæ urbem „ belligere obtinentes, ut poſteris cederet „ ad terrorem, non ſolum pro parte eam „ diruit, ſed etiam propriis theſauris eam „ exſpoliavit. Dux autem cum reliqua ſtoli „ parte procedens Raguſinos pollicitæ fidelitatis immemores - - invenit - - hoc in„ digna ferens, bellicis inſtrumentis urbem „ impugnari juſſit - - altera die Michael Ar„ chi-Epiſcopus Raguſis, Clerus, & popu„ lus univerſus - - de commiſſis veniam po„ ſtularunt. - - Poſtea - - iter proſequens „ Nigropontem pervenit. - - Exinde po„ ſtea - - Chium navigavit, & urbem cum „ tota inſula per deditionem accepit. - - - „ Cum igitur hæc agerentur peſſima peſtis in „ tantum invaluit, ut paucis interjectis die„ bus fere mille homines peremti ſint, quod „ creditur adveniſſe ex uſu aquarum, quas „ Imperator fecerat venenari. „ - -

Rama, Serviæ pars, Hungaris obtingit.

Quámquam aliquam Serviæ partem hoc anno in jus Hungarorum conceſſiſſe 1175.
veriſimile ſit, quod rex Ramæ titulum, quo a Bela cæco neminem, regum noſtro-
rum, quorum diplomata quidem viderim, præter Stephanum III., uſum fuiſſe reor,
litteris publicis inſeruerit. Quæ conjectura ſi locum habet, oportuit Ramam tum,
cum Stephanus III. cum Manuele infeliciter fere arma contulit, amiſſam fuiſſe, niſi
eo titulo, quid juris, non quid poſſeſſionis haberet, innuere voluerit. Eas litteras
Zagrabienſi ſacerdotum collegio, quod lite cum aliis implicitum fuit, in hæc verba
dedit. *Notum ſit omnibus Catholicæ fidei cultoribus, quod ego Bela III., ſecundi Geiſæ
regis filius Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque rex, cum Albæ S. Ste-
phani regis ſolemnes agerem dies, Zagrabienſes Canonici cum Ugrino, tunc temporis Zagra-
bienſe electo . . devotas porrexerunt preces . . . Ego vero, ut dignum erat, juſtis peten-
tium deſideriis facilem præbui conſenſum, & quia vota eorum a rationis tramite non diſcorda-
bant, affectu volui proſequente complere. Anno Dominicæ Incarnationis M. CLXXV. re-
gnante glorioſiſſimo rege Bela III. ſecundi Geiſæ regis filio* (*b*). Quid litium collegio ſacer-
dotum interceſſerit, hic non attinet referre: ceterum optandum eſſet magnopere, ſi
quis litteras Belæ III. nomine ſignatas in lucem protraheret, ex quibus aditi regni
epocha extra controverſiam conſtitui poſſit.

Hungari ſociis Bohemis in Auſtriam incurrunt.

Sub hæc Conradus Znoymenſis dux, & Sobieslaus II. conflato ex Bohemis, 1176.
Hungaris, Polonis, & Saxonibus ſexaginta fere millium exercitu in Auſtriam ſemel
atque iterum irrupere (*i*), totamque eam plagam, quæ Moraviæ, & Bohemiæ ad
Septentrionem obverſa eſt, fœdiſſima populatione vaſtarunt. Clades Viennam uſque
pertinuit, quam Wilhelmus Kaunizius, ut ſanguinis nobilitate inſignis, ita bello
ſtrenuiſſimus miles ad mænium demolitionem coëgit (*k*). Occurrerat quidem hoſti
Henricus Auſtriæ Dux, ſed, cum numero inferior eſſet, *in prælio male acceptus,
ſeorſum ab aliis fugæ ſe mandat, ad arcem ſuam bene munitam, ſed per pontem peſſime concin-
natum celerans, quo interrupto cadit cum equo, crureque fracto tertium poſt diem ex dolore
moritur magna cum invidia Sobieslai apud Cæſarem, & alios Germaniæ Principes.* Hæc
Dubravius (*l*) ſed ut victum Henricum facile inducor ut credam, ita ex fracto cruere
tertium poſt diem fato functum, turpe Dubravii commentum eſt, cum Henricum anno
primum inſequente equo delapſum obiiſſe coævus ſcriptor prodiderit (*m*).

Maria Belæ filia Iſaaco.

Manuel, quo ſibi Hungaros adverſum Venetos firmiore vinculo adſtringeret, 1177.
Mariam Belæ filiam Iſaaco nepoti ſponſam ab rege petiit, initisque pactorum condi
tionibus impetravit (*n*), quæ haud multo poſt, quam maritum amiſiſſet, Bonifacio
Mar-

b) Hiſt. Zagrab. Eccleſ. pag. 78. Nomina ſubſcripta hæc ſunt: *Job Strigonienſi Archi-Epiſcopo exiſtente, Paulo Colocenſi Archi-Epiſcopo exiſtente, Notario Adriano, Farcaſio Palatino Comite, Subano Bano, Ugrino Zagrabienſi electo, & aliis compluribus ejuſdem regni Principibus exiſtentibus.* Subanus Banus qui hic memoratur, ſcrupulum mihi injicit, num recte annus geſti a Manuele contra Perſas belli ſignatus ſit, cum in diplomate, quod Bela IV. confirmavit, & ſupra a nobis laudatum eſt, diſerte Ompudinus tunc Banus fuiſſe dicatur. Præterea Hiſt. Zagrab. memoret Ompudinum hac dignitate ornatum fuiſſe an. 1158. Cl. autem Ritterus an. 1160. tam intricata hæc ſunt, ut niſi duos dicamus Banos fuiſſe, ut re vera eodem anno ſæpe fuerunt, conciliari ægre poſſint.

i) Auctor incertus Chron. apud Cl. Pezium ad an. 1176. „Boemi aſſumtis Hungaris, Po-
„ lonis, Saxonibus, coadunati contra Du-
„ cem Henricum, terram ſuam ex parte ſe-
„ ptemtrionali uſque ad Danubium incendio
„ vaſtaverunt, & prædam infinitam dedu-
„ xerunt. Rurſus Boemi aſſumtis eiſdem co-
„ adjutoribus ſuis, quidquid priori devaſta-
„ tioni reſiduum fuit, deſolaverunt. „ . .

Paria Chron. Reicherspergenſe apud Ludewig Tom. II. p. 313. In hæc verba: „Dux Boe-
„ morum intravit partes orientis in Menſe
„ Auguſto cum exercitu multo Boemorum,
„ Ungarorum, Polonorum, Ruthenorum
„ uſque ad LX. ferme millia. Et cum Dux
„ orientis Henricus non ſufficeret ad reſiſten-
„ dum, illi totas partes orientis uſque ad
„ Danubium, rapinis, & incendiis crude-
„ liſſime devaſtarunt nullo reſiſtente. „ Inſinuat id Bonfin. quoque Dec. II. Lib. VII. cum ſcribit Auſtrios a Bela intra fines coercitos fuiſſe.

k) Bohusl. Balbinus Epit. rer. Bohem. Lib. III. cap. XII. pag. 244.

l) Hiſt. Bohem. Lib. XIII.

m) Ortilo ad an. 1177. Henricus Dux Auſtriæ obiit equo lapſus.

n) Dandulus in Chron. „Inter hæc
„ Imperator Emmanuel nepoti ſuo Iſaaco
„ regis Hungariæ filiam in conjugem ſumſit „ Mariam autem dictam fuiſſe ſcribunt D'Outreman, König, & Heningus. Annus connubii etſi certus non ſit, ante mortem tamen Manuelis, quæ in annum 1180. incidit, locandus eſt.

1177.

Manuelis nepoti collocatur.

Marchioni montis ferrati collocata eſt (*o*). Bela tamen, ne bello non neceſſario implicaretur, nihil Dalmatiæ cauſa tentandum ratus, auctor Manueli fuit, ut pacem cum Venetis iniret: cujus ineundæ ſpem non modicam Græci in principio quidem
1178. fecere, ſed, ubi inter Rogerium Mauroceni filium, & Arbenſes ob Inſulam *Keſſæ* diſſidium obortum vidiſſent, atque hinc, invaleſcente partium ſactione, aliquid lucri ſe facturos ſperarent, pacis tractationem prætextis de induſtria novis cauſis protelarunt. Neque titulis Dalmatiæ ac Croatiæ pro ſuo faſtu abſtinuere, Sclavoniæ quoque jura uſurpantes. Rogerius enim id temporis a Manuele, quamquam præter Spalatum, omnis amiſiſſet, urbi præfectus, in publicis litteris leviſſima jactantia *DEI &*
1179. *Imperiali gratia Dalmatiæ, Croatiæ, ac Sclavoniæ Ducam ſe ferebat* (*p*).

Perturbatus in Hungaria ob beneficiorum rationem Eccleſiæ ſtatus.

Bela quod ærarii rationes haud ſatis ritæ conſtitutæ eſſent, poteſtate regis Apoſtolici male uſus, turpi nundinatione in locum Præpoſitorum, & Abbatum profanos homines ea lege ſubſtituerat, certam ut pecuniæ ſummam fiſco regio penderent. Mali labes ad plures propagata diſcrimen non leve religioni minabatur, niſi Lucas Strigonienſis Archi-Epiſcopus regem officii commonefaciens periculo caviſſet. Commodum eandem ob cauſam ab Alexandro III. Pontifice Maximo Diaconus Cardinalis Legatus aderat; cujus rationibus ſive perſuaſus, ſive territus turbas Eccleſiæ eatenus quidem ſopivit, ſed qui poſtea ſequuti ſunt, reges majoribus litibus objecit, ut cum tempus erit, exequemur. Factum regis ceteroquin laudatiſſimum,

Spondani in hoc argumento error.

Spondanus quamquam in anno mendum cubet in hæc verbs commendat: *eodem anno* (nempe MCLXIX.) *dum ipſe* (Alexander III.) *in cauſa jurium Eccleſiæ regem Anglorum* (Henricum) *refractarium experiebatur, alius potentiſſimus rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ ſuaſione M. Diaconi* (*q*) *Cardinalis libentiſſimo animo Eccleſiam reſtituit in illis, quæ tam ipſe, quam deceſſores uſurpaverant adverſus Eccleſiaſticam libertatem, circa depoſitionem Epiſcoporum, aliorumque præpoſitorum, ac bona vacantia Eccleſiarum, deque eis diploma conſcripſit, quod aſſervatur in Vaticana bibliotheca, libro, qui inſcribitur Cencii Cameralis* (*r*). Aut ignoravit, aut ſubticuit Spondanus, quid juris Hungariæ reges eatenus ab ſede Apoſtolica obtinuiſſent, neque Belæ unius res geſtæ cum aliorum præclare factis conſundendæ erant, ut reges noſtros ſine diſcrimine uſurpatores adverſus Eccleſiaſticam libertatem compellaret. Sed enim dicaciorem, quam oportebat, Spondanum in Hungaros fuiſſe, plures ante me obſervarunt. Porro, ne rebus quas deinceps narraturi ſumus, & hinc ortum ſumſere, tenebræ offundantur, operæ precium eſt diploma, quod rex Strigonienſi & Colocenſi Archi-Epiſcopis, tum univerſo Hungariæ clero inſcripſit, in medium proferre, ne aut maligne ſubticuiſſe, aut juribus regum Hungariæ iniqui fuiſſe videamur. Quo loco id monere viſum eſt: male diploma mox laudandum Stephano III. a plerisque tribui, ut ex Doctiſſimo Cardinali Arragonio, qui id ad XIX. annum Alexandri III. affigit, perſpicuum eſt (*s*) ſic autem habet (*t*).

Bela diſcrimni

„ B. (*u*) Dei gratia rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque, L.
„ (*x*) eadem gratia Strigonienſi, C. Colocenſi (*y*) Archi-Epiſcopis, atque eo-
„ rum

o) EMMIVS & D'Outreman.

p) Apud LVCIVM Lib. III. cap. X.

q) Videtur eſſe littera ioitialis Legati Cardinalis. Quis autem fuerit, nec ea Baronio, oec Spondano, Ciaconio, aut alio potui elicere. Doctiſſ. KOLLAR Lib. II. Hiſt. Diplom. Juris Patronatus Hungariæ, ſuſpicatur fuiſſe Matheum Canonicum regularem Congregatioois. S. Fridiani Lucenſis ab Alexandro III. Diacooum Cardinalem S. Mariæ Novæ renuntiatum, aut Gregorium Diaconum Cardinalem S. Mariæ, qui tertium in Hungaria Legatus erat.

r) In Epitome ad huoc annom.

s) Detexit hanc Chroootaxim Cl. KOLLAR. rectéqoe Alexaodri III. annus congruit anno Chriſti MCLXXIX. Itaque per errorem librarö facile uoum X. omiſſum fuerit, quæ res BARONIVM, ac ceteros quoque in errorem induxit.

t) Utor exemplari, ut illud Cl. KOLLAR. ex Cardinali ARRAGONIO, & CONTELORO Bibliothecæ Vaticanæ cuſtode ab erroribus repurgavit.

u) Ea littera notat Belam. Alii N. vel H. ponunt; quamquam ultimum Henricum Belæ filium innuat, prius tamen erroneom eſt, & ſcribentis imperitia facile ex B. fuerit N. formatum. PATERFY in Mſ. exemplari, qoo uſus eſt, ait ſequentia in fronte haberi: *Reſcriptum privilegii regis Hungariæ, qui pro reverentia Eccleſiæ Romanæ, & Domini Alexandri Papæ, Eccleſiæ libertatem donavit, & fecit.*

x) Lucas Archi-Epiſcopus Strigon.

y) COSMAS Colocienſis.

An. Chr. 1179.

„rum ſuffraganeis, Præpoſitis quoque regalibus, nec non omnibus univerſaliter
„Eccleſiaſticis perſonis, in prædictis Archi-Epiſcopatibus conſtitutis, tam præſen-
„tibus, quam futuris in perpetuum.

huic publicis litteris cavet.

„Juſtum & rationi conſentaneum eſſe dignoſcitur, ac ſanctarum ſcripturarum
„teſtimoniis comprobatur, ut qui regiæ celſitudinis culmen ab æterno rege merentur
„accipere, quæ ad Eccleſiæ, & Chriſtianitatis noſcuntur profectum in aliquo perti-
„nere, tanto teneantur providere ſolicitudine, & cautela intendere, quanto pro
„honore a divina ſibi diſpoſitione collato debent ſuo Creatori devotionem uberiorem
„præ ceteris exhibere. Ea propter propria ratione inducti, & ſaluberrimis exhor-
„tationibus M. Venerabilis ſanctæ Eccleſiæ Cardinalis propenſius, attentiusque com-
„moniti, devotionem quoque venerandæ memoriæ regis G. (z) patris noſtri, quam
„circa ſacro-ſanctam Romanam Eccleſiam, & ſanctum Patrem noſtrum Dominum Ale-
„xandrum Pontificem ſtuduit per omnia exhibere, modis omnibus, quibus poſſumus,
„imitari volentes, inſtitutionem ſuper depoſitione, & tranſmiſſione Epiſcoporum,
„quod in ſe, & in ſuis poſteris Domino Papæ Alexandro, & ſuis ſucceſſoribus noſci-
„tur conceſſiſſe, videlicet, quod abſque auctoritate, & conſilio ejus, vel ſucceſſo-
„rum ſuorum depoſitionem, ſeu translationem Epiſcoporum non faceret, vel fieri
„permitteret, confirmamus, & tam in nobis, quam in poſteris, perpetuo inviola-
„biliter duraturam cenſemus.

„Præterea anteceſſorum noſtrorum conſuetudinem retro temporibus habi-
„tam, relinquentes, in nobis, & in noſtris poſteris immobili firmitate valituram ſan-
„cimus, quod decedentibus Epiſcopis in rebus Epiſcopalibus procuratores Laicos de
„cetero non ponemus, atque poni nullatenus permittemus, ſed honeſtos Clericos,
„qui non ad voluptatem, ſed ad neceſſitatem victus de ipſarum Eccleſiarum rebus
„moderate accipiant, ibidem inſtituemus, qui reliqua omnia bona fide, & ſine frau-
„de aliqua ad reædificationem ipſarum Eccleſiarum, & Domorum Epiſcopalium,
„ſeu Canonicorum, ad uſus quoque pauperum viduarum, & orphanorum debeant
„obſervare. Nos vero, vel poſteri, nihil unquam de iisdem rebus in uſus pro-
„prios ulterius redigemus, niſi forte, quod abſit, hoſtes regni in manu valida fines
„ipſius regni intraverint, vel aliqua alia urgentiſſima neceſſitas poſtulaverit, & tunc
„quoque id ſine Epiſcoporum conſilio non faciemus. Addimus etiam, & robore
„inconcuſſo tam in nobis, quam in poſteria noſtris perpetuo obſervandum ſtatuimus
„quod regales Præpoſiti, vel Abbates de ſuis Præpoſituris, & Abbatiis, ſeu digni-
„tatibus non amodo deponentur, in hac parte conſuetudini noſtræ antiquæ
„per nos, & poſteros noſtros renuntiantes, niſi infauſto caſu contingeret eos ſuper
„certo crimine canonico ordine convinci, vel crimen ſuum publice confiteri. Ad
„hæc C. Archi-Epiſcopus Colocenſis (a), omnes Epiſcopi electi, regales Præpoſi-
„ti, & Abbates munificentiam ac libertatem, quam pro reverentia beati, & ſan-
„ctiſſimi Papæ noſtri Alexandri, nec non & M. Venerabilis Diaconi Cardinalis Apo-
„ſtolicæ ſedis Legati ſibi conceſſimus, attendentes, pravam ſuam conſuetudinem, &
„omnibus Canonibus obviantem, quam in inſtruendis Præpoſitis, *aliisque dignitati-
„bus, & Eccleſiaſticis beneficiis ſubtrahendis exercebant, in manus prædicti Cardina-
„lis penitus reliquerunt. Unde communi conſenſu, & libera eorum omnium volun-
„tate decernimus, & inviolabiliter præſenti privilegio valituro perpetuo ſtabilimus,
„quod nulli Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, Electorum, Præpoſitorum, Abba-
„tum deinceps licentia pateat, de Præpoſituria ſuos Præpoſitos removere vel alias
„Eccleſiaſticas perſonas ſuis dignitatibus, aut Eccleſiaſticis beneficiis privare, niſi
„forte fuerint de crimine convicti canonice, vel confeſſi. Hæc autem omnia de con-
„ſilio glorioſæ reginæ Matris noſtræ, & Archi-Epiſcoporum, omnium, Electorum,
„Præpoſitorum regalium, atque Abbatum, Comitum omnium, Procerum, & alio-
„rum Principum ſtabilita, ac firmiter corroborata noſcantur. Actum in Civitate W.
„(b) anno mileſimo centeſimo nono.

 Hacte-

z) Id eſt: Geiſæ. Addit Peterfy ſequentia ad notulam: „*cujus tamen ceſſio circa an. 1160.* „*facta nondum comparuit in lucem.*„

a) Cosmam innuit, id temporis Archi-Epiſcopum Colocenſem.

b) Monet Peterfy in quibuſdam exemplaribus

Hactenus regis litteræ; ex quibus rerum geſtarum cauſas, tum quid, & quem in modum poteſtatem ſuam in rebus Eccleſiaſticis coercitam rex voluerit, cla-
1180. rius liquet, quam ut a me quidquam ad illuſtrandum afferri debeat.

Manuele defuncto Dalmatiæ pars ad Hungaros redit.

Sed nos ad res profanas revertamur. Manuel dum univerſam Dalmatiam, ſubjugare molitur, pridie nonas Octobris anno ſupra milleſimum centeſimum octogeſimo extinguitur. Quæ mora ut Hungaris opportuna erat, ita novam quoque rerum faciem Dalmatiæ induxit. Spalatum continuo in Belæ clientelam conceſſit (c), neque Jadrenſes diu tergiverſati ſunt, obortis diffidiis ſe noſtrorum fidei permittere. Diffidiorum cauſam jam ſupra memoravimus ex eo capite profectam eſſe, quod Veneti bona Pontificis venia Jadrenſem Archi-Epiſcopum Gradenſi Patriarchæ obnoxium eſſe voluerint. Auctum malum eſt, cum Alexander Papa Eugubinum Epiſcopum a Jadrenſibus electum commonefeciſſet, ut ne Patriarchæ obedientiam detrectaret. Id, quamquam Epiſcopus ſe facturum pollicitus ſit, Jadrenſes tamen minime fieri patiebantur. quin, additis præcipuæ dignitatis Civibus, Romam ut contenderet, juraque vetera Eccleſiæ tueretur, ingratiis coegerunt. Is, cum ad Foſſam malam ſiniſtra valetudine detinetur, ſcriptis Romam litteris Alexandrum de itineris cauſa breviter edocuit. Moleſte id Pontifex ferebat, & reſcribens in hæc verba illum arguit: *Quia igitur tibi imminet, ſubjectos a præſumtione ſua compeſcere, cum non debeamus ſequi populum, ſed docere, mandamus, quatenus infra tres menſes, poſtquam Jadram iveris, pergens Venetias eidem Patriarchæ obedientiam, & reverentiam Primat: debitam promittas, & impendas, & Clerum, & populum tuum ad idem, ſicut te decet, inducas, ita, quod ipſe Patriarcha contra te materiam conquerendi non habeat, nec inter Venetos, & Jadrenſes gravis ex hoc, & periculoſa diſcordia oriatur. Alioquin uſum tibi pallii interdicimus, & te, conſecrandi ſuffraganeos tuos, & Eccleſias dedicandi, auctoritate privamus.* (d)

Jadrenſes comperta Pontificis voluntate Archi-Epiſcopum reducem, quo minus mandata exequeretur, prohibuere, & tempore, quo Venetis turbæ cum Piſanis, & Anconitanis interceſſerant, uſi nuntios ad Belam mittunt, qui in ejus ſe fidem conceſſuros pollicebantur, ſi ſe adverſus vim Venetorum, & injurias tueri vellet. Neque rex tergiverſandum ratus præſidiarios, qui urbi tuendæ ſatis eſſent, & commeatum Jadertinis mittit, mæniaque partim reparat, partim novis operibus communit,
1181. ut tolerandæ obſidioni, ſi quam Veneti, ut non de nihilo metus fuit, tentarent, idonea eſſet (e).

Hinc Veneti claſſem Jadræ admovent.

Neque inanem regis metum fuiſſe, eventu ipſo patuit. Veneti cognito Jadrenſes ad Hungaros defeciſſe, rogatis ſenatorum ſententiis bellum in utroſque decernunt: cumque ærarium ſuperioribus bellis exhauſtum, & ad præſens feliciter gerendum tenue admodum eſſet, tantam æris ſummam a privatis in commune collatam perhibent, ut expeditioni ſatis videretur. Tum, ſoluta Venetiis claſſe, recta Jadram itum, quam ex parte maris commeatu excluſam obſident, acriterque urgent. Verum quod præſidiariorum Hungarorum ſingulari virtute labor omnis irritus ad extremum caderet, expugnata Pago inſula, ceteriſque, quæ itidem ad Jadram ſunt inſulæ, deditione acceptis, re infecta abſceſſere. Commune malum id omnibus, qui prius bellum obmovent, quam ærarii rationes rite ſubducant (f).

Sed re infecta diſcedunt.

Noſtri

ribus reperiri W. aut B. Quibus litteris' venire poſſunt plures urbes, puta Varadinum, Vacium, Buda, Beſprimium, & Weſprimium; ſed veriſimillimum eſt Weſprimium indigitari, quod plura diplomata Regis hujus in ea urbe condita fuerint.

c) Archi-Diaconvs Hiſt. Salonit. cap. XXIII. Poſt mortem vero Emanuelis Imperatoris cum rediiſſent Spalatentes ad dominium Ungarorum. . .

d) Dandvlvs in Annal. ad an. 1178.

e) Dandvlvs in Annal. „Hoc tempore „ Jadrenſes a Duce requiſiti, ut Præſulem „ ſuum Gradenſi Patriarchæ obedientiam ex- „ hibere permittant, exequi renuerunt . . „ ſe, & urbem protectioni Belæ regis III. „ Ungariæ ſubdiderunt. Rex tunc homini- „ bus & victualibus civitatem muniit, & „ muro circumcluſit. „

f) Id. ibid. „ Dux autem illatum ſcelus „ reformare anhelans, congregatam concio- „ nem ſibi conformem invenit, & Studio ex „ continuatis anguſtiis nimis exinanito, dum „ de eis recuperandis collatio haberetur, „ Prælati multi, nobiles, fidei pleni ſe ob- „ tulerunt liberaliter. Tunc pro congrua „ ſatisfactione decernitur, ut proventus Ri- „ voaltani fori, & datia, & quarenteſimi ſint „ eis taliter deputata. Ceterum dux paratam „ hoſtilem claſſem mittens per mare Jadram „ obſedit, & viriliter impugnat, & Pagum, „ cæteraſque inſulas ſibi ſubjecit. „

Noſtri ſive fugato, ſive emiſſo hoſte mirum in modum animos ſumſere, bre- viqne Croatia, & Dalmatia pene omni potiuntur. Maxima in reducendis provinciis Marci Comitis virtus enituit, qui propterea regis voluntate utrique regno præfectus, *Dei, & regis Hungariæ gratia Comes, & totius maritimæ provinciæ Exercituator in publicis inſtrumentis legitur* (*g*). Atque hunc in modum exiguo temporis intervallo Dal- matia, & Croatia rurſum deditione in Hungarorum poteſtatem venit.

Abhinc tota Dalmatia juris fit Hungarici.

In tam ſecundo rerum curſu pene aliquid turbarum ex improviſo exortum eſt, cum quod Theobaldus ſedis Apoſtolicæ per Dalmatiam & Croatiam Legatus Pha- renſem Epiſcopatum Eccleſiæ Spalatinæ contra jus Jadertinæ ſedis attribuerit (*h*), tum quod Bela electioni Spalatenſis Archi-Epiſcopi ſumma vi obniteretur. Qua de cauſa Spalatinis, qui primi omnium a Manuelis Comneni morte Hungarorum poteſtati ſe dedidere, tam difficilem ſe Bela præbuerit, nuſpiam conſignatum reperio. Credi- derim electionem iſthic adhæſiſſe, quod Spalatini popularium ſuorum aliquem, rex contra Hungarum Archi-Epiſcopum cuperent, ut ex Petro, qui poſtea ſedi illi præ- fectus, & ex Chileniorum nobili apud Hungaros proſapia ortus erat, ſatis veriſimili- ter eruitur: niſi forte rex idem jus, quo in Hungaria Epiſcopos ſine electione nomi- rat, ad Dalmatiam itidem pertinere voluerit. Quidvis ſit, (*i*) Pontifex ne urbs pa- ſtore deſtituta religionis detrimentum pateretur, graves ad regem litteras in hæc ver- ba ſcripſit (*k*).

Turbæ ob novum Spalatenſem Archiepiſcopum exortæ.

Alexander Epiſcopus Servus Servorum DEI, dilecto in Chriſto filio Belæ, illuſtri Hungarorum regi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Significantibus nobis dilectis filiis noſtris, Clero, & populo Spalatenſi nobis innotuit, quod cum Eccleſia Spalatina (*l*) *diu paſtore vacaverit, & uſque ad hæc tempora, juxta privilegia Romanorum Pontificum, & ſacrorum canonum, liberam electionem habuerit, tu in ea Epiſcopum, ſecundum quod obſervatum eſt, eligi non permittas. Volentes igitur regiæ ſaluti conſulere, & indemnitati præfatæ Eccleſiæ pro noſtri officii debito providere, monemus regiam excellentiam, & exhortamur in Domino, quatenus eam libere, & ſine contradictione, de perſona idonea ordinari permittas, qui & populo Dei præeſſe valeat, & prodeſſe. Alioquin, licet magnificentiæ regiæ deferre velimus, jam dictæ Eccleſiæ in ſuo jure deeſſe non poterimus aliqua ratione, nam & ſerenitati regiæ credimus expedire, ut civitatem ipſam in ſua libertate conſerves, & habitatores ejus in fidelitate tua facias firmiores, & ne eis circa dominium tuum occaſionem tribuas malignandi. - - Data Viterbi XI. Non. Julii.*

Pontifex propterea regem litteris convenit.

Hactenus Pontifex: Sed litem utrinque protractam fuiſſe conſtat, quod Pe- 1182.
trus, cujus ſupra meminimus, tertio poſt anno primum ad Sedem ſpalatinam evectus ſit, ſive Bela jurium ſuorum tenacior eſſet, ſive ob metum impendentis a Venetis belli, res ad liquidem confici non poſſet. Tragurini enim, cum viderent omnem reliquam Dalmatiam Hungarorum fidei ſe permiſiſſe, ceterarum urbium exemplum ſequuti, pariter regis clientelæ ſe dederant. Ea re Veneti, & quod ſuperiore anno nullum operæ precium ex Dalmatia retuliſſent, irritati Tragurinos ad officium revocan-

Veneti in Tragurinos, qui a fide defecerant, movent.

g) In Hiſt. Zagrab. Eccleſiæ.

h) Apud Lucium lib. III. cap. XIII. extant Legati litteræ ex Archivo Capituli Spalatenſis depromtæ. „ Theobaldus Dei „ gratia S. R. Eccl. Sub. Apoſtolicæ ſedis „ Legatus dilectis in Chriſto fratribus, uni- „ verſo Clero, M. (Mauro) Comiti, & „ toti populo Spalatenſi cum dilectione ſalu- „ tem. Perſcripta præſentia notum facimus - - „ quod, cum de mandato Summi Pontificis, „ in Dalmatiæ, & Sclavoniæ partibus offi- „ cium Legationis haberemus, Spalatenſem „ Eccleſiam, quæ & Salonitana dicitur, ſu- „ per Farenſi Epiſcopatu querimoniam de- „ poſuit adverſus Jadertinam Eccleſiam. „ Præfecto ſub generali vocatione clero Ja- „ dertino ſcripſimus - - mandantes, ut eo- „ rum aliqui - - accederent, quod ſuper „ motis controverſiis ſufficienter reſpondere „ valerent, cumque ad diem - - denuntia- „ tum præfatos Clerus nec veniſſet, nec „ reſponſum miſiſſet, quibuſdam diebus po- „ ſtea elapſis jam dictam querelam audivi- „ mus - - & auditis, & viſis, & intellectis „ rationibus, privilegiis, & allegationibus „ Eccleſiæ Spalatenſis, eidem - - prædictum „ Farenſem Epiſcopatum adjudicavimus - - „ anno Dominicæ Incarnat. MCLXXXI. In- „ dict. XIII. Pontif. Alex. P. P. III. anno vi- „ geſimo ſecundo. „

i) Chronicon Pontificale Salonitanum & Spalatenſe apud Farlati Tom. I. Illyrici ſacri. „ Petrus IV. Archi-Ep Spalat. ſucceſſor „ Rayneri. Fuit Hungarus ex nobili familia „ Chileni. „

k) Ex Tabulario Capituli Spalatenſis.

l) Raynerius enim Archi-Epiſcopus Spalatenſis anno 1180. a Sclavis Macharenſibus lapidibus obrutus eſt.

1183.

Et in poteſtatem redigunt.

vocandos cenſuere. Adornata claſſe urbem obſidione premunt, &, quia partim olim ob defectionem muris nudata erat, partim, qua mare reſpicit aditu facilis, neque ſatis ad defeoſionem comparata, brevi in poteſtatem redigunt. Venetorum dux ne perfidiæ poſtea locus eſſet, facta deditione ſingulos viritim ad fidem jurejurando firmandam adegit, viciſſimque prærogativas, quibus cives ornatos vellet, hoe diplomate confirmavit.

Jurejurando ad fidem poſtea adſtrictos.

„Aureus Maſtropetrus D. G. Venetorum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, „omnibus fidelibus ſuis, ad quos iſtæ litteræ pervenerint, ſalutem, & dilectionem. „Univerſitatem veſtram ſcire volumus, quod Traurenſes (*m*) omnem fidem nobis „ſervare volentes, ſicut etiam noſtris prædeceſſoribus olim ſervavere fidelitatem, a „minimo uſque ad majorem nobis juravere, ea propter eos tanquam fideles noſtros „diligentes, ſecuros deinceps illos, & ſalvos in perſonis, & rebus eorum eſſe vo„lumus, eundo, ſtando, atque redeundo. Mandamus igitur vobis, & mandantes „præcipimus, quatenus præfatos Traurenſes, liberos, ſecuros, atque ſalvos, di„mittentes, pro honore veſtro, dilectionem eis, & amorem exhibeatis, ubicunque „illos inveneritis, ſcientes pro certo, quod ſi aliter facere præſumſeritis, nos non „modicum offendetis, & inſuper noſtro ſubjacebitis banno., - - Dat. menſe Septembri Indictione XI. feliciter (*n*) At cum indictio hæc cadat in annum MCLXXVIII. neceſſe eſt, aut errorem ſcribentis irrepſiſſe, aut diploma, itaque & Tragurinorum deditionem, ad anterius tempus revocanda eſſe.

1184.

Inſulis quoque Dalmatinis, ſed fruſtra, inhiant.

Veneti redacto in poteſtatem Tragurio, Pharum, & Brachiam inſulas, haud longe ea urbe diſſitas, ſui quoque juris facere nitebantur. Pharus ex ſinu Narentino prominens longa magis quam lata ad occidentem porrigitur, Brachiam ad Oſtia Cetinæ fluvii a ſeptemtrione habens oppoſitam: utraque ſitu in primis commodiſſima, tum ad defendendum Dalmaticum litus, qua continenti obtenditur, peridonea, ex quibus levi laboris compendio Tragurium & commeatu excludi, & procurſionibus infeſtari queat. Atque id Venetos ſolicitos habuerit, ne recuperata ab Hungaris urbe, non modo Dalmatia, ſed ſpe quoque illius deinceps potiundi excluderentur. Itaque magna claſſe inſtructi partim obſervabant, partim infeſtis armis Inſulanos petebant; quo quidem nihil plus effectum eſt, quam ut utraque inſula in Hungarorum fide, & clientela magis firmaretur.

1185.

Lucius Pontifex Spalatenſis Archi-Epiſcopi cauſa facilem ſe regi præbet.

Lucius Pontifex Maximus, qui anno ſeculi hujus octogeſimo primo, Alexandro ſucceſſerat, faciliorem ſe Belæ regi præbuit, juaque in nominandis Epiſcopis indemne permiſit. Itaque poſtquam quatuor annis vacaſſet, ſedi Spalatinæ hoc anno Petrum gente Hungarum præfecerat. *Fuit autem Petrus iſte*, ut de eo ſcribit Archidiaconus (*o*) *primo Epiſcopus Narnienſis, vir magnæ ſcientiæ, & bonorum morum actibus decoratus. Erat autem præcipue eruditus in ſcientia Phyſicali, ita, ut reſpiciendo in faciem ſani hominis, prænoſceret, quo ægritudinis genere, & quo foret tempore invadendus, quoque medelæ antidoto poſſet languoris evitare diſcrimen.* Ut primum infula ornatus eſt, ſynodum provincialem ſuffraganeis ſuis Spalati celebrandam indixit, in qua cum multa ſapienter ab eo inſtituta ſunt, tum illud præcipue, quod deſignatis Diœceſium limitibus, fontem litium, quæ in hoc genere apud ſacros viros ſæpe enaſci poſſunt, obturavit (*p*). Quæ, ubi ab rege rata fuiſſent habita, publicis litteris ad poſterorum memoriam exſtare voluit. Earum initium hujuſmodi eſt.

Emericus vivo patre rex inauguratus.

In nomine ſanctæ, individuæ Trinitatis, anno ab Incarnatione Domini MCLXXXV. Indictione III. Domino Lucio Papa III. Apoſtolicæ ſedi præſidente, ac Domino Bela III. Hungariæ regnum gubernante, & Domino Henrico filio ejus, eo vivente, coronato, & Domino Petro Hungaro venerabili Archi-Epiſcopo Spalatenſi ſedem tenente hoc actum eſt (*q*).

Hæc

m) Hoc nomine Tragurienſes veniunt.

n) Apud Lucium Lib. III. cap. XII.

o) Hiſt. Salonit. cap. XIX.

p) Chron. Pontificale Salonit. aput Farlati Tom. I. Illyrici ſacri. „Hic (Petrus) „primo anno ſui Pontificatus Kalendis Madiis (forte Maj) 1185. convocavit univerſos Epiſcopos ſuffraganeos ſuos, Abbates, & omnes Eccleſiæ Perſonatus habentes cum univerſo clero ad ſynodum „Provincialem celebrandam Spalati, tempore Lucii Papæ, in qua ſynodo fuere ſuffraganei Epiſcopi ſequentes: Falcko Tinienſis, Matthæus Nonenſis, Marinus Segnienſis, Michael Scardonenſis, Matthæus Corbavienſis, atque Iſak S. Stephani de Pinis Abbas., - .

q) Apud Lucium Lib. III. cap. XIII. „ſed „nomi-

Hæc tametſi ad ſacras res, quæ noſtri inſtituti non ſunt, pertineant, omittenda tamen non fuere, quod Emericum, alias Henricum quoque nuncupatum, Belæ filium vivo Patre rite inauguratum regem fuiſſe perhibent. Quæ res etſi ſine exemplo hactenus non fuit, conſuetudinem tamen hanc ex aula Manuelis Belam traduxiſſe ad Hungaros puto, quod a Græcorum Imperatoribus filios Cæſarum nomine, aut alia dignitatis prærogativa ornatos perſpicuum ſit. Niſi quis potius arbitrari velit, Belam eo more ſplendorum, & magnificentiam aulæ ſuæ conciliare voluiſſe, vel, cujus fortaſſe ſuſpicio non ſit improbabilis, cognito Andreæ fervidiore ingenio, conſultum hac ratione Emerico voluerit, ne poſt exceſſum ſuum quidquam turbarum a fratre illi conſciſceretur. 1185.

Quem in modum Halicia ad Hungaros pervenerit.

Hæc quidem in Dalmatia evenere: in Hungaria novæ ad regnum acceſſiones factæ. Volodimirus Haliciæ regulus poſt infeliciter collata arma cum Caſimiro Polono ad Hungaros confugerat, Meſciſlao victorum arbitratu conſtituto Principe. Qui, quod Polonorum, quam ſuorum, magis ſtudioſus eſſet, propinato veneno poſt triennium exſtinctus eſt. Cui dum Caſimirua Romanum, ex Volodimiri fratre filium, ſua auctoritate ſubſtituit; Volodimirus recuperandi regni occaſionem adeſſe ratus, a Bela, qui ſe liberaliter hoſpitio accepiſſet, commeatum, & auxilia petierat. *Sed non modo non impetravit, verum etiam in vincula conjectus eſt, miſſuſque celeriter cum non contemnenda manu a Bela Andreas filius, qui Haliciam in ditionem ſuam redigeret. Venienti Andreæ magno cum plauſu Halicienſes portas arcis aperiunt, rati, Volodimiri eum, non ſuam rem agere, præſertim affirmante illo: Volodimirum pone ſe ſequi. Occupata arce profitetur id, quod erat, non Volodimiro, ſed ſibi ſe dominatum quæſiviſſe. Deinde jurare omnes in verba ſua cogit. Renuentes, aut cunctantes modo capit, ceteros arce excludit, Magiſtratibus amovet, ac per ſuos Hungaros omnia adminiſtrat.* Hæc Cromerus (r): ſed qui reges mendaces facere non veretur, fidem illi omnem abrogare nihil quoque penſi habeo. Illud a vero non abhorret, Volodimirium exſtincto Meſciſlao a ſuia ad capeſſendum regnum ex Hungaria evocatum, atque hunc, ubi Andreas a patre cum exercitu iſthuc miſſus, Haliciam occupaſſet, in Hungarorum clientelam non invitum conceſſiſſe. Erat autem Halicia, aut, ut aliqui ſcribunt Galicia regio Ruſſiæ minoris ſecundum flumen Tyram porrecta, qua Polonia hodie Carpaticis montibua ab Hungaria ſecernitur, regumque noſtrorum titulis olim acceſſit, ut in loco exequemur. 1186.

Helena Belæ filia regi Arragonum ab Epiſcopo Quinque-Eccleſienſi magno ſplendore adducitur.

Dum hæc fiunt, Balhalotrius Quinque-Eccleſienſis Epiſcopus ex Arragonia redierat, qui Belæ filiam, Helenam, an Eliſam, ambiguus hæreo, Arragonum regi promiſſam, magno, & ſumtuoſiſſimo comitatu ſponſo ad regnum deduxit. Jam alias nuptiarum, & regis cauſa ſemel, atque iterum extra regnum profectus magnam a confectis feliciter rebus gratiam apud Belam iniit. Quæ itinera cum inſanos propemodum ſumtus expoſcerent, & Epiſcopus propterea maximam fundorum partem obæraſſet, Bela, quo gratum viciſſim animum exhiberet, & exantlatos labores non nulla mercede compenſaret, novis fundis, exquiſitiaque prærogativis Præſulem donarat. *Cum enim*, ita rex in litteris loquitur, *venerabilis Pater Dominus Balbalotrius, Quinque-Eccleſienſis Epiſcopus, noſter Baro fideliſſimus, regi, & regni noſtri in obſequiis ſemel, ſecundo & tertio laboravit extra regnum, ſuis propriis cum expenſis, & Eccleſiæ ſuæ damnis, ſeu diſpendiis ſumtuoſis, videlicet ad Illuſtrem Principem Dominum regem Arragonum pro noſtra filia chariſſima (s) Illuſch, ipſi illuſtri regi matrimonialiter copulanda, quam etiam demum inibi, quantam explendo viam, in regnum duxit Arragonum, in thorum, & conſortium dicti regis: volentes propter bonum regiæ conſcientiæ, & animæ noſtræ, ad hæc felicium progenitorum noſtrorum ſalutem, ipſam Quinque Eccleſienſem Eccleſiam conſervare indemnem pro maximis damnis, & diſpendiis ipſius Eccleſiæ Quinque-Eccleſienſis, videlicet quinque millibus marcharum conſumtis, & expenſis, in viis ante dictis,*

nomina in ſubſcriptione paullum aliter habent, quam Chron. Pontificale exhibeat. Flaſco dicitur Tinienſis Epiſcopus, Mirco Signienſis, cetera congruunt.

r) Rer. Polon. Lib. VI.

s) Apographum, quod mihi ad manum fuit, habet *Beuſh.* ſed opinor *Bluſh* legendum, quod nobis Hungaris eſt Helena: deſcriptor autem C in locum L facile ſubſtituerit, quæ littera ex autographo deſcribentem forte in errorem induxerit. Alii malunt Eliſam dici, & Philippo Galliarum regi nuptam. Laudatum tamen diploma dubium omne tollit.

1186.

præſertim, quia poſſeſſionem, & Cortem Epiſcopalem ſuper Dravam contra Vuſta ex oppoſito ſitam in nomine ſancti Martini nuncupatam, cum decem, & ſeptem villis in eandem Cortem pertinentibus, occaſione illius itineris, noſtris pro ſervitiis, regis de beneplacito obligavit (t). Tum enumerans beneficia, quibus eum exornat, ampliſſimas quoque prærogativas adjicit. Quamquam autem annus fragmenti hujus diplomatici me lateat, ſuſpicor tamen nuptias ad præſentem annum revocari debere: tum quod biennio poſt Calanus Epiſcopatui huic jam præeſſet, Belæque in ea dignitate ſupervixerit, tum quod prioribus annis rex fere bellis implicitus erat. Niſi binominem fuiſſe Calanum arbitremur: certe anno abhinc tertio Sclavoniam Bani poteſtate adminiſtratam ab eo conſtat, paullumque poſt, Dalmatiæ ac Croatiæ, Vicarii regii titulo præfuit. Quæ dignitas cum inter Barones regni locum habeat non poſtremum, ipſeque Bela Epiſcopum Baronis nomine cohoneſtet, pene in dubium adducor, an non ſub Balhalotrii nomine Calanus lateat. Quodſi autem conjectura de anno nuptiarum nonnulla ratione nititur, habemus certum Helenæ Sponſum, Raymundum regem, Alphonſi II. cognomento poſtea exornatum, quem ab anno ſeculi hujus ſexageſimo ſecundo, ad nonageſimum ſextum rerum in Arragonia potitum fuiſſe ſcriptores exactiſſimi prodiderunt (u).

Arragonum regis filia viciſſim Emerico regi deſpondetur.

Fortaſſe eodem tempore de matrimonio inter filiam Raymundi Conſtantiam nomine, & Emericum Belæ natu maximum conciliando transactum fuerit: hanc enim illi collocatam fuiſſe non modo Bonfinius (x), ſed exteri quoque (y), ac in primis Chronica Auſtralis, cujus auctor in Auſtriæ cœnobio ad ſanctam Crucem eadem tempeſtate plerisque creditur ſcripſiſſe (z), memorant. Ut adeo graviter illos erraſſe exiſtimem, qui (a) Rogerii Siculi, aut Antiocheni Principis (b) filiam Emerico in ma-

1187. nus conveniſſe ſcripſerunt.

Veneti rurſus Jadram ſed irrito conatu oppugnant.

Veneti, qui ob ereptam ſibi Dalmatiæ continentem ægro admodum animo fuere, inſulas Dalmaticas magna claſſe oberrabant, tum ut has tuerentur, tum, ſi rei ex ſententia gerendæ occaſio ſe daret, in promtu ut adeſſent. In primis Jadræ inhiabant, qua obtenta facilius ſe ad reliquæ Dalmatiæ poſſeſſionem graſſaturos arbitrati ſunt. Neque armorum metus, quem mari oſtentarunt, diu inanis fuit: repente portum Jadrenſis urbis immenſa navium copia circumſident, acriterque impugnant, quo ſi potirentur, videbant ſe & temporis & laboris in capienda urbe compendium facturos. Verum extracto inter illatas, acceptasque clades tempore bene longo, cum fruſtra ſuas molitiones cernerent, præterea reges Chriſtianorum pene omnes poſitis inimicitiis ad ſacram expeditionem ſe accingere, crebris nuntiis afferretur, ipſi quoque hoc exemplo commoti, Legatos ultro citroque mittunt, qui pacem mutua voluntatum conſenſione conficerent. Sed cum convenire utrisque non poſſet, inducias biennales ſe-

1188. quente anno pepigere (c).

Andreas Belæ filius a Ruſſis & Polonis Halicia ejicitur.

Vix hac parte quies reſtituta eſt, cum alibi turbæ oriuntur. Volodimirus, quem, ſi Cromero fides, in vincula a rege conjectum narravimus, corruptis cuſtodibus in Haliciam penetravit. *Confluxere mox ad eum Ruſſi, cum quibus viciniam omnem latrociniis infeſtare cœpit, ingentesque prædas hominum, pecudum, & jumentorum etiam e Premislienſi tractu, qui tunc in ditione Caſimiri, & Polonorum erat, egit. Non tulit id Caſimirus; verum miſſo cum expeditis copiis Nicolao Cracovienſi Palatino, prædatores illos perſequutus, in remotiores ſilvas, ac montes, quibus Polonia, & Ruſſia ab Hungaria disjungitur, propulit. Cum autem in anguſto res ſuas poſitas eſſe Volodimirus ſecum perpenderet, jamque non tam de recuperanda Halicia, quam de ſalute ſua cogeretur eſſe ſolicitus, damna-*

bat

t) In Confirmat. privilegiorum Epiſcopatus Quinque-Eccleſienſis.

u) Lenglet du Fresnoy Tablettes Chronologiques ſecond. volume.

x) Dec. II. lib. VII.

y) Dubravius Hiſt. Boëmicæ. Lib XIV. Pessina in Marte Moravico, Rittus Lib. II. Pistorius in tab. Genealog. Hieronym. Planca in comment. rer. Arragon. Tom. III. Hiſpaniæ illuſtratæ.

z) Ad annum 1195. videtur autem in anno error cubare.

a) Palatius Tom. I. Monarchiæ occident. ſeu in Aquila Sueva Lib. XXIII. cap. II.

b) Andreas Prunner Annal. Boic. ad an. 1195.

c) Dandulus ad annum MCLXXXVIII. „ Eodem anno rex Ungariæ, & Veneti diris cladibus viciſſim in Dalmatia diutius „ flagellati, excidio terræ ſanctæ compuncti „ miſſis hinc inde nuntiis, treugas uſque ad „ biennium peregerunt. „ De oppugnato autem portu Urbis Jadrenſis anno MCLXXXVII. Lucius lib. III. cap. XII. auctor eſt.

bat ipſe conſilium ſuum, quod Ruſſos atque Polonos, a quibus auxilium ſperare debuerat, parvi compendii cauſa in ſe provocaſſet. Reſpicere deinde ad Caſimiri clementiam cœpit; ad quem cum petita per internuntios fide veniſſet, facile non modo veniam, ſed etiam auxilium impetravit, dato jure jurando, ſe in fide, & poteſtate Polonorum ſemper fore. Mittitur ad eum reducendum cum valido exercitu Nicolaus Palatinus, mirantibus cunctis tantam in Caſimiro vel facilitatem, vel levitatem animi, atque temeritatem, quod hoſtem adjutum iret, amicumque regem, & quidem præpotentem bello laceſſeret. Verum Caſimirus non tam miſericordia exulis, & ſupplicis Volodimiri commovebatur, quam ſibi ſurreptam eſſe Halicienſem ditionem per injuriam, atque fraudem doleret: cujus recuperandæ primam occaſionem, Ruſſis ipſis qui Hungarorum dominatum jam oderant, invitantibus, & faventibus, non amittendam ſibi eſſe judicavit. Conjungunt ſe cum Polonis Ruſſi, pariterque corona Haliciam obſident, foſſiſque, & caſtellis circummuniunt, ne quid ad obſeſſos importaretur, quos noverant brevi difficili anona uſuros eſſe. Alacres initio obſidionem, atque omnia incommoda ferebant Hungari, qui arcem tuebantur, quod propediem Belam regem cum magnis copiis ad liberandum filium affore ſperabant. Sed cum is moraretur, nec jam alimenta obſeſſis ſuppeterent, deditionem fecere, pacti cum Nicolao Palatino, ut ſibi, cum rebus ſuis, ſalvis diſcedere liceret. . Excedentibus adjunxit Palatinus præſidium militum uſque ad fines Hungariæ, ne quid hoſtile paterentur. (d).

1189.

Quam contumeliam dum pater bello vult ulciſci, biennales induciæ fiunt.

Bela, quod ſuperiore anno in conficienda cum Venetia pace maximam partem occuparetur, Andreæ pro eo, ac voluit, opem ferre non poterat, nunc ea cura liber, contumeliam obſeſſi & ejecti filii, ereptæque Haliciæ vindicandam cenſuit. Per Legatos primum queſtus, quod Caſimirus fœdera, quæ Hungari cum Polonis ex multo tempore ſanxiſſent, tam leviter violaſſet, tum exercitu in Poloniam immiſſo juſtum bellum futuro tempori ſervavit. Quamquam autem bellum non tam ex militari lege, quam actis utrinque prædis ac circumlata vaſtitate gereretur, tamen Poloni graviter id ferre, & fremere contra Caſimirum, quod bellum minime neceſſarium ſuſcitaſſet in perfidi hoſtis gratiam, quem non modo ſuppetiis minime adjutum, ſed, quod Poloniam incurſionibus vexaſſet, extremo ſupplicio affectum eſſe oportuerit. Neque noſtris bellum illud protrabere placuit, quod Fridericua Imperator cum immenſa cruciatorum multitudine per Hungariam iter in Syriam facturus ferebatur. Itaque a bello abhorrentes de pace agunt; quæ cum difficilius coiret, utrique enim ſe ab alteris injuria affectos contendebant, inducias ad triennium paciſcuntur (*e*).

Fridericus Imp. in Syriam profecturus de commeatu per Legatos cum rege agit.

Vixdum hæ coaluerant, cum Moguntinus Archi-Epiſcopus ab Imperatore miſſus adſuit, qui de commeatu in futurum annum cum rege tranſigeret. Conventum in has conditiones eſt; centum equorum pabulatio una argenti marca ut veneat: quatuor boves ne ultra unius itidem marcæ precium vendere integrum cuiquam eſſet: cetera Imperatorem de regis benevolentia ſperare poſſe, quæ, ubi coram fuerit, nullo negotio complanatum iri ſignificabat (*f*).

His rite comparatis „Imperator Fridericus (ut ſcribit auctor (*g*) Chronici coævius) „omnium Chriſtianorum cauſam tractans curiam ſolennem Ratiſponæ III. „calendas Maji celebrans, ad divini certaminis conflictum accinctus, Dominicæ ex„peditionis viam arripit, ibique viam intrans per alveum Danubii uſque ad termi„nos Pannoniæ procedit, ubi in diſterminio terrarum, Auſtriæ ſcilicet, & Uungariæ „tentoria ſua fixit, aliis navigantibus, aliis per terram procedentibus. Ibidem etiam „Pentecoſten (*b*) celebriter egit. Fuerunt autem in comitatu ejus Principes, „Epiſcopi Leodienſis, Baſilienſis, Biſuntinus, Miſſinenſis, Tullienſis, Herbipolen-

d) Cromerus rerum Polonicarum. Lib. VI.

e) Idem ibid.

f) Godefridus Monachus ad an. 1188. „Moguntinus mittitur ab Imperatore ad Ungarum pro Bulgaria exequenda, & ſtratas „& pro victualibus providendis exercitibus „ſignatorum. Qui remandat ita de his ordinaſſe, quod centum equorum pabula „marca emantur: ſimiliter quatuor boves „præſtantes marca una; & cetera in hunc „modum.„

g) Apud Cl. Bernard. Link Annal. Claravallenſium Tom. I.

b) Otto a S. Blasio apud Muratorium ſcript. rer. Ital. Tom. VI. cap. XXXII. „Anno Domin. Incarnat. MCLXXXIX. Fridericus Imp. in Pentecoſte generalem curiam „Presburch in Marchia Ungariæ celebrans „exercitum peregrinorum in militiam Chriſti „coadunavit.„ - -

1189.

„ ſis, Ratiſponenſis, Patavienſis, & illuſtris dux Sueviæ, fillus Imperatoris Fridericus, & ejuſdem nominis dux Meraniæ, & Comes Hollandiæ. De ordine quoque Comitum, & Nobilium, ac illuſtrium virorum innumerabiles. Epiſcopum autem Monaſterienſem, & Comitem de Naſſowe, viros prudentes, & magni conſilii Principes præmiſerat ad regem Græcorum Yſachium, ad præparandam viam, & mercatum, ſicut promiſerat per Cancellarium ſuum. - - Nuntii autem prædicti venieotes ad regem Græcorum, ab ipſo in oſculo excepti, licet pacem de omnibus per nuntios ſuos prius feciſſet, & juraſſet, capti tamen, & incarcerati, & ſecus reverentiam ipſorum tractati ſunt. Rex etiam Bela Hungariæ Gener - - Græciæ regis factus (*i*), dubium, an ob reverentiam Romanæ Majeſtatis, an ob contracti matrimonii inter alteram filiarum, & ducem Sueviæ poſt reditum ſuum, vinculum uniendum fecerit, ſeu etiam celando propoſitum ſuum aliud intenderit, Imperatorem magnifice receptum uſque ad introitum Bulgariæ cum omni comitatu ſuo in propria perſona conducit. „ Hacteous Chronicon: cui connubii hujus, dequo plerique ſere ſilent, memoriam debemus. Quo autem nomine ſponſa inſignita fuerit, nuſpiam proditum eſt.

Bela Friderico honoris cauſa Poſonii occurrit, filiamque ejus filio nuptui tradit.

Ceterum de nuptiarum apparatu, & ſingulari humanitatis ſignificatione, qua Imperatorem Bela acceperat, Godeſridus Monachus, illorum temporum luculentiſſimus teſtis eſt. Ut primum enim Imperator cum Principibus Germaniæ Poſonium applicuit, „ occurrit eis rex Ungariæ cum regina (ſcribit Godefridus) (*k*), obtulitque Imperatori tentorium operoſum, quod portare vix poterant tria plauſtra, & alia inſignia. Filiam quoque ſuam filio Imperaroris Friderico deſponſavit, atque per totam Ungariam tranſeunti miſit plerumque victualia gratis, & ſufficienter, providens etiam ne in comitatu eis mercatum abundans deeſſet. „ Quin Fridericum trajecto Savo ad Moravam amoem, tum Hungariæ limitem comitatus, naves omnes, quibus Imperatoris copiæ Ratisbona ſecundo Danubio ad oſtium Moravæ deſluxerant, pro impenſa hoſpitalitate donum accepit.

Styriæ cauſa lis inter Hungaros & Auſtriacos oboritur.

Non nihil tamen prius, quam Imperator Hungariæ exceſſiſſet, litium Belæ cum Leopoldo Auſtriaco interceſſit. Cauſam laudatus Chronici auctor in hæc verba memorat (*m*). *Erat etiam Leopoldus, Illuſtris Dux Auſtriæ ardentiſſimo deſiderio, ut in hac militia Domini, arma contra inimicos crucis Chriſti cum ceteris Principibus ferret, cum tamen recenter inde reverſus fuerit: ſed gravis diſſenſio de terra, quam Styrenſis Dux nepos ejus Otokarus, elephantica ægritudine percuſſus aſſignaverat, & coram Imperio ſibi tradiderat, inter ipſum, & eundem regem* (Belam) *verſabatur de diſterminio terræ ſuæ, quam Imperator ſumma diligentia conatus exſtirpare non potuit.* Incertum eſt, ao eam Styriæ plagam, quæ olim Pannoniæ pars fuit, poſtliminii jure Bela ad ſe pertinere exiſtimarit, an totam provinciam cognationis titulo ſibi voluerit aſſerere, quod Cunegundis, quam Helena regis ſoror, ex Henrico Jaſomergotto genuerat, Ottocaro Styriæ duci collocata eſſet (*n*).

1190.

Veneti ob Jadrenſibus, ſociis Hungaris, maritimo prælio profligantur.

Nondum exacto induciarum tempore rurſus bellum inter Hungaros, & Venetos exarſit: incertum utra ex parte cauſa bello data ſit, crediderim, dum Jadrenſes cum Arbenſibus diſſidiis ob acceptas illataſque viciſſim injurias certarent, cum hi Venetis, illi noſtris parerent, ex privata lite publicum bellum enatum eſſe. Jadrenſes tamen ſociis Hungaris claſſe cum Venetis coogreſſi inſignem ad promootorium Trani victoriam reportarunt, ob quam publicæ Deo gratiæ habitæ (*o*), & lis cum Arbenſibus mutua conſenſione ſopita, aut exſtincta. Tabulæ pacis utrinque initæ in hæc verba conſignatæ ſunt. *Anno Dominicæ Incarnationis MCXC. menſe junii die ſancto-*

i) Jam alias ex Cinnamo ſe ipſum corrigente memoratum eſt, non filiam Manuelis, ſed conjugis ſuæ ſororem fuiſſe.

k) In Annal. ad an. 1189.

l) Arnoldus Lubecensis Chron. Lib. III. cap. XXIX.

m) Apud Link citat.

n) Cuspinianus in Auſtria.

o) Ex Archivo S. Chryſogoni. „ MCXC. Madii, poſt bellum cum Venetis habitum, & poſt victoriam de caſtello in promontorio Traol - - S. Chryſogooo gratias effundentes de evaſione maximi periculi, & collatione victoriæ, ac omnimodi percepti beneficii devote retuliſſemus, electo noſtro Petro in Hungaria perſiſtente, & Nicolao Farenſi Epiſcopo, Eccleſiæ noſtræ ſuffraganeo miſſarum ſolemnia celebrante. „ - -

Sanctorum Joannis, & Pauli, Indictione VIII. Jadræ. Temporibus Domini noſtri Belæ, Dei gratia invictiſſimi regis Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, nec non Galatiæ, (p), & Petri (q) Jadertinæ ſedis venerabilis Archi electi. Inſtrumentum, per quod Damianus Jadræ Comes una cum - - Judicibus renovant pacem inter ambas Civitates, cum Andrea Arbenſi Epiſcopo - - - in hæc pacta: ſi quiſpiam inter utriusque Civitatis aliquam alicui pecuniam crediderit, & eam rehabere nequiverit, ipſum debitorem ſuum, & non alium quærat in aſpectu Judicum debitoris, & cogant eum reddere univerſa, &, ſi nihil in Civitate habuerit, non debet intra mœnia capi, ſed extra, ubi reperiri potuerit, ut libertas Civitatum illæſa permaneat. At vere ſi quisque Nobilis, vel ignobilis in latrocinio, ſeu rapina repertus fuerit - - excepta damni compoſitione, quæ ex integro dari debet, vendatur, ſi id, unde redderet, non habuerit: perſona ejus infra urbem per manum curiæ capiatur, tam diu in poteſtate perditoris maneat vinculatus, donec reddat univerſum debitum - -. (r) Ex his ſatis perſpicue liquet, bellum ob actas utrinque privatorum hominum maleficio rapinas obortum fuiſſe. Illud hic monere libet, haud ſatis recte Cromerum ſcripſiſſe, cum Belam Haliciæ regno ejectum memoravit, qui in publicis his tabulis Haliciæ titulum uſurpet: niſi, ut fit, jure belli, quo eam provinciam in poteſtatem redegit, uſum fuiſſe dicamus. 1191.

Haud multo poſt, quam Jadrenſes cum Arbenſibus pacem iniſſent, ipſi quoque Veneti, quoniam inferiores ex nuperno prælio exceſſerant, ad ineundum cum Hungaria fœdus animum appulerunt: credo, quod religioni ſibi ducerent, ſolos ſe pene ex Europæis eſſe, qui, dum ceteri Chriſtianorum adverſus Turcas in Aſia rem ſtrenue gererent, dominandi libidine ſanguinarii videantur. Miſſis utrioque oratoribus fœdus, neſcio quam ob cauſam, confieri nequiit, res omnis biennii induciis transacta eſt (s).

Biennales inducias a rege impetrant.

Sopitis hac parte turbis, injurias, quas Albertus de Michovo Sclavoniæ interea, dum bellum cum Venetis ferveret, intulerat, vindicandas rex cenſuit. Erat Albertus genere Teuto, Dynaſta id temporis, viribus, & clientelis potens, qui ut provinciæ illius partem, quæ Sclavoniæ ab occidente finitima eſt, obtinuerat, ita crebris procurſionibus prædas, & rapinas in Sclavonia exercebat. Ut hominis arrogantiam Bela coerceret, filium Emericum cum juſto exercitu mittit, qui injurias ſuorum vindicatum eat. Jamque profectionem Emericus cum præcipui nominis proceribus apparabat, cum aliunde auxilium præter omnium exſpectationem allatum eſt. Stephanus nobiliſſima Romanorum Urſinorum proſapia ortus, & Hermani Goritienſis Comitis gener, ut Belæ gratiam ſibi conciliaret, collectis tumultuarie copiis Albertum ſemel, atque iterum prælio fractum, ditione penitus exuit. Quæ res ut noſtris percommoda plane erat, ita viciſſim Stephanum ob navatam egregie operam rex omni officiorum genere, ac donis quoque excoluit, quæ Emericus, ubi rerum in Hungaria ſummam adeptus fuit, publicis litteris confirmarat. Non erit prorſus ad annales impertinens, ſi eas hoc loco inſeramus, quoniam & rei geſtæ ſeriem complectuntur, &, quam procul Sclavonia tum pertinuerit, aperte docent (t) - *ad univerſorum* - (inquit Emericus) *volumus pervenire notitiam, quod cum illuſtris pater noſter rex Bela in ducatu Sclavoniæ quemdam nobilem de Teutonia, nomine Albertum de Michovo habuerit commetaneum, cujus terra a latere ducatus Sclavoniæ juxta Podgoriam, & Gorichiam eſſet ſita, idem Albertus confinia ipſius patris noſtri potenter invadendo, quam plures homines neci tradere, captos abducere, bona quoque recipere eorum, & poſſeſſiones regias omni-*

Emericus in Sclavoniam ad coercenda latrocinia mittitur.

Sed hæc Stephanus Urſinus privata potentia repreſſit.

Donis propterea ab utroque rege excolitur.

p) Legendum Galiciæ vel Haliciæ.

q) Si Chronicon Pontific. Salonitanum non fallit, Petrus tum in Hungaria fuit, utpote poſt biennium in Archi-Epiſcopatu Spalatenſi emenſum, in Colocenſem ſedem traductus.

r) Apud Lucium Lib. III. cap. XII. Ex Sanctuario Arbenſi.

s) Dandulus in Chronico ad an. MCXCI. „ Eodem anno inter regem Ungariæ, & Venetos completæ treguæ uſque ad biennium renovantur. „ - -

t) Ex Tabulario Illuſtriſſ. Comitum de Blagay, qui ex genere Urſinorum deſcendunt, ut patet ex diplomate Andreæ II. Rei geſtæ annum certum non habeo; cum tamen Emericus dicat patrem ſuum obitu prohibitum fuiſſe, quo minus ſe Stephano gratum exhiberet, ad poſtremos ejus annos rejiciendam putavi. Extat id diploma in Roſa Urſina, ſeu genealogia Comitum Urſini de Blagay Joan. Ludov. Schönleben.

1191. *omnino igne vaſtare conſueverat. Dum ejusmodi graviſſima, & contumelioſa acta, populique miſerrima afflictio ipſius patris noſtri auribus inſonuiſſent, nos, videlicet filium ſuum, una cum duodecim regni ſui potentioribus Magnatibus in manu potenti ad devaſtandum Dominium, proterviamque ejuſdem Alberti comprimendam delegaverat, interimque nondum nobis ad proſequendum ipſum paternum mandatum iter dirigentibus, quidam patris noſtri fidelis, nobilis magnanimus, nomine Stephanus, Nicolotti filius, quem ortum de genealogia Urſinorum Comitum, & ſenatorum urbis Romanæ de vico Lateranenſi a partibus transmarinis revera agnovimus fore, & propter quandam ſeditionem, & tumultum inter ipſos Comites, & Senatores urbis Romanæ ſuſcitatas exiviſſe, & ad Magnificum virum Dominum Hermanum Comitem de Goricbia in partibus Karintbiæ exiſtentem veniſſe, ac filiam ſuam ritu legitimo matrimoniali in uxorem ſibi duxiſſe. Hic Comes Stephanus attendens, & conſiderans tribulationes, & contumelias, atque oppreſſiones gentium ante dicti ducatus Sclavoniæ graves, ſperans quoque ſe poſſe ipſis opem conſolationis ſerre, atque eis in bujusmodi jugo, & oppreſſione miſerabili patrocinari valere, ipſi quoque Patri noſtro, & nobis, totique regno notabile, & ſupreme acceptabile obſequium ſervitutis impendere debere. Miſſis itaque fidelibus ambaſſiatis ſuis, ab eodem patre noſtro circa bujus modi oneris aſſumptionem, ſervitiique executionem, licentiæ, & admiſſionis facultatem impetrare: qua ſibi exinde adbibita idem Comes Stephanus non poſt multorum decurſum dierum, una cum non modica ſuorum pharaliga fidorum armatorum familiarium, terram annotati Alberti potenter, animoſeque invadens, & ipſo ſimiliter cum ſuis ſibi occurrente, inter partes utrasque duro diutius certaminis conflictu ſervato, ubi quatuor ipſius Stephani Nobiles viri ſibi in linea conſanguinitatis proxime, & ſeptem ſtrenui ſui milites per lineam ſimiliter proximitatis attinentes occubuere, ipſeque in ſuo corpore non pauca ſuſcepit vulnera gravia: ad ultimum vero ipſi Alberto fortuna novercante, ut cunctis jam bonis tam ſuis, quam incolarum ſuorum deſtitutus - - & poſſeſſionibus penitus in favillam redactis - - - eundem nibilominus Albertum alias indomabili corde tumeſcentem, jamque permollitum, & præcipitem, ad pedes ipſius Domini, & patris noſtri collapſurum, & ab eodem miſericordiam, & veniam de commiſſis imploraturum - - per ſuam probitatis induſtriam, & virtuoſæ militiæ laudanda opera, licet invitum, compellere fecit. - - Reſpectu quorum idem piæ memoriæ Pater noſter in ſignum ſpecialis dilectionis, quam in ſui cordis arcano geſtans in ipſum Comitem Stephanum fixerat, animadvertensque - - tam virtuoſis innumeris geſtis, claraque fidelitate, & induſtria, ac laudabili ſtrenuitate inſignitum fore, de Prælatorum, & Baronum communicati conſilii provida deliberatione ipſi Comiti Stephano arma, ſeu inſignia ſua regalia vigore ſui juramenti præſentibus nobis - - - dare, & conferri facere pollicitus exſtitiſſet - -.* Quæ ab Andrea deinde II. confirmata, auctaque fuere. Hæc ideo prolixius, ut epocham mortis Belæ III, & aditi ab Emerico regni certam deſignare poſſemus (*u*).

1192. *Ladislaus I. inter Divos relatus.*

Rex pacatis undequaque rebus a profanis ad ſacra convertitur, miſſisque ad Cæleſtinum (*x*), Summum id temporis Pontificem, Legatis, magnopere petiit, ut Ladislaum regem olim Hungariæ, qui prodigiis hactenus latiſſime inclaruiſſet, in Divorum numerum referret. Annuit Pontifex, & Gregorium de ſancto Apoſtolo Cardinalem Pontificii Legati prærogativa ornatum in Hungariam abire jubet, ut eam rem ex ritu Eccleſiæ conficeret. Is Roma digreſſus facta mari vis Tragurium applicat, & exacta iſthic hieme, ad Belam veniens, Ladislaum Divi cognomento ornatum publicis cerimoniis deinceps coli juſſit. Dolemus rei geſtæ ſeriem oſcitantis noſtrorum interiiſſe. Illud compertum eſt; ſacras Divi regis exuvias, quamquam Tartari, ut in loco dicemus, Varadinum ſolo penitus afflixiſſent, tamen rapaciſſimorum prædonum manus forte evaſiſſe, quoad turbatis ſeculo XVII. Hungariæ rebus, Principis ceteroquin non peſſimi, ſed dominandi libidine quidvis audentis ſive imperio, ſive conniventia violatus tumulus eſſet, pœna, ulciſcente ſingularem injuriam Numine ad poſteros longa ſatis ſerie traducta. (*y*).

Vene-

u) Refert diploma annum Chriſti MCC. dicitque rex hunc annum regni ſui eſſe primum, ex quo de anno, quo Bela mortuus ſit, conjecturam capiemus.

x) Arch. Diac. habet Innocentium, ſed errorem eſſe liquet, cum conſtet Innocentium anno primum MCXCVIII. Pontificem creatum. Tractat autem ea de re Hiſt. Salonit. cap. XXIV.

y) Tranſilvania a jugo Turcorum liberata rece-

Veneti elapſis induciis (z) novum in Jadrenſes bellum decernunt, nullo tamen operæ precio, quod Andreas Dux Dalmatiæ, & Croatiæ a patre conſtiturus cum Hungarorum præſidio in omnes hoſtium motus acerrime excubaret. Itaque por- tui Jadrenſium rurſus infeſti omnes aditus obſervabant, ne quid procurſionibus ſuis cives, ut hactenus fere factum, detrimenti inferrent. Pagus tamen, ceteræque in- ſulæ, quæ civitati obtenduntur, in poteſtate Venetorum manſere, quibus Domi- nicum Michaelem Comitem dux præfecerat, & Arbenſes novis privilegiis donarat, ut ea ratione ceteros quoque Inſulanos, quoniam armis parum hactenus profectum eſt, quadam libertatis ſpecie ad priſtinam clientelam revocaret (a). *Andreas Dalmatiæ & Croatiæ a patre præficitur.*

Cum Polonia quoque fœdus hoc anno percuſſum: in cauſa Halicienſes erant; quam ditionem cum Cazimirus armis ſibi aſſeruiſſet, ut alias narratum fuit, veritus, ne induciarum tempore Hungari ad parandum novum bellum uterentur, regem orabat, ut, ſi id grave non eſſet, locum aliquem deſignaret, ubi mutuo colloquio habito, pax firmaretur. Non abnuit Bela, & congreſſum ad antiquum pagum in Scepuſio haberi voluit. Hic fœdus haud difficulter utrinque coaluit, *ea lege*, ſi Cromero fides, *ut oblitteratis utrinque injuriis, & condonatis invicem offenſis, rex Ungarorum Halicienſi ditione, & Ruſſia omni ſe abſtineret, communes amicos, commu-* *Fœdus cum Polonis Haliciæ cauſa initum.*

 neſ-

receptoque Varadino, noſtri de corpore D. Ladislai multa ex Illuſtri viro, harum rerum curioſiſſimo, D. Gabrieli Kapi percontati hoc reſponſum de anno 1691. XVI. Octob. ſignatum retulere, ut Hagiographi V. Tom. SS. Menſis Junii ad diem XXVII. perhibent.
„ Fateor quidem me Varadini nunquam fuiſſe,
„ nec oculis meis viſa referre poſſe, ſed ta-
„ men fere a XL. annis verſatus in Tranſil-
„ vania, ac etiam frequenter ibi habitatio-
„ nem continuans, ſæpe ſæpius inquiſivi, &
„ ſciſcitatus ſum ex hominibus, qui & ocu-
„ lis ſuis viderunt, & plenam notitiam ha-
„ bent, quomodo proceſſum ſit cum ſacro
„ corpore ſancti regis Ladislai. Ab his ac-
„ cepi quod ſenior Georgius Raekoczy, auri,
„ argentique cupidiſſimus, poſtquam Prin-
„ ceps Tranſilvaniæ factus intellexiſſet, Vara-
„ dini eſſe ſepulturam ſancti regis, juſſit cry-
„ ptam ejuſdem aperiri, tumbamque argen-
„ team, & coronam ſancto conſepultam abſtu-
„ lit, corpus vero ligneæ incluſum arcæ, eidem
„ loco, cryptæque reſtituit. A quo tempore
„ facti hujus notitiam accepi, perpetua ani-
„ mi reflexione obſervavi, quod ex familia
„ illa ne unicus quidem fuerit, cujus cor-
„ pus poſt mortem in crypta quieſcere per-
„ miſſum ſit. Nam ante quadraginta, &
„ quod excedit, annos, dum idem Geor-
„ gius Rakoczy bellum contra Cæſarem mo-
„ viſſet, eique cum Cæſareis Germanicis, at-
„ que Hungaricis copiis obviam progreſſus
„ regni Hung. Palatinus Nicolaus Eſterhazy
„ optimæ memoriæ, ipſum circa caſtrum
„ Ezaranes præſtolaretur, miles ejus inva-
„ dens Eccleſias Szeveniſienſem, & Vadaſzlen-
„ ſem, quæ caſtra familiæ Rakoczianæ erant
„ totius familiæ ſepulcra evertit, & forte
„ etiam ibidem humata corpora in cineres
„ redegit. Ipſe vero Georgius paulo poſt
„ mortuus, & poſt ipſum filius Sigismun-
„ dus anno 1651. ante ipſum vero junior
„ filius Nicolaus ſepulti erant Albæ Juliæ,
„ quam cum ante 32 annos Turcicus, atque
„ Tartaricus exercitus occupaſſet, arcem ex-
„ uſſit, cryptas in templo S. Michaelis ever-
„ tit, Georgii, ac Sigismundi Rakocziorum
„ tumbas in fruſta comminuit, corpora eo-
„ rum rogo impoſita in cineres redegit. Ni-
„ colai etiam corpus, quod in crypta alte-
„ rius Tranſilvaniæ Principis, Stephani Boes-
„ kai vel Gabrielis Bethlehemii ibidem ſe-
„ pultorum repoſitum erat, inde extulit, &
„ pariter flammis conſecravit, aliorum Prin-
„ cipum cryptis inviolatis permanentibus.
„ Ejuſdem Georgii Rakoczy filius, itidem
„ Georgius, ex vulnere obiit Varadini, &
„ pro ſecuriori inhumatione corpus ejus
„ tranſlatum eſt Patakinum: ubi manſit qui-
„ dem intactum ab hoſtibus, ſed poſtquam
„ Cæſareus miles arcem Patakienſem occu-
„ pavit, pro ea munienda conducere viſum
„ fuit, ſi ad ejus ingreſſum porta aperiretur
„ per mediam Eccleſiam, & hac occaſione
„ moveri loco corpus debuit. Poſtquam
„ Varadinum Turcis ceſſit, Ladislaus Ra-
„ koczy ex improviſo illud recuperare ten-
„ tans, ibidem occiſus fuit, neque adhuc
„ ſciri poteſt, quid ejus corpore factum ſit.
„ Georgii Rakoczy junioris filius Franciſcus
„ in arce Zboro mortuus una cum filiolo
„ prius defuncto ibidem ſepultus fuerat; ſed
„ & illi locum mutare debuerunt, nam ſimul
„ levati Zborovia Caſſoviam deinde vecti
„ ſunt ad Eccleſiam Societatis JEſu ubi
„ etiam immunis non manſit Franciſcus iſte.
„ Nam, ut fama fert, rebelles occupata
„ Caſſovia collegium poſſidentes perfregere
„ cryptam, & a defuncti digito pretioſum
„ annulum extraxerunt. „ Hæc fide illu-
„ ſtris viri Gabrielis Kapii referimus.

z) Dandulus in Chron. „ Dux autem
„ completis Ungarorum treguis, Jadrenſi-
„ bus bellum innovat, & maris vias illis
„ claudit, Dominicumque Michaelem Pagi,
„ & aliarum Inſularum Jadræ Comitem fe-
„ cit. „

a) Apud Lucium Lib. III. cap. XII.

1196. *neſque hoſtes Ungari, & Poloni haberent, ad extremum proceres, & Principes ipſi domi inter ſe certarunt, conventumque amice ſolverunt (b).*

Scriptorum error de Belæ obitu.

Sunt, qui id poſtremum Belæ facinus eſſe velint, anno enim ſeculi hujus nonageſimo ſexto eum obiiſſe perhibent non modo noſtri, ſed exteri quoque, & pene ſuppares ſcriptores (c), mihi tamen id perſuaderi nullo pacto poteſt, quod ex diplomate Emerici regis, qui patri eodem, quo defunctus eſt, anno ſucceſſerat, perſpicue conficitur, Belam triennium prope integrum adhuc ſupervixiſſe, niſi aut in diplomate, quo ſolo nitor, error ſit, aut ſcriptores propterea non rite res geſtas diſcreverint, quod Emericus vivo etiamnum patre Hungariæ rex inauguratus eſſet. Quidvis ſit, niſi aliis publicæ fidei inſtrumentis errorem dedocear, malo cum diplomate, cujus in loco mentionem facturus ſum, errare, quam cum aliis ea-
1198. tenus ſentire.

Andreas geminum triumphum in Dalmatia egit.

Andreas, quem Bela nuper Dalmatiæ, ac Croatiæ Ducis poteſtate præfecerat, haud indignum ſe ea dignitate oſtendit, cum de domitis Dalmatia, ac Croatia triumphaſſet: quin arma in Raſciam traducens, & ſubjugato Chulmenſi ducatu alterum eodem anno Jadræ triumphum egit. Exſtat ejus rei publicum monumentum apud Jadertinos in hac verba: (d) - *Poſt felicem, & glorioſum victorioſæ dominationis ingreſſum Illuſtriſſimi Andreæ III. Belæ filii triumphum, quem ſibi omnipotens ducatus ſui protector, & auctor de Dalmatia, & Croatia magnifice conferre dignatus eſt, atque poſt habitam tam Chulmiæ, quam Raſciæ laudabilem victoriam, cum ad Jadertinam Civitatem victor rediret, ducatus ſui jura diſponens* - -. Quid illi rerum in Dalmatia, ac Croatia fuerit, quas provincias a Bela in ditionem redactas narravi, fateor mihi incompertum eſſe, niſi Tragurienſes, quos in Venetorum fidem jurare coactos alias perhibuimus, priſtinæ libertati aſſeruerit, aut alias urbes obſequium forte detrectantes ad officium revocarit. Eſt autem Chulmia, cujus in monumento memoria fit, Serviæ portio maritima, quæ ab Almiſio ad Naronam porrigitur: hac ſubjugata viam ſibi Andreas ad reliquam Serviam occupandam complanavit, tituloſque provinciarum, quas devicerat, reliquis honoris cauſa adjecit. Cum enim hoc anno Micham in Farenſem Epiſcopatum evexiſſet, ſedem eam Eccleſiæ Spalatinæ, ad quam olim attinebat, rurſus aſſeruit; hoc diplomate voluntatem ſuam confirmans (e).

„In nomine ſanctæ Trinitatis, & individuæ unitatis, anno ab Incarnatione „Domini MCXCVIII. Indictione I. Ego Andreas III. Belæ regis filius, DEI gra„tia Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Culmeque Dux in perpetuum. Quoniam Du„cali ſerenitati jura & diſpoſitiones regni ſui licet - - diſponere, hinc eſt, quod „nos in Dalmatiam perambulantes, invenimus Epiſcopatum Farenſem ſuo paſtore „vacantem: ne igitur juri Eccleſiaſtico in aliquo derogaretur, diligenti inquiſitione, „cui Archi-Epiſcopatui ſuffraganatus ſubjaceret, relatione vero Dalmatiæ Epiſcopo„rum, & univerſorum Croatorum Principum percepimus, quod ex aliqua conſtitu„tione ſub Spalatenſi Archi-Epiſcopatu fuiſſet. Nos vero relationi coram attenden„tes, prætaxatum Epiſcopatum cuidam Spalatenſi Canonico Michæ contulimus, ac „eundem Epiſcopum Spalatenſi Eccleſiæ confirmavimus. Hujus autem conſtitutio„nis pagina teſtimonio iſtorum facta: Andrea Bano, Comite Macharia, Comite Jo„ſeph, Comite Marco, Comite Andronico filio Bani, Camerario ducis Wenceslawo, „Præpoſito Gutifredo, Magiſtro Theobaldo. Dat. per manus Petri, filii Milka, „Ducis aulæ Notarii.„ Quæ cum poſtea ad Innocentium ſummum Pontificem allata eſſent, is, ne quid fraudis, aut injuriæ obreperet, rem omnem Spalatenſi ſacerdotum collegio dirimendam commiſit: quem autem res exitum habuerit, referre nihil ad nos attinet. Illud prætereundum non eſt, quod Præpoſitus Albenſis ſibi a Pontifice copiam fieri petierit, ut regni coronæ cuſtodiam bona illius venia in alium transferre integrum ſibi eſſet, ne, ſi quid adverſi eveniret, Eccleſia damno propterea afficeretur. Facilem ſe Papa præbuit, in hæc verba reſcribens (f).

Coronæ regni cuſtodia a ſacris hominibus ad profanos transfertur.

Inno-

b) Rerum Polonic. Lib. VI.

c) Chronica AVSTRALIS ad an. 1196. „Bela rex obiit.„ - -

d) Apud LVCIVM: præmittuntur autem hæc: 1198. 6. Maji.

e) Apud LVCIVM Lib. III. cap. XIII.

f) Apud BALVZIVM Tom. I. Epiſt. Innocentii Lib. I. cum illam interſerat duabus Epiſtolis, quarum quævis data ſit anno 1198. ad eundem annum hanc quoque referendam eſſe arbitratus ſum.

INNOCENTIVS G. PRAEPOSITO ALBENSI.

Innotuit Apoſtolatui noſtro per petitionem nobis ex tua parte porrectam, quod cum in Albenſi Eccleſia quædam dignitas, quæ cuſtodia dicitur, ad tuam donationem pertinens habeatur, cujus curæ ac ſollicitudini ornamenta, ac privilegia ipſius Eccleſiæ & diadema etiam regium committuntur, eam perſonæ idoneæ conferre deſideras, ne forte per imperitiam, aut infidelitatem, vel negligentiam cuſtodis ipſius Eccleſia, incurrat aliquod detrimentum, aut honor patriæ de corona aliquam læſionem ſuſtineat. Volentes igitur indemnitati Eccleſiæ præcavere, & tibi tuam juſtitiam conſervare, ut cuſtodiam ipſam, ſicut tui juris exiſtit, idoneæ perſonæ, nullius appellationis obſtaculo conferas, & aſſignes, liberam tibi damus auctoritate apoſtolica facultatem. Datum Laterani XII. calend. Januarii. Ex quibus non improbabilis forte conjectura fiat, coronæ cuſtodiam a primordiis ad Præpoſitos Albenſes pertinuiſſe, hoc autem anno ad profanos Magiſtratus traductam eſſe.

Qua fortuna Andreas in Dalmatia, eadem Emericus rem adverſus gentem *Emericus* Bubacorum geſſit: quo nomine quidam Bulgaros, alii Valachos intelligunt (g). Cre- *adverſus* diderim crebras gentis iſtius in Hungariam procurſiones in cauſa fuiſſe, cur iis Eme- *Valachos* ricus arma inferret, & prælio fractos in ordinem redegiſſe. Quod ſi in Bulgaros bel- *rem ſtre-* lum id geſtum ſit, ſuadet ipſa locorum ratio, Serviæ infeſtos fuiſſe, nam iſtius quo- *nue gerit.* que partem uſque ad Moravam amnem ad Hungaros pertinuiſſe alias memoratum eſt. Sin autem in Valachos, trans Danubium geſtum oportuit, quod ope Cumanorum ſpolia ex Tranſilvaniis agerent.

Tam ſecundas filiorum progreſſiones ſpectabat quidem Bela, frui iis non po- 1199. tuit, anno ſupra milleſimum centeſimum nono ac nonageſimo, ut Bonfinius (b) ſcri- *Inter tam* bit, mortalitate exutus. Quamquam hujus fide non nitor, ſed laudati alias diploma- *ſecundas* tis, cujus ſupra ad annum ſeculi hujus nonageſimum primum memoriam injeceram, *filiorum* in quo cum Emericus annum ducenteſimum diſerte affirmet, regni ſui primum fuiſ- *progreſſio-* ſe, recta conſecutio eſt, niſi ſe, meque fallit, ex quo diploma (i) accepi, Belam *nes Bela* hoc anno vivis ereptum eſſe. (k) Facilem me tamen ad dedocendum errorem, ſi *extingui-* ea in re erro, futurum, palam profiteor, cum primum certiora in medium prolata *tur, Eme-* fuerint. *rico re- gnum re- linquens.*

g) Du Fresne cap. 2. de rebus geſtis in Illyrico ſub domeſticis Hungariæ regibus. pag. 155.

b) Dec. II. lib. VII.

i) Ludovicus Schönleben caſtigatus ceteroquin in ſimili argumento ſcriptor in Roſa Urſina fol. 7. Ejus hæc ſunt verba. *Verba ipſa antiquo ſine dubio originali tunc exſtante recitat in ſuo diplomate Maximilianus II. Imp. ubi confirmat privilegia & immunitates Comitum Urſinorum de Blagay ſub dato die 7. Novemb. an 1571. inſerto verbatim privilegio Henrici regis, quem Hungari Emericum ſcribunt, ſub dato an.* 1200. *Chriſti, regni Henrici I.* Diploma maximam partem ad an. 1191. annalibus inſeruimus, cujus initium idmodi eſt. *Henricus Dei gratia rex Hungariæ, Dalm.* &c.

k) Video huic epochæ ſequentia poſſe opponi. I. Gregorius de S. Apoſtolo Legatus apoſtolicus in Hungaria fuit, ut volunt, an. 1198. cumque quæſtio oriretur de Præpoſitura Ultraſilvana, diſerte profeſſus eſt, cum primum in Hungaria fuiſſet. ao. 1191. Belam regem declaraſſe conceſſionem Patris ſui Geiſæ, quæ ſatis innuunt, ao. 1198. Belam jam mortuum fuiſſe. II. Odoric. Raynaldus refert ad eundem annum, Emericum regem, cum is ab Innocentio ad expeditionem terræ ſanctæ urgeretur, reſpondiſſe, ſe ob turbas domeſticas ab eo propoſito prohiberi. Sed prius illud nondum me convicit, quod annum 1198. tantum conjectent, ex epiſtola Innocentii, non autem certa temporis nota adſtruant, neque epiſtolam eam videre mihi licuit. Alterum perinde præoccupatum mihi videtur eſſe, aut Bela ultimis annis ob morbos ita jam reipublicæ ineptus fuit, ut omnia Emericus ſuo nomine adminiſtraret, alioquin cur an. Chriſti 1200. in publicis litteris diceret regni ſui primum niſi anno 1199. circiter tempus quadrageſimæ patri ſucceſſiſſet.

EMERICVS.

Hic regni initia gravi in Vacienſem Epiſcopum commiſſo facinore inquinat.

Funeribus juſtis patri procuratis Emericus, ſive Henricus, quo nomine ſe rex in litteris quoque publicis appellat, ſucceſſit; regni poſſeſſionem haud ſatis auſpicate orſus. Boleslaum enim Vacienſem Epiſcopum, virum & caſtigatiſſimis moribus, & prudentia inprimis conſpicuum, incertum quam ob cauſam, indignis prorſus modis habuit. Facinus ut ſine exemplo in regibus noſtris hactenus fuit, ita illius enormitatem Innocentii Papæ verbis malui, quam meis referre. In hæc autem verba epiſtolam Emerico inſcribit.

ILLVSTRI REGI HVNGARIAE.

Ut ex litteris Pontificiis conficitur.

„ Inter univerſas univerſi orbis provincias Apoſtolica ſedes regnum Hunga-
„ riæ ſpeciali quadam prærogativa dilexit, ob merita regni ipſius, ac præcipue ob
„ ferventis devotionis conſtantiam, & inviolabilis ſinceritatis affectum, quem incly-
„ tæ recordationis rex Hungariæ Pater tuus circa ſacro ſanctam Romanam Eccleſiam,
„ Matrem ſuam, ſemper exhibuit ad exaltationem ipſius, augmentum Eccleſiarum re-
„ gni ſui, & honorem omnium Clericorum tam humiliter, quam patienter intendens.
„ Nos etiam ſperantes, quod in filio paternæ vigeat devotionis affectus, & tua re-
„ gia celſitudo ſic eidem Patri tuo, in propoſito, ſicut in regno, ſic in voluntate,
„ ſicut in dignitate ſuccedat, ad integritatem regni, tui honoris augmentum efficaciter
„ intendimus hactenus, & adhuc intendere non ceſſamus: ſperantes, quod & tu
„ eo fortius in noſtra, & Eccleſiæ Romanæ devotione perſiſtas, quo amplius no-
„ ſtram circa te, & regnum tuum expertus fueris gratiam, & favorem. Verum
„ quanto ſincerius regiæ ſerenitatis diligimus incrementum, tanto amplius contriſta-
„ mur, ſi quando ea de tuis actibus ad noſtram audientiam perferuntur, quæ circa te
„ provocent Divinæ indignationis offenſam, & injuriam Apoſtolicæ ſedis, & ad tuæ
„ videantur famæ diſpendium redundare.

„ Sane pervenit ad noſtram audientiam, quod in prima transactæ obſervan-
„ tiæ quadrageſimalis hebdomada, quarta feria quatuor temporum, circa crepuſcu-
„ lum noctis venerabili fratre noſtro Vacienſi Epiſcopo cum Canonicis ſuis comple-
„ torium decantante, accedens ad Eccleſiam Vacienſem claves ſacrarii exhiberi tibi,
„ & Epiſcopum de Eccleſia egredi præcepiſti. Cumque ipſe poſitas ſibi formidans inſi-
„ dias, cum ipſa hora ei multæ ſuſpicionis certius ingereret argumentum, obtempe-
„ rare juſſioni regis recuſaret, oſtium ſacrarii mandaſti violenter infringi. Et cum
„ idem Epiſcopus, & Canonici propterea converſi ad Dominum cum lachrymis de-
„ cantarent. *Aſpice Domine de ſede ſancta tua, & cogita de nobis*, tu qui mole-
„ ſte ferens, quod divinum auxilium implorabant, irruens in Epiſcopum ipſum,
„ a ſummo gradu, quod eſt ante altare, uſque in pavimentum violentis manibus atra-
„ xiſti, & pavimento alliſum tradidiſti, non minus violentis tuorum manibus de
„ Eccleſia extrahendum. Ipſo igitur de Eccleſia ejecto, & relicto quodammodo
„ ſemivivo, fracto ſacrarii oſtio, & ſcriniis violatis theſaurum Eccleſiæ occupaſti,
„ & patrimonium ejuſdem Epiſcopi, quod domui cuidam religioſæ, quam ipſe de
„ novo fundaverat, intuitu pietatis, feciſti pro motu voluntatis propriæ confiſcari.
„ Poſtmodum vero, cum idem Epiſcopus propter hoc in Eccleſia ſua, taliter viola-
„ ta, divina prohibuiſſet officia celebrari, tu decimas ſibi denegari feciſti, ac vetui-
„ ſti, nuntiis ejus ſub pœna privationis oculorum, ne regnum tuum egredi attenta-
„ rent, quaſi tacite prohibens, ne ad Apoſtolicam ſedem accederent, ſuper his que-
„ rimoniam delaturi. Quia igitur ſaluti tuæ conſulere cupimus, & potius animæ,
„ quam corpori providere, cum nobis non conſtitit de prædictis, ſerenitatem regiam
„ monemus, & exhortamur in Domino, & in remiſſionem injungimus peccatorum,
„ per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus taliter quæ prædicta ſunt, corrigas, &
„ taliter Epiſcopo ſatisfacias memorato, imo potius ſedi Apoſtolicæ, quam læſiſti,
„ taliter Vacienſi Eccleſiæ damna reſtaures, quod nos ad id ſeveritatis Eccleſiaſticæ

„ manum

„ manum apponere non cogamur. Alioquin quantumcunque perſonam tuam in Do- „ mino diligamus, quia tamen potius Deo, quam homini volumus complacere, diſ- „ ſimulare non poterimus, quin in te, & terram tuam exerceamus canonicam ultionem.

„ Certe priorum exempla te potuerant ab hujuſmodi revocare, & a tanta „ præſumtione tuam debuerant compeſcere voluntatem. Legiſti enim, aut forſan „ audiviſti, quod cum Heliodorus ærarium, quod erat Jeroſolymis, ſpoliaret, per- „ cuſſus ab Angelo exſpiraſſet, niſi pia ei ſubveniſſet oratio ſacerdotis: Balthaſar „ dum ſpoliato templo, vaſis ſacris in convivio uteretur, articulus manus regni ſui „ terminum notavit in pariete depingentis. Pompejus, non quia ſpoliavit, ſed „ quia intravit ſolummodo Sancta ſanctorum, de ſemper victore victus effectus, „ commiſſum jugulo expiavit. Sano igitur ductus conſilio per condignæ ſatisfactio- „ nis effectum tantæ præſumptionis reatum ſtudeas abolere, ne propter Canonicæ „ diſtrictionis rigorem, quem debes merito formidare, Deus ultionum Dominus, „ qui reddit retributionem ſuperbis, in te, ac regnum tuum injurias dicti Pontificis „ imo ſuas porius graviter ulciſcatur. Datum Laterani XI. calend. Julii (*l*).

Cauſa inquiſitio Colocenſi Archiepiſcopo committitur.

In eandem fere ſententiam ad Saulem Colocenſem Archi Epiſcopum litteras dedit. „ Ideoque (ſcribit) fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & „ diſtricte præcipimus, quatenus regem ipſum, ad implendum mandatum Apoſtoli „ cum ſalubriter moveas, & tam efficaciter, quam diligenter inducas. Qui ſi nec „ mandatis noſtris, nec monitis tuis forte acquieſcere voluerit, tu cum ſuffraganeis „ tuis, ſi unquam fieri poterit, id ſtudeas ad honorem Apoſtolicæ ſedis, & noſtrum, „ & jam prædicti Epiſcopi, quam Eccleſiæ Vacenſis utiliter emendare. Quod ſi „ per ſtudium, & ſolicitudinem tuam id fieri forte non poterit, præmiſſa tibi autho- „ ritate, in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ut poſtpoſitis gra- „ tia, & timore ſolum Deum habens præ oculis, ſicut de tua diſcretione confidimus, „ inquiras de prædictis omnibus diligentius veritatem, &, quod inveneris, per tuas „ nobis cures litteras intimare, ut re cognita, Apoſtolicum a nobis procedat edictum, „ per quod tantæ præſumptionis audacia diſtrictione Canonica feriatur. In hoc no- „ bis propoſuimus experiri, ſi magis terrénum regem metuas, quam cæleſtem, & „ an honorem Eccleſiæ, gratiæ regiæ anteponas (*m*).

Quo exitu terminata ſit.

Ex his fortaſſe non improbabilis conjectura fiat, Pontificem ſubdubitaſſe, num tam enorme crimen a rege, ut videbimus, ceteroquin non malo, patratum fuerit, eamque ob cauſam Colocenſi Archi-Epiſcopo dediſſe in mandatis, ut rem, ſepoſito partium ſtudio, diligenter in quæſtionem vocaret. Quia cauſæ exitus fuerit, non reperio: neque ullus ſcriptorum ab Innocentio in regem propterea animadverſum fuiſſe ſcribit, quæ connivenția fere in eam me opinionem inducit, ut, quamquam regem poteſtatis, ac decoris limites prætergreſſum non diffitear, maximam tamen facinoris partem ab iis, qui Pontifici retulere, exauctam putem. Certe alieno conſilio, non ſua malevolentia regem huc intemperiarum veniſſe, res, quæ paullum ante geſtæ ſunt, veriſimiliter perſuadent. Etenim Boleslao lites vivo etiamnum Bela cum nonnullis Clericorum interceſſerant, quod decimas, neſcio quas, Epiſcopus in ſuum peculium convertiſſet, quæ ſibi non niſi ſumma injuria eripi poterant. Cauſa ad Cæleſtinum Papam delata magnam Præſuli invidiam conflabant, re enim ipſa Paſtoria vigilantiam, qua in erumpentes Clericorum errores acriter excubabat, impatienter tulere. Mortuo Cæleſtino apud Innocentium lis acta, qui cognitis rebus non modo Boleslaum honorificentiſſimo teſtimonio abſolvit, ſed ut ſe a pulcherrimo propoſito deterreri non ſineret, præterea auctor fuit (*n*). Atque hinc ſuſpicor in regis aula præſidium Clerus quæſierit, utque locus hic calumniis nunquam ſatis claudi poteſt, facile regem, quem privatas quoque odii cauſas habuiſſe nonnulli perhibent, huc delapſum exiſtimo, ut in Boleslaum præter, quam aut regis, Epiſcopi dignitas, ſanctitasque loci admiſerit, gravius animadverteret. Verum de hoc quiſque, ut volet, arbitretur.

 Idem

l) Apud PETERFY Tom. I. Concil. Hung. pag. 84.

m) Apud eundem pag. 86.

n) Apud PETERFY Tom. I. Concil. Hung. pag. 84.

1199.

Conſtantia Emerici ſoror Bohemiæ Duci nubit.

Idem annus nova affinitate contracta finem accepit. Premislaus Ottocarus Bohemiæ dux, Adela Ottonis Marchionis Miſnenſis filia, non item, ut Spondanus vult, ſorore, ſive ob ſterilitatem, ſeu propinquitatem ſanguinia repudiata, Conſtantiam Emerici ſororem matrimonio ſibi conjunxit: quo vinculo Hungariam a Moravorum, Bohemorumque incurſionibus ſatis tutam hac parte præſtitit (o).

1200.

Rex Jadrenſes ad officium revocat.

Inde turbarum aliquid in Dalmatia obortum eſt. Jadrenſes, ut erant Eccleſiæ ſuæ perſtudioſi, ita quidquid augmenti ad honorem fuit, ſibi aſſerere volentes, Scardonenſem, & Nonenſem Epiſcopos Spalatinæ ſedi detractum ibant. Emericus, quoniam ex litibus, quæ in ortu ſuo Eccleſiaſticæ erant, ſæpe civiles erupiſſe uſu comperiſſet, litteras ad Jadertinos, & Spalatenſes dederat, graviter vetans, ne quid ea in re innovaretur. Ad iſtos quidem in hæc verba ſcripſit (*p*).

Henricus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque rex Spalatenſi capitulo, & totius urbis conventui ſalutem, & gratiam. Univerſitatis veſtræ litteris receptis, & nuntiis, ea, quæ debuimus, quæ nobis ſignificabant, intelligere curavimus, quorum relatione cognovimus, quod auctoritate regia, & præcepto Jadrenſes jactent ſe, Epiſcopatus veſtros, Scardonenſem videlicet, & Nonenſem a modo poſſeſſuros. Quia igitur ex ſuſcepta regiæ magnitudinis culmine omnium fidelium noſtrorum jura illæſa, & inconcuſſa, juxta tenorem privilegiorum noſtrorum ſervare tenemur, nolumus aliquo modo univerſitatem veſtram a ſuis juſtitiis fore alienam. Fidelitatis namque veſtræ probata conſtantia, jura veſtra vobis totaliter confirmamus, & veſtris ſuffraganeis univerſis univerſaliter, & ſingulis ſingulariter regia auctoritate præcipientes mandamus, quatenus debitum honorem, & reverentiam Spalatenſi Eccleſiæ exhibeant, & nullius nova ſuggeſtione, a fide, qua eidem Eccleſiæ tenentur, debeant exorbitare.

Et in Dalmatiam, ne Andreas res novas moliretur, profectionem adornat.

Quo tam exquiſita voluntatis in Spalatinos, ceteroſque Dalmatas ſignificatio, & benevolentia pertinuerit, facile ex iis, quæ poſtea conſecuta ſunt, intelligitur. Metus erat, ne Andreas, qui Dalmatiam, ac Croatiam ducis prærogativa, adminiſtrabat, magnoque in amore apud eas gentes ob militarem indolem fuit, ad tyrannidem graſſaretur, neque enim aut animum, aut clientelas, vireſque illi deeſſe Emericus vidit. Itaque immunitatum largitionibus, & comitate populum in fide continere nitebatur. Eam ob rem hoc anno in Dalmatiam ex Hungaria profectus animos Dalmatorum ſibi ſtudioſe conciliavit. Quo honore a Tragurinis acceptus ſit, ipſe in diplomate, quo urbi privilegia confirmarat, diſerte exprimit: *Tragurienſem*, (inquiens) *civitatem intravimus, ubi una a clero, & univerſo populo in honore, & gaudio accepti laudes hymnidicas honorabiliter recepimus* (*q*):

Hic et litteræ a Papa redduntur de reprimendis Patarenis hæreticis.

Hic cum rempublicam curat Emericus, redduntur ei litteræ ab Innocentio Papa, quibus eum admonet, ut Culinum Boſniæ Banum, qui Patarenos hæreticos ab Archi-Epiſcopo Spalatenſi urbe, & ditione exactos, receperat, pro poteſtate ſua corrigeret. *Accepimus* (inquit Pontifex) *quod cum nuper venerabilis frater noſter Spalatenſis Archi-Epiſcopus Patarenos non paucos de Spalatenſi, & Tragurienſi civitatibus effugaſſet, nobilis vir Culinus, Banus Boſſinus iniquitati eorum non ſolum tutum latibulum, ſed & præſidium contulit manifeſtum, & perverſitati eorundem terram ſuam, & ſe ipſum exponens, pro Catholicis, immo ultra Catholicos honoravit, vocans eos antonomaſtice Chriſtianos. Ne igitur hujuſmodi morbus, ſi ejus non obſiſtatur principiis, vicina corrumpat, & in regnum, quod abſit, Ungariæ defluat labes ejus, ſerenitatem regiam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, in remiſſionem peccaminum tibi injungentes, quatenus ad vindicandam tantam Chriſti, & Chriſtianorum injuriam potenter, & regaliter accingaris, & niſi Banus prædictus univerſos hæreticos, de terra ſuæ poteſtati ſubjecta proſcripſerit, bonis eorum omnibus confiſcatis, tu ipſum, & hæreticos ipſos non ſolum de terra ejus, ſed de toto Ungariæ regno proſcribas, & bona talium, ubicunque per terram tuam poterunt inveniri, confiſces, nec parcat oculus tuus Bano prædicto, quin contra eum juriſdictionem exerceas temporalem, ſi alias ad viam rectitudinis non poterit revocari. Nicolaum quoque quondam Farenſem Epiſcopum, qui non ſolum propter auctoritatem noſtram, ſed etiam contra prohibitionem expreſſam, Jadertinam metropolim, quam præſumpſit invadere, detinere præſumit,* unde

o) Continuator Coſmæ Pragenſis ad hunc annum, & BALBINVS Epitom. rer. Bohem. Lib. III. cap. XIII.

p) Apud LVCIVM Lib. III. cap. XIII.

q) Idem ibid.

unde ſuſpenſus a nobis anathematizari mandatur, ut a ſuo reſipiſcat errore, tradita tibi poteſtate compellas, ne juxta Canonicas ſanctiones non careas ſcrupulo ſocietatis occultæ, ſi manifeſto facinori deſinas obviare. Datum Laterani V. idus Octobris (*r*).

Quid eatenus rex profecerit, in loco referemus. Erant Patareni Albigenſium reliquiæ, Romanæ ſedis, & ejus primatus acerrimi hoſtes, qui in Dalmatiam delati, Patarenorum nomen adepti ſunt, magnas turbas daturi, ut, ubi tempus poſtulabit, quantum ad profanos annales attinet, diligenter memorabimus.

Obortis inter Emericum, & Andream fratres diſſidiis.

Emericus, poſtquam Dominicum ex ſplendidiſſimo genere Prodanorum de Nadaſd Sclavoniæ Banum præfeciſſet, in Hungariam redux, quod fratrem Andream regno inhiare manifeſtis utcunque indiciis deprehendiſſet, ne quid filio Ladislao, quem recens admodum Conſtantia uxor enixa eſt, obturbaret, infantem ſe vivo coronari voluit, ut plerique ſcribunt, ac interfuiſſe inaugurationi præter Hungariæ Antiſtites, & optimates Bernardum quoque Spalatenſem Archi-Epiſcopum, qui Emerici nondum olim pueritiam egreſſi Pædagogus fuerit, magnæ apud regem gratiæ, & auctoritatis (*s*). Sed hæc ſerius poſtea eveniſſe patebit. Diſſidiis tamen inter ſe fratres propterea certabant. Andreas enim impatienter tulit, puerum ſibi olim præferendum eſſe, neque deerant, qui, ut cui erant dediti, aut gratiam ex commodis aucupabantur, diſſidentes porro committendos cenſerent. Quamquam ſcriptores illorum temporum diſſenſionis cauſam altius repetant. Godefredus Monachus diſerte perhibet, Andream, poſteaquam immenſam pecuniæ ſummam, quam pater illi ad profectionem Jeroſolymitanam, cujus voto tenebatur, teſtamento legarat, decoxiſſet, neque redditus, quos ex Dalmatia acceperat, prodigalitati ſatis fuiſſent, de fratre e regno exturbando cogitaſſe. In eum finem, initia cum Leopoldo Auſtriæ Duce fœderibus, acceptisque ab eo ſuppetiis, prælium cum fratre conſeruit, victoriaque potius, ſpem regni obtinendi haud exiguam adeptus eſt. Verum fidentia prætumidus dum rurſus in fratrem movet, & Emericus interea contractis celeriter copiis, accitisque in auxilium Teutonibus, qui Hungariam colebant, illi occurriſſet, fugato illius exercitu, victum in Dalmatiam, aut, ut nonnulli ſcribunt, in Auſtriam (*t*) ejecit (*u*). Nec impune id Leopoldo fuit: nam ex relata victoria militem Auſtriæ infudit, & ſuperato Leyta flumine obvia quæque, quod fratri adverſum ſe auxilio fuiſſet, vaſtabat. Leopoldus, ut provinciam deinceps ab hoſtium incurſionibus tutam præſtaret, urbem in limitibus militari opere communitam, quæ poſtea Neoſtadii nomen obtinuit, e fundamentis cæpit educere (*x*).

Hic illum prælio primum vincit.

Tum profligatus in Dalmatiam rejicitur.

Germaniæ Principum in conciliandis fratribus ſtudia.

Germaniæ Principes, qui rurſum in Syriam profectionem adornabant, cognito Emericum a fratre diſſidere, ne quid, cum per Hungariam iter faciendum eſſet, moleſtiæ acciperent, Conradum Moguntinum Archi-Epiſcopum ad regem mittunt, qui poſita inimicitia fratres conciliaret. Acceptus eſt ab Emerico humaniter, neque,

r) Apud Odoric. RAYNALDVM Annal. Ecclef. ad annum 1200.

s) ARCHI-DIAC. Hiſt. Salonit. cap. XXIV. „ Cum autem rex Henricus haberet filium „ parvulum, cuperetque eum regni ſucceſſorem habere, voluit eum ſe vivente in „ regem inungi: invitatus autem Bernardus „ a rege in Ungariam eſt profectus, ibique „ cum aliis Prælatis Eccleſiarum regni Ungariæ, qui ad ſolennitatem jucunditatis „ regiæ confluxerant, regis filium coronavit. „ - -

t) ORTILO ſed ad an. 1199. - - „ Andream „ Ungarum, qui ob diſſidia cum fratre Emerico rege fugere coactus fuit, benigne „ apud ſe recepit. „

u) GODEFRIDVS Monachus in annalibus ad annum eundem: „ Bela rex Ungariæ vita „ decedens duos reliquit filios Hemerardum (quo nomine etiam a Raynaldo ſed male dicitur) „ & Andream: quorum priori regnum „ dedit - - alteri quædam caſtella, & prædia magna, atque ad peregrinationem Jeroſolymitanam, quam ipſe voverat, peragendam infinitam pecuniam. Adoleſcens „ autem poſt deceſſum patris cum libera uſus „ fuiſſet poteſtate - - acceptam pecuniam „ cito dilapidavit. Quo facto cum ad conſuetum luxum copia non afflueret, cæpit „ conſilio ſuorum, regnum fratris ſibi uſurpando invadere. Cui cum rex reſiſteret, „ orto inter eos bello victoria potitus eſt „ Andreas auxilio Ducis Auſtriæ Leopoldi. „ Quo ſucceſſu elatus, ſicut res eſt inquieta felicitas, ſecundo contractis copiis fratrem invadit. Ille accitis Teutonicis, „ quorum ibi copia magna eſt, qui & hoſpites ibi vocantur, fratrem devicit, occiſis „ ex ejus parte multis, & captis. „

x) ORTILO ad an. 1200. „ Hoc vero anno pax inter fratres regios, & Ducem reparata eſt - - & ut irruptionibus Ungarorum obicem poneret, civitatem novam in „ eorum finibus extruere cæpit. „

1200. ſi pax confieri poſſet, invitus erat, ut Andreas ex Dalmatia accerſeretur. *Inito conſilio* (ut ſcribit Godefredus) *& habito conſenſu utriuſque, & Ducis Auſtriæ Leopoldi, omniumque Principum Hungariæ pacem tali modo ſtatuit: ut ſignati cruce mare tranſirent, & regnum Hungariæ prædicto Duci Auſtriæ commendarent, ut, ſi quis illorum morte præventus, in transmarinis partibus debitum carnis exſolveret, ſupervivens rediens in patriam regnum poſſideret* (*y*). Sed ea profectio a confecta pace adhæſit, ſive Rex fratri non ſatis fideret, ſive regnum, quod a nupernis turbis nondum reſpiraverit, homini ex-

1202. terno credere vereretur.

Andream rurſus bellum parantem.

Neque amicitium bona fide inter fratres coaluiſſe annus qui proxime inſequutus eſt, oſtendit. Andreas quippe ſuperiore prælio minime fractus, novas rurſum res in fratrem moliri cœpit. Et dabant ſe initia utcunque: *omnes enim regni proceres* (ut Archidiaconus refert) *& univerſa pene totius Hungarici exercitus multitudo, regem deſeruerant, & Andreæ Duci non legitime adhærebant: cum rege vero pauci admodum remanſerunt, & ipſi tantæ ſeditionis metu peterriti non regem ad ſperandum hortari audebant, ſed fugam potius ſuadebant. Factum eſt autem, ut die quadam ambæ partes ſibi cominus propinquantes, ad conflictum ineundum ſe ſolicite præpararent: ſed cum pars regis fere nulla eſſet comparatione alterius, cœpit plurimum anxiari, huc illucque mentem exagitans quærebat, quaſe conſilium in tanto diſcrimine reperiret, & tantem cælitus inſpiratus, multum ſolerti induſtria utilem viam invenit, qua & regni jura reſumeret, & ab effuſione ſanguinis innoxius permaneret. Tunc ait ad ſuos, nolite me ſequi, ſed pauliſper ſubſiſtite, moxque depoſitis armis accepit duntaxat virgam manu, & ingreſſus leniter in agmina hoſtium ibat, per mediam armatorum multitudinem intenſa voce clamando: nunc videbo, quis erit auſus manum extendere ad cruorem regalis proſapiæ: quem videntes omnes cedebant, nihilque moliri audentes largam ei viam hinc inde faciebant. Cum autem perveniſſet ad fratrem, cepit eum, & ducens extra acies miſit eum in cuſtodiam ad quoddam caſtrum; & tunc omnes arma cum pudore deponentes, ad regis genua provoluti veniam precabantur. Rex autem, ut erat clementiſſimus, univerſos ad gratiam ſuſcepit* (*z*). Hunc exitum fraterna diſſidia habuere. Caſtrum, cui Andreas incluſus eſt, in Sclavonia ſitum, & *Kheene* dictum fuit. In quo cum ſingularem civium Varaſdinenſium humanitatem, ac benevolentiam expertus eſſet, gratiam iisdem, dum regno potitus erat, non vulgarem habuit (*a*).

Emericus inermis ad officium reducit.

Et caſtro Kheene includi mandat.

Diſſidiis his uſi Veneti, Jadram opera Francorum obſident.

Hæc inter Veneti diſſenſiones fratrum haud otioſi eminus ſpectabant. Inhiaſſe illos urbi Jadrenſium, ac toti Dalmatiæ ſæpe alias a nobis memoratum eſt, nunc tempus rei gerendæ rati adeſſe, maximos ad urbem oppugnandam apparatus ſecere. Commodum Franci Syriam petituri Venetias appulerant, qui dum de claſſe centum navium, qua transfretarent, pretio paciſcuntur, Veneti haud alia conditione aſſenſi ſunt, quam ut, ubicunque claſſem applicare vellent, ex pacto id ſe facturos pollicerentur, tum quos pro hoſtibus habituri eſſent, eosque aggredi molirenrur, arma in illos ut conſociarent (*b*). Hæc illo pertinebant, ut ſi in Syriam ituri Dalmatiam præterveherentur, Jadramque ex itinere deflecterent, in promtu eſſent, quorum opera ad obſidendam urbem uterentur. Erant Venetis in Jadertinos cauſæ multæ, in primis quod piratica ſuis infeſti eſſent, actisque rapinis haud levia damna inferrent, patratis etiam cædibus plane ſanguinariis (*c*). Itaque menſe octobri claſſem portu ſolvunt, &, ne quorſum evaſuri eſſent, hoſtis facile cognoſceret, in Iſtriam advertunt. Hic menſe propemodum exacto improviſo Jadertinis X. Novembris ingruunt, portumque, quem catenis adverſum inſultus cives probe communierant, primo impetu perrumpunt. Exſcenſione facta utrinque urbem obſidione circumvallant: ex continente Franci inſtabant, a mari imminebant Veneti: illis Simeon Monteſortenſis, his Henricus Dandulus Venetorum Dux præfuit. Ne temporis anguſtia excluderentur, prope enim jam hiems erat, admotis machinis acerrimam oppugnationem inſti-

Et deditione capiunt.

y) In annalibus ad an. 1199.

z) Hiſt. Salonit. cap. XXIV.

a) Anno enim 1215. Varaſdinum inter liberas, regiaſque urbes cenſens edito propterea diplomate in hæc verba ait: *dum in carcere in caſtro Kheene detineremur, ob fidelia ſervitia nobis ab incolis villæ Varaſd fideliter præſtita* - - ut habet Hiſt. Zagrab. pag. 80.

b) Archidiac. Hiſt. Salonit. cap. XXIV.

c) Archidiac. Hiſt. Salon. cap. XXV. „Erant autem eo tempore Jadrenſes Venetis multum infeſti: quacunque enim ex parte poterant, Venetos invadebant, bona eorum diripientes, injuriantes, trucidantes, & quidquid mali exercere valebant, in ipſis totis viribus conabantur.„

inſtituunt. Jadrenſes quod Hungarorum, & Croatarum præſidio deſtituti eſſent, miſſis ad Dandulum Legatis de dedenda urbe agebant: Dandulus Legatos ad Montefortenſem Comitem abire jubet, ex hoc audituros, quibus conditionibus deditionem facturi eſſent. Id Jadrenſes metum eſſe interpretati, quodque ſæpe alias Venetorum vires experti erant, defenſioni ſe alacrius accingunt. Fregiſſentque citra dubium hoſtis ferociam cum incredibili pugnandi ardore, tum temporis adjuti inclementia, niſi ſubruta a fundamentis turre, unde maxima clades hoſti illata eſt, ſpem cum animis abjeciſſent. Itaque ſalva civium vita deditionem faciunt. Hunc in modum, ut Paulus Ramnuſius, qui bello illi intererat, ſcribit; *Jadra Galli auxilio capta, ſolius Veneti præda ex pacto fuit (d).*

Capta urbe Veneti mœnia demoliuntur, dirutisque magnam partem ædibus cives aliorſum, quocunque ſors fortuna ferret, migrare cogunt, ipſi cum ſociis Francis hiemem iſthic agere conſtituunt. Sed qui in oppugnanda urbe, mirum in modum conſenſerant, paullum poſt ſemel atque iterum inter ſe coorti turbas dedere: ex quo factum, ut multi Francorum, in primis Simeon Montefortenſis, cujus in oppugnanda urbe virtus præcipue enituit, ad Hungaros feceſſionem facerent (e). *Civibus ex urbe exeſſe juſſis.*

Interea cum Pontifex, quid Jadra factum eſſet, ex nuntiis comperiſſet, indigneque ferret, Venetos, prætextu ſacræ expeditionis arma, quæ barbaris inſerenda erant, in Chriſtianos convertiſſe, Duci, & qui cum eo oppugnandæ urbi interfuerant, ſacris omnibus interdixit. Dandulus, ubi eo fulmine perſtrictus fuiſſet, his litteris factum excuſabat. *Venerabili in Chriſto Patri, & Domino Innocentio Dei gratia ſacræ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici. Henricus Dandulus Venetorum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, veſter humilis, & devotus cum omni devotione ſervitium. Notum facio ſantitati veſtræ, quod cum crucem aſſumſerim pro ſervitio JEſu Chriſti, & ſacræ Romanæ Eccleſiæ transmeandi gratia de Venetiis iter arripuimus, neceſſitate temporis hiemalis ingruente oportuit me cum ſtolio meo, & peregrinorum apud Jadram hiemare, quæ cum rebellis mihi, & Venetiis longo tempore injuſte per proditionem contra juramenta præſtita eſſet, de civitate, & civibus, ſecundum quod moris eſt, invicem ſe inimicantium, juſte, ut exiſtimavi, ſumſi ultionem, verum quia, ut dicebatur, in veſtra erat protectione, quod ideo non credebam, quia non exiſtimo vos, nec anteceſſores veſtros, illos ſub protectione retipere, qui crucem accipiunt ſanctam, ut eam portent, non etiam iter perficiant propter quod peregrini ſolent crucem accipere, ſed & aliena inveniant, & injuſte detineant: Paternitati veſtræ contra me, & Venetos ſententiam excommunicationis placuit promulgare, quam patienter & humiliter ſuſtinuimus, uſquequo per Dominum Petrum tituli S. Marcelli Presbyterum Cardinalem, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legatum, præſtita condigna ſatisfactione meruimus abſolutionem, ſecundum ordinationem veſtrorum nuntiorum, & ſcriptorum paginam veſtræ poterit ſanctitati innoteſcere (f).* Hæc Dandulus Pontifici: quo fato Jadrenſes acti ſint, deinceps referemus. *A Pontifice ſacris propterea interdicuntur.*

Jacturam hac parte acceptam Emericus alibi reſarſiſſe videri poteſt. Priuſquam enim Veneti Jadram infeſtis armis peterent, rex collecto ingenti exercitu in Megajupanum Serviæ moverat: atque id in cauſa fuit, quo minus Jadrenſibus Hungari ſuppetias ferre poſſent. Præerat tum Serviæ Stephanus Megajupani, ſeu ſupremi Dynaſtæ poteſtate. Quid cauſæ noſtria fuerit, ut bellum illi obmoverent, compertum non eſt; niſi, quod ſuſpicor, Petrus, quem Comitatu Chelmenſi Stephanus privaverat, auxilium, opemque apud Emericum imploravit. Quid vis ſit, Emericus Servia in ditionem redacta, amotoque Stephano, Vulcum ejus fratrem ſubſtituit, clientela Hungariæ regibus poſtea obnoxium (g). Quin converſis in Calojoanneon, ſeu Joannitium armis, qui ſe Bulgarorum, ac Blachorum Imperatorem id temporis ſcribebat, bonam Bulgariæ partem ditioni Hungarorum obnoxiam fecit (h). *Damnum in Dalmatia acceptum rex occupata Servia ex parte reſarcit.*

 Ve-

d) De bello Conſtantinopolitano Lib. I.

e) Idem ibid.

f) Apud LVCIVM Lib. IV. cap. 1.

g) RAYNALDVS ad an. 1202. DU FRESNE in Famil. Dalmat. & Sclavon. cap. III.

h) Liquet id ex Epiſtola Joannitii ad Innocentium data anno 1204. in qua de rege Hungariæ in hæc verba queritur: „ Sciar autem ſanctitas tua, quanquam quinque Epiſcopatus Bulgariæ pertinent ad Imperium meum, quos invaſit, & detinet rex Hungariæ cum juſtitiis Eccleſiarum, & Epiſcopatus ipſi ſunt annihilati. „ - -

Jadertini Venetis infeſti. Veneti exacta in Dalmatia hieme nuntios ab Alexio puero accipiunt, maximam æris ſummam, divitiaſque pollicentis, ſi ſe, ac patrem ſuum in imperio Conſtantinopolitano reſtituerent. Neque tergiverſandum rati ſociis Francis die ſeptima Aprilis claſſem ſolvunt, ac recta Conſtantinopolim properant. Quo eventu res iſthic acta ſit, ad nos nihil attinet. Ceterum Jadrenſes, ut primum Veneti Dalmatiam reliquere, piraticam exercebant, inſulis Venetorum præcipue infeſti. Cumque dolor, quem ex deſtructa urbe ceperant, recens etiamnum eſſet, non modo rapinas ex hoſtium ditionibus agebant, ſed exquiſitis præterea cædibus, quoſcunque Venetorum nacti fuiſſent, immaniter affecere. Malo obicem ut ponerent Veneti, claſſem in Dalmatiam mittunt, ſimulque imperant, ut in inſula, quæ urbi haud longo intervallo opponitur, & Malconſejo dicta eſt, præſidium militari opere communirum exſtruerent, unde & procurſionibus Jadertinorum, & damnis hactenus acceptis modus poneretur. *Cajetanorum auxilio novam illorum coloniam caſtro ejiciunt.* Extructo munimento magna in dies clade Jadrenſes, mari præcipue, afficiebantur, quæ res Bernardum Spalatenſem Archi-Epiſcopum commoverat, ut Cajetanorum, qui commodum in Dalmatia cum X. navibus applicuerant, opem ſoluto ſtipendio, quod Emericus apud Templarios Uranæ depoſuerat, adverſum Venetos imploraret. Hi accepto, quod pacti erant, pretio Jadrenſibus ſe ſine mora conjungunt, obſeſſumque caſtrum vi ſumma expugnant. Jadrenſes victoria potiti modum omnem vindictæ prætergreſſi ſunt, nemine prorſus, qui vivus in manus venerat, ſuperſtite relicto (*i*).

Emericus Ottoni contra Philippum in Germania ſuppetias venit. Quæ dum ab Jadrenſibus fiunt, Emericus extra regni limites bellum gerit. Erat Germania propter Othonem, & Philippum de imperio dimicantes, factionum ſtudiis in varias partes diſtracta: Ottoni Pontifex ac præcipui quique ſavebant; pro quo ut arma contra Philippum corriperet, Emericum cum rege Bohemiæ exoravit. Quo ſucceſſu res geſta ſit, nihil habeo quod affirmem: illud certum eſt; Joannitium tempore, & abſentia regis uſum, non modo, quæ prius amiſerat, recuperaſſe, ſed magnam quoque provinciæ illius partem, quam ſorori regis, dum Græcorum Imperatori nuberet, pater in dotem dederat, ſibi aſſeruiſſe; de qua re Emericum apud Pontificem per litteras queſtum fuiſſe, infra dicturi ſumus (*k*). Ceterum ſororem regis, quæ Imperatori Græcorum nupſerat, Mariam fuiſſe dictam conſtat (*l*): cui autem collocata ſit, aut quo tempore, non ſatis exactum eſt. Sunt, qui eam Iſaaco Angelo, alii Andronico uxorem tribuant; quamquam Iſaacus ob temporum, & dignitatis rationem alteri merito præferendus ſit.

Per Pontificium Legatum cum fratre conciliatur. Sub hæc Innocentius Papa Gregorium de ſancto Apoſtolo Cardinalem, qui ſemel, atque iterum in Hungaria legatione jam functus erat, ad Emericum miſit, ut eum Andreæ conciliaret. Neque fruſtraneam operam Legati fuiſſe ex ejuſdem Pontificis Epiſtola liquet, qua regem hortatur, ut fratri nihil deeſſe pateretur, quo minus defuncti patris loco, qui ſe voto ad profectionem ſacram obſtrinxerat, in Palæſtinam proficiſci poſſet. Itaque exemtus hoc anno ex carcere Andreas eſt, & priſtinæ dignitati reſtitutus (*m*). Quamquam non eum in modum amicitiam redintegratam fuiſſe, ut non ſuſpicionis aliquid utrinque adhæreſceret, mox patebit.

Jadren-

i) Archidiac. Hiſt. Salonit. cap. XXV. „ His diebus advenerunt X. Galeæ Cajetanorum ad Dalmatiæ partes. Tunc Bernardus Archi-Ep. Spalat. accedens ad eos, loquutus eſt cum eis, ut darent auxilium Jadrenſibus contra Venetos, qui præſidium inſidebant - - abiit Archi-Ep. Uranam, & accepit quandam argenti quantitatem, quam rex apud Templarios depoſuerat, eo ſoluto ſtipendiu, coaduoaverunt ſe Jadrenſes cum Cajetanis. - cæperunt pugnare fortiter - - potiti victoria, quotquot Venetos in caſtro illo invenerunt, omnes gladio peremerunt, deſtructo totius munitionis illius ædificio. „ - - Similia Dandulus in Chronico.

k) Hæc omnia eliciuntur ex Emerici epiſtola, quam anno 1204. ad Innocentium ſcripſit, & ex hujus reſponſoria apud Raynaldum Annal. Eccleſ. ad laudatum annum. Præſenti autem anno hæc affigi debere, Continuator Coſmæ Pragenſis, qui eo tempore vixit, ſuadet, ita ad annum 1203. ſcribens: „ rex Przemysl rebellans Philippo regi, Ottoni Imperatori fecit hominium „ Conſtat autem ex Innocentii litteris Emericum cum rege Bohemiæ. Ottoni ſuppetias tuliſſe.

l) Emmivs, D'Outreman, & Henxovs.

m) Archidiac. Hiſt. Salonit. cap. XXIV.

Jadrenſes inſtaurata urbe, ne ſimili rurſum caſu involuerentur, neque ab
Hungaris, quod Emericus languore correptus reipublicæ curandæ minus jam idoneus
eſſet, auxilia ſperare poterant, ſponte in Venetorum poteſtatem conceſſere. Rece-
pti ſunt his conditionibus. Primum ut in fide conſtantes eſſent, idque datis obſidi-
bus firmarent: tam urbis Comitem non ex ſuo gremio, ſed ab Venetis acciperent;
Archi-Epiſcopus Patriarchæ Gradenſi ſubeſſet: hoſtes utrinque communes, commu-
nesque amicos haberent; ad extremum tria quotannis millia pellium cuniculorum tri-
buti nomine penderent (n). Fuitque primus Venetorum omnium, qui recepta Ja-
dra, Comitis poteſtate civibus præfuiſſet, Vitalis Dandulus.

Jadrenſes ſponte Venetis ſe dedunt.

In Servia, ne mali labes porro ſerperet, nihil adverſum Patarenos diligen-
tiæ ab rege prætermiſſum fuit. Jam alias Pontifex Emericum obteſtatus eſt, ut ne-
farios homines ditionibus ſuis exigeret, & Culinum regionis illius Banum, ad quem
illos Dalmatia ejectos confugiſſe intellexerat, pro poteſtate ſua ad officium revoca-
ret. Eam rem effectum datam docent regis litteræ ad Papam miſſæ in hæc verba:
Venerabili in Chriſto Patri, Innocentio Dei gratia ſacro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo
Pontifici N--- eadem gratia (o) Hungariæ, Dalmatiæ, Ramæ, Serviæque rex ſalutem,
& filialem in omnibus reverentiam. Licet univerſi, qui Chriſtianæ fidei religione cenſentur,
ſacro ſanctam Romanam Eccleſiam, tanquam piam matrem venerari, ut plurimum diligere te-
neantur, nos tamen, quos inter devotos filios eadem Eccleſia ſpiritualis fovet, & ampleċti-
tur, ipſius honori, & utilitati præ ceteris potius, ac devotius pro poſſe noſtro cupimus inten-
dere. Hinc eſt, quod, cum humilis, ac fidelis ſanctitatis veſtræ Capellanus Joannes (p)
ad præſentiam noſtram accedens, duos principaliores ex his, qui in terra Culini Bani, prout
ferebatur, damnatam hæreticorum ſectam fovebant, ſecum duxiſſet, nos inſpectis orthodoxæ
fidei articulis, quos ad ipſius Joannis exhortationem illi, ad quos miſſus fuerat, jam ſuſce-
perant, eadem capitula ſub ſigillo noſtro contenta domino illius terræ, filio ſcilicet memorati
Culini, qui tunc apud nos erat, dedimus diſtricte præcipientes, ut ea, & alia, ſi qua Ro-
mana ſedes eis de cetero ſecundum Deum transmittere decreverit, ab omnibus in terra ſua fa-
ciat inviolabiliter obſervari. Idem etiam cum hoc juxta voluntatem noſtram admiſiſſet, ſe in
manu noſtra, ac I - - - Archi-Epiſcopi Colocenſis ſubſequenter obligavit, quod ſi de cete-
ro ſupradictos, vel alios homines in hæreſi ſcienter manutenere, vel defendere in terra ſua
præſumſerit, mille marchas argenti perſolvet, quarum medietas vobis, altera vero fiſco no-
ſtro medietas obveniet. Illi præterea duo priores, qui cum præfato Capellano veſtro Joan-
ne venerunt, tam pro ſe, quam pro fratribus ſuis, a quibus miſſi fuerant, in præſentia no-
ſtra juraverunt, quod conſtitutionis a jam dicto fideli Legato veſtro promulgatas, & ſibi tra-
ditas, firmiter obſervabunt in perpetuum (q).

Emerico in Boſnia adverſus Patarenos occupato.

Secundum hæc, quod morbum in dies augeri rex ſentiret, ac filio præte-
rea cautum vellet, Comitia toti regno indicit, ut Ladislaus, infantiam nondum egreſ-
ſus, optimatum conſenſu rex inauguraretur. Optimum patris conſilium res inopina
intercepit. Advenerat in Hungariam Leo presbyter Cardinalis in Bulgariam tranſi-
turus, ut Joannitium Bulgarorum ac Valachorum regem Innocentii juſſu crearet. Ac-
ceptus eſt ab Emerico, & Principibus magno primum honore, & benevolentia, at,
ubi ad regni limites ventum, quod rex cum Joannitio inimicitias gereret, & hono-
ris Bulgari delati dolorem diſſimulare nequiret, tranſitu prohibitus fuit. Id ubi Ponti-
fex comperit, ardentioribus litteris regem in hæc verba perſtrinxit: *heu fili chariſſime!*
ubi eſt regalis clementia, ubi religio Chriſtiana, ubi ſpecialis devotio, quam ad nos, & Ro-
manam

Rex Legatum Apoſtolicæ ſedis vetat in Bulgariam ire.

Graviter propterea a Papa arguitur.

n) DANDVLVS in Chron. „ Jadrenſes ti-
„ mentes ſtolum quem Veneti denuo præ-
„ paraverant, per ſuos nuntios gratiam im-
„ plorant, & offerunt perpetuam fidelitatem,
„ obſides, & cantationem laudum exhibere,
„ Comitemque de Venetis eligere, & Ar-
„ chi Epiſcopum, qui reverentiam, & obe-
„ dientiam Primati debitam exhibeat Patri-
„ archæ Gradenſi, & erga hoſtes Venete-
„ rum inſurgere, & annuatim tria millia pel-
„ lium cuniculorum tribuere. Qua obla-
„ tione benigne accepta ad gratiam reſtituti
„ ſunt. „ Inhabitatam autem fuiſſe Jadram
anno MCCIV. oſtendit ſcriptura publica
apud Lucium Lib. IV. cap. II.

o) Subſtituendum eſt H. opinor ſcriben-
tis imperitia litteram N. irrepſiſſe, qui cum
priorem male legiſſet opinatus fuerit litteram
N. eſſe.

p) Jam prius, cum Pontifex Culini Bani
cauſam regi commendaſſet, Legatus in Hun-
gariam miſſus eſt.

q) RAYNALDVS ad annum 1204.

manam Eccleſiam prædicaris habere? mutatus eſt color optimus, & aurum in ſcoriam eſt converſum: Parcat igitur iis Deus, qui animum tuum tam pravo conſilio ſeduxerunt, volentibus inter regnum, & ſacerdotium diſcordiam ſeminare, ſed nos pro certo ſperamus, quod aut per te ipſum jam errata correxeris, aut ad commonitionem noſtram taliter debeas emendare, ut injuria tranſeat in honorem, & offenſa in gratiam revertatur. Et infra: *Benignius tibi ſcribimus, quam inſtans materia poſtularet, ne quis forte litteras noſtras inſpiciens exiſtimaret, Apoſtolicæ ſedis favorem tibi eſſe ſubtractum, quod utique utilitati, ac honori tuo nullatenus expediret, quia multa geſta ſunt, & geruntur in regno tuo, quæ ſi deducentur ad limam, correctionem expoſcent graviorem, non ſolum de voto tuo, captione (r) fraterna, & electionibus Prælatorum, ſed etiam multis aliis, quæ, ne nimium conturberis, ad præſens duximus ſuprimenda. Provideas ergo tibi, ne in eam te difficultatem inducas, de qua non facile valeas expediri (s).* In eandem fere ſententiam Strigonienſis Eccleſiæ ſuffraganeis ſcripſit, graviter præcipiens, ut regem ad injuriam, quæ Legato illata eſſet, ſarciendam auctoritate ſua inducere niterentur.

Emericus viciſſim per nuntios, & litteras apud Pontificem queſtus.

Rex ad molliendam Innocentii iram oratorem cum litteris Romam mittit, quibus partim rationes, cur Legatum in Bulgariam tranſire vetuerit, affert, partim querelas certis capitibus diſtinguit. Reſponderat Pontifex, & ſingula, quæ objecta erant, refellit. Optandum erat, ut Raynaldus hoc in genere ceteroquin minime parcus, cum Innocentii, tum regis litteras annalibus inſeruiſſet, ut de re judicium magis perſpicue conſtitueretur. Nunc, quod meliora ad manum non ſunt illius verbis utemur. *Objecerat* (ita ſcribit Raynaldus) *in primis Hungarus majores ſuos Apoſtolicam ſedem ſingulari obſervantia, ac religione coluiſſe, parique Romanos Pontifices ipſos amore fuiſſe proſecutos, ac de illo amore videri Innocentium remiſiſſe, idque ex eo colligebat, quod Innocentius Bulgarum, infenſiſſimum hoſtem ſuum, regia dignitate decorare vellet: cui Innocentius, verum illud, Hungaros, ac Pontifices Romanos præcipuo amoris nexu fuiſſe conjunctos, nec tamen amorem illum intepeſcere videri debuiſſe, cum ipſius Pater Alexandri juſſu a Colocenſi Archi-Epiſcopo corona fuiſſet redimitus, quo tempore maximas illius adipiſcendæ difficultates pateretur, quin etiam circa regni ſui primordia, cum bello graviore appeteretur, ſedis Apoſtolicæ cura ad pacem, atque officium fratres ipſius, ac ſequaces adductos fuiſſe (t). Querebatur ſecundo; Joannitium occupaſſe terras, quæ in dotem ſorori ſuæ Græcorum Imperatrici a patre fuiſſent traditæ, atque etiam Serviam cum infidelium exercitu populatam, dum ipſe in gratiam Apoſtolicæ ſedis conjuncto cum Bohemiæ rege exercitu pro Ottone, Philippo bellum inferret: ad quod Innocentius, dolere ſe graviter injuriam illam ipſi illatam, & curas Apoſtolicas ad eam ſarciendam collocaturum. Oppoſuerat tertio, Joannitium tyrannum eſſe, cum terras ſuas ferro, flammaque comparaſſet, atque adeo regio diademate indignum videri: quibus ita reſpondet Pontifex, licet aliquas terras invaſerit, alias tamen juſte obtinere, ipſius majores, Petrum, Samuelem, aliosque ſceptrum tenuiſſe, cumque ſucceſſore a Græcis perdomiti eorum jugo collum ſubdidiſſent, hunc paterna jura recuperaſſe, atque adeo prædeceſſorum Pontificum exemplo corona illum inſignire meditatum: velle tamen, ut injuſte occupata reſtituat, ac viciſſim, ut erepta ipſi reddantur, & pax firmiſſima inter ipſos concilietur: prætermittere ſe, quod objici juſte poterat, quod, cum Stephanus Megajupanus Serviæ ſedis Apoſtolicæ conjunctionem expederet, atque regiæ ornamenta dignitatis ab eo flagitaret, pollicita revocaſſe, ea tantum de cauſa, quod ea res ipſi ingrata foret, Serviaque ab ipſo victa, ac Vulcano ſubſtituta (u), cum æquo animo laturum ſe ſignificaſſet, ut Servia ad Eccleſiam rediret, & Vulcanus ab Apoſtolica ſede corona cingeretur, ea provincia Colocenſi Archi-Epiſcopo (x) impoſita, poſt annos duos rem ad extremum perductam nondum fuiſſe. Quod Legatum a ſe benevole, ac magnifice habitum diceret, longe ipſum majore ignominia præpeditum; ne iter proſequeretur, quam ſuſceptus honorifice fuiſſet; non poſſe ipſum fœdera inter utrumque jungere, ni utrumque adiret, tantum ſe animo dolorem haurire, ſi obſtare vellet, ne Bulgaria ad Romanæ Eccleſiæ obſequium rediret, quan-*

tum

r) Videtur Papa innuere; Andream tum etiam carcere detentum fuiſſe: Archi-Diaconus tamen diſerte perhibet, non integro anno incluſum fuiſſe: cujus fidem ea in re itidem ſequutus ſum.

s) Raynaldvs annal. Eccleſ. ad annum 1204.

t) Hic error latet: Bela enim, cum regnum adeptus eſt, nullum fratrem habuit: & patruus uterque jam tum quoque exſtinctus fuit.

u) Idem eſt cum Vulco.

x) Raynaldvs Annal. Eccleſ. ad an. 1204.

tum ipſe conciperet animo, ſi Apoſtolica ſedes obſiſteret, ne ipſius filius paternum diadema aſſequeretur (y).

Hæc ad fidem Raynaldi: multumque rerum narrationem, quam ſupra dedimus illuſtrant. Porro quem res exitum ſortita fuerit, acta, quibus Raynaldus uſus eſt, in hæc verba ſubdunt: *Ex illo autem verbo, quod in præmiſſis litteris continetur, quale denique reputatres, ſi nos impedire vellemus, ne filius tuus carnalis coronari poſſit in regem, rex ipſe valde territus fuit, quia cum feciſſet curiam congregari ſolemniter, ut filium ſuum parvulum in regem faceret coronari, timuit vehementer, ne coronationem ejus Dominus Papa faceret impediri, unde cum præfatus Cardinalis ad curiam illam nuntios deſtinaſſet, tunc demum obtinuerunt a rege licentiam tranſeundi* (z). Quo comperto Innocentius ad Archi-Diaconum Strigonienſem, vacabat enim ſedes metropolitana, litteras dedit, quibus imperat, ut in coronando infante patri morem gereret. Signatæ ſunt VIII. calendas Maji: unde certi ſumus, Emericum hactenus vitam adduxiſſe; quamquam morbis ita implicitam, ut, cum ſe reipublicæ adminiſtandæ jam imparem vidiſſet, condito teſtamento Ladislaum ab ſuo obitu regem, Andream vero infanti tutorem conſtitueret. Neque diu abhinc ſuperſtes Emericus, Agriæ, ubi diem ſupremum obiit, regio apparatu conditus eſt. Satis felix, ſi domeſticis turbis aliorum conſilio objectus non fuiſſet. Regno tamen, quod ampliſſimum a patre acceperat, Serviam adjecit, & de Bulgaris, potentiſſima id temporis gente, triumphavit, mira regnorum, ut per intervalla fit, viciſſitudine. Quæ enim ſub Stephano, ob militaris diſciplinæ neglectum, occupatis per Manuelem Dalmatia, Croatia, Servia, ac Sirmienſi tractu, anguſtia prorſus limitibus circumſcribebatur Hungaria, paullum poſt converſa fortuna, ſub Bela, & Emerico ditiones ampliſſime protulit. Quæ res ſatis oſtendit, quid inter ſocordes, & gnavos Principes ad reipublicæ felicitatem intereſſe ſoleat.

Huic, ne quid in coronando filio obturbaret, facilem ſe denique præbuit.

Andrea tutore conſtituto Agriæ obit, Ladislaum pupillum regni hæredem relinquens.

LADISLAVS III. INFANS.

Andres ab Emerici morte partes, quas frater ultima voluntate ſibi impoſuerat, naviter exequutus, binas ad Pontificem litteras dedit: priores Emerici ſigillo communitas, an quod frater adhuc in vivis eſſet, aut contra quod tutoris nomine ſcriberet, ambigo; quibus ſummum Pontificem orat, ut Joannem Colocenſem Archi-Epiſcopum Strigonienſi ſedi præficeret; alteras vero paullum poſt, ſed ſuo nomine ſignatas: his commutatam ſuam voluntatem, preceſque, quas prius pro Joanne, nunc pro Calano Quinque Eccleſienſi Epiſcopo interponere ſignificat, ſimulque addit, Emericum obiiſſe, ac ſe tutorem infanti Ladislao fratris voluntate conſtitutum eſſe. Erat Joannes de quo primis litteris Andreas ad Papam ſcripſerat, Gertrudis Andreæ conjugis frater, itaque Bertoldi Meraniæ ducis filius, clientelis ac gratia potens. Calanus contra Sclavoniæ Bani munere ſæpe alias cum laude defunctus. Quid eatenus reſponſum Andreæ fuerit, ad annum ſequentem memorabimus. De Ladislao autem infante in hæc verba reſcripſit Innocentius (a): „Regem ipſum „puerum, cur fidelitatem feciſſe dignoſceris, promiſſione facta ſuper adminiſtratione „regni, ac tutela ſuſcepta de ipſo, tuæ proviſionis induſtriæ attentius commenda„mus, ut nomini tuo præconis veræ laudis accreſcant, cum idem rex benignum pa„trem in patruo, & protectorem propitium invenerit in patrono, & ab altiſſimo re„ge, cui puero reges venientes de Saba plena devotionis munera obtulerunt, ſalus „tibi proveniat, & remunerationis æternæ corona. Nec contra ipſum regem, ne„potem tuum, pravas aliquorum ſugeſtiones admittas, cui tanquam filio pro patre „tene-

Andreas Emerici mortem Pontifici per litteras ſignificat.

Qui eum viciſſim, ut Ladislai curam diligentem habeat, hortatur.

y) Idem ibid.
z) RAYNALDVS Annal. Eccl. ſ. ad an. 1204.
a) Pertinet quidem id reſcriptum ad an. 1205. ſed ob rerum nexum huic anno inſerui.

1204.

„teneris adeſſe, quem, cum ſit parvus, & puer, tando debes chariorem habere,
„ac pro eo regni negotia diligentius procurare, quanto propenſius impenſa ſibi be-
„neficia recognoſcet, cum auctore DEO adultam pervenerit ad ætatem, in qua ſe
„patrem non perdidiſſe cognoverit, ſed mutaſſe.

Conſtantia Ladiſlai mater Andreæ vim verita cum puero, & Procerum parte in Auſtriam profugit.

Verum Andreas, qui vivo etiamnum Emerico ſemel, atque iterum ad ty-
rannidem aſpirabat, ſive ætatem Ladislai contemneret, ſeu conſiliis quorundam
Optimatum, qui a puerili imperio abhorrere videbantur, perſuaſus, ſibi, non La-
dislao regnum parabat. Quod ubi Conſtantia, pueri mater, non obſcuris indiciis
comperiſſet, ſibi, ac filio metuens, collectis maximam partem theſauris, accepta-
que regni corona, in nonnullorum Epiſcoporum, ac Procerum comitatu Viennam
ad Leopoldum Auſtriæ ducem fuga cum puero evaſit (*b*), eluſis inſidiis, quas An-
dreas in regni limitibus collocarat. Ea re bellum inter Hungaros, & Auſtrios con-
flatum eſt. Leopoldus enim cognomento Glorioſus, Ladislai cauſa ingentem exer-
citum comparaverat, eoque Hungariam ingreſſus, Andream, ut pactis, quibus a
1205. fratre obſtrictus erat, ſtaret, armis cogere voluit. Neque is ſegnior contractis co-
piis Leopoldo obviam venit, hoſtem regno exacturus. Jam res ad prælium ſpecta-
bat, cum nuntius Vienna affertur, Ladislaum præter omnium exſpectationem obiiſſe.
Inopinato nuncio belli quoque facies converſa eſt: Leopoldus defuncto Ladislao
nihil cauſæ habens, cur bellum extraheret, inita cum Hungaria amicitia, coronam,
quam Conſtantia nuper ſecum attulerat, reddit, & copias ex Hungaria reducit (*c*).
Ita bellum in ipſo ortu profligatum eſt. Corpus Ladislai ab Epiſcopo Jaurinenſi (*d*),
ceteriſque Optimatibus, qui infantem ex Hungaria profugum comitati ſunt, bona
Andreæ venia Albam delatum, & regiis exequiis humatum eſt. Conſtantia vero in
Arragoniam ad Petrum fratrem remiſſa, triennio poſt Friderico Siciliæ regi, adniten-
te Sanctia regina Cæſarauguſtæ collocata fuit (*e*). Ex quo error noſtrorum ſcripto-
rum facile refellitur, qui Emericum, paucis menſibus ſuperſtite filio, defunctum
eſſe anno ſupra milleſimum ducenteſimo prodiderunt.

Unde bellum utrinque abortum.

Improviſa Ladislai morte diremtum.

ANDRE-

b) Ortilo ad an. 1204. „Emericus Hun-
„gariæ rex obiit. Andreas frater debebat
„eſſe tutor Ladislai filii ejus, ſed ut regem
„ſe geſſit. Regina mater Conſtantia cum
„filiolo, & corona regia fugit ad Leopol-
„dum ducem, hic exules benigne recepit,
„& pro eorum favore arma paravit.„ Et
Chronic. Admont. „Regina Hungarorum
„Heinerici regis vidua ſecum habens quoſ-
„dam Epiſcoporum, & optimatum Hunga-
„ricorum, qui propter jusjurandum, quod
„infantulo regi juraverant, adhuc in parte
„ejus ſtabant, per vim occupatis portis, &
„cuſtodiis terminorum Ungarici regni ver-
„ſus Wien, ducens ſecum filium ſuum cum
„theſauris, & divitiis magnis, & comitatu
„copioſo egreſſa eſt, & a Liupoldo Duce,
„de quo propter affinitatem plurimum præ-
„ſumebat magnifice ſuſcepta.„ Similia pror-
ſus Chron. Clauſtro Neoburg.

c) Ortilo ad an. 1205. „Dux Leopol-
„dus in bellum proceſſit adverſus Andream
„Ungarum pro Ladislao puero rege. Sed
„hic parato jam prælio Vienne defunctus
„eſt, & ſic Andreas jam legitimus rex erat.
„Dux Leopoldus milites ex Hungaria redu-
„xit.„ - -

d) Chronic. Admont. ad an. 1205. „Pau-
„cis tranſactis diebus Ladizlaus infans mori-
„tur, corpuſque illius a Jaurino Epiſcopo
„Albam translatum, & in ſepulcro regum
„regio more tumulatum eſt.„ Opinor
Ugrinum tum Jaurinenſem Epiſcopum fuiſſe,
quod hac prærogativa etiam anno 1199. in-
ſignem fuiſſe legerim, & Petrum anno 1209.
jam ejus in ea ſede ſucceſſorem fuiſſe ex in-
ſtrumentis publicis conſtet.

e) Hieronymus Svrita in Indic. rer. Ara-
gon. ad an. 1208.

ANDREAS II. COGNOMENTO HIEROSOLYMITANVS.

Andreas ad regnum evehitur.

Mortuo Ladislao nihil moratus Andreas, regni poſſeſſionem optimatum ac Antiſtitum conſenſu rex inauguratus, eodem anno adiit. Male igitur Lucius ſentit, cum Andreæ annum, iſto priorem, regni aditi primum tribuit, ut ex diplomatibus manifeſto argumento conficitur (*f*). Atque hæc rerum in Hungaria converſio Innocentium Pontificem ſatis diu latuit, quod is epiſtola Andream conveniens, pupillum Ladislaum jam defunctum, ac Conſtantiam infantis matrem magnopere commendaret, ſimulque ad litteras, quas priore anno Andreas miſerat, reſpondens, non regem, ſed Dominum Hungariæ compellaret. Significarat Pontifex, ſe Canonum ſtatutis prohiberi, quo minus Joannem ex Colocenſi ſede, quemadmodum petiiſſet, ad Strigonienſem transferret. Sed juvat ipſum Innocentium ea de re audire ita ad Andream litteras exarantem.

ILLVSTRI VIRO ANDREAE, DOMINO HVNGARIAE.

Litteras a Pontifice accipit ob litem inter Joannem, & Calanum de Strigonienſi Archiepiſcopatu.

„Novit ille, qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum, quod ad
„honorem, & profectum tuum ardenti deſiderio aſpiramus, pro certo ſperantes,
„quod progenitorum tuorum inhærens veſtigiis, ſacro ſanctam Romanam Eccleſiam,
„matrem tuam prompta devotione cupias venerari. Licet ergo per primas litteras.
„quas noſtro Apoſtolatu deſtinaſti, poſtquam ad regni gubernaculum aſcendiſti, fraterno
„ſigillo ſignatas nos duxeris exorandos, pro venerabili fratre noſtro, & Colocenſi Ar-
„chi Epiſcopo ad Strigonienſem metropolim transferendo, poſtmodum tamen per
„alias litteras tuo charactere inſignitas, nobis humiliter ſupplicaſti, ut poſtulationem
„de venerabili fratre noſtro C. (*g*) Quinque Eccleſienſi Epiſcopo, ad eandem
„metropolim evocato, admittere dignaremur. Super quæ cum fratribus noſtris de-
„liberavimus diligenter, & quoniam invenimus eam poſt appellationes ad nos legi-
„time interpoſitas in multa diſcordia non ſolum ſuffraganeorum, verum & Canoni-
„corum Strigonienſis Eccleſiæ contra formam mandati noſtri, regulari ordine præter-
„miſſo, temere celebratam, illam exigente juſtitia non duximus admittendam, do-
„lentes pro te pariter, & pro ipſo, quod ad poſtulationem hujuſmodi non eſt eo
„modo proceſſum, ut eam ſecundum Deum approbare poſſemus. Monemus igitur
„ſerenitatem tuam, & exhortamur attentius, quatenus in hoc non voluntatis no-
„ſtræ duritiem, ſed canonicæ ſanctionis cenſuram attendas, quam ſine perſonarum
„acceptione retinere volumus, ut debemus: cum in manu noſtra non debeat eſſe
„pondus, quaſi ſtatera doloſa. Scimus pro certo, quod preces quas nobis ſecun-
„dum Deum duxeris porrigendas, parati ſumus efficaciter exaudire. Ne vero Stri-
„gonienſis Eccleſia ulterius maneat deſolata, Strigonienſi Capitulo per noſtras da-
„mus litteras in mandatis, ut ad providendum ſibi Paſtorem idoneum per electio-
„nem canonicam, vel poſtulationem concordem requiſito ſuffraganeorum aſſenſu,
„ſi te antiqua, & approbata conſuetudine fuerit, requirendus, infra menſem, poſt
„ſuſceptionem litterarum noſtrarum procedere non poſtponat. Alioquin ex tunc,

f) In fundationalibus litteris Abbatiæ B. M. Virginis de Topliza anno 1211. datis ita in calce additur: *regni noſtri anno VII.* Et decretum corpori juris Hungarici inſertum habet annum 1222. fuiſſe annum regni XVII. denique in litteris Abbati Cœnobii S. Benedicti ad Granum fluvium datis, perhibet annum Chriſti 1209. fuiſſe annum regni quintum, quæ omnia evincunt Andream anno 1205. regnare cœpiſſe, ut rationem ſubducenti facile patebit.

g) Calanus Epiſcopus Quinque Eccleſienſis. Addit Peterfivs, fuiſſe Dalmatiæ, & Croatiæ Gubernatorem. Recte id quidem, at non hoc anno. Primum enim anno 1189. Banus Sclavoniæ; anno 1190. præter priorem titulum geſſit quoque vicarii Dalmatiæ, & Croatiæ, anno 1193. autem fuit Dalmatiæ, ac Croatiæ Gubernator, ut ex litteris publicis habetur.

1205. „ ne gregi Domioico diu deſit cura paſtoria, ad providendum eidem Eccleſiæ paſto-„ rem idoneum procedemus ſecundum officii noſtri debitum ex plenitudine Apoſto-„ licæ poteſtatis. In quo, quantum cum honeſtate ooſtra poſſumus, tuo defere-„ mus honori. Datum Romæ ad S. Petrum anno Incarnationis Domini MCCV. „ Pontificatus VIII. Indictiooe VIII., VIII. calendas Julii. (*b*)

Quem finem lis acceperit.

Agebatur lis abhinc, quam Guilielmus Strigonienſis Archi-Epiſcopus obierat, inter Canonicos, & ſuffraganeos Epiſcopos, quibuſdam in Joannem Colocenſem Archi-Epiſcopum, ut ſupra narratum eſt, aliis in Calanum Quinque Eccleſienſem ſuffragio ſuo inclinantibus. Utraque pars nuntios cum litteris miſerat, ut Pontificem de controverſia edoctum in ſuam ſententiam flecterent. Innocentius, cauſa diligenter deliberata, pro Joanne pronunciavit, ſolutumque Colocenſi vinculo ad Strigonienſem cathedram tranſire paſſus eſt. Simul litteras ad Præpoſitum, & Strigonienſe Capitulum dat, ſententiæ ſuæ rationem prolixe explicans: ad extremum graviter hortatur, ut judicio ſuo acquieſcant. *Monemus igitur* (ſcribit) *diſcretionem veſtram attentius per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eidem Archi-Epiſcopo reverentiam, & obedientiam debitam impendentes, & ſalubria monita, & mandata ipſius recipiatis humiliter, & inviolabiliter obſervetis, ut & ipſe paternum vobis teneatur exhibere affectum, ſi devotionem apud vos invenerit filialem, & nos devotionem veſtram merito commendare debeamus. Datum Romæ II. Nonas Octobris.* (*i*)

Papa ob recens natum filium regi per Bambergenſem Epiſcopum gratulatur.

Andreas cum optimi Principis ſpecimen daret, non modo hac in cauſa, ſed aliis quoque in rebus faventem ſibi Innocentium habuit. Pontifex enim eodem hoc anno dum Ferentini moraretur, per litteras *univerſis Pannoniæ Archi-Epiſcopis, cæteriſque Præſulibus, cunctiſque Principibus præcepit, ut ejus proxime feliciter, uti ſperabat, naſcituro filio fidei ſacramento ſe devincirent. Poſt hæc vero accepto de nato filio læto nuntio, Bambergenſi Epiſcopo reginæ fratri, Roma III. calendas reſcribens, injunxit, ut regem adiret, ſuoque nomine gratularetur.* Hæc Raynaldus (*k*) ſi Bertholdum quod ſuſpicor, Joannis nuperrime a Colocenſi Eccleſia ad Strigonienſem traducti fratrem intelligit, liquet Raynaldum ea in re aberraſſe, quod hunc non Epiſcopum, ſed Præpoſitum Bambergenſem ex Pontificis epiſtola ad ſequentem annum docturi ſimus. Niſi forte, ut ex annalibus Sileſiticis conjicio, Ecbertus Gertrudis itidem frater, tum jam Epiſcopus Bambergenſis fuerit, Bertholdus autem Præpoſiti dignitate ornatus. Porro filium recens in lucem editum, cujus Pontifex meminit, multi arbitrantur Emericum fuiſſe, quem poſtea ad S. Crucem in Auſtria monachum induiſſe Jongelinus auctor eſt (*l*). Ego malim Andream dicere, quem ex Gertrude non modo codex juris patrii, ſed auctores prope ſuppares ſublatum perhibent. Qui a patris exceſſu Venetias concedens, ducta prædivite uxore Marcum filium ſuſtulit, ex quo in Gallias traducto ſplendidam Croyorum familiam incunabula habere Juſtus Lipſius prodidit. (*m*)

Cujus nominis fuerit, & qua fortuna deinceps actus.

Reginæ frater a Colocenſibus ad ſedem poſtulatur.

Ceterum Bertholdus, qui cum Ecberto fratre Pontificis juſſu regi gratulaturus Bamberga in Hungariam advenerat, ab Colocenſi ſacerdotum collegio in Joannis loco Archi-Epiſcopus electus fuit, ſive gratiam Andreæ eatenus captarent, ſive prioris Præſulis cauſa id honoris ei delatum vellent. Appulerat olim animum ad res profanas Bertholdus, jamque virginem, nobiliſſimo genere natam, ſibi ſubarrhaverat, cum converſo repente ſtudio, rem uxoriam faſtidiens caſtimoniæ voto, Deipara, quæ ſe ei aſpectabilem præbuit, hortante, Deo ſe obſtrinxit, & nuncium ſponſæ remiſit: (*n*) quæ haud multo poſt, vinculo priore per Pontificem ſoluta, Chephano ex Hedervariorum familia, regni Palatino nuptui collocata fuit. Atque idem hic Bertholdus eſt, quem a Colocenſibus ſacerdotibus Archi-Epiſcopum electum narravimus.

Electionem Andreas ratam habuit.

1207. Electionem rex non modo ratam habuit, ſed Innocentium quoque per litteras orabat, ut ea in re ſibi gratificari vellet. Pontifex, quamquam Andreæ præ ceteris

b) Peterfy Tom. I. concil. Hung. pag. 67.

i) Idem ibidem pag. 69.

k) Annal. Eccleſ. ad annum Innocentii nonum, qui congruit cum anno Chriſti 1206.

l) Notitia Abbatum Ciſtercienſium lib. IV.

m) Apud Timonem in Epit. Chronolog. ad annum Chr. 1217.

n) Claudius Rota de ſanct. Hung. cap. CLVIII.

teris Principibus ſtuderet, veritus tamen, ut homo qui recens ad Eccleſiaſticum vitæ genus tranſierat, dignitati illi par eſſet, rem Salisburgenſi Archi-Epiſcopo commendarat, a quo de ſcientia, & ætate Bertholdi edoctus bunc in modum regi, quo minus ejus voluntati, ac deſiderio poſſet ſatisfacere, reſcripſit.

ANDREAE ILLVSTRI REGI HVNGARIAE.

Pontifex tamen confirmare eum renuit, & cur id faceret, cauſas reddit.

„Sicut regali prudentiæ per alias nos meminimus littetas miſiſſe, illa te ca-
„ritatis prærogativa diligimus, ut nihil tibi negare velimus, quod eſſemus aliquando
„cuiquam Principum conceſſuri, cum ad honorem, & profectum tuum, quantum
„cum Deo poſſumus, efficaciter aſpiremus. Licet autem affectuoſas nobis preces
„porrexeris pro dilecto filio - - Pabenburgenſi (o) Præpoſito, germano - - conjugis
„tuæ in Archi Epiſcopum Colocenſem electo, ut ei, quem in Arcbi Epiſcopali
„officio tibi, & regno tuo utilem, ac neceſſarium fore confidebas, beneficium con-
„firmationis conferre, ac donum pallii tranſmittere dignaremur, quia tamen Apo-
„ſtolus docet, ut manus cito nemini imponamus, videlicet, antequam de ipſo per
„examinationem Canonicam habeamus certitudinem pleniorem, & nos de ipſiua
„Præpoſiti ætate, ac literatura eramus incerti, venerabili fratri noſtro - - Archi Epi-
„ſcopo, & dilecto filio - - Præpoſito Salceburgenſi dedimus in mandatis, ut ſuper iis
„diligenter inquirerent, & quod invenirent, nobis fideliter intimarent, ſerenitati
„tuæ litteris Apoſtolicis intimantes, quod ſi litteratura non ſolum eminena, ſed
„ſaltem competens in eo foret inventa, & ætas non ſolum perfecta, ſed ſaltem per-
„fectioni vicina, uſque adeo tuæ deſiderabamus ſatisfacere voluntati, ut niſi tan-
„tus, appareret in utraque defectus, quod non deberet aliquatenus tolerari, tem-
„perato rigore cum ipſo curatemus ex gratia diſpenſare, alioquin non noſtræ duri-
„tiæ, ſed ipſiua poſſet inſufficientiæ Imputari, ſi tua ſupplicatio circa ipſum opta-
„tum non ſortiretur effectum. Præfatus autem Salceburgenſis Archi Epiſcopus
„nuper Apoſtolatul noſtro per ſuas litteras intimavit, quod accedena ad fines Hun-
„gariæ, duobus ſuffraganeis Colocenſis Eccleſiæ, aliisque viris idoneis in ſua præ-
„ſentia conſtitutis, ad examinationem prædicti Præpoſiti juxta ſormam mandati no-
„ſtri proceſſit, aſſerens, ſe teperiſſe illum, textum expedite legentem, & interpre-
„tantem ejuſdem verba ſuo idiomate competenter, & apte præterea de conſtructio-
„ne grammatica reſpondentem, quemdam vero militem, ipſius Præpoſiti pædago-
„gum, juramento corporaliter præſtito, affirmantem, eum indubitanter eſſe vigin-
„ti quinque annorum, & ultra, & huic quidem ætati ſtaturam ſui corporis concor-
„dare. Nos ergo ſuper iis habito cum fratribus noſtris diligenti tractatu perpendi-
„mus evidenter; eum nec in jure Canonico, nec in Divino eloquio, vel tenuiter
„commendatum, & ætatem ipſius non ſolum, non eſſe perfectam, ſed nec etiam
„perfectioni vicinam. Quæ duo, videlicet, ætas legitima, & litteratura ſufficiens,
„adeo ſunt Archi Epiſcopo neceſſaria, qui debet eſſe pater patrum, & magiſtrorum
„magiſter, ut juxta ſtatutum Lateranenſis Concilii, ſi Clerici preſumpſerint quemquam
„eligere, non ſolum in Archi Epiſcopum, ſed etiam in Epiſcopum, qui patiatur
„in illis duobus, aut alterutro eorum defectum, præter hoc, quod irrita eſt talis ele-
„ctio, ipſi ea vice ſint eligendi poteſtate privati, & per triennium a beneficiorum
„perceptione ſuſpenſi. Unde, quod eſt irritum ipſo jure, nos non potuimus ra-
„tum habere, miſericorditer agentes ob tui gratiam, & favorem cum Capitulo Co-
„locenſi, quod ei pœnam in prælibato decreto ſtatutam, non duximus infligendam.
„Dolemus autem non modicum, quod in hoc regiæ non potuimus ſatisfacere vo-
„luntati, ne, ſi forte declinaremus ad dextram, vel ſiniſtram, eſſet in manu no-
„ſtra pondus, & pondus, menſura, & menſura, quorum utrumque abominabile eſt apud
„Deum. Unigenitus enim Dei filius JEſus Chriſtus, qui ab ipſa conceptione ſpiritum
„ſine menſura recepit uſque ad triceſimum annum diſtulit prædicationis officium e-
„xercere per hoc evidenter oſtendens, quod ante triceſimum annum nemo ſibi de-
„bet prædicationis officium cxercere, per hoc evidenter oſtendens, quod ante tri-

 „ce-

o) Opinor legendum Bambergenſi, alioquin quid nomine Pabenburgi veniat ignoro, neque puto Epiſcopatum ejus nominis, aut Eccleſiam Cathedralem uſpiam exſtare.

1207. „ceſimum annum nemo ſibi debet prædicationis officium uſurpare, quod maxime „convenit ſolicitudini paſtorali. Ex eo vero, quod legitur, quia Jeſus erat inci„piens quaſi annorum triginta, notatur, quod ſi eligendus in Præſulem ſit illi ætati „propinquus, diſpenſari poteſt cum illo, quando neceſſitas, vel utilitas id expoſcit, „dummodo ei vita, & ſcientia ſuffragentur, ejus exemplo qui cœpit facere, & do„cere. Nam qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. „Alioquin, ſi videlicet ſecus fiat, non diſpenſatio, ſed diſſipatio eſt cenſenda. Ro„gamus igitur celſitudinem regiam, & monemus, quatenus in eo, quod juris neceſ„ſitas fieri non permiſit, tua ſerenitas non turbetur, ſed potius faciat præfatum Præ„poſitum Theologicis, & Canonicis inſtrui documentis, ut, cum tempore proceden„te profecerit in ſcientia litterali, nos ad honorem, & profectum ipſius tecum pa„riter intendamus: quia nec tibi, nec illi procul dubio expediret, ut contra Deum „onus aſſumeret paſtorale, ne forte unde putares proficere, inde magis deficere „mereretis, noſque tu viles merito reputares, cum intelligeres, quod propter regem „terrenum, non timuiſſemus offendere regem cæleſtem, qui corpus, & animam „poteſt mittere in gehennam. Datum Laterani Non. April. anno decimo (p).

Diremta has lite.

Ex quibus perſpicue intelligas, quæ conſtituendorum ſacerdotiorum ratio id temporis obtinuerit. Etſi enim indulgente regum beneficentia electio in Canonicorum arbitratu nonnunquam fuerit, ut quemcunque ſive ex ſuo gremio, ſeu aliunde Epiſcopum poſtulare integrum iis eſſet, electi tamen nomen, & merita ad regem deferri oportuit; qui, ſi illi probaretur, idoneumque videret, ut munus cum dignitate tueatur, ratam electionem habuit, edoctumque propterea per nuntios, aut litteras Pontificem orabat, ut ne electo conſecrationem & bullas conferre gravaretur. Bertholdum tamen ex electionis jure, quamquam Innocentius minime aſſenſus ſit, Archi Epiſcopali titulo uſum fuiſſe, ex rebus poſtea narrandis declarabitur.

Reis Dalmatiæ naviter curat.

His perfunctus Andreas ad rempublicam profanam ſtudium convertit, a Dalmatia curas exorſus. Jadrenſes ſponte deditionem Venetis feciſſe, certis conditionibus amicitiam pactos, alias memoratum eſt. Ne dominatum ſuum latius porrigerent Veneti, Andreas Almiſum Chulmenſis provinciæ caput, locum ſitu in primis opportunum, tum ad dominium inſularum retinendum natura commodum, ex quo mare infeſtum ſemper reddi poſſet, operibus militaribus communiri juſſit, civeſque, ut ſibi in fide conſtantes redderet, largiſſimis privilegiis donavit (q). Haud minor Sibenico, Tragurio, ac Spalato cura impenſa, quibus, ut fere Dalmatia, quæ Hungarorum juri obnoxia fuit, continebatur, ita magno ſtudio cautum fuit, ut, ſi quid a Venetis periculi ingrueret, ne quid hac parte detrimenti paterentur.

Colomanus initis cũ Salomea nuptiis voto caſtimoniæ ſe obſtringit.

Eodem anno, ſi Poloni ſcriptores rem tempori rite reddunt, Colomanus Andreæ filius natu ſecundus cum Salomea, Leſci Albi filia, Haliciam dotis nomine accepit: conſpirantibus tamen utrinque voluntatibus caſtimoniæ maluerunt voto, quam connubio jungi. Ingreſſus magno Epiſcoporum, & optimatum comitatu Haliciam, Colomanus, rex omnium ſuffragio ſalutatur, haud multo poſt in Meſceslao æmulum nactus, a quo, adſcitia in belli ſocietatem Ruſſis, regno privatum, & in Hungariam rejectum, cum locus poſtularit, narrabimus (r).

Jus coronandi Hungariæ reges Archiepiſcopis Strigonienſibus aſſertum.

1209. Inter hæc nuntios cum litteris ad Pontificem rex miſerat, quibus majorem in modum rogabat, ut jus reges Hungariæ coronandi Strigonienſibus Archi Epiſcopis pro ſua auctoritate aſſereret, non nihil enim controverſiarum a Belæ temporibus, quem a Colocenſi inauguratum narravimus, interceſſiſſe veriſimile eſt: neque Ioannem metropolitam partibus ſuis defuiſſe opinor, ad quem Innocentius momentis in utramque partem diligenter expenſis in hæc verba reſcripſit.

„Juſtis petentium precibus dignum eſt, facilem nos præbere aſſenſum, & „vota, quæ a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Cum „ergo Venerabilis in Chriſto frater poſtulaſſes a nobis, ut jus coronandi Hungaricos reges, quod ad te, ac ſucceſſores tuos aſſeris pertinere, tibi, & illis Apo„ſtolico dignaremur privilegio confirmare; nos inſpecto regeſto felicis recordationis

p) Balvzivs lib. X. Num. 39.
q) Lvcivs Lib. IV. cap. IV.
r) Cromervs rer. Polonic. lib. VII.

„ nis Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, in eo perſpeximus contineri, quod, cum
„ Principes, & Barones Hungarici regni ab eodem prædeceſſore noſtro cum multa
„ precum inſtantia poſtularint, ut, ſi bonæ memoriæ Laurentius prædeceſſor tuus
„ juxta mandatum ipſius inclitæ recordationis Belam, tunc in regem Hungarorum
„ electum, contradiceret coronare, ipſi per alium imponi regni faceret diadema, ne regno,
„ & Ecleſiæ Hungaricæ gravia poſſent pericula provenire, ſi dictus Bela celeriter un-
„ ctionem non reciperet, & coronam: idem prædeceſſor noſter præfato prædeceſſori tuo
„ per Apoſtolica ſcripta mandavit, & in obedientiæ virtute præcepit, ut ſupra dictum ele-
„ ctum in regem omni dilatione, contradictione, & appellatione poſtpoſitis coronaret, aut
„ ſi per ſe ipſum eum forte pro debilitate corporis coronare non poſſet, bonæ me-
„ moriæ Colocienſi Archi-Epiſcopo intimaret, ut eum abſque præjudicio honoris, &
„ dignitatis ipſius, ac Strigonienſis Eccleſiæ, congregatis Epiſcopis regni, in loco,
„ ubi reges coronari conſueverunt, in regem inungeret, & ſibi coronam imponere non
„ differret, recepto prius ab eodem electo in regem ſcripto, de conſilio, & aſſenſu
„ ipſorum, & Principum regni aperto ſuo ſigillo bullato, quod ex hoc nullum ei,
„ vel Strigonienſi Eccleſiæ præjudicium fieret, quo minus Hungarici reges ab Archi-
„ Epiſcopis ejuſdem Eccleſiæ ſemper debeant coronari, præfato Colocienſi dans ni-
„ hilominus in præceptis, ut, ſi prædictus Prædeceſſor tuus coronare nollet eundem,
„ nec in hac parte ipſi committere vices ſuas, idem auctoritate Apoſtolica fretus, con-
„ tradictione, ac appellatione poſtpoſitis, abſque præjudicio illius, & Strigonienſis
„ Eccleſiæ non poſtponeret coronare, ita quidem, quod idem electus in regem an-
„ te coronationem ſuam Eccleſiæ ſæpe fatæ ſcriptum faceret ſupra dictum, quod idem
„ ipſi fecit poſtmodum --- (s) Felicis quoque recordationis Clemens, & Cæleſtinus
„ ad inſtar præfati prædeceſſoris noſtri, dignitatem coronationis regum Hungarorum,
„ deceſſoribus tuis, & Eccleſiæ tibi commiſſæ authoritate Apoſtolica confirmarunt.
„ Nos igitur eorundem prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes præfatum jus,
„ ut videlicet Hungarici reges ab Archi-Epiſcopis Strigonienſibus ſemper debeant
„ coronari, Tibi, & ſucceſſoribus tuis authoritate Apoſtolica confirmamus, & præ-
„ ſentis ſcripti privilegio communimus, ſalva ſemper Apoſtolicæ ſedis authoritate, a
„ qua Hungarici regni corona proceſſit. --- Datum Laterani per manum Joannis
„ S. Mariæ in Cosmedin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarii Indictione XII. Idibus
„ Maji, Incarnationis Dominicæ anno M. CC. IX. Pontificatus vero D. Innocentii
„ PP. an. XII. „ (t) Hæc Innocentius: quamquam poſtea rurſus, etſi incertum ſit quam
ob cauſam; aliquid propterea diſſidii obortum eſſe referemus.

Inter hæc Colomanus in Halicia extremo propemodum diſcrimini objectus eſt. Meſcislaus qui jam ante Colomani adventum Haliciæ principatum ſibi vendicabat, ægre tulit, Hungarorum, ac Polonorum opera ſe illo excluſum eſſe. Ruſſi pariter converſionem ſactorum veriti, apertis ſtudiis Meſcislai partes ſectabantur. Horum auxilio fortunam tentandam ratus, adſcitis etiam in ſupperias Polonis, tum Volodomiro, Roſcislao Davidis, & altero Roſcislao, Meſcislai Ducum filiis, recta in provinciam ducit, vaſtatiſque agris, urbi provinciæ cognomini appropinquat. Hungari, & Poloni, re comperta occurrere potius aperto marte, quam intra muros præſtolari malebant. Itaque communita diligenter arce, *& Colomano cum uxore, & imbelli multitudine in ea relicto, hoſtibus adventantibus obviam progreſſi, prælium, commiſerunt. Nec difficulter Poloni, qui dextrum tenebant cornu, Ruſſos loco moverunt, fugienteſque longius proſequuti ſunt: Quin in altero quoque cornu jam ad Hungaros inclinabat victoria. Ibi Meſcislaus cum Polonis eos a tergo adortus, facile ſecuros diſſipavit, & magna ſtrage profligavit. Majorem etiam in Polonis ſine ordine revertentibus ſtragem edidit, cum vexillum eorum captum erexiſſet. Accurentes enim ad id a Polonis pariter, & Ruſſis converſis excipiebantur, & trucidabantur. Ita totus fere ille exercitus ad internecionem deletus eſt. Colomanus autem a victoribus in arce diu obſeſſus, tandem ſame, & ſiti adactus, deditionem fecit, & annum fere totum una cum uxore Salomea in cuſtodia aſſervatus eſt a Meſcislao.*

Colomanus, qui Haliciam a patre regendam acceperat, a Meſcislao obſidetur.

Captuſque annum fere cum conjuge captivus detinetur.

s) Scriptum id ſupra ad annum Chriſti MCLXXIV. memoravimus.

t) Doct. P. Michael a ſanctiſſima Trinitate ex Clericis regularibus Piarum Scholarum in Natalibus Archi-Epiſcopatus Colocenſis pag. 41.

1210.

In libertatem per Legatos a patre miſſos aſſeritur.

Hæc verbis; ac fide Cromeri (*u*): etſi de illo magnopere dubitem, quod Colomannm, dum ſui obviam hoſti progrederentur, in urbe deſidem cum uxnre commoratum fuiſſe perhibeat, quem ceteroquin ita fortitudine militari inclaruiſſe conſtat, ut cum paucis ſuorum impetum Tartarorum ſuſtinens, pulcherrimo mortis genere, vitam pro patria ponere non metueret, ut alias prolixe proſequemur. Quidvis ſit; Andreas, ubi caſum filii comperiſſet, Legatos ad victorem miſit, qui Colomani libertatem quibus poſſent conditionibus paciſcerentur. Habitis ultro, citroque ſermonibus in hæc pacta conventum eſt: oblitteratis utrinque injuriis Maria Meſcislai filia, Andreæ filio natu majori Belæ nuberet: conciliatis nuptiis, ubi triennium evolutum fuiſſet, Haliciam Meſcislaus bona fide Colomano redderet. Quamquam ex Pontificiis litteris olim oſtenſuri ſimus, non alia conditione pacem confectam eſſe, quam ut Colomanus, quidquid juris in Haliciam haberet, fratri ſuo Andreæ cedat, idque patrem coactum eſſe, ut jure jurando firmaret. Credo Halicienſes huc conſilil delapſos, quod, dum Colomanus cum Salomea caſtimoniæ voto ſe obſtrinxiſſet, nullos ex

Quibus conditionibus.

1211. eo matrimonio hæredes procreandos, itaque provinciam quoque turbis olim objectum iri metuerent. Sancitis itaque fœderibus ad patrem Colomanus revertit (*x*). Erat tum Andreas in Sclavonia, & Bertholdum conjugis ſuæ fratrem, quem a Colocenſibus electum Archi-Epiſcopum narravimus, provinciæ toti Banum præfecit, quemadmodum ex diplomate Abbatiæ Topplicenſis eruitur, cujus clauſulam, ob dignitatum, & virorum ea ætate viventium nomina annalibus inſerendam duxi. *Datum per manus Magiſtri Thomæ aulæ regiæ Cancellarii, & Weſprimenſis Præpoſiti anno ab Incarnatione Domini MCCXI. Venerabilibus Joanne Strigonienſi Archi-Epiſcopo, Rdo. Bertholdo Colocenſi electo, & Bano exiſtente, Kalano Quinque Eccleſienſi, Boleslao Vaczienſi, Catopano Agrienſi, Simone Varadinenſi, Deſiderio Chanadienſi, Willino Tranſilvanienſi, Gathardo Zagrabienſi, Petro Geurinenſi, Roberto Veſprimenſi, Eccleſias feliciter gubernantibus, Both Polatino, & Muſſinienſi Comite, & Michaele Vaivoda exiſtentibus, Petro Bacſienſi, Jula Budrigienſi, Bancone Bichorienſi, qui & curialis eſt Comes reginæ. Marcello Kevienſi, qui & curialis comes eſt. Ocbuz Suprunienſi, regni noſtri anno VII.* (*y*). Atque Michaelem hunc, cujus hic mentio fit, alterum ab Lenſtathio Tranſilvaniæ Vayvodam ex diplomantibus habemus, qui biennio abhinc eadem dignitate conſpicuus jam fuiſſe ex aliis ejuſdem Andreæ litteris colligitur (*z*). Sed Bertholdus Sclavoniæ Banus tam aperta benevolentiæ ſignificatione, ac favoribus ab Andrea excultus, haud multo poſt, ut narrabitur, indigno prorſus facinore dignitati ſuæ macu-

Rex Colocenſem Archiepiſcopum Sclavoniæ Banum creat.

1212. lam nun levem aſperſit.

Perturbatus Hungariæ ſtatus. Quæ turbarum cauſa?

Turbarum intera non nihil in Hungaria enatum eſt, ex quo capite, aut inter quos, fateor mihi incompertum eſſe. Nam rex in epiſtola ſequente anno ad Pontificem data diſerte profitetur, pacem cum adverſa parte coaluiſſe, in cujus tractatione communi omnium ſuffragio ſancitum fuerit, ut decima monetæ pars, quocunque loco æris feriundi conſuetudo eſſet, ad Strigonienſem Archi-Epiſcopum pertineret: tum ut reges, ac reginæ Hungariæ, eorumque hæredes ſacramenti fide obſtringerentur, an regno, an aliis, nihil exprimitur, ita tamen rem habera, ex regis litteris; quas anno futuro ad Innocentium dederat, patebit. Præterea rurſum lis de jure coronandorum regum oborta, quam ut Pontifex pro ſua auctoritate complanaret, Robertum Veſprimienſem Epiſcopum Legati nomine Romam cum litteris miſit, quas ſi quis in lucem produxiſſet, multo planior nobis rerum, quæ ad annales

u) Rerum Polon. Lib. VII.

x) Idem ibid.

y) Hiſt. Zagrab. pag. 39.

z) Apud Timonem in Imag. novæ Hong. cap. III citat diploma, quo rex Abbati cœnobii S. Beoedicti ad Granum Pontificalium veſtimentorum uſum impetravit, ubi hæc ſubſcriptio: *Venerabili Joanne Strigonienſi Archi-Epiſcopo, Reverendo Bertholdo, Colocenſi electo exiſtentibus: Calano Quinque-Eccleſienſi, Bolezlao Vacienſi, Cathopano Agrienſi, Simone Varadienſi, Kalenda Bezprimenſi, Deſiderio Chenadienſi, Petro Geurienſi, Eccleſias feliciter gubernantibus. Poch Palatino, & Muſſinienſi Comite, Banc Bano, Michaele Vaivoda exiſtentibus: Marcello Bachienſi, Jula Budrugienſi, Martino Kewejenſi, Ocbuz Suprunienſi, Moys ferrei caſtri, Moche Poſonienſi, Comitatus tenentibus, regni noſtri anno V.* Hoc eſt 1209. Ex quibus apparet Comites limitum Hungariæ, qui in hoſtium molitiones excubare debebant, magnæ fuiſſe olim auctoritatis, qui plerumque in diplomatibus ſua ſubſcriptione fidem litteris conciliarent.

les illuſtrandos attinent, decurreret narratio. Nunc, quod unum poſſumus; conje- 1212.
ctura agendum erit: opinorque turbas anni hujus ab optimatibus, & quibuſdam Epiſ-
copis concitatas eſſe, qui Belam, invito patre, regem coronari voluere. Quæ res
quoniam non leve diſcrimen regno videbatur accerſere, orabat Pontificem Aodreas,
ut ſi quis ſe vivo, invitoque id molieretur, eum ſacris omnibus interdiceret. Sed
hæc ad annum futurum in clariore luce ponentur.

Triennio, quod cum Halicienſi Duce rex pepigerat, nondum evoluto, Andreas 1213.
Meſciſlaum de fœderum implendorum fide per nuncios commonefecit; ipſeque haud
multo poſt cum Colomano, & exercitu iſthuc profectus Haliciam, ut conventum erat,
filio poſſidendam dari petiit. Non erant inviti Ruſſi, facileque Colomanum pro rege
ſe habituros polliciti ſunt, præterea ad Romanam Eccleſiam, haud invite acceſſuros,
ſi ex Majorum ritu ſacra illis obire integrum eſſet. Andreas acturum ſe apud Papam
de re promittit, & confirmatis in fide plerorumque animis in Hungariam revertitur.

Abſente in Halicia rege.

Haoc præter opinionem luctu ingenti conſternatam reperit. Gertrudis enim
Regina interea, cum Rex in Ruſſia abſens erat (*a*), a Bancone Sclavoniæ Bano, im-
maniſſimo ad poſterorum memoriam flagitio obtruncata eſt (*b*). Execrandum faci-
ous, quoniam a variis varie refertur, ipſis ſcriptorum verbis in medium proferre,
non abs re erit, ut facilius de inhumaniſſimo ſcelere judicium conſtitui poſſit. Bon-
finius poſtea, quam regem ex Dalmatia ſolviſſe, ac Conſtantinopoli, quoad ſacra
militia, cui a Pontifice præfectus erat, coofluerer, moratum fuiſſe narraſſet, in hæc
verba ſubjungit (*c*). „Interea miſerabilis caſus interceſſit, perpetua memoria oon
„indignus, in quo fortitudinem, cooſtantiamque ſuam Hungariæ regem oſtendiſſe
„ferunt. Ajunt enim Andream peregre dudum profecturum, ut regno bene pro-
„ſpiceret, Banchanum nobili Borum genere natum, ſpectatæ fidelitatis, ac ſapien-
„tiæ virum univerſæ Hungariæ præfeciſſe, regiam gubernandi delegaſſe poteſtatem,
„commiſiſſe illius fidei reginam, liberos, & fortuoas. Inprimiſque admonuiſſe, ut
„juſte regnum adminiſtraret, nulli injuriam fieri pateretur, cum finitimis pacem æquam
„ſervaret, item ocium, & honeſtatem commendavit. Banchanus traditam regni
„ſummam forti animo accepit; ratus maximam ſibi oſtentandæ virtutis, ac fidei
„occaſionem obtigiſſe. Invidit fortuna viro, ac facilem propoſiti ſucceſſum interce-
„pit. Ecce ex Allemannia Gertrudis regioæ frater advenit, ut ſororem, viri abſen-
„tiam ægre ferentem, conſolaretur. Subſedit dies aliquot apud eam, & variis mu-
„lierem illecebris oblectavit. Faciebat id non immerito, quandoquidem indulgen-
„tiſſimam ſibi ſemper fuiſſe noverat. Cum regioa dies, ac noctes Banchani
„uxor verſabatur, mulier ſpectatæ pulchritudinis, ac venuſtatis eximiæ, quam incre-
„dibilis pudicitia nimium exornabat: hujus conſuetudine Gertrudis admodum dele-
„ctari eſt ſolita. Repente fratrem matronæ amor inceſſit, ac ejus multo magis pu-
„dore, quam forma pellectus, uſque adeo perbrevi exarſit, ut efflictim illam depe-
„riret. Regina intellecto fratris ardore, præ temeraria quadam commiſeratione, quæ
„femineo plurimum ineſt ingenio, ei oimium indulſit. Utrumque non ſolum incol-
„loquium accerſi jubet, ſed ad convivium ſæpius invitat, cedit ſæpe colloquentibus,
„& quamcunque ſub aliquo prætextu honeſtatis poteſt, patrantæ veneris occaſionem
„impertitur. Demum ubi conſtantiſſimum feminæ pudorem, haudquaquam labefa-
„ctari ſenſit, in abdito eam cubiculo, introducto fratre, reliquit: ubi tandem illa
„violatæ pudicitiæ jacturam fecit.

Gertrudis regina a Bancone Bano inmaniter cæditur.

Bonfinii de ea cæde narratio multis erroribus ſcatet.

„Subticuit miſella facinus, & ad virum reverſa, cum prolis curandæ gratia
„ab eo amplecteretur, quam infelix, inquit, nunc mulierem amplexaris? uxorem-
„ne, an olidam meretriculam? nempe, ſi uxorem, profecto deciperis: ſi fœ-
„dam meretriculam, in primis ipſe proſpicito, an te coinquinatiſſimo ſcorto inceſtare
„contendas. Violatus Banchane tuus thorus eſt, & quam reginæ uxorem comiſiſti,
„profano lenocinio fratri violandam illa commiſit. Hoc meo corpore, quamvis ani-
„mus inſons, me tamen nunc, nunc exue, quod alieno potius, quam meo ſcelere
„inceſtatum eſt. Proinde ne animi, corporiſque mei inexpiabilis homicida eſſe vi-
„dear, oeve tua dignitas hac turpitudine polluatur, extemplo Banchane, quæſo,

 „me

a) STERO in Annal. Et continuator Coſmæ Pragenſis, uterque coævus auctor.

b) STERO in annal. ad hunc annum.

c) Dec. II. Lib. VII.

,, me interfice, ut violatum pudicitiæ numen ulciſcare. Succenſus his maritus, diſſi-
,, mulato dolore uxorem conſolatur lacrimantem, ac ultro jugulum porrigentem am-
,, plexus oſculatur, exorat ob conjugalem amorem, quem non ejus culpa, ſed alie-
,, na bibido læſerat, ſubticeat communem turpitudinem, a qua ſe graviſſimo, cum
,, tempus dabitur, exemplo utrumque vindicaturum pollicetur. Sedato mulieris ani-
,, mo, diſſimulatum furorem ſuum domitare non potuit. Inſequenti die reginam cum
,, paucis adit, ſtricto, quem ſub toga geſſerat, gladio haud quaquam talia opinan-
,, tem aggreditur, ac letali vulnere confodit. Mox cruento enſe prodit in pubiicum,
,, exclamans, legitimo ſe furore Gertrudim Interfeciſſe, cum uxorem neſando leno-
,, cinio fratri impuriſſimo violandam illa dederit. Quio & ingenue in medio tumultu
,, profitetur, ſe nulla ſupplicia deprecaturum; ſed poſtero ſe die recta cum paucis
,, optimatibus Cooſtantinopolim ad Andream iturum, ultroque ibi læſæ majeſtatis ju-
,, dicium ſubiturum. His dictis tumultus ipſe deſidit: ac is acceptis quibuſdam co-
,, mitibus e proceribus Conſtantinopolim continuatis itineribus pervenit.

,, Invenit ibi regem, qui nondum Europa ſolverat. Ante conſpectum ejus
,, ubi venit: adeſt rex, inquit, gubernator regni tui, quem oeſarium fortaſſe alii
,, paricidam judicarint. Banchanus juſtitia tua ſretus patrato ſacinore non fuga im-
,, punitatem, ſed recto conſugio æquiſſimi tribunalis judicium quærens ad te venit, ut,
,, ſi jure ſuccubuerit, præſentaneum, graveque ſupplicium expendat. Neque alium
,, ſibi judicem poſtulat, niſi, quem læſerit, & qui potius actor, & ultor, quam ju-
,, dex eſſe deberet. Sed hanc inauditam rei audaciam, inaudita ſui Priocipia juſti-
,, tia præbuit. Gertrudis, cui uxorem ancillæ loco commiſeram, intemperantiſſimo
,, fratri violandam tradidit. Ego legitimi furoris, ac turpitudinis impatiens, quam
,, morti minime præferendam documento tuo didiceram, inſidioſam dominam inter-
,, feci. Hic eſt rex juſtæ necis gladius, tuæ conjugis cruore fœdatus. Proinde ſi
,, peccavi, ut intolerabili me turpitudine liberarem, eodem me repente gladio con-
,, fice: ſed, ſi id jure factum cenſes, memorabill apud omnes gentes me ſententia
,, nunc abſolve, ne fruſtra juſtitia tua fretus huc acceſſiſſe videar. Tanta reum con-
,, ſtantia rex audivit, ut vultum, & animum ne minimum quidem immutaſſe dicatur.
,, Ad hæc: fiducia in me tua Bancbane, inquit, ſat de te beoe ſperare jubet. Si
,, res ita eſt, ut ais, in regnum mox redito, delegatum munus pro ſolita fide gerito,
,, & quoniam ſanctam hanc expeditionem nullo capitali judicio interpellari fas eſt,
,, cum rediero in Hungariam, de judicabo. His dictis hominem dimiſit, ipſe traji-
,, ciendas copias in Aſiam curavit.

Refellitur ex temporis, & circumſtantiarum rationes.

Hactenus Bonfinius: qui enorme facinus ad comicæ artis quam hiſtoriæ normam magis exegit, ut ſcenam potius, quam narrationem adumbraſſe videri poſſit. Multa tamen in ea peccantur. Nam cædem, quam poſt regis profectionem in Palæſtinam affigit, certum eſt anno ſeculi hujus decimo, ac tertio eveniſſe, ut ſcriptores illius plane ævi teſtantur, & ex literis Andreæ ad Pontificem planius cooficietur. Et illud a Gertrudis moribus vehementer abhorret, quod ex regina, quam pudiciſſimam matronam fuiſſe, vitæ antea actæ rationes, & caſtiſſima filiæ educatio veriſimiliter oſtendunt, impuriſſimam lenam efficere non veretur. Alioquin non video, quem io modum Gertrudis fratri, dum cum Banconis uxore clanculum & ſæpe colloqueretur, morem geſſerit, quod eum recens ex Germania appulſum linguæ noſtræ prorſus ignarum fuiſſe valde probabile ſit. Neque quis fratrum hic fuerit, perſpicuum eſt. Præter enim Joannem Strigonienſem, Bertholdum Colocenſem Archiepiſcopos, & Ecbertum Bambergenſem Epiſcopum, neminem, quod ſciam reginæ fratrem annales produnt, quam Henricum, & Ottonem Iſtriæ Marchiones (*d*): quos certe ut Gertrudem ob mariti abſentiam ſolarentur, neceſſe oon erat in Hungariam venire, ex qua Andreas nonniſi quarto poſt patratam cædem anno in Paleſtinam conceſſit. Scio non vereri quoſdam, tam immane flagitium Ecberto Bambergenſi Epiſcopo allinere, qui, cum ob ſuſpicionem paricidii, quo Philippus Imperator ab Ottone Witelsbachio Comite Palatino ſublatus eſt, ad Gertrudem ſororem in Hungariam confugiſſet, intempeſtivo amore actus, Banconis uxorem oppreſſerit. Sed quod ſequente anno redintegrata cum Friderico Imperatore amicitia in

ſedem

d) Annales Sileſitici ad an. 1231.

ſedem priſtinam reſtitutus eſſet, quin illi ſeu a Pontifice, ſeu Germaniæ Epiſcopus, ad quos tam vulgatum ſcelus non pentinere non poterat, dies propterea dictus fuerit, opinor criminis ſuſpicionem, quæ illi a malovolis conflata eſt, per ſe illuſtriorem eſſe, quam ut a me refelli debeat (*e*). Neque eorum opinio ferenda (*f*), qui Bertholdum nuptiarum cauſa, quæ inter Eliſabetham ac Ludovicum Thuringiæ Landgravium Budæ celebratæ ſunt, Aquileja in Hungariam adveniſſe memorant, ubi Banconis conjugi variis primum machinationibus circumductæ ſtuprum per vim denique obtulerit. Nam hæc in virum, quem miſſo nobiliſſimæ ſponſæ nuncio ad Eccleſiaſticam vitam traductum narravimus, haud ſatis rite congruunt; neque ad temporis rationem accommode dicuntur. Etſi enim patrata ſororis cæde *Bertholdum* cum theſauro Hungariæ exceſſiſſe dicturi ſimus, paullum tamen poſt eo reſtituto in gratiam cum Andrea rediiſſe, ac dignitatibus quoque auctum conſtabit; neque prius ex Colocenſi ſede ad Aquilejenſem poſtulatum eſſe, quam ſeptimus a cæde annus evolutus eſſet (*g*). Tam intricata, & commentitia ſunt, quæ de Gertrudis cæde a ſcriptoribus conſignata habemus.

Steronis coævi auctoris opinio non undequaque veriſimilis.

Stero, etſi ea ætate ſcripſerit, multa eorum, quæ Bonfinius complexus fuit, reticet, & alia, quæ iſti præterita ſunt, prodidit. *Regina* (inquit) *Gertrudis Hungarorum, mater S. Eliſabeth, ſponſo expeditionem contra Ruthenos movente, a Comite quodam Petro trucidatur - - - . Cui Epiſcopus de Gran miſit in epiſtola amphibologica: Reginam occidere nolite timere bonum eſt: ſi omnes conſentiunt, ego non contradico* (*h*) Si hujus auctoritatem valere volumus, liquet, cædem reginæ collatis conſiliis meditatam, neque tam præcipiti furore, ut Bonfinius ſcribit, patratam fuiſſe. Illud ægre mihi perſuadeo, Joannem Strigonienſem Archi-Epiſcopum in ſceleris partem vocatum: quod neque Banconem, cum reginæ cædem machinatus eſt, fratrem illius conſuluiſſe, neque hunc in ſororia necem conſenſiſſe veriſimile ſit.

Longini ſententia præ aliis probacior.

Fortaſſe omnium optime Longinus rerum Polonicarum ſcriptor de ea re exiſtimat (*i*). „ Miſerando (ſcribit) & miſerabili caſu Pannoniorum regnum ea tempe-
„ ſtate afflictum, & apud Polonos ſibi conterminos, variiſque neceſſitatibus conjun-
„ ctos, & apud vicinas, exteraſque nationes ſonorum ſuæ lamentationis edidit eju-
„ latum: cujus rex Andreas filius Belæ tertii, etſi ſplendido conjugio, & prolis mul-
„ tiplicitate felix, & inſignis eſſet, & de conſorte ſua Gertrude filia Bertholdi Me-
„ raniæ (*k*), & Carinthiæ Ducia, ſorore Germana S. Hedvigis Duciſſæ Vratiſlavien-
„ ſis, & Henrici cum barba conſortis, tres filios, Belam, Colomanum, & An-
„ dream, quartam vero beatam feminam Eliſabeth Landgravio Thuringiæ Ludovi-
„ co Hermani Principis primogenito in ætate tenera deſponſatam (*l*), & multa ſan-
„ ctitate reſulgentem, ſuſcepiſſet, tantæ tamen felicitatis ſuæ fulgorem, fortuna
„ nihil ad plenum tribuens, caliginoſo eventu repente confudit. Præfatam ſiqui-
„ dem reginam Ungariæ Gertrudim, unus ex majoribus Ungariæ Baronibus Bank-
„ banus vocatus, (*m*) de genere Bor ortus, mucrono transverberans funeſta oc-
„ ciſione IV. calendas octobris necavit.

„ Cujus quidem necis duæ a ſcriptoribus feruntur fuiſſe cauſæ. Una quidem,
„ quod præfata regina Gertrudis, uxorem Bankbani in ſua curia conſiſtentem, cui-

e) Apud Lvdewio Tom. I. ſcript. Bamb. pag. 147.

f) Vitus Arnpeckivs in Chron. Bojoarlorum Lib. V. pag. 248. apud Cl. Pez Tom. III. Anecdot. qui præterea addit, reginam ficariorum opera, quos Banco ære corruperat, nocte ſtrangulatam eſſe, quorum nemo pœnam effugerit. Omnes enim contractis membris muti effecti, uno demto, qui patratæ cædis ſeriem ex ordine retexeret.

g) Vghellivs Tom. V. ſacræ Italiæ refert poſtulatum fuiſſe ad Patriarchatum Aquilejenſem an. Chr. 1218., opinor exeunte.

h) Apud Canisivm antiquæ lectionis Tom. I. ad an. 1213.

i) Hiſt. Polon. Lib. VII.

k) Longinvs habet Moraviæ, ſed male.

l) Ludovicus hic cum in Aſiam contra Turcos ad ſacrum bellum proficiſceretur, Brunduſii deceſſit. Quo exſtincto a Mariti fratre ex Thuringia exacta ad Epiſcopum Bambergenſem cognatum conceſſit, ubi in Monaſterio vivens Sanctimoniæ fama etiam poſt mortem inclaruit. Ex hujus filia Sophia, materna ſtirps Landgraviorum Haſſiæ ortum habet.

m) Per errorem paſſim ita dicitur, quod Bani dignitatem in Sclavonia olim geſſerit, re ipſa Banco: unde contractis duobus nominibus, Bankbani nomenclaturam ab ignaris obtinuit.

1213. ,, dam fratri ſuo advenæ, & hoſpiti illudendam conſenſerat. In cujus ſceleris ultio-
,, nem Bankbanus, ſtuprati conjugii pænam, quam a patratore non potuit, a con-
,, ciliatrice exegit. Sed abſurdum videtur, ut femina alioqui per ſe pudica, & ca-
,, ſta, & quæ ſanctam filiam progenuerat, genus quoque ab ingenuis, & religioſis
,, parentibus ducebat, ſtupra, & adulteria procuraſſe credenda ſit.

,, Alia vero, quod cum Andreas Ungariæ rex, ad conſilium conſortis
,, ſuæ Gertrudis plures Alemannos in Hungariam accerſiſſet, & cum illis rebellium
,, Ungarorum caſtra, & munitiones expugnaret, magiſtratus quoque reipublicæ,
,, Ungaris neglectis, Alemannis mandaſſet, Ungari contemtum iri ſe dolentes,
,, ad occidendum regem Andream conſpirant. Et cum præbente illis animum, &
,, ducatum Bankbano, conſpirationem completuri, in curiam regis adveniſſent, An-
,, dreas quidem rex a Gertrude regina aviſatus, fugiens mortem evaſit; Bankba-
,, nus vero, rege non comperto, reginam ſupplices manus pro vita tendentem, lan-
,, ceis, & contis perfoſſam obtruncavit.

Hæc ſcriptores de cæde Gertrudis reginæ, quæ tam diſparata ſunt, ut utri rectius ſentiant, difficile prorſus ſit conſtituere. Ut enim lenocinium tam fœdum a reginæ pudicitia abhorrere veriſimiliter oſtendimus, ita Andream ab Optimatibus ad necem quæſitum propterea, quod magiſtratus præcipuos, excluſis Hungaris, in Alemannos contuliſſet, iidem improbabile eſt, quando ex litteris publicis neminem facile Germanorum, præter Bertholdum, qui Sclavoniæ Banus datus eſt, ad regni magiſtratus admotum eſſe conſtat. Etſi procerum invidiæ, ac turbis quoque objectum ſe fuiſſe, quod Bertholdo Colocenſi Archi-Epiſcopo faveret, ipſe rex in litteris ad Innocentium Pontificem datis diſerte fateatur.

Colocenſis Archiepiſcopus comperta reginæ cæde cum ejus theſauris Hungaria excedit.

Verum de hac re, quoniam quid ſtatuam, in neutram partem ſatis mihi momentorum eſt, quisque, ut voluerit, arbitretur. Bertholdus Colocenſis Archi-Epiſcopus, ubi de cæde ſororis comperiſſet, male ſibi quoque metuens, theſaurum, quem Gertrudis prolium ſuarum cauſa apud civium quemdam depoſuerat, ſeptem marcarum millibus æſtimatum, clam ſurreptum, in comitatu Jaurinenſis, & Veſprimienſis Epiſcoporum, quos peregrinationis ſpecie ſefellerat, ex regno avexit. Andreas cognita uxoris cæde nequaquam, ut nonnulli volunt, in Banconem necis auctorem animadvertit, quippe, qui paullum poſt, & Palatini, tum Sclavoniæ Bani dignitate ornatus fuerit: ſive rex potentiam hominis veritus ſit, ſive reipſa, nam id incertum prorſus eſt, innocentem ſuo judicio declaravit.

1214.

Id Andreas, &c regni turbas Pontifici per litteras ſignificat.

Juvat Andreæ epiſtolam, quam ſequente anno ad Pontificem dederat, audire: quæ etſi non nihil ſit prolixior, tamen, quod, quæ hactenus in medium attulimus, mirifice illuſtret, non prorſus indigna relatu eſt (*n*). Sic vero habet.

,, Sanctiſſimo in Chriſto Patri Innocentio, Dei gratia ſacro-ſanctæ Roma-
,, næ Eccleſiæ ſummo Pontifici, Andreas eadem gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croa-
,, tiæ, Raſciæ, Serviæ, Haliciæ, Lodomiriæque rex (*o*) ſalutem, & filialem devo-
,, tionem. Conſuevit Sedes Apoſtolica, ſe juſta petentibus exhibere facilem, &
,, in explendis honeſtis petentium deſideriis non minus efficacem. Hinc eſt, quod
,, ſuper negotiis noſtris juſtis, apud paternitatis veſtræ manſuetudinem promovendis
,, non immerito fiduciam nobis repromittimus. Noverit igitur ſanctitas veſtra, quod
,, Halicienſes Principes, & populus noſtræ ditioni ſubjecti humiliter a nobis poſtula-
,, rint, ut filium noſtrum Colomanum ipſis in regem præficeremus, in unitate, &
,, obedientia ſacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ perſeveraturis in poſterum, ſalvo tamen
,, eo, quod fas illis ſit, alias a ritu proprio non recedere. Verum ne tam expe-
,, diens nobis, & vobis illorum propoſitum ex dilatione ſuſtineat impedimentum,
,, quod quidem multis ex cauſis accidere poſſe conſtat, ſi Legatum ad hoc exequen-
,, dum a latere veſtro deſtinatum præſtolamur, a ſanctitate veſtra poſtulamus, qua-
,, tenus venerabili in Chriſto Patri, Strigonienſi Archi-Epiſcopo detis in mandatis,
,, ut Apoſtolica fretus auctoritate dictum filium noſtrum eis in regem inungat (*p*),

,, &

n) Apud RAYNALD. ad an. 1214.

o) Alias Volodimiriæ, eademque occaſione credo acquiſitum regnum, quo Halicia in jus Hungariæ aſſertum eſt.

p) BZOVIUS habet Colomanum a Cracovienſi Archi-Epiſcopo coronatum. Sed cum hæc ad an. 1204. collocat, neſcio cujus fidei ſint.

,, & ſacramentum ſuper obedientia ſacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ exhibenda, ab eodem recipiat.

,, Præterea innoteſcere volumus veſtræ Paternitati, nos ad proficiſcendum Hieroſolymas, ſicut & tenemur (q), ſtudioſe intendere, & omni diligentia feſtinare. Ideoque regni noſtri curam, cujus Principes ad diſſentiendum proni ſunt, & filiorum noſtrorum tutelam, quorum ætas patrono indiget, Patri noſtro in Chriſto Strigonienſi Archi-Epiſcopo, qui & dignitate ceteris præeminet, & fidei conſtantia probatus eſt, cum quibusdam aliis, quorum providentia, & in receſſu, & poſt receſſum noſtrum credimus regnum plena tranquillitate potiri, immutabiliter poſſimus commendare. Quapropter rogamus paternitatem veſtram, quatenus compatiendo noſtris neceſſitatibus, ipſum ab onere accedendi ad vos, habeatis excuſatum. Venerabiles autem viros, Quinque Eccleſienſem, & Geurienſem Epiſcopos, nec non præpoſitum Albenſem, Cancellarium noſtrum, dudum voto alligatos, & ſigno Crucis inſignitos, ut nobis itineris ſocii ſint, utpote ex quorum ſocietate non modicas vires conſtat nobis accreſcere, a vocatione veſtra diligenter imploramus abſolvi (r). Deprecamur inſuper Paternitatem veſtram, ut omnes conſpiratores, & infidelitatis machinatores, qui propter regni ſciſſuram, filium noſtrum nobis viventibus, & nolentibus, in regem ſibi præficere, vel coronare attentaverint, tam Clericos, quam Laicos ſententia excommunicationis percellatis.

,, Meminerit etiam ſanctitas veſtra, anno præterito ſuper jure coronationis ad Eccleſiam Strigonienſem pertinente, per venerabilem Veſprimenſem Epiſcopum, Nuncium noſtrum, vos nobis litteras direxiſſe, continentes laudabile conſilium veſtrum, & rationem efficacem. Quod ſi coronatio ad plures pertineret, materiam diſſenſionis, & ſchiſmatis facile excitaret, dum unus unum, alius alterum in regem coronaret, quas cum quibuſdam aliis, a ſede Apoſtolica nobis directis, & continentibus ſolam Strigonienſem Eccleſiam in officiales domus regiæ jurisdictionem habere, in occiſione felicis recordationis uxoris noſtræ per ſubreptionem omiſſæ, quarum continentiam, quia credimus in regiſtro contineri, petimus a ſanctitate veſtra nobis reſcribi.

,, Nec diſſiteri poſſumus, nec volumus, quin decima moneta, ubicunque cudatur in tota Hungaria, vel quidquid loco monetæ ſuccedat, ad jus Strigonienſis Eccleſiæ pertineat: quod etiam in formatione pacis anno ante præterito a parte adverſa publice fuit recognitum, licet minus plene fuerit ſcriptum, quam intellectum. Præſtatio quoque ſacramentorum a regibus, & reginis Hungariæ, eorumque hæredibus, cum ceteris juribus, ſicut in confirmationibus veſtris, & anteceſſorum veſtrorum Apoſtolicorum virorum continetur.

,, Amplius, quod admirari non ſufficimus, & a notitia Paternitatis veſtræ alienum fore nequaquam volumus, Colocenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopum, hominem pacis noſtræ, in quo ſperabamus, ob cujus vehementem affectionem, & promotionem ſuper alios, fere totius regni noſtri majorum ac minorum odium incurrimus, quem etiam a nobis nuper licentiatum, peregrinationis cauſa, ſupra honorem ſibi debitum, extra regnum cum comitatu duorum Epiſcoporum, Geurienſis, & Veſprimenſis conduci fecimus; pecuniam, quam bonæ memoriæ uxor noſtra ad opus, & uſum filiorum, & filiarum noſtrarum (s) conceſſerat, & apud quemdam civem noſtrum depoſuerat, in auro, & argento, in maſſa, vaſis, & utenſibilibus aureis, & argenteis, ad æſtimationem VII. millium marcharum, nobis neſcientibus abſtuliſſe, & aſportaſſe. Petimus igitur a ſanctitate veſtra ſuper reſtituendo quod nobis injuſte ſublatum eſt, Apoſtolicam commonitionem præmitti. Qua interpoſita, & ſatisfactione non ſecuta in tempore, non indigne ferat paternitas veſtra, ſi de ipſius proventibus damnum nobis illatum reſarcire ſtuduero.,,

Hactenus rex ad Papam Innocentium: ex quibus facile intelligimus, Andreæ cum optimatibus pleriſque, Bertholdi cauſa, quem præteritis aliis, ad ſummas Tran- *Noſtra de Gertrudis cæde conjectura.*

q) Voto tenebatur in parentis Belæ loco, qui Palæſtinam adire non poterat.

r) Fortaſſe ad Concilium Lateranenſe, quod inſtabat, evocati fuerint.

s) Hinc colligas, plures filias Andream ex Gertrude ſuſtuliſſe, quam S. Eliſabetham, contra quam codex juris patrii habeat.

Tranſilvaniæ, ac Sclavoniæ dignitates evexerat (*t*), haud optime conveniſſe: quæ cum Gertrudis opera fieri ſibi perſuadere Proceres potuerint, fortaſſe rectius ex hoc capite, quam ex turpi lenocinio, reginæ cædem patrari potuiſſe exiſtimandum erit. Aſſenſuſne ſit autem regi Pontifex, & in quibus, aut contra non eſt exploratum. Belam conſtat, non prius, quam Andreas profectionem Hieroſolymitanam adornaret, regem coronatum eſſe: Bertholdus quoque, reſtituto, quem abſtulerat theſauro, in gratiam cum rege rediit, ut ſerius poſtea a nobis referetur.

Magna in Calanum Epiſcopum Quinque-Eccleſienſem criminatio conflatur.

Ad eundem annum, ut nonnullis videtur (*u*), criminatio in Calanum Quinque-Eccleſienſem Epiſcopum conflata, qua neptem ſuam inceſtaſſe ferebatur, pertinet. Pontifex, comperta accuſatione, datiſque ad Jaurinenſem Epiſcopum litteris graviter præcepit, ut communicato cum ceteris Epiſcopis conſilio, cauſam diligenter cognoſceret, ſibique, quid accuſationi ſubeſſet, quam primum reſcriberet. Quem finem invidioſiſſima cauſa habuerit, magnam partem ex Innocentii epiſtola ad Saulum Chanadienſem Epiſcopum data colligitur, cui in hæc verba ſcripſit (*x*):
„ Cum in juventute ſua venerabilis frater noſter C. Quinque-Eccleſienſis Epiſcopus
„ adeo ſe maturum, honeſtum, & providum exhibuerit, ut propter ſuavem ſuæ
„ probitatis odorem, ab Eccleſia Romana meruerit ornamento pallii decorari, non
„ eſt de levi credendum, quod, poſtquam ad ſenilem pervenit ætatem, turpiter
„ abjecerit jugum Domini, fætores, & fœditates libidinis amplexando; cum labes
„ hujusmodi, quæ nonnunquam in juventute contrahitur, in ſenectute frequentius
„ expietur. Quis præterea de facili crederet, quod vir præditus ſcientia litterarum,
„ propriæ ſalutis oblitus, ad eam paſſionis ignominiam ſe converteret, ut cum pro-
„ pria nepte abominabilem perpetraret inceſtum, cum etiam ſecundum ſententias
„ ethnicorum naturale fœdus inter tales perſonas nihil committat ſævi criminis ſuſpi-
„ cari. Licet igitur rex Hungariæ (*y*) eundem Epiſcopum nobis interdum per nun-
„ tios, & litteras de tali crimine detuliſſet, ſuppliciter poſtulans, & inſtanter, ut
„ malum hujuſmodi pernicioſum exemplo de Ungarica Eccleſia tolleremus; quia ta-
„ men ejus ſuggeſtio non de caritatis radice, ſed ex odii fomite procedere videbatur,
„ cum ipſum tanquam inimicum perſequi non ceſſaret, ſicut eſt in tota provincia
„ manifeſtum, noluimus aures noſtras, quaſi malignis delationibus inclinare, ſed ut
„ probaremus ſpiritum, ſi eſſet ex Deo, bonæ memoriæ Geurienſi Epiſcopo dedi-
„ mus in mandatis, ut prudenter, & caute a coepiſcopis indagaret, utrum præfatum
„ Epiſcopum crederent tali labe reſperſum, qui poſtmodum reſcripſerunt quod eum
„ virum honeſtæ converſationis eſſe credebant, perſonam illius multipliciter com-
„ mendantes.

Incertum tamen, ad quem annum referenda.

Verum hæc liquet præſenti anno minime congruere. Difficile enim creditu eſt, Andream, qui, priuſquam rerum in Hungaria potitus fuiſſet, Calanum ad Strigonienſem cathedram transferri petiit, hoc autem anno datis rurſum litteris oraverat, ut eum ad expeditionem ſacram itineris comitem ſibi habere liceret, tam repente ſtudium, animumque convertiſſe, ut nefarii prorſus criminis per nuntios, & litteras eum inſimularet. Quare ſunt, qui criminationem eam ad Emerici regis tempora revocent, figantque ad annum ſeculi prioris nonageſimum, & octavum (*z*). Recte

ne

t) Fuit enim, ut narratum eſt, Sclavoniæ Banus. Legitur etiam apud Timonem Vayvoda Tranſilvaniæ fuiſſe.

u) Timon in Epitome, aliique nonnulli.

x) Decretal. Lib. II. de præſumpt. cap. XV.

y) Aliqui legunt: *Licet igitur ille rex Henricus Epiſcopum nobis interdum per nuntios &c.*

z) Cl. Kollar. in jure Patronatus Hung. Lib. II. cap. XVII. ſed poſtea, quam hæc abſolviſſem, & aliis intricatiſſimis rebus implicarer, moneor per litteras Doctiſſ. Kollarii, criminationem hanc anno 1206. cœptam, & 1210. iterum recoctam fuiſſe. Mihi, qui ea in re Timonem diligentem alias chronologum ſectatus ſum, tantum otii non erat, ut facinus id ſuo loco reponerem, faciet id Cl. Kollarius, &, ut ſolet, erudite. Certe id facturum ſe litteris ad me datis pollicitus eſt. En tibi illas: *Rem, cujus abs te ad regem Andream II. mentionem fieri percuperem, exponam paucis; ne tempus gravioribus tuis lucubrationibus neceſſarium coram pluribus agendo, ſurripiam. De Calano Quinque-Eccleſienſi Epiſcopo, inceſtus cum nepte Romæ accuſata egi in opuſculo meo de Jur. Patron. pag. 131. quam litem incertus temporis tum in medio reliqui. Nunc a Bosqueto, & Baluzzio meliora edoctus, non male me opinatum fuiſſe video, recoctam iterum fuiſſe calumniam de Calano iſtam. Accuſabatur quippe primum Pontificatus Innocentii III. anno nono, tum*

rur-

1214.

ne hi etiam, an contra, nolim operoſius litigare, certe id temporis Calanum haud ea ætate fuiſſe mihi perſuadeo, ut Pontifex ſenectutis titulo calumniam ab accuſato conaretur amoliri. Quod ſi documenta litteraria hujus Epiſcopatus in lucem prodirent, ſine dubio planius omnia expediri poſſent.

Decreta cruce ſignatorum in Syriam profectione.

Innocentius ſub hæc Concilium Lateranenſe celebrandum indixerat, ad quod cum oratores Principum Chriſtianorum pene omnium convocaſſet, dubium non eſt, ex Hungaria quoque Legatos propterea accitos fuiſſe. Ac Joannem quidem Archi Epiſcopum Strigonienſem, tum Jaurinenſem, ac Quinque Eccleſienſem Antiſtites, ut Pontifex excuſatos haberet, Andream ſuperioribus litteris exoraſſe ſatis veriſimile eſt, credoque eo onere ſolutos eſſe. Nam præter Vriam (*a*) Archi Abbatem montis Pannoniæ, qui præterea Concilio interfuiſſet, neminem repetio, niſi forte Veſprimienſis Epiſcopus, & Cruciferi hoſpitalis Sancti Stephani, pars quoque illius ſynodi fuiſſent, qui juſſu Pontificis litem decimarum cauſa obortam, in publico conceſſu propoſuiſſe leguntur (*b*). Multa in ſynodo acta ſunt, præcipue de liberanda a Turcorum, & Saracenorum jugo Palæſtina. Ad quam expeditionem cum plerique Chriſtianorum Principes Innocentii cohortatione excitati eſſent, ipſeque Andreas ſæpe per litteras commoneſactus, magnos ad eam obeundam rex apparatus faciebat: & quia bonam Dalmatarum, ac Croatorum partem ſecum ducere in animo habuit, ſenſim viam iſthuc ſibi complanavit. Crediderim propterea in Croatiam hoc anno profectum: quod Varaſdinum inter liberas regiasque urbes cooptatam eſſe, diploma hujus anni diſerte habeat (*c*). Jula, qui prius Bacſienſis, tum curiæ regiæ Comes erat, Sclavoniæ ea tempeſtate Bani nomine præfuit, quem in Andreæ deſtinationibus naviter elaboraſſe non improbabile eſt, quod viam ad profectionem Hieroſolymitanam per Sclavoniæ, & Croatiæ regna adornaturus erat.

Andreas in Croatia, ac Sclavonia apparatus fieri jubet.

Tam ſacro ſtudio cum univerſus pene occidens fervet, Innocentius ſequente, anno, dum Genuenſes, Piſanos, ac Longobardos eandem ob cauſam conciliare nititur apud Peruſium XVII. calendas Auguſti obiit: cui Honorius ejus nominis III. in Pontificatu ſuccedit, nihilo cura in ſacram expeditionem inferior; quive Andream per litteras tandem permovit, ut ſacrum bellum, quod Principes Chriſtiani fere ab ejus exemplo penderent, auſpicaretur.

Neque rex hortatibus Pontificis ſe difficilem præbuit: ſed res improviſa præ- 1217.
ter omnium exſpectationem in cauſa fuit, ut rex conſilium tantiſper alteri tempori ſervaret. Id quem in modum evenerit, quoniam video rem noſtris ſcriptoribus pene omnibus præteritam fuiſſe, hoc loco narrandum eſt. Henrico orientis Imperatore Conſtantinopoli defuncto res Latinorum in ea urbe magnopere defluebant. Andreas plurimorum votis ad imperium occupandum vocatus eſt, quod unus omnium maxime idoneus videretur, qui inclinatam iſtbic fortunam inſtaurare poſſet. Rex, acceptis liberaliter nunciis, ad Honorium, ne quid eo inconſulto ageret, continuo litteras, dedit, quibus ſibi, aut Petro Antiſſiodorenſi Comiti, ſocero ſuo, Conſtantinopolitanum imperium a latinis delatum ſignificat, oratque, ut cruce ſignatis, quoniam res moram non pateretur, ad ſequenda ſua ſigna diem indiceret; ſe primum quoque tempore Conſtantinopolim properaturum, ne eorum vota, qui ſpem omnem in ſuis ſuppetiis collocaſſent, fruſtraretur. Cui Pontifex oblatum Imperium gratulatus in hunc modum reſcripſit (*d*).

Interpellatur a Conſtantinopolitanis, qui ei orientis imperium offerunt.

Conſulit propterea Honorium Pontificem.

ILLVSTRI REGI HVNGARIAE.

Illa dilectionis prærogativa tuam perſonam diliximus hactenus, & diligimus, quod libenter admittimus preces tuas, in quantum cum Deo, & noſtra poſſumus honeſtate, nec tua mire-

Hujus ad regem reſponſum.

rurſus anno decimo tertio, ſive annis Chriſti 1206. & 1210. Andrea nimirum, non, ut arbitrabar, Henrico regni apud nos gubernacula tenente. Qua de re aciurien me alias diligentius, ſi non graveris, promittere potes. Hæc ſunt quæ te nunc precibus meis dare vellem: alterum, ut valetudinem tuam operi tuo unice neceſſariam diligentiſſime cures, meque amare ne deſinas. Vale. Ex Biblio. Aug. die 19. Martii. 1763.

a) Timon in Epitome ad hunc annum.
b) Idem ibid.
c) In Hiſt. Zagrab. pag. 80.
d) Apud Raynald. ad an. 1217.

miretur ſublimitas, ſi uſquequaque precibus, quas nuper nobis per tuas litteras porrexiſti, ad præſens non duximus annuendum, quoniam nobis de iis, quæ petebantur, plene conſtare non poterat, nec de circumſtantiis eorundem, quas in illis potiſſimum attendi oportebat. Ex ipſarum ſane accepimus litterarum tenore, quod cum toto deſiderio ad terræ ſanctæ liberationem aſpires, firmum babuiſti propoſitum iter peregrinationis accipere in termino diſtincto in Concilio generali (e). Sed arduus de novo caſus emergens, videlicet, quod univerſitas Latinorum in Græcia commorantium ad te ſuos nuntios deſtinarunt, in Imperatorem Conſtantinopolitanum te, vel nobilem virum Comitem Antiſſidorenſem, tuum ſocerum, electuros, prædictum terminum te prævenire compellit, unde nobis eisdem litteris ſupplicaſti, ut univerſis cruce ſignatis, noſtris curaremus litteris intimare, te per terram, ad ejuſdem terræ ſubſidium profecturum, & monoremus eoſdem, ut ſe tuo comitatui adjungentes tecum votum peregrinationis exequantur aſſumptæ.

Nos ergo de tua exaltatione gaudentes, & illi gratiarum exbibentes multiplices actiones, qui ad præfatæ terræ ſuccurſum vota tua ex clementia ſuæ bonitatis prævent, ipſum ſuppliciter exoramus, ut adjuvando eadem proſequatur, & cruce ſignatis qui ad ſæpe dictæ ſanctæ terræ ſubſidium terreſtri propoſuerunt itinere proficiſci, noſtris literis exbortamur, ut circa paſcba iter arripiant, tecum ad ſæpe dictæ terræ ſubſidium profecturi. Tu ergo caveas diligenter, ne per boc terræ ſanctæ retardetur ſuccurſus, qui multa eſt procuratus ſolicitudine, ac labore, quoniam boc in Dei offenſam, Apoſtolicæ ſedis injuriam, & tui ſempiternum opprobrium redundaret, quod & a nobis non poſſet in patientia tolerari. Super eo vero, quod de regno, & notis tuis deliberatione provida ordinaſti (f), exultantes in Domino, gratias agimus bonorum omnium largitori, a quo bujuſmodi diſpoſitio creditur proveniſſe. De aliis equidem, quæ a nobis eisdem literis poſtulaſti, venerabilis frater noſter H.- Oſtienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus, cum illuc venerit, cognita veritate, ac conſideratis circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra ſtatuet, quod Apoſtolicæ ſedis bonori, & tuæ ſaluti viderit expédire. Datum Laterani III. calendas Februarias, pontificatus noſtri anno primo.

Magis Petro Antiſſidorenſi Comiti, quem regi favet.

Apparuit tamen poſtea Pontificem magis Petro Comiti, quam Andreæ regi ſtuduiſſe. Quam primum enim Petrus ſe inter imperii orientis candidatos quoque cenſeri audiit, continuo ex Gallia Romam advolavit; ut Imperatoria unctione ab Honorio delibutus, majorem ſibi apud Conſtantinopolitanos ſive gratiam, ſive auctoritatem conciliaret. Rei eventum chrooicon Foſſæ oovæ his verbis complectitur (g). *MCC XVII. menſe aprilis quidam Francigena, nomine Petrus de Alſunla a Græcis vocatus, & electus in Imperatorem Conſtantinopolitanum, applicuit Romam cum uxore, & filiis, & alio comitatu. Honorifice a Domino Papa Honorio, & a Clero, & a cuncto populo Romano eſt receptus V. idus prædicti menſis in Eccleſia S. Laurentii, foris murum cum magno gloria, & decore coronatus eſt a ſummo Pontifica cum uxora ſua.*

Petrus Romæ orientis Imperator coronatus ab Theodoro Laſcari intercipitur.

Petrus poſt inaugurationem oihil moratus, cum Joanne Columna, Presbytero Cardinali, legato Apoſtolico, aliisque iter mari ingreſſus, cum in Græciam appuliſſet, capitale diſcrimen adiit. Theodorus enim Comnenus, oiſſis ad Petrum nuntiia, rogabat, ut itineris compendio per ſuas ditiones Conſtantinopolim petere ne gravaretur, daturum ſe, quoad io urbem appelleret, commeatum, ceteraque, quibus opus eſſet, liberaliter. Captus Græci homiois ingenio Petrus, ad Theodorum cum Cardinali venit. Hic Theodorus larvam detrahens, utrumque capit, mortique citrā dubium addixiſſet, niſi metu obmovendi a Latinis belli per ſuos a vi inferenda prohibitus eſſet. Carceri tamen ne evadendi ſpem ullam baberent, ambos incluſit. Jolanta Petri uxor fraudes Græcanicas pritoo obtutu detegens recta Conſtantinopolim properavit, ac triennio iſthic rerum patita eſt (b). Ceterum cur Pontifex Petrum Conſtantinopolitanum Imperatorem Andreæ ſocerum nuocupet, ooſtri annales ſilentio prætereunt; oſtendam tamen poſtea Andream prius, quam Hieroſolymas profectus eſſet, Jolantam, quam alii Violantam quoque ſcribunt, Petri filiam poſt cædem Gertrudis matrimooio ſibi junxiſſe, tametſi planum non ſit, quo anno id matrimonium initum fuerit.

Ca-

e) Innuit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum.

f) Putat RAYNALDVS ordinationem in eo ſitam fuiſſe, quod Belam ſe abſente præfecerit Hungariæ, Colomanum autem Haliciæ. Sed id non ita habere mox oſtendemus.

g) Tom. VII. Script. rer. Ital. MVRATORII.

b) Idem ibid.

Caſum Petri Honorius Pontifex acerbe tulit, deditque propterea acerbas ad Theodorum litteras, quibus, niſi Petrum, & Cardinalem vinculis exſolveret, comminatus eſt, injuriæ tantæ cruce ſignatos vindictam capturos, ſimul ad Andream regem ea de re ſcripſit, hortatuſque eſt, ut ſuam propterea apud Theodorum auctoritatem interponeret (*i*). Epiſtola in hæc verba conſignata eſt.

Quem ut e vinculis liberet, Andream Pontifex per litoras requirit.

ILLVSTRI REGI HVNGARIAE.

Cibavit nos Dominus Deus abſynthio, & inebriavit amaritudine mentem noſtram, quia vox lamentationis, & doloris auribus noſtris inſonuit, nuntiumque durum recepimus, & amarum, videlicet, Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum P. --- (k). Conſtantinopolitanum Imperatorem illuſtrem, & dilectum filium noſtrum I. -- (l) tituli ſanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum, a nefando, & perfido Theodoro proditionaliter captos eſſe, multis eorum, qui cum ipſis erant, crudeliter interemptis. In quo etſi occiſorum multitudinem lugeamus, & prædictorum Imperatoris, & Legati perſonis continuis curarum anguſtiis noſtrum agentibus animum anxiemur, cogitamus tamen & alia, quæ niſi ille provideat, qui aſpera in vias planas, & prava in directa, ex hoc inopinabili, & lamentabili caſu evenient detrimenta. Ex hoc enim Græcorum perfidia inſoleſcet, conſternabuntur animi Latinorum exiſtentium in partibus Romaniæ, propter hoc in gravi diſcrimine poſitorum. Chriſtiani quoque exiſtentes in partibus tranſmarinis, qui a Conſtantinopolitano imperio perſonarum, & rerum auxilium exſpectabant, his auditis rumoribus obſtupeſcent, & aſſumet audaciam feritas paganorum, & ſic dicti caſus triſtitia totum tangit populum Chriſtianum, quæ cum communis ſit aliis, nobis, ac tibi eſſe dignoſcitur ſpecialis, cum nec Apoſtolicæ ſedis Legatus nec dictus Imperator, qui tibi tam propinquo vinculo eſt conjunctus, ſine noſtra, & tua injuria, & opprobrio valeant detineri. Hortamur igitur ſerenitatem tuam, rogamus, & obſecramus in Domino, quatenus, omni mora poſtpoſita, ſolemnes nuntios ad præfatum Theodorum cum omni feſtinatione tranſmittas, & ab eo Imperatoris, & Cardinalis perſonas blandis aſpera regaliter admiſcendo requiras, quia confidimus, quod eos conſideratione tua reſtituet libertati, præſertim metuens tui exercitus apparatum, quem ipſi nuntii tui ſibi poterunt inſinuare, prudenter innuendo te uſurum viribus, ſi proficere nequiveris precibus apud eum. Datum Ferentini V. Cal. Auguſti. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Sed litteras Andreæ in Hungaria non fuiſſe redditas veriſimillimum eſt, qui, viceſimo ſexto poſt die, quam ſignatæ Ferentini fuerint, Spalatum in Dalmatiam jam advenerat. Aliam quoque ad regem epiſtolam Honorius dedit, in qua vehementer ſibi probari ea indicat, quæ ad ordinandas regni res ſe abſente ſapienter conſtituiſſet. *Diſpoſitionem* (inquit) *quam de terra tua feciſti, regnum Ungariæ primogenito tuo Belæ, regnum vero Galiciæ Colomano relinquens, & eorum alterutri, vel utrique ſine liberis decedenti Andream inſtituens ſucceſſorem, ſicut juſte, & provide facta eſt, auctoritate Apoſtolica confirmamus* (*m*). Ex quibus haud obſcure conficitur, Bellam prius, quam rex profectionem in Palæſtinam aggrederetur, regem ſolenni ritu inauguratum fuiſſe; ut ſexto poſt anno, ex litteris, quas Colocenſis ad Honorium ſcripſerat, planum fiet. Ceterum rex, cum ſervandi ſexta quoque feria panis, & aquæ jejunii voto imprudenter ſe obſtrinxiſſet; & medici exiſtimarent, eum rigorem neque valetudinis, neque itineris, quod inſtabat, rationibus conducere, majorem in modum ab Honorio flagitabat, ut votum id cum aliis ſive eleemoſynæ, ſive ceterarum virtutum operibus commutaret. Annuit Pontifex, remque omnem Oſtienſis Epiſcopi, quem iſthuc legatum deſtinarat, judicio commiſit.

Rex profectioni Aſiaticæ ſe accingens multas a Papa gratias impetrat.

Interea Auſtriæ, Stiriæ, ac Moraviæ Duces cum copiis ſuis in Hungariam advenerant, cum Andrea in Paleſtinam profecturi. Rex conſtitutis domi rebus, ne quis factionibus locus daretur, Banconem Sclavoniæ Banum creat, regnumque illius curæ, ac fidei committit. Ex quo ſuſpicor Comitem Palatinum cum rege quoque profectum, alioquin nihil cauſæ eſt, cur is præteriretur, niſi forte ea quoque dignitate jam tum Banco ornatus fuiſſet. Iter per Sclavoniam, ac Croatiam factum, quo facilior ex Dalmatia in Syriam trajectus eſſet. Quantis copiis rex profectus ſit, &

Conſtitutis domi rebus in Sclavoniam, ac Dalmatiam proficiſcitur.

 unde

i) Apud RAYNALD. ad an. 1217.
k) Petrum innuit.
l) Joannem Cardinalem Legatum indicat.
m) Apud RAYNALD. ad an. 1717.

Apparatus Bellicus. unde ſolverit, omnium luculentiſſime Archi Diaconus refert. (*n*). *Per idem* (inquit) *tempus Andreas rex Ungariæ, votum patris exequi cupiens, crucis ſuſcepto ſignaculo, ad auxilium terræ ſanctæ iter arripuit profecturus. Miſit ergo, & conduxit naves magnas a Venetiis, ab Ancona, & Jadra, & ab aliis civitatibus Adriatici ſinus, fecitque omnes applicare ad portum Spalatinæ civitatis. Præmiſit autem omnem apparatum armorum, & eſcarum in multitudine currum, & jumentorum, qui venientes repleverunt omnia per circuitum civitatis. Præceſſit autem regem, & Ungaros ingens Saxonum multitudo, qui omnes pacifici, & manſueti erant, cum devotione, ac deſiderio navigationem regiam præſtolantes; omnes enim cruce ſignati erant. Ad petitionem vero regis dederunt Spalatenſes totum ſuburbium ad hoſpitium peregrinorum, exeuntes vero de domibus, illis expeditas hoſpitibus dimiſerunt. Mox autem ita confertim repletæ ſunt hominibus, & jumentis, ut non pateret aditus tranſeundi. Sed non eos ſuburbanæ domus capere potuerunt, licet conſtricti, & conſtipati manerent, plurima vero pars totius comitatus regalis curiæ morabatur extra in tentoriis per campum diffuſa: cives vero alii pavebant alii, mirabantur, inconſuetam multitudinis frequentiam intuentes. Itaque anno redemptionis noſtræ MCCXVII. menſis Auguſti XXIII. die advenit Andreas rex ad civitatem Spalatenſem. Exierunt autem proceſſionaliter obviam Domino regi univerſi cives, omneſque forenſes, totaque turba ſui exercitus, laudes ei altis vocibus concrepantes; deinde Clerus omnis, holoſericis ſuper comtas induti veſtibus, cum crucibus, & thuribulis procedentes uſque poſturbium, prout regiæ magnificentiæ dignum erat, pariter concinebant. Ipſe vero illuſtris rex, viſo proceſſionis cœtu ſolemni, ſtatim deſcendit de equo, magnaque ſuorum Principum vallatus caterva, tenentibus eum hinc inde Epiſcopis, qui convenerant, pedes uſque ad Eccleſiam S. Dominici proceſſit, ubi celebrato miſſarum officio, & data oblatione ſuper altare, ad hoſpitium ſeceſſit. Ea die communitas exhibuit regi affluentiſſimam procurationem in domo, quæ dicitur Mata, extra muros aquilonaris portæ. Dicebantur autem tunc fuiſſe in comitatu regio plus quam decem millia equitum, excepta vulgari multitudine, quæ pene innumerabilis erat. Tunc rex cœpit magnam benignitatem ergo Spalatenſes cives oſtendero, ita, ut ipſe ultra provocaret eos, ad petendum a ſe, quod eis ad publicum cederet commodum: velle quippe regis erat, ut ad munimen civitatis ſuæ reciperent caſtrum Cliſſæ, volebat nihilominus ei concedere comitatum inſularum: ſed Spalatenſes more ſuo ad publica nimis tardi, ad privata commoda ſinguli intendebant. Neglectis ſiquidem regalibus beneficiis, quæ eis pie, & liberaliter concedebat rex, proprio clementiæ ſuæ provocatus affectu, noluit caſtrum illud committere alicui de proceribus, ſciens, quia multa infeſtatio Spalatenſibus ex illo caſtro procedat; ſed accerſito quodam (o) Pontio, qui erat magiſter militiæ domus templi per regnum Ungariæ, commiſit ad manus ejus cuſtodiam, & tutelam ipſius caſtri, præcipiens ut viciſſim fratres ſuæ religionis ibidem faceret inſidere.*

Naves ad trajiciendum mare a Venetis flagitat. Hæc Archi-diaconus, qui, ſi non ipſe ſpectator pompæ hujus fuit, certe haud multo poſt floruit, remque ex iis, qui oculis uſurparunt, accepit. Magna ſub hæc, cum omnia itineri neceſſaria parantur, acceſſio ex Dalmatis, & Croatis ad regia copias facta eſt. Quin finitimi quoque, ut erant clientelis, aut fortunis potentiores, ſponte ſe regiis caſtris adjunxere. Inter quos Stephanus ex Comitum de Vodicha ſtirpe ortus, nihilo majoribus ſuis, qui Emerico regi ſuppetias adverſus Albertum Teutonem, Sclavoniam infeſtantem venerat, ſtudio in Andream inferior extitit, qui ducentorum quinquaginta equitum cohortem ſuis impendiis adduxerat, magnaque fide, & conſtantia cum in Aſia, tum in reditu operam ſuam regi probavit, ut ipſe Andreas publico diplomate, ex profectione redux, teſtatum eſſe voluit (*p*). Tam confertæ multitudini cum naves haud ſatis ſuffecturæ viderentur, multos deinde in Dalmatia deſtituere opus erat. *An jus Dalmatiæ* Quo loco Venetorum ſcriptorum, qui navium cauſa Andream juri ſuo quod in Jadram habuerat, ceſſiſſe perhibent, non meminiſſe

non

n) Hiſt. Salonit. cap. XXVI.

o) Sunt, qui Pontium hunc eadem occaſione locum tenentem regium Croatiæ ac Sclavoniæ ab Andrea juſſum fuiſſe ſcribant: quibus id documentis adſtruant, ignoro.

p) Apud SCHÖNLEBEN in Roſa Urſina pag. 8. Datum eſt diploma de anno 1218. Sic autem ad rem præſentem habet. *Andreas Dei gratia Hungariæ &c. rex, præſentium & futurorum notitiæ clareſcere per hæc ſcripta volumus, laudabilem conſtantiam fidelitatis ac ſtrenua multifaria ſervitiorum obſequia fidelium noſtrorum dilectorum Baboneg, & Stephani Comitum de Wodicha, filiorum quondam Comitis Stephani de Goricha .-- cum nos -- verſus terram Sanctam ſepulchri noſtri Salvatoris .-- prefatis ſuf-*

non poſſum. Dandulus ita de ea re ſcribit (q): *Andreas rex Hungariæ cruce ſignatus a Duce Venetiarum ſuis nuntiis pro paſſagio navigia petit, & petita obtinuit, annuentibus illis, ut jura, quæ rex in Jadra ſe aſſerit habere, in Venetos transferantur.* Ex quo nonnulli largius, quam par ſit, rationem ducunt, cenſentque Andream omni ſe jure Dalmatiæ abdicaſſe. Mirum eſt, Veoetos ſcriptores, ut alias in re ſimili prolixe faciunt, pactorum tabulas in medium non producere, ex quibus ambigua a certis facile ſecerni poſſent. Quod ſi hoc pacto claſſis conducta a rege fuit, ut jus ſuum Jadrenſe in Venetos tranſcriberet: liquet abdicationem, inviṡs regni optimatibus, irritam eſſe, quemadmodum Honorius haud multo poſt, quam rei fama ad eum allata eſſet, ſcriptis ad Coloceoſem Archi-Epiſcopum litteris ſignificarat in hæc verba:

propterea in Venetos transtulerit, ut Italici ſcriptores volunt.

COLOCENSI ARCHI-EPISCOPO, ET EIVS SVFFRAGANEIS.

Intellecto jam dudum, quod Chariſſimus in Chriſto filius noſter, Hungariæ rex illuſtris, alienationes quasdam fecerit in præjudicium regni ſui, & contra regis honorem. Nos ſuper hoc affectione paterna conſulere cupientes eidem regi dirigimus ſcripta noſtra, ut alienationes prædictas, non obſtante juramento ſi quod fecit de non revocandis eisdem, ſtudeat revocare: quia, cum teneatur, & in coronatione ſua juraverit, etiam regni ſui jura, & honorem coronæ illibata ſervare, illicitum profecto fuit, ſi præſtitit de non revocandis alienationibus bujuſmodi juramentum, & propterea penitus non ſervandum (r).

Sed hæc extra propoſitum videri poſſunt. Andreas Spalato cum exercitu ſolvens recta ad Cyprum inſulam tetendit, nam iſthic die, qui naſcenti Deiparæ ſacer eſt, ut congregarentur, ioter cruce ſignatos jam prius cooveneraт. Ex Hungariæ Epiſcopis (s) Agrienſem, & Jaurinenſem expeditioni interfuiſſe dubitari non poteſt. Secuodis uſi ventis brevi ad Cyprum claſſe appellunt: inde Aconem delati exſcenſionem faciunt. Accepti ſunt a Chriſtianis magna lætitia velut e cælo delapſi, & in quibus ſpem omnem ſecundum Numeo collocabant. Curatis a maritimo languore corporibus conſultatum in commune fuit, quem in modum belli rationes adornandæ eſſent. Sephadinus, Saracenorum Soldanus, ad Babylonem caſtra metabatur, ſive copias Chriſtianorum veritus, ſive ut hos locorum, ac ſitus imprudentes in inſidias pelliceret. Coradinus vero, ejus filius, haud longe cum hona barbarorum parte oberrabat, magis explorandi, quorſum cruce ſigoati cooſiliis ſuis evaſuri eſſent, quam pugnandi cauſa. Andreas, nam huic ex Hieroſolymorum, & Cypri regibus qui aderant, primas detulere, primo quoque tempore, quoniam autumnus jam inclinabat, in Coradinum ſigna convertenda cenſuit. Itaque decrera profectio eſt, & oe quid, ſive a lateribus, ſive tergo, inſidiarum oriretur, ordinata io omnes eventus acie, ſuperatis impeditiſſima via mootibus Gelboe, ſecundis caſtris ad Betſaidam oppidum conſiſtuot.

Andreas cum claſſe Dalmatia ſolvens in Cyprum appellit. Inde Acconem.

Adminiſtrandi belli ratio Andreæ committitur.

Barbari, viſo Chriſtianorum exercitu, tum rite omoia ex lege militari adminiſtrari, maxime autem regis Hungariæ, ac Auſtriæ Ducis adventu conſternati, detrectata pugna, fugam capeſſunt, & terram Chriſtianis vaſtaodam relinquunt. Hoſte ſponte fuga elapſo, Jordanem pridie D. Martini tranſmittuot, & abluti iſthic Chriſti memorea, aqua ejuſdem fluminis ſe proluunt, quiete biduum militibus indulta. Iode curatis corporibus, ac jumentis ſigna ad litus maris Galilæi promota, ubi fixis iterum caſtris, hoſti, ſi quid moliretur, præſtolantur: ſed hoc in aciem prodire non auſo, loca ſacra circumquaque inviſuot, & actis Numini gratiis per Capharnaum

In Sephadinum movet.

fuiſſemus, idem Comes Stephanus, frater dicti Baboneg, non monitu noſtro angariatus -- ad noſtrum decus cum ſuis, & ejusdem fratris ſui proximis -- ſatis honeſto cætu --- armis decenter fulcito, equitibus ducentis, & quinquaginta, pecuniarum ipſorum propriarum in expenſis, per iter continuum -- in aditu, & reditu nobiſcum procedere, diurnoque & nocturno temporibus noſtri in cuſtodia perſiſtere atque miniſtrare non dubitavit, &c.

q) In Chronico.

r) Lib. II. quintæ compilationis Decretalium Honorii Papæ ab Innoçentio Cironio illuſtratæ. Titulo XV. cap. III.

s) Bernardus Thesavrarivs de Aquiſit. Terræ ſanctæ Tom. VII. Mvratorii cap. 186. „ Aderant Epiſcopi peregrini - - Jorienſis, „ & Agrenſis Hungariæ. „ - -

num Aconem revertunt (*t*). Rei geſtæ ſeriem, & quid in ea expeditione peccatum ſit, militiæ templi Magiſter Pontifici in hæc verba perſcripſit (*u*).

Littera Magiſtri templi militiæ ea de re ad Honorium.

Reverendiſſimo in Chriſto Domino, & Patri Honorio, Dei providentia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici, ſuorum ſubditorum devotiſſimus frater Vv. de Carnaro, pauper militiæ templi magiſter, humiliter debitam cum oſculo pedum reverentiam, & obedientiam.

Paternitati veſtræ ſtatum terræ ſanctæ, quam Dominus proprio ſanguine ſuo conſecravit, præſentibus duximus intimandum. Hoc igitur vobis conſtet, quod ad diſceſſum præſentium innumera peregrinorum multitudo, tam militum, quam ſervientium vivificæ cruci, inſignito charactere ab Alemannici imperii, & aliorum regnorum variis partibus confluens apud Acconem adventarat. Sephedinus vero magnus Soldanus, in terra Babylonis commorans, ibidemque exiſtens immobiliter, de ſe minime confidebat. Reverebatur enim regis Ungariæ, & Ducum Auſtriæ, & Moraviæ adventum, qui cum copioſa multitudine militum, ac ſervientium Cleri, & populi apud Accon applicuerunt. Timebat etiam dictus Sephedinus navigium Friſonum, quod apud Accon in proximo applicaturum ferebatur. Coradinus vero filius ejus in marchiis nobis adjacentibus iter ſuum direxerat, & acceſſus.

Etiam hoc vobis intimamus, quod annis pluribus retro actis non recolimus paganiſmum in ſtatu fuiſſe debiliori, quam nunc exſtat, quem pater omnipotens de die in diem permittat pejorari. Sed in partibus noſtris frumenti, & hordei, & omnium humanæ ſuſtentationis neceſſariorum caritudo eſt maxima. Seges autem fallens agricolam in hoc anno, in minima quantitate fuit recollecta. Expectabant etiam indigenæ, quod ſeges de partibus afferetur tranſmarinis, ſed minimum in hoc anno fuit apportatum. Eſt & aliud incommodum, videlicet ſuper equitaturis adeo grave, quod equi nullo modo poſſunt venales inveniri. Quocirca univerſis cruce ſignatis, ac ſignandis bona fide conſulatis, quatenus de prædictis ſe ſtudeant præmunire, de quibus in partibus noſtris nullum invenient conſilium, vel juvamen. Ceterum ſciatis, quod ante adventum regis Ungariæ, & Ducis Auſtriæ proviſum fuit a Domino Patriarcha, & rege, & peregrinis, & fratribus Hoſpitalis, & nobis, quod verſus Neapolim Syriæ iter arriperemus, cum Coradino, ſi nos exſpectaret, certaturi. Poſt adventum vero prædictorum magnatum in hoc omnes unanimiter aſſenſum exhibuimus, quatenus in manu forti, per mare, & terram in Babyloniam proficiſceremur, ad obſidendum Damiatam, ut ſic cautius, & proviſus verſus ſanctam terram Hieroſolymitanam iter præpararemus.

Pontifex his acceptis mire lætus, omnibus, qui in Palæſtinam deinceps profecturi eſſent, mandata per litteras miſit, ut anonæ, & equorum curam in primis haberent, ſolemnemque in urbe ſupplicationem indicit, ut res Chriſtianorum in Aſia, quæ hactenus adductæ erant, ſecundo eventu finem quoque acciperent.

Montem Thabor obſidendum decernunt.

Neque cruce ſignati in Aſia ſegnius rem agebant. Erat in monte Thabor munimentum, quod barbari non modo inſana mole ſtruxerant, ſed LXXVII. quoque turribus ad arcendos hoſtes communierant, natura ipſa haud facile ſuperatu. Huic, quod Coradinus duo lectiſſimorum militum millia præſidio impoſuiſſet, qui vicina late infeſtabant, expugnando in primis animum adjecere. Prima adventus dominica ad montem ventum eſt; quem primi omnium, quamquam omni ex parte præruptus & aſcenſu arduus eſſet, Patriarcha crucem præferens cum Clero paullum ſupra crepidinem conſcendit: tum militum quique fortiſſimi, qua via eluctandi erat, conſequuti, arcis Præfectum in medio montis obviam factum conſertis manibus fugant, & in arcem rejiciunt, barbaris congredi non auſis, & Chriſtianorum fortitudine vehementer attonitis (*x*). Pulcherrimis tamen initiis exitus, incertum quam ob cauſam,

Res geritur pri-

minime

t) Bernard. THESAVRAR. cit. cap. *cum tali vexillo ordinatis aciebus proceſſerunt per planum Fabæ uſque ad fontem Tubaniæ, multum eo die laborantes, & præmiſſis exploratoribus, videntes ab adverſariis pulverem excitari, incerti fuerunt, an contra eos, an fugiendo properarent. Sequenti die per montes Gelboe - - profecti ſunt ad Betſanam, ubi caſtra fixerant adverſarii. Sed metuentes tam ordinate procedentis, & tam copioſum DEI viventis exercitum - - fugientes terram vaſtandam Chriſti militibus reliquerunt. Unde Jordanem tranſeuntes in vigilia S. Martini corpora ſua Chriſtiani in eo lavarunt pacifice, & ibidem per biduum quievere - - Deinde ſuper litus maris Galilææ tres manſiones fecerunt, peragrantes loca, in quibus mirabilia Salvator noſter operari dignatus - - & ſic per Capharnaum infirmos portantes reverſi ſunt Acon.*

u) Apud Raynald. ad an. 1217.

x) GODEFRIDVS in Annal. ad an. 1217. & Bernard. THESAVR. Tom. VII. MVRATORII cap. cit.

Digitized by Google

minime reſpondit. Concluſis enim in arcem barbaris, Hieroſolymorum, & Cypri 1217.
reges paucis adſcitis ſociis ſeorſim, & clam aliis conſultatione magis, quam armis rem
agebant. Quid cauſæ illis fuerit, ut, dum Andreas cum Auſtriæ Duce ex alio mon-
tis latere hoſtem acerrime premunt, tergiverſatione tempus tererent, non liquet, il-
lud magno Chriſtianorum dedecore, & damno conſtat, primum omnium Hieroſoly-
morum regem receptui ceciniſſe, quo exemplo ceteri quoque partim abſtracti, partim
deterriti receſſere. (y)

...mum feliciter.

Ea res miros primum animorum motus inter cruce ſignatos concitavit, tum
obortis factionum ſtudiis, quo quemque arbitratus, aut commodi ratio trahebat, ſe-
ceſſione facta rem Chriſtianam hoſtibus turpiſſime prodidit. Andreas cum Cypri rege
Tripolim conceſſit, certus animi, primo quoque tempore in Hungariam redeundi.
Id ubi a Patriarcha compertum eſt, veritus, ne Hungarorum reditu, Chriſtianorum
res in Aſia laboraret, regem adit, &, poſtquam precibus nihil promovet, ad ex-
tremum ſacris omnibus, ut nonnulli volunt, interdicit (z). Rex comminationibus
his nihil territus, omnia ad reditum apparabat: neque nullam redeundi cauſam, eam-
que graviſſimam illi fuiſſe Archidiaconus his verbis ſcribit (a): *Ecce etenim, neſcio an
ſuorum, an extraneorum nefaria temeritas regis machinatur in mortem, impiaque manus dia-
bolicis armata verſutiis venenatum ei hauſtum propinat, ex quo ſcelere vix mortis potuit pe-
riculum evitare. Necdum vero ſanitate ad integrum recuperata, redeundi cœpit habere pro-
poſitum, verens, ſe, ſuumque regnum in tantum præcipitare diſcrimen, credensque de ſuo
voto pleniter Domino ſatisfactum, incipit cum omni comitatu ſuo ad patriæ regredi fines.* Cre-
dibile eſt, Andreæ ob egregie patrata facinora invidiam primum conflatam, tum mor-
tem veneficio intentatam fuiſſe. Ut enim idem Archidiaconus de eo ſcribit: *Andreas
ad portes Syriæ tranſvectus magnum metum incuſſerat Saracenis: explicatis ſiquidem ſuæ mili-
tiæ copiis abiit ſatis procul a regione maritima expugnans caſtra, & villas, & obſtacula
quæque conculcans: ſed invida fatorum ſeries præclara Principis præpedivit incœpta, nec bo-
nos ipſius ſucceſſus permiſit ulterius progredi* (b). Ex quo ſatis rite arbitramur, Andream,
quidquid ceteri ſcriptores oggerant, Hieroſolymitani titulum jure conſequutum fuiſſe,
qui non modo barbarorum, ſed invidiæ, ac turpiſſimi veneficii victor ex profectione
redierit.

Sed diſſentientibus deinde Principibus Andreas Tripolim conceſſit.

Propterea ab Hieroſolymitano Patriarcha ſacrorum communione privatur.

Andreas haud diu Tripoli moratus, defunctio iſthic rege Cypri veritus ſe 1218.
mari porro committere, terreſtri itinere cum exercitu Antiochiam pervenit. Hic ora-
tores a Leone Armenorum rege accipit, qui de matrimonio inter Andreæ filium, &
Leonis filiam, conciliando agerent: conventum in has pactiones fuit: ut Andreæ filio,
& ſi qui ex eo connubio liberi procrearentur, hæredibus perpetuum jus in re-
gnum Armeniæ eſſet. Idque non modo ab Andrea, ſed Leone etiam, & ejus pri-
matibus jure jurando confirmatum eſt. Quis filiorum hic fuerit, ne ipſe quidem re-
datis poſtea ad Honorium litteris memorat. Si quid conjectura aſſequor, opinor
Andream tertio loco natum fuiſſe. Colomanus enim alioquin cum Salomea, tametſi
virgo uterque, matrimonio innexus erat: Belæ autem, ut nonnullis placet jam tum
viduo, conjugem, ut mox memorabimus, etiam adduxit. Nam Archidiaconus de-
ſcripto regem Antiochiam perveniſſe, ita ſuperiorem locum perſequitur (c): *deinde
tranſivit in Græciam, ubi affinitate contracta cum Laſcaro, rege Græcorum, ultra pro-
greditur; accepit enim filiam ejus filio ſuo primogenito Belæ in uxorem. Exinde peragratis
Græciæ finibus, aſcendit, in Bulgariam, ubi Oxono* (alii Ozanem, & forte rectius le-
gunt) *Bulgarorum rege detentus eſt, nec ante abire permiſſus, quam plenam ei ſecuritatem
faceret, quod ei ſuam filiam matrimonio copularet.* Ex hoc loco non ſatis, ut reor, in-
tellecto, Timoni error obrepſerit, ut exiſtimaret, Bulgari filiam in manus Andreæ
conveniſſe, cum tamen hujus filiam Ozani Bulgarorum regi nuptui traditam ex ipſius
Andreæ litteris paullum poſt monſtraturi ſimus.

In Hungariam reditum parans affinitatem cum Leone Armeniæ rege contrahit.

Mariam Laſcaris filiam Belæ primogenito uxorem adducit.

Tum filiam ſuam Bulgaro deſpondet.

Rex, poſtquam peragrata Græcia, & Bulgaria in Hungariam rediſſet, rem
publicam partium ſtudiis miſere laceratam reperit. Malum tam a ſacris, quam pro-
fanis perſonis profectum eſſe Andreas diſerte teſtatur, tametſi nihil exprimat, ex

Hungariam turbis agitatam reperit.

y) Id. ibid. cap. 187.
z) Id. cap. 188.
a) Hiſt. Salonit. cap. 26.
b) Idem ibid.
c) Ibid. cap. 26.

1218.

quo capite ortum, & per quos propagatum fuerit. Certe ærarii rationes ita exhauſtas facinoroſorum injuria queſtus eſt, ut quindecim annorum ſpatio quantavis parſimonia ægre reparari poſſe videretur: atque his malis ſe cum primis impulſum eſſe, ut ex Aſia domum properaret, ne cum aliorum terris recuperandis ſtudet, ſuas amitteret.

Per eadem tempora Icooii Sultanus, crediderim eundem eſſe, contra quem anno priore in Aſia bellum cum cruce ſignatis geſſerat, nuntios ad Andream miſit, oratum, ut ſibi filiarum aliquam coojugem dare oe gravaretur: illud adjiciens, ſe, ſi voto, & tam nobili conjugio potiatur, cum omnibus, qui ſuo imperio obnoxii eſſent, ad ſacra Chriſtiana tranſiturum. Sive vere id barbarus meditatus eſt, ſive ea ratione ſperarit, Chriſtianorum vim ſe a ſuo jugulo amoliturum, non invitum regem nactus eſt, modo Pontifex arbitratu ſuo rem confirmaret. Itaque per litteras quas Jaurinenſi Præpoſito, & Albenſi Archidiacono, ounciis ſuis, commiſerat, Honorium orabat, ut ne ſe difficilem eatenus præberet: ſe, acceſſionis, quæ ad rem Chriſtianam futura eſſet, cauſa non reformidare, cognationis vinculo cum barbaro homini illigari: quia vero nulla filiarum ſibi innupta eſſet, cupere ſe, ut Pontifex alicui ex neptibus veniam faceret, quæ Sultano ouptui daretur. Quoniam litteras has perquam raras eſſe ſcio, & res Andreæ geſtas cum ſuperioris, tum bujus anni mirum in modum illuſtrant, annalibus inſerendas operæ pretium putavi (*d*).

1219. *Sanctiſſimo Patri in Chriſto Honorio, DEI gratia ſacro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, Andreas per eandem gratiam Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ; Serviæ, Ramæ, Lodomiriæque rex, debitam ac devotam cum filiali ſubjectione reverentiam.*

Turbarum cauſas Pontifici per litteras explicat.

Sanctiſſime Pater! a veſtra non credimus excidiſſe memoria, dum abbuc vitæ venerabilis, & immortalis memoriæ prædeceſſor veſter Innocentius, Summus Apoſtolicæ ſedis Antiſtes, divina gratia præſentis ſeculi diſpenſator exiſteret, non tam per ipſius exbortationis frequentiam, verum etiam poſtmodum per veſtræ Paternitatis inſtantiam, quem DEI gratia ſibi ſucceſſorem inſtituit, frequentius admoniti fuimus, quatenus ad redemtionem S. terræ, non tantum opitulatione rerum, verum etiam præſentia perſonali apponeremus animum cum effectu. Nos utique, prout ex noſtrorum anteceſſorum prærogativa jam dudum uſi ſumus, & cognovimus ſpiritualem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ recenſente non eſſe filium, ad veſtræ ſanctitatis exbortationem, conſilium, per obedientiæ victimam nos, & noſtra litare cupientes; nec teneræ filiorum noſtrorum infantiæ miſerti fuimus, nec emergentem nobis infidelium & regno noſtro malignantium contumaciam, & odium, quod poſtmodum in effectu pullulavit, curavimus, ſed bis omnibus poſtpoſitis, ad S. Sepulcri ſubſidium uſquequam feſtinavimus, nos, coronam, regnum noſtrum, & filios veſtræ ſanctitatis cuſtodiæ illibate conſervandi commendantes.

Cur ex Aſia redierit, rationes affert.

Ceterum cum ultramarinis partibus in ſuſceptæ peregrinationis ſervitio moraremur, ineffabile diſſenſionis ſeminarium in regno noſtro per frequentes nuntios procul dubio cognovimus pullulaſſe. Nos itaque tot, & tantis pernitiis infamiæ perculſi rumoribus, novellam adbuc in regno noſtro chriſtianitatis plantationem non patientes evelli; compulſi, coacti, & inviti a terra ſancta ſeceſſimus; & licet per multa viarum diſpendia tranſeuntes, cum in Hungariam pervenimus, multo ampliora perfidiæ ſcelera, quam prius audiveramus, tam per Eccleſiaſticas, quam Laicales perſonas, comperimus eſſe perpetrata, quæ, vel qualia, nullatenus per noſtra ſcripta veſtræ ſanctitati vellemus innoteſceret. Nam pro patrati magnitudine facinoris, a veſtræ circumſpectionis intuitu nullatenus ſuiſſe credimus occultata.

Orat, ut in perturbatores, ſevere animadvertat.

Novit etiam veſtra ſanctitas, quod, cum in Hungariam pervenimus, modo Hungariam, ſed tantum angariatam, atque diſſipatam, & cunctis fiſci proventibus ſpoliatam reperimus, ita videlicet, quod nec debita, quibus in noſtræ peregrinationis itinere fuimus obligati, perſolvere, nec uſque ad quindecim annorum ſpatium, regnum noſtrum priſtino ſtatu poterimus reformare. Igitur ne veſtræ Paternitatis cuſtodia, cui nos, & noſtra commendavimus, cum ad ſanctam terram iter ſuſcepimus, ubi etiam ad omnem caſum paupertatis, atque nuditatis, commorandi cauſa nos exponere volebamus, nimis imbecillis, & exilis (e) erga nos, & alios regnorum Principes, exemplo ſimili de cetero in poſterum videatur; a veſtra ſanctitate

d) Habetur inſerta bullæ Innocentii IV. datæ anno Pontificatus ejus tertio, in opere, cui titulus: *Geſta DEI per Francos.*

e) Exemplar habet: *imbecilles & exiles*, ſed legendum videtur, ut correxi. Nec ſatis ſcio, num rite omnia ex autographo tranſlata ſint.

tate modis omnibus poſtulamus, quatenus in auctores tanti ſceleris, & eorum complices, tam perſonas Eccleſiaſticas, quam etiam Laicales, cenſuram veſtræ ſedis, & rigorem ita plenarie exercere dignemini, quatenus in nullo Chriſtianiſmi (f) climate, quo aufugerunt, vel aufugerint, valeant occultari.

Verum etiam, prout in ſuſceptæ peregrinationis itinere ad ſancti ſepulcri liberationem, & pacificum cunctorum peregrinorum tranſitum, ac reditum, tota noſtræ ferebatur ſedulitatis intentio, cum perculſi malignantium, ac nobis infidelium læſionibus, ac injuriis, ultra mare ſtare juxta propoſitum non poſſemus, licet invite redeuntes, potiori deliberationis conſilio, non minus, quam ſi diuturnam circa Hieruſalem moram feciſſmus, ſanctæ terræ commoda per felices noſtri regreſſus tranſitus procuravimus. Illuſtris enim Leo rex Armeniæ, ut noſtræ gentis, & ſuæ glutinata in unum commercio ad confringendum vicinos, atque juges Turcorum inſultus, robuſtior exiſteret, filiam ſuam noſtro filio tradidit in uxorem, totumque regnum Armeniæ cum ſua corona, juxta plenum ſuorum Baronum conſenſum, atque juramentum in perpetuam juriſdictionem eidem filio noſtro, & ſuis heredibus ſubjugavit. Hujus etiam intentionis ſtudio, ut ſecurum peregrinationis, divino fulti conſilio, pararemus tranſitum, filiam Comneni Theodori Laſcari filio noſtro duximus in uxorem. Eodem etiam animo inter Azenum Bulgariæ Imperatorem, mediante noſtra filia, matrimonium celebravimus. Ut igitur hæc omnia firma permaneant, factum inter nos, & regem Armeniæ contractum, tam ſuper matrimonio filiæ ſuæ cum filio noſtro, quam de collatione ſui diadematis, ac regni, auctoritatis veſtræ munimine confirmetis: petimus etiam, quatenus nuptiarum commercia inter nos, & jam dictum Laſcarum, inter Azenum etiam Bulgariæ Imperatorem, & filiam meam (g) celebrata, in quibus maximum terræ ſanctæ, occultum divina providentia conſilium procuravit, commodum, prout cujuslibet ſcripta proteſtantur, ſimili modo roboretis, & tranſmiſſas ſanctitati veſtræ ab unoquoque Principe litteras, cum apertæ coram vobis fuerint, iterato ſub veſtra bulla nobis remittatis. Verum quia filii noſtri, quem in Armeniam tranſmittimus, immatura teneritas ad debitæ circumſpectionis commoda non ſufficit, veſtræ Paternitatis profugis (h) genibus a vobis poſtulamus, quatenus memoratum puerum cum uxore, & ſibi aſſiſtentibus, in veſtræ protectionis ſuſcipientes gremium, ut ſpiritualem in Chriſto filium, ad tuendum, & fovendum ſacratiſſimis domibus militiæ templi, nec non Hoſpitalis, vice noſtra, & mandato commendantes.

Rogat nuptiarum pacta inter Armenum, Græcum, & Bulgarum inita confirmari.

Noverit etiam veſtra ſanctitas contra, Zultanum Hiconiæ (i) ſub hac Legationis ſerie ad nos ſuum deſtinaſſe nuntium, ut, ſi aliquam filiarum noſtrarum, aut cognatam ſibi traderemus in uxorem, repudiato ſuæ perfidiæ charactere Chriſtianismi (k) fidem aſſumeret, atque ſacramentum. Verum quia nullam ex noſtris filiabus habeamus innuptam, ad multiplicandum tamen Eccleſiæ filios, & fidem in Chriſto credentium, ſi veſtra ſanctitas approbet, & hujus rei exordium conſilio, exhortatione, nec non pervigilis providentiæ (l) operibus proſequatur ad effectum, unam ex noſtris neptibus memorato Zultano nuptui tradi faciemus. Ad hæc igitur, & omnia, quæ viva voce veſtræ ſanctitati referendo commiſimus, penes veſtram paternitatem promovenda, nuntios noſtros B. Geurienſem Præpoſitum & E. Albenſem Archidiaconum (m) fideles ac dilectos curiæ noſtræ Clericos, tranſmittimus, poſtulantes attentiſſime per eoſdem, quatenus, quidquid pro commodo noſtri negotii petierint, cum ceteris per præſentem chartulam poſtulatis, ratum habeatis, & auctoritatis veſtræ munimine roboretis, apud ſanctitatem veſtram habentes eos modis omnibus commendatos. Porro veſtra non miretur ſanctitas, ſi de bonis regni noſtri ad præſens, juxta honorem veſtrum, & noſtrum catechizare non poſſumus (n). Ad hoc enim nos compulit, & ſanctæ peregrinationis grandis expenſa, & patrata per noſtros infideles damnoſa plurimum diſcordia, parati tamen de die in diem abundantius veſtræ ſanctitatis uſibus de cetero providere.

Quid Turcorum Sultano nuptias Hungaræ Principis ambienti reſpondeat, conſulit.

Hhh Hacte-

f) Exemplar habet *Chriſtianiſſimi*, ex circumſtantiis puto ſubſtitui debere *Chriſtianiſmi*.

g) Quæ filia hæc fuerit, cujus nominis, nihil reperi: dicit tamen rex in aliis litteris, ſe es Gertrude plures filias ſuſtuliſſe.

h) Forta rectius *profuſis*.

i) Melius *Iconiæ* Aſiæ minoris provinciæ.

k) Rurſus Exemplar, quo uſus ſum, minus recte habet, *Chriſtianiſſimi*.

l) Exemplar habet *privilegis*, ſed, ut patet, male.

m) Litteræ primores nominum Præpoſiti, & Archidiaconi, fere enim; quod univerſe notatum velim, in veterum inſtrumentis nomina hunc in modum exprimere uſitatum fuit.

n) Quid hoc nomine veniat, ignoro: puto tamen donativum recte intelligi poſſe, ut ex circumſtantiis conjicitur.

1219.

Bonſinii commentum de Andreæ reditu ex Palæſtina.

Hactenus regis litteræ: unde merito Bonſinium refellas, qui Andream, dum Damiata ab cruce ſignatis caperetur, in Aſia commoratum eſſe ſcribit, quam hoc anno rege dudum in Hungariam reverſo, occupatam ex coævis ſcriptoribus liquet. Neque illud, quod Bonſinius itidem ſomniat, locum habere; Andream, cum ex ſacra expeditione reverteretur, in Italiam appuliſſe, & Eſtenſia Marchionis filiam matrimonio ſibi copulaſſe; quando rex ipſe multo aliam itineris rationem, quam in reditu ſectatus ſit, hac epiſtola expreſſit. Quamquam de Eſtenſi Marchione alias nobis redibit ſermo. Ceterum ſatis perſpicuum ſit, turbas interea, cum Andreas abeſſet, non modo ab optimatibus, ſed fidei quoque hoſtibus concitatas eſſe. Quas niſi me conjectura fallat, Patareni; qui in Sclavonia circa Poſſegam virus diffuderant, ſine dubio dederint, quod litteræ publicæ manifeſto indicio teſtentur, eam urbem a Bertholdo, Colocenſi Archi-Epiſcopo, tum Bani dignitate rurſus ornato, bona Andreæ, & Belæ primogeniti gratia, comparatam fuiſſe, ut hæreticos illis finibus exigeret (o). Ex quo facile conficio, Bertholdum, reſtituto, quem abſtulerat, Gertrudis reginæ theſauro, iterum in gratiam cum Andrea rediiſſe, ad Patriarchatum poſtea Aquilejenſem promotum.

Leo Armeniæ rex pacta matrimonii itidem confirmari ab Honorio petit.

Interea Leo Armeniæ rex, ut nuptiæ, de quibus memoravimus, facilius conciliarentur, nuntios quoque cum litteris ad Pontificem miſit. Honorius utrique libenter aſſenſus eſt, Andreæ regi ita reſcribens: *Cum ſicut tam ex tuis, quam Chariſſimi in Chriſto filii noſtri L. Armeniæ regis illuſtris litteris intelleximus, quod inter te, & regem prædictum convenerit, ut natus tuus ipſius filiam accipiat in uxorem, ita, ut eidem regi ratione filiæ ſuæ prout heres ſuccedat in regnum habiturus illud toto tempore vitæ ſuæ, ſi etiam contingat eam decedere, antequam reducatur ab illo, nos quod ſuper hoc provide, ac utiliter factum eſt, te, ac rege prædicto ſupplicantibus, duximus approbandum. Datum Laterani IV. nonas martii: Pontificatus noſtri anno tertio* (p). In eandem ſententiam Armeno quoque ſcripſit; adjecitque litteras ad Ugolinum, rectius puto Ugrinum, nam huic ſerius poſtea Hugolinus ſucceſſit, Colocenſem Archi-Epiſcopum, quibus, ſi regales Hungariæ Eccleſias adiret, pallio utendi veniam illi impertit: Strigonienſi contra Archi-Epiſcopo vetuit, ne, ſi in Colocenſi diœceſi ſacris operaretur, eodem jure uti auſit, aut crucem præferri ſibi ſinat (q). Illud autem obſervatu haud indignum, quod Honorius Armeniæ jus ad Andreæ filium ex eo matrimonio pertinere diſertim ſcribat, etſi Leonis filia prius, quam a marito reduceretur, diem extremum obiret. Ex quo pene mihi perſuadeo, nuptias ex Eccleſiæ ritu in Hungaria celebratas eſſe. Quid porro Andrea factum, videritne unquam Armeniam, aut contra, quod auctores ſatis probatæ fidei eam Venetias conceſſiſſe, atque iſthic ex uxore prædivite Marcum filium ſuſtuliſſe referant, nihil babeo, quod in utramvis partem affirmare queam. Neque conjugium cum Sultano Iconii ineundum Pontifici probatum fuerit quod ubi ad litteras Andreæ reſpondiſſet, illius memoriam nuſpiam
1221. feciſſe perſpicuum ſit.

Almiſani piratæ Dalmatiam perturbant.

Hæc in Hungaria geſta: in Dalmatia contra nova belli ſementis jacta eſt. Almiſani quamquam Hungarorum juribus obnoxii, tamen cum iſtos factionibus diſtrahi viderent, tempore uſi, rapinis omnem Adriatici, ac Dalmatici litoris oram infeſtam reddebant, præcipue in cruce ſignatos, qui Syriam petituri Dalmatiam prætervehebantur, incurrere ſoliti, ex quibus non modo opulenta ſpolia agere, ſed cædibus quoque in incautos graſſari conſueverunt. Et dabat ipſa loci oportunitas latrociniis modum, & copiam. Eſt enim „Almiſum ſitum ad oſtium fluminis Tilluri, nunc „Cetina, quod in mare exit inter duo prælta, continuataque montium juga, aſpe„ra, & importuoſa ex orientali parte Naronæ fluminis oſtia contingentia, ex occi„dentali vero Spalatum uſque protenſa. Flumen autem ipſum, quamvis inter altos, „& arduos montes reſtrictum fluat, tamen navigabile eſt per tria milliaria, ſed an„tequam in mare exeat, montibus hinc inde recedentibus, quaſi in lacum dilatatum, inſu-

o) Hiſt. Zagrab. pag. 39. *Archi-Epiſcopus Colocenſis Bertholdus ad opus Eccleſiæ Colocenſis ſpecialiter pro hæreticis de finibus illis penitus profligandis Andrea rege, & B. primogenito conſentientibus comparaverat.*

p) Apud RAYNALD. ad an. 1219.

q) Id. Ibid.

„inſulam efficit, ripaſque hinc inde tenues, & ad fabricanda navigia aptas habet: „deinde coarctatum inter duas altas, & inacceſſibiles rupes, quæ crepidinibus mon„tium junguntur, in litus vadoſum erumpens commodam ſtationem navibus præbet. „Cum vero mare ipſum, circa oſtium fluminis, brevibus, & ſyrtibus ſcateat, quæ „etiam æſtu maris variantur, ideo ſolis incolis tutum ingreſſum permittunt; ex cu„jus orientali parte in Chulmitana regione, annexa eſt majori minor rupes, ſupra „quam Almiſum ſedet, quod ſubjacens, fluminis ingreſſum cuicunque generi navium „facillime prohibere poteſt„ (r).

Quos cum rex fruſtra nititur reprimere. Ex hoc igitur, ut ita dicam, prædarum emporio cum Almiſani prǽternavigantes ſine diſcrimine infeſtarent, Malduco ex Cazetorum tribu piraticam ſuo arbitratu dirigente, rex intellecto, quantum jacturæ Dalmatinis quoque inferretur, hominem graviſſimo edicto a latrociniis abſtinere, in hæc verba mandarat: „Andreas „rex Hungariæ, Malduco Duci Kachetorum, totique ſuæ cognationi - - jubet, „quod a latrociniis in inſulis duabus maritimis, & Zernouniza ſe abſtineant; pira„tas, & Patarenos ejiciant: aliter cum robore regni, & filiis duobus, Bela, & Co„lomano in perſona caſtigabit„ (s). Sed has comminationes, ſive rex novis in Hungaria curis implicaretur, ſive allud quiddam ſuberat; patuit in exitu inanes fuiſſe. Itaque Honorius juſtis cruce ſignatorum querelis compulſus, rem omnem Spalatinis, qui & potencia ceteris tum anteſtabant, & finitimi Almiſanis erant, mandavit, ut vim latrocinantium ſua auctoritate, & ope cohiberent, his eos litteris ad rem ſtrenue agendam cohortatus (t).

Pontifex rem omnem Spalatenſibus, & ſuo Legato commendat. „Honorius Epiſcopus, ſervus ſervorum DEI, dilectis filiis, Comiti, & „populo Spalati ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Tacti ſumus dolore cor„dis intrinſecus, quod, ſicut audivimus, novi contra Chriſtum hoſtes proditorie „inſurgentes, tempus faciendi legem ejus diſſipare nituntur: quia quidam Sclavi, „& Dalmatiani, quamvis cenſeantur nomine Chriſtiano, cruce ſignatos transfretan„tes in terræ ſanctæ ſubſidium, ad obſequium JEſu Chriſti, & alios Chriſtianos pi„ratica rabie ſpoliant, capiunt, & occidunt, & velut vulpes, habentes proprias „foveas, interdum latitant capta præda, ut quaſi ex intervallo, ſecuritate promiſſa, „ſubſequentes alios incautos invadant, & iterum Chriſtianorum ditentur ſpoliis, & „ſanguine ſatientur, iidem quoque, & alii latentes in inſidiis, & ſpeluncis, Chri„ſtianorum iter obſervant, ut deprædentur eoſdem, &, quod eſt gravius, imma„nitate perimant inhumana. Quis ergo a tanto nefandæ proditionis auditu, & a „voce tam peculiaris malitiæ non ſtupeſcat? quis tantam Chriſti contumeliam non „zeletur, & horrore perculſus non exurgat ad tantam atrocem Redemtoris injuriam „vindicandam? dum miniſtri ejus, qui fundat, & regit cælum, & terram, & ma„ria, & omnia quæ in eis ſunt, in arida, vel in aquis nequeunt ab hujuſmodi la„trunculis eſſe tuti. Ne igitur nefandiſſimi hoſtes Chriſti in ſua prævaleant pravita„te, ſed, qui oderunt Dominum, confundantur; univerſitatem veſtram roga„mus, monemus, & bortamur per aſperſionem ſanguinis JEſu Chriſti, vobis nihilo„minus in remiſſionem peccatorum injungentes, quatenus ad diſperdendum eos ex„ſurgentes in manu valida, potenti, ſtudeatis ipſos de veſtris finibus profligare, „ita quod, cum deſinere, cum poſitis perturbare perverſos, nihil ſit aliud, quam „fovere, nos contra vos procedere non cogamur, ſed potius vos tanquam perſe„cutores inimicorum Chriſti poſſimus merito commendare. Ut autem, quantum „nos hujuſmodi factum urget, ex nuntii qualitate vobis plenius innoteſcat, ecce „dilectum filium Magiſtrum Aconcium, Subdiaconum, & Capellanum noſtrum „quem pro ſuæ probitatis meritis nos, & fratres noſtri carum habemus admodum, „& acceptum, propter hoc ad partes veſtras providimus deſtinandum, cui volu„mus, ut in his, & aliis modis omnibus intendatis efficaciter; alioquin ſenten„tiam, quam idem rite tulerit in rebelles, & ſeu etiam contemtores, ratam habe„bimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter obſervari. Datum Laterani „Idibus Aprilis, Pontificatus noſtri aono quinto.„

r) Lvcivs Lib. IV. cap. IV.
s) Apud eund. Lib. & cap. cit.
t) Apud Lvcivm Lib & cap. cit.

An. Chr.

Quorum opera victi Almiſani a piratica abſtinent.

Quo autem fructu Acontius, non modo ad Dalmatiam, ſed Hungariam quoque Legati poteſtate miſſus, provinciam obierit, Archidiaconus illorum temporum accuratiſſimus ſcriptor in hunc modum memorat (u). „ His temporibus miſit Summus Pontifex quemdam Apocriſarium ſuum, nomine Acontium, natione Viterbienſem, curiæ Capellanum, virum valde diſcretum & bonum, - - pro quibuſdam arduis negotiis ad totum Ungariæ regnum, dans ſibi mandatum, ut ad Dalmatiæ partes deſcenderet, pirataſque Almiſanos a latrociniis cohiberet, ſed cum „ non haberet plenam legationem, nimioque ſuccenderetur zelo, multas enormitates in clero, & populo corrigendi, Spalati poſitus, miſit nuntios ſuos ad Domini Pontificis curiam, poſtulans, ut perfectæ ſibi Legationis auctoritas præberetur. Profectis ergo nuntiis, Acontius in Spalatenſi urbe permanſit, donec redirent, exſpectans. Videns vero Archi-Epiſcopi temeritatem, & imperitiam, multum compatiebatur Eccleſiæ Spalatinæ, quod tam inſolentem fuerat ſortita paſtorem. Arguebat autem eum frequenter, ſed ipſe ſicut onager, aſſuetus in eremo, „ & ipſum Acontium, & ejus monita contemnebat. Interea nuntii redierunt de curia, legationis officium eidem Acontio pleniſſime perferentes: tum Acontius ſedis „ Apoſtolicæ auctoritate ſuffultus, cœpit multa circa clerum, populumque corrigere, „ Eccleſiam novis ſtudiis informando: fecit enim a clero cunctas expelli focarias, „ de quibus Archi-Epiſcopo nulla ſuberat emendationis cura. Convocavit autem „ tamen Dalmatiam, & Croatiam in adjutorium ſuum contra hæreticos, & piratas, „ faciens indulgentias omnibus, quicunque zelo divino ſuccenſi, in perſonis, vel „ expenſis ad eorum interitum laborarent: tunc congregato multo navali exercitu, & equeſtri, cœpit eos undique impugnare, in tantum enim Almiſanos in „ mari, & terra inſequendo contrivit, ut defecti viribus deſperarent ulterius ſe poſſe „ reſiſtere. Venerunt ergo, & corruentes ad pedes Legati, pacem, & miſericordiam humiliter implorabant, promittentes omnem emendationem, & obedientiam „ ad ejus beneplacita, & mandata. Quos Legatus ſuſcipiens, fecit eos piraticas „ naves exurere, promittentes interpoſito juramento, ut a Chriſtiana jam infeſta-
1222. tione ceſſarent. „

Rex juris jurandi religione, quo ſe Halicienſibus obſtrinxerat, a Pontifice ſolvitur.

Pacatis in Dalmatia per Legatum Pontificium rebus Andreas, in Hungaria ſedandis quoque turbis, quæ aliæ ex aliis ſubnaſcebantur, operam dedit. Sed in ipſo conatu nuntii ex Halicia regem intercepere. Illi memores *juris* jurandi, quo olim Andreas pollicitus eſſet, filium natu tertium ſe illis regem daturum, ut pollicitis ſtaret, regem per Legatos crebro orabant. Andreas, qui filium regno Armeniæ, ut narratum eſt, conciliaris nuptiis cum Leonia filia, deſtinarat, animi pendens, qua ratione ſe ex difficillimo negotio expediret, ſcripſit ad Honorium, obteſtatus, ut ſe a juris jurandi religione, quo ad eximendum e vinculis Colomanum improbis hominibus ingratiis ſuis prius ſe obſtrinxerat, exſolveret. Annuit Pontifex, quamquam non ita, ut in omnibus regi mortem gereret. Nuper (ita enim reſcripſit Honorius) „ ex parte tua fuit propoſitum coram nobis, quod cum dudum - - regi, „ nato ſuo ſecundo genito, ad regnum Gallitiæ ſibi datum per venerabilem fratrem „ noſtrum, Strigonienſem Archi-Epiſcopum auctoritate ſedis Apoſtolicæ coronato in „ regem - - filiam nobilis viri - - Ducis Poloniæ matrimonialiter copulaſſes, tam a „ te, quam ab ipſo Duce corporali juramento præſtito, quod neuter veſtrum diſſolvi „ hujuſmodi matrimonium procuraret; quin imo regem prædictum in obtinendo regnum ipſum defenderetis toto tempore vitæ veſtræ, caſu ſiniſtro accidit, regem „ ipſum cum ſponſa ſua, & pluribus aliis viris nobilibus a ſuis hoſtibus capturari, & „ tamdiu extra regnum ipſum mancipatos cuſtodiæ detineri, donec neceſſitate compulſus, cum ipſos aliter liberare non poſſes, juramento præſtito promiſiſti quod - - „ filio tuo tertio genito conceſſeris ipſi regnum præfatum - - filiam nobilis viri Mizoslai matrimonialiter copulares, ſuper quo utique Apoſtolicæ proviſionis ſuffragium poſtulaſti. Nos igitur hac, & aliis petitionibus tuis in præſentia fratrum noſtrorum diligenter expoſitis, de ipſorum conſilio juramentum hujuſmodi in eo duntaxat, quod regnum prædictum alii regi auctoritate Apoſtolica coronato primo conceſſum tetigiſſe videtur, tanquam illicitum, & primo juramento contrarium decre-

vimus

u) Hiſt. Solonit. cap. 27.

„ vimus non tenere. In eo vero, quod ſpectat ad aliud matrimonium contrahen„ dum expedire non videmus, ut abſolvaris a nobis. Cum enim, ſicut accepimus, „ præfatus filius tuus, & filia ſupra dicti Mizoslai in minori exiſtant conſtituti æta„ te, antequam ad nubiles annos perveniant, tibi cautius, & conſultius provideri „ poterit in hoc caſu. Super eo autem, quod cauſam, quæ vertitur inter te, & „ chariſſimam in Chriſto filiam noſtram, Conſtantiam Romanorum Imperatricem „ ſemper Auguſtam, & reginam Siciliæ, ad noſtram petiſti audientiam revocari, „ noveris, nos eidem Imperatrici noſtras ſuper hæc litteras deſtinaſſe, credentes, „ quod & ipſa velit libenter, ut idem negotium ad Apoſtolicæ Sedis remittatur e„ xamen -- Datum Laterani VI. calendas Februarii, Pontificatus noſtri anno ſex„ to (v).

Lis inter Andream, & Conſtantiam Imperatricem ſopita.

Quid Andreæ cum Conſtantia Imperatoris Conjuge interceſſerit, ut litem ab Honorio tranſigi cuperet, fateor mihi rem vehementer obſcuram eſſe, quod Raynaldus, ex quo litteras ſuperius laudatas excerpſimus eam partem, ex qua lucis aliquid affulgere poſſet, magno hiſtoriæ damno ſubticuerit. Sunt, qui Conſtantiam hanc eandem eſſe putent, quam Præmislao Ottocaro Bohemiæ Duci collocatam fuiſſe narravimus; itaque Emerici, & Andreæ regum ſororem (x), ex qua poſtea Henricus ſenior, Dux Sueviæ & rex Romanorum natus ſit, quod affirmare, veterum monumentis deſtitutus, non auſim. Fortaſſe a vero haud aberraverim, ſi Conſtantiam Emerici conjugem, quæ ab ejus obitu Andreæ inſidiis agitata, cum Ladislao filio Viennam confugerat, fuiſſe exiſtimem; hanc enim Friderico Siciliæ regi poſtea Imperatori nupſiſſe, Surita graviſſimus ſcriptor memoriæ prodidit (y). Id ſi locum habet, veriſimile eſt, Conſtantiam dotis nomine quiddam ab Andrea, Emerici, ſui olim mariti fratre petiiſſe, cauſamque ad Honorium eſſe delatam.

Diſſidiorum inter regem & Belam filium origo.

Eadem occaſione ad nonnullos Hungariæ Præſules Pontifex ſcripſerat, quibus de contractis inter Belam, & Theodori Comneni Græcorum regis filiam ſponſalibus indagandi provinciam commiſit, *cum iis ſolvi Hungarus a Pontifice flagitaret: inde vero Apoſtolicis litteris ad cunctos Pannoniæ Epiſcopos in regis gratiam miſſis, perduellium conatus reprimi jubet. Ceterum quamvis Andreæ regis juſſu filius regni inſignia acceperit, ipſi tamen regi omnes fidos, obſequenteſque eſſe imperavit* (z). Hæc Raynaldus ex Pontificiis litteris: verum haud perinde, ut Honorius juſſerat, imperio obſequentes Andreas habuit, conſcitis brevi poſt tempore inter ſe, & filium diſſidiis. Bela enim, ſive regia dignitate recens auctus imperii appetentior, nam & aulam, & magiſtratus peculiares regium in morem ab accepta corona, ſeorſim ſibi comparaverat (a), ſimili pæna juſto Numinis judicio deinceps per filium plectendus, ſive per optimates aliquos in Andream concitatus minus ſe morigerum Patri exhibuit. Nam ut Rogerius, cui jam tum ad aulam aditus patebat, aut palatinalibus viris familiariter cognitus erat, teſtatur, cum Bela *ad patris curiam accedebat, iidem in nullo ei penitus deferebant, immo de honeſtare ipſum verbis, & factis, in quantum poterant, nitebantur: quod celari non poteſt* (b). Inde ſimultates prope in apertum eruperant, miris factionum ſtudiis auctæ, cum nonnulli judicia in rebus controverſis apud regem, alii contra apud filium pronunciari expoſcerent, ut cui ſpes, & commodorum ratio ſuadebat. Acceſſit & illud, quod regni adminiſtratio multorum partim indulgentia, partim arrogantia nonnullis partibus miſere luxata eſſet, ut paſſim ingenui libertatem ab D. Stephano inſtitutam, ſive privata regum cupiditate & potentia, ſive nefariis hominum lucra ſectantium conſiliis coarctatam eſſe quererentur. Andreas, cum hanc ob cauſam ſæpe illi cum optimatibus altercatio interceſſiſſet, ne aut ſuis partibus defuiſſe videretur, aut malum oſcitantia auxiſſe, generalem regni

Ex quibus diſſenſio cū regni optimatibus exorta.

v) Apud RAYNALD. ad annum 1222.

x) In notis ad DVBRAVII Hiſt. Boemicæ librum XIV.

y) In indice rer. Aragon. ad an. 1208.

z) In annal. Eccleſiaſt. ad an. 1222.

a) Patet id ex diplomate anni 1229. cujus initium id modi eſt; *Bela Dei gratia rex, primogenitus regis Hungariæ.* Quo titulo vivente Patre in inſtrumentis publicis uſus eſt. Finis vero diplomatis ſequens: *Datum per manus Matthiæ, Præpoſiti Zagrabienſis, aulæ noſtræ Cancelarii: anno gratiæ 1229. Pous Tavernicorum, Chatz Dapiferorum, Pouſa filio Solum Agazonum noſtrorum Magiſtris exiſtentibus.*

b) In Carmine miſerabili, ſeu deſtructione Hungariæ per Tartaros cap. IX.

conventum indixit, ut mutua voluntatum conſenſione certa legum norma conſtitueretur, a qua recedere nemini fas eſſet, & quæ, ut ſpes erat, diſſidentium animos conciliaret. Has noſtris Decretum nuncupare placuit, tranſiitque poſtea in morem, ut prius reges, quam diademate inſignirentur, jure jurando ſe obſtringerent, quid quid decreto Andreæ ſancitum fuiſſet, bona ſe fide ſervaturos. Non puto me rem ſupervacaneam facturum, ſi id in exterorum gratiam, quibus Magiſtratuum, ac jurium noſtrorum ratio haud ſatis curate perſpecta eſt, quantum ad annales attinebit, in medium protulero (c).

Complanatur edito decreto, quo Nobilium privilegia, & prærogativas confirmat.

In nomine Sanctæ Trinitatis, & individuæ unitatis. Andreas Dei gratia, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæque rex in perpetuum. Quoniam libertas tam nobilium regni noſtri, quam etiam aliorum, inſtituta a S. Stephano rege, per aliquorum regum potentiam, ulciſcentium aliquando iram propriam, aliquando etiam attendentium conſilia falſa hominum iniquorum, vel ſectantium propria lucra, fuerat in quam plurimis partibus diminuta; multoties ipſi Nobiles noſtri ſerenitatem noſtram, & Prædeceſſorum noſtrorum, regum ſuorum, aures precibus, & inſtantiis multis pulſaverunt ſuper reformatione regni noſtri. Nos igitur eorum petitioni ſatisfacere cupientes in omnibus, uti tenemur, præſertim, quia inter nos, & eos occaſione hac jam ſæpius ad amaritudines nonmodicas eſt proceſſum: quod, ut regia honorificentia plenius conſervetur, convenit evitare, hoc enim per nullos alios melius fit, quam per eos, concedimus tam his, quam aliis hominibus regni noſtri libertatem a S. rege conceſſam: ac alia ad ſtatum regni noſtri reformandum pertinentia, ſalubriter ordinavimus in hunc modum.

Statuimus, ut annuatim in feſto Sancti Stephani regis, niſi arduo negotio ingruente, vel infirmitate fuerimus prohibiti Albæ teneamur ſolennizare. Et ſi nos intereſſe non poterimus, Palatinus procul dubio ibi erit pro nobis, & vice noſtra cauſas audiet: & omnes ſervientes, qui voluerint, libere illuc conveniant? Volumus etiam, quod nec nos, nec poſteri noſtri aliquo tempore ſervientes capiant, vel deſtruant, favore alicujus potentis; niſi primo citati fuerint, & ordine judiciario convicti (d). Item nullam collectam nec libras denariorum (e) colligi faciemus ſupra prædia ſervientium: nec in domos, nec villas deſcendemus, niſi vocati. Super populos etiam Eccleſiarum ipſarum (f) nullam penitus collectam faciemus (g).

Si quis ſerviens ſine filio deceſſerit, quartam partem poſſeſſionis filia obtineat: de reſiduo, ſicut ipſe voluerit, diſponat. Et ſi morte præventus diſponere non poterit, propinqui ſui, qui eum magis contingunt, obtineant. Etſi nullam penitus generationem habuerit, rex obtinebit (h). Comites Parochiani prædia ſervientium non diſcutiant. niſi, cauſas moneta-

rum

c) Habetur in Codice juris patrii: nos nec in articulos, nec §. §. diſtinguimus, qui mos juris peritorum eſt: Notulas ad illuſtrandum decretum, ex opuſculo P. Joann. Bapt. Szegedi, e S. J. deſumimus, ejuſmodi rerum gnariſſimi.

d) Privilegium hoc inſertum eſt. P. I. cap. 9. cujus debita intelligentia, & factæ per leges ſubſequas immutationes petendæ ſunt ex Tyroc. Juris Hung. ad eundem tit.

e) Alii rectius legunt: *libros denarios.* Quaſi dona, & oblationes gratuitas. Nam collectam, ſeu contributiones debitas, ac demandatas contradiſtinguit ab his denariis, dum ait: *nullam collectam, nec* &c. Confer. S. Steph. Lib. 2. cap. 35. in principio.

f) Loquitur lex de libertate indulta non tantum prædiis ſervientium, ſed & prædiis Eccleſiarum, ut patet ex Rubrica. Itaque in textu legis, per populos *Eccleſiarum*, intelligendi ſunt populi, qui incolunt prædia Eccleſiarum, & idcirco, de lege recentiori, ac ſtylo Curiarum non jam populi Eccleſiarum, ſed prædiales audiunt. Et quidem Nobiles (vulgo *Erſegh Nemeſſei, Apatúr Nemeſſei &c.*) eo, quod in hac libertate, & exemtione a collectis, & liberis denariis atque aliis quibuſdam prærogativis, ac immunitatibus cum nobilibus regni, ſeu *ſervientibus regis* communicent. Quales prædiales habebant olim pleræque Eccleſiæ Cathedrales, Collegiatæ, & Abbatiales. Qui pro ipſarum, & regni defenſione ſub *Banderio*, ſeu vexillo ſui Prælati militare, & alia quædam perſonalis obſequia præſtare obligabantur. Habent & hodie quædam Eccleſiæ, ut Strigonienſis, Jaurinenſis &c. S. Martini montis' Pannoniæ &c. de quibus in decretis regum ſæpius recurrit mentio.

g) Proinde nec gratuitam, nec obligatoriam, nec liberos denarios, nec datias, portiones, aut quaſvis contributiones.

h) Confer. S. Steph. lib. 2. cap. 5. 24. & 35. Ac Ludovici I. Concluſ. Confirmati. Decret. Andreæ II. Nec non P. I. tit. 5. & 17. denique 88. & ſeqq. de quarta puellari.

Digitized by Google

rum (i), & decimarum. Comites curiæ Parochiani (k) nullum penitus diſcutiant, niſi populos ſui caſtri. Fures, & latrones, Bilochi regales (l) diſcutiant, ad pedes tamen ipſius Comitis. Item populi conjurati in unum, fures nominare non poſſint, ſicut conſueverunt (m).

Si autem rex extra regnum exercitum ducere voluerit, ſervientes cum ipſo ire non teneantur, niſi pro pecunia ipſius (n). Et poſt reverſionem, judicium exercitus ſuper eos non recipiat. Si vero ex adverſa parte exercitus venerit ſuper regem, omnes univerſaliter ire teneantur (o). Item ſi extra regnum exercitum ducere voluerimus, & cum exercitu iverimus, omnes, qui Comitatus habent, pro pecunia noſtra nobiſcum ire teneantur (p).

Palatinus omnes homines regni noſtri indifferenter diſcutiet (q), ſed cauſam nobilium, quæ ad perditionem capitis, vel ad deſtructionem poſſeſſionum pertinet; ſine conſcientia re-

i) Rectius Sámbóki legit. *Niſi cauſa monetarum.*

k) Comes Parochianus eſt ſupremus Comes Comitatus: Comes Curiæ Parochianus, eſt Comes, ſeu Præfectus, & Capitaneus Caſtri cujusdam Curialis, ſeu regalis, habent pro Parochia populos, & gentes illi caſtro adſcriptas. Quales olim erant Comites, Caſtri Nandor-Albenſis, caſtri Szabacs, caſtri Wiſegrád &c.

l) *Bilochi* dicti ex Hungarico *Birák* ſeu Judices. Regales vero, quod principaliter ſervientibus regis judicia impendant. Hodie paſſim, *Judices Nobilium* audiunt, aut contracte, *Judlium.*

m) Legi debet active, *non nominent*: prout legit etiam Sámbóki. Si enim legatur, *non nominentur*, diſcordabit textus a rubrica. Vult autem Andreas iſthic abuſum tollere, cui occaſionem dedit S. Ladislai lib. 2. cap. 4. in quo ſtatuitur, ut „*ſi tota villa aliquem furem eſſe proclamaverit, omni ſubſtantia privetur, & vindicetur regi, unde quarta pars detur villanis.* Hinc avaritia, ac interdum odio, & rancore ſtimulante villani conjurabant, ſeu conſpirabant in unum, & abuſi decreto regis ſanctiſſimi, quem oppreſſum, & omnibus ſpoliatum volebant, furem proclamabant.

n) Condita lex eſt poſt expeditionem Hieroſolymitanam, in qua propriis militaſſe ſtipendiis quantum conſtiterit. Et urgebat regem Pontifex etiam proxime ante hæc comitia lapſo anno, ut in Palæſtinam cum exercitu rediret, votumque patris ſolveret, ſed is ſe liberatum obtendens Romam eſt evocatus ad dicendam per Procuratores cauſam. Quare metuentes regni Nobiles, ne rurſum tam ſumtuoſa expeditio ſit ſuſcipienda, præſens privilegium ab rege impetrarunt. Cujuſmodi jam olim Croatæ a Colomano rege aquiſierant, ut in loco diximus.

o) Propriis ſumptibus, & ſtipendiis. Sed de *modo exercituandi*, & pro defenſione patriæ *inſurgendi*. vide poſt alios artic. 8. anni 1715.

p) Itaque qui Comitatus, ſeu *Caſtrorum*, ſeu *provinciarum* habent, pro pecunis regis debent, & obligantur exercitum ductore rege extra regnum ſequi. Ceteris nobilibus etiam pro pecunis arbitrarium eſt, ſine pecunia vero neutri obligantur.

q) Dignitas, ut alias commonſtravi, regno coæva. Extenſa hic eſt Palatinorum Comitum palatii poteſtas, & jurisdictio. Hactenus enim extra curiam regis neminem judicare poterant, niſi *Udvarnicos*, & qui ſponte, ac benevole *laudum*, ſive arbitrium ipſorum expetiere. Unde ſi abeſſe eos ab aula regia interdum contigit, ſigillum officii vice-Palatino apud aulam remanenti reſignare jubebantur. S. Ladislaus Lib. 3. cap. 3. Epiſcopi, & Comites Parochiales in congregationibus ſuis, quas paſſim ſynodos vocabant, per duo prima Monarchiæ noſtræ ſecula, plurimas cauſas terminabant, ut patet ex S. Ladislai, & Colomani Decretis. Poſthac Palatinus ubique per regnum cauſas cognoſcere cœpit, ut ſummus poſt regem Judex. Proinde hoc primum articulo factus eſt, ut loquimur, *Judex regni ordinarius.* Hactenus vero *principalis* ejus cura, & officium (ſaltem poſt natos Judices Curiæ) fuit, gerere rationes, & procurare negotia aulæ regiæ; emergente autem bello, & absente a caſtris rege exercitum ductare, aciemque ſtruere. Diſcuſſio autem cauſarum, quas regnicolæ ad aulam regiam adferebant, *principaliter* pertinebat ad Comitem Curialem, ſeu Judicem Curiæ regiæ; cum quo Comes Palatii, dum vacabat, & lubebat, in hac jurisdictione concurrebat, ita, ut præventioni locus fuerit inter duos iſtos aulæ regiæ Judices, prout ex variis juris textibus, & paragraphis elicitur. Palatinatus ſub Bela IV. annuus duntaxat erat, ſub aliis diuturnior, donec perpetuus eſſe juberetur. Sed de his ſuſius in decret. anni 1485. Demum ſi non prius, certe Caroli I. temporibus principium ſumſit ea conſuetudo, ut Palatinus ſponte obiret Hungariam, ac in quolibet Comitatu ſuper tumulo manufacto, ſub tentorio tribunal erigeret, omniumque ejus provinciæ incolarum cauſas civiles, & criminales ſummarie cognoſceret, ac definiret. Et hoc peculiari nomine dein vocari cœpit, *Judicium Palatinale*: de quo ſtabiliendo, demum mox amovendo, ad exſtirpanda furta, latrocinia, aliaque enormia flagitia, pro certis regni Comitatibus iterum reſumendo occurrunt non pauci articuli in ſubſequentium regum decretis. Exſtant hodiedum aliqui illorum tumulorum, ſuper quibus Palatini Judices conſedere.

regis terminare non poſſit (r). Iudices vero, vicarios non habeant (s), niſi unum in curia ſua. Curialis Comes noſter, donec in curia manſerit, omnes poſſit judicare (t), & cauſam in Curia inchoatam, ubique terminare. Sed manens in prædio ſuo, Præſtaldum (v) dare non poſſit, nec partes facere citari.

Si quis Jobagio habens honorem (x) in exercitu fuerit mortuus, ejus filius, vel frater congruo honore ſit donandus. Et ſi ſerviens eodem modo fuerit mortuus, ejus filius, ſicut regi videbitur, donetur. Si hoſpites, videlicet boni homines, ad regnum venerint, ſine conſilio regni ad dignitates non promoveantur. Uxores decedentium vel damnatorum ad mortem per ſententiam, vel in duello ſuccumbentium, vel ex quacunque alia cauſa non fraudentur dote ſua (y). Jobagiones ita ſequantur curiam, vel quocunque proficiſcuntur, ut pauperes per eos non opprimantur, nec ſpolientur. Item ſi quis Comes honorifice ſe, juxta Comitatus ſui dignitatem non habuerit, vel deſtruxerit populos caſtri ſui, convictus ſuper hoc, coram omni regno dignitate ſua turpiter ſpolietur, cum reſtitutione ablatorum. Agazones, Caniferi, & falconarii non præſumant deſcendere in villas ſervientium. Integros Comitatus, vel dignitates, quaſcunque, in prædia; ſeu poſſeſſiones non conferemus perpetuo. Poſſeſſionibus etiam, quas quis juſto ſervitio obtinuerit, aliquo tempore non privetur (z). Item ſervien-

r) Hinc patet, nondum cœpiſſe ætate iſta, *Judicium Palatinale* per Comitatus, de quo paulum ante mentio injecta eſt.

s) Seu vice-gerentes, quales ſunt: vice-Palatinus, aut vice locumtenens regius, vice-Judex curiæ regiæ, vice-Banus, vice-Vaivoda, vice Magiſter Tavernicorum, vice-Comes, vice-Judex Nobilium.

t) Hic confirmatur duntaxat ordinaria juriſdictio Comitis Curialis, ſeu Judicis curiæ regiæ, quemcunque regnicolarum in Curia judicandi. A principio enim hujus officii Ille erat Prætor, & Judex ordinarius in aula regia. Mox ſubjungitur facultas: *Cauſas, in Curia inchoatas, ubique terminandi.* Lapſu temporis, & quidem probabilius circa annum 1300. factus eſt etiam *Judex regni ordinarius*, vulgo dici cœptus *Orſzag Biro*. Pro cauſis vero in aula regum *principaliter* diſcutiendis ſucceſſit ei Magiſter Curiæ regiæ. An autem *Judicatus Curiæ* ſit Palatinatui coævus, merito ambigitur. Cum ante an. 1137. ſeu ante tempora Belæ cæci nullus Judex Curialis inveniatur, teſte Jongelino in Catalogo Judicum Curiæ; ut proinde in partem curarum Palatini ſucceſſiſſe videatur.

v) Præſtaldum, ſeu Priſtaldum dare, ſignificabat, adjungere aliquem litigantibus: qui eos ad ferri candentis, aut aquæ ferventis probam, dum ea decernebatur, ad quodpiam Capitulum cum litteris adjudicatoriis deduceret, aut certe, ſi proceſſus aliter ſiniebatur, qui executionem rei adjudicatæ perageret.

x) *Jobagio*, ſive *Jobbagyio*, aut, ut in privilegio Saxonum Tranſilvaniæ habetur, *Jubaio*, ſumitur pro Barone regni. Ut proinde *Jobagionatus* regni, idem olim fuerit, ac Baronatus regni. Hodie *Jobagiones* vocamus ſolum ſubditos, & Colonos noſtros, qualiter iidem etiam hoc decreto vocantur artic. 19. Filii vero primariorum regni *Jobagionum*, ut vetuſtiora docent diplomata, titulo *Magiſtri* velut honorificentiſſimo ea tempeſtate ornari ſolebant; eodem videlicet, quo minores regni Barones, puta Magiſtri Tavernicorum, Janitorum &c. Neque enim Comitum titulos ad filios tranſibat, cum is fuerit officii, & dignitatis, non vero ſanguinis, & proſapiæ. Fuerant quidem plurimi Comites ratione officiorum, ut Præfectus Palatii, & curiæ regiæ, ac reginalis, caſtrorum item regalium, & reginalium, Comites præterea ſalinarii, Tributarii, & Camerarii monetarum, denique Comites provinciarum; ſeu Comitatuum, ſed uſque ad tempora Ludovici I. rariſſimi ſane fuerunt Comites, quibus hic titulus demto officio competiiſſet. Atque hoc ipſo Decreto art. 16. ſtatuitur, ut rex integros Comitatus, prout antea non nunquam fiebat, aut quaſcunque dignitates non conferat in perpetuum, ſeu cum jure ſucceſſionis ad filios tranſeunte, qualiter conferre ſolet prædia, & alias poſſeſſiones. Unde imitatione Germanorum, & Bohemorum, aliarumque nationum, Comitum titulus multiplicari cœpit reipſa ſub Sigiſmundo Im. & rege Hungariæ, ac Bohemiæ. Quamquam non ignoremus Carolum I. ut Hungaros magis ſibi devinciret, complures, quos opibus præpollere, & ſplendidius veſtiri conſpexerat, Italica libertate Comitum honore dignatum fuiſſe, nec tamen dato diplomate eoſdem Comites creabat, ſed in ſtatu Nobilitatis, ſeu ſervientium regiorum, prout invenit, relinquebat, Barones vero vix ullos ea ætate fuiſſe reperias, niſi regni. Qui tamen ab ipſis etiam regibus in ſuis diplomatis, quandoque *Principes regni noſtri* nuncupantur. Et hinc manavit illa formula, hodieque uſitata: *de Conſenſu Prælatorum, Baronum, Magnatum, & Nobilium regni* &c. Ut ſcilicet Barones iſti quibusvis Magnatibus, quamvis *Ducali*, aut *Principali* authoritate præfulgentibus in publicis regum, & regni negotiis, ac diplomatibus anteferrentur.

y) Dos hic accipitur pro contradote, prout alibi quoque ſæpius in jure noſtro Confer. S. Steph. lib. cap. 24.

z) S. Steph. lib. 2. cap. 35. Colomanus lib. 1. cap. 20. Denique Art. 9. anni. 1715.

Digitized by Google

volentes, accepta licentia a nobis, poſſint libere ire ad filium noſtrum, ut a majore ad minorem (a): nec ideo poſſeſſiones eorum deſtruantur. Alioquin juſto judicio filii noſtri condemnatum, vel cauſam inchoatam coram ipſo, priusquam terminetur coram eodem, non recipiemus, nec e converſo filius noſter. Jobagiones Caſtrorum teneantur ſecundum libertatem a ſancto Stephano inſtitutam. Similiter & hoſpites cujuſcunque nationis, ſecundum libertatem, ab initio eis conceſſam, teneantur. Decimæ (b) argento non redimantur, ſed, ſicut terra protulerit, vinum, vel ſegetes, perſolvantur: & ſi Epiſcopi contradixerint, juvabimus ipſos.

Epiſcopi ſuper prædia ſervientium (c) equis noſtris decimas non dent: nec ad prædia regalia populi eorundem (d) decimas ſuas (e) apportare teneantur. - - Item nova noſtra moneta per annum obſervetur a Paſcha, uſque ad Paſcha. Et denarii tales ſint, quales fuerunt tempore regis Belæ. (f) Comites Camerarii monetarum, ſalinarii, & tributarii, Nobiles regni noſtri ſint. Iſmaelitæ, & Judæi fieri non poſſunt. (g) Item ſales in medio regni non teneantur, niſi tantum in Zabolch (h) & Regécz, & confiniis. Item poſſeſſiones extra regnum non conferantur. Si ſunt aliquæ collatæ, vel venditæ, populo regni ad redimendum reddantur. (i) Marturinæ (k) juxta conſuetudinem a Colomano conſtitutam ſolvantur. Si quis ordine judiciario fuerit condemnatus, nullus potentum poſſit eum defendere (l). Comites jure Comitatus ſui tantum fruantur: cetera ad regem pertinentia, ſcilicet Cibriones (m), tributa, boves, & duas partes Caſtrorum rex obtineat. Item præter hos quatuor Jobagiones, ſcilicet: Palatinum, Banum (n), Comites Curiales regis & reginæ

a) Belam jam coronatum intelligit.

b) Inductæ ſunt a S. Steph. Lib. 2. cap. 52.

c) Ergo tunc Epiſcopi adhuc accipiebant decimas ex prædiis ſervientium, ſeu nobilium, cum iſthic privilegium aquiraot, non dandi decimas decimarum, ex talibus prædiis receptarum, ad uſum equorum regiorum. Viguiſſe autem id temporis hanc decimarum normam patet ax privilegio Colomani, quod Dalmatis anno MCXI. dedit, ut ad hunc annum diximus.

d) Id eſt, prædiales Eccleſiarum Cathedralium, ut in art. 3. fit mentio.

e) Itaque ex decimis prædialium ſuorum debebant Epiſcopi adhuc dare decimas pro equis regalibus, cum prædiales iſthic eximantur ab onere, eaſdem fruges devehendi uſque ad prædia regalia; qualia olim erant, *Demes* prope Wiſſegrad, *Lovaſzpatona* prope Papam, ſic dictum, quod illic Agazones regales ob fœni melioris copiam cum equis ſuis hibernare ſolerent.

f) Scilicet primi, qui primus omnium fertur ex argento puro pecuniam conflaſſe, ſed alias jam monui, pleroſque ignoraſſe, jam inde ab ævo S. Stephani nummos argenti puri exſtare; cujuſmodi quoque Samuelis, ſive Abbæ reperiuntur, & aliorum regum.

g) Iſmaelitæ probabilius Saraceni fuerint, ut alibi inſinuavi, qui per matrimonia Hungaris commixti, nobilitatem pariter, & deſcenſum ſunt adepti. Videntur Mœſiam coluiſſe, nam cum Belgradum Serviæ Ladislaus cum Geiſa obſideret, Saraceni feruntur urbem defendiſſe, ut habet Thuroczius.

h) Seu, ut hodie uſurpamus *Szábolcs.*

i) Extra regnum vendere cenſentur, qui vendit extraneo, nondum adepto indigenatum. Hinc merito talium poſſeſſionum reluitio cuivis nobili Hungariæ indulgetur.

k) Eo nomine accipiunt vectigal maritimum: itaque privilegium id reſpicit partes maritimas Dalmatiæ: quid eatenus prærogativæ a Colomano Dalmatæ habuerint, memoratum eſt ad an. 1108., ubi regi ex naulo duæ partes obvenerant. Ludovicus I. Decreti ſui art. 12. eximit a ſolutione Marturinarum nobiles inter fluvios Drava, Sava, ac de Poſega, & Valko inſtar nobilium Hungariæ.

l) Congruit P. 3. Tit. 24.

m) Vox Hungarica, urnam majorem ſignificans.

n) Unicum hactenus ſub Corona Hungariæ fuiſſe Banum, ſeu Præfectum Provinciarum, aut ſaltem alicujus provinciæ hoc nomine compellari ſolitum, patet non modo ex præſenti articulo, ſed & ex diplomate ejuſdem Andreæ II. de anno 1209., in quo *Banc* Banûs legitur, ſine dubio idem, qui Gertrudem reginam trucidavit. Poſterius tamen plures Banos eidem provinciæ præfectos fuiſſe, alibi notavi. Præerat hic Banus regnis Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, atque etiam Boſniæ, & vocari alias ſolebat uno nomine *Banus totius Sclavoniæ*, etſi ſingula ſæpe regna ſuos Banos ſeorſim quoque habuerint, ut ex Hiſt. Zagrab. patet. Sub Bela IV. dignitas ea cœpit multiplicari: legitur enim Minoſclavus Banus Boſenenſis, & Dionyſius de Vialka ex Hedervariorum proſapia Banus totius Sclavoniæ, & Dalmatiæ. Partes autem Serviæ hactenus adminiſtrabantur per ſupremos Comites, ſcilicet Cöviniensem, ſeu Kewejenſem: Machovienſem, ſive Matſchovienſem, Orbacenſem, Obracenſem, & Zebernekienſem. In has enim provincias, ſive Comitatus diviſa olim erat tota Servia Juris Hungarici. Meminerunt earum non modo diplomata vetuſtiora, ſed & Werbôczius in catalogo Comitatuum Hungariæ. Sic in citato diplomate Andreæ, Martinus ponitur

ginæ (o), duas dignitates nullus teneat (p). Et ut hæc noſtra tam conceſſio, quam ordinatio ſit noſtris, noſtrorumque ſucceſſorum temporibus in perpetuum valitura, eam conſcribi fecimus in ſeptem paria litterarum, & aureo ſigillo (q) noſtro roborari: ita, quod unum per mittatur Domino Papæ, & ipſe in regeſto ſuo ſcribi faciat: ſecundum penes Hoſpitale (r), tertium penes templum (s), quartum apud regem; quintum in Capitulo Strigonienſi, ſextum in Colocenſi, ſeptimum apud Palatinum, qui pro tempore fuerit, reſervetur. Ita quod ipſam ſcripturam præ oculis ſemper habens, nec ipſe deviet in aliquo prædictorum, nec regem, nec Nobiles, nec alios conſentiat deviare; (t) ut & ipſi gaudeant in ſua libertate, ac propter hoc nobis, & ſucceſſoribus ſemper exiſtant fideles, & coronæ regiæ debita obſequia non negentur.

Quod ſi vero nos, & aliquis ſucceſſorum noſtrorum aliquo unquam tempore huic diſpoſitioni noſtræ contra ire voluerit, liberam habeant harum authoritate, ſine nota alicujus infidelitatis, tam Epiſcopi, quam alii Jobagiones, ac Nobiles regni, univerſi, & ſinguli, præſentes, & futuri, poſterique, reſiſtendi & contradicendi nobis, & noſtris ſucceſſoribus in perpetuum facultatem (u). Datum per manus Cleti, aulæ noſtræ Cancellarii, Agrienſis Eccleſiæ Præpoſiti; anno Verbi incarnati milleſimo ducenteſimo, vigeſimo ſecundo. Venerabili Joanne Strigonienſe, Reverendo Ugrino Colocenſe, Archi-Epiſcopis exiſtentibus. Deſiderio Chanadienſe, Puberto Veſprimienſe, Thoma Agrienſe, Stephano Zagrabienſe, Alexandro Varadienſe, Bartholomæo Quinque-Eccleſienſe, Coſma Jaurinenſe, Briccio Vacienſe, Vincentio Nitrienſe Epiſcopis exiſtentibus, regni noſtri anno decimo ſeptimo.

Hactenus Decretum Andreæ regis, eam ob cauſam, ut in principio inſinuavi annalibus inſertum, ut, qui rerum noſtrarum minus periti ſunt, & dignitatum, & jurium regni aliquam animo ſuo imaginem exprimere poſſint.

LIBER

Comes Kewajenſis, & in diplomate Ladislai Laurentius Comes de Kewe, & Craſſow. Sed de his Comitatibus, uti & variis ſucceſſive Banatibus conſulendus eſt Timon in imagine novæ Hungariæ, qui hæc omnium diligentiſſima conſignavit, & nos ex eo, ubi uſus erit, memorabimus.

o) Per Comitem curialem reginæ iſthic non intelligi Comitem curialem Parochianum, ſeu Præfectum caſtri cujuſdam reginalis, de quo ſupra actum, exinde elicitur, quod quatuor tantum Jobagionibus, ſcilicet: Palatino, Bano, Comiti curiali regis, & Comiti curiali reginæ duas dignitates tenendi facultas iſthic indulgeatur, cum tamen reginæ complura caſtra, imo integros etiam Comitatus, & quandoque Banatus dotis, aut donationis nomine a regibus noſtris aquiſitos & regnantes, & viduæ poſſidere ſolitæ fuerint. Sic Eliſabeth mater Ladislai IV. vidua Stephani V. dotis titulo poſſidebat Banatum Machovienſem a Bela IV. erectum, Boſniam item, ac Comitatus de Poſſega, & de Valkow ut liquet ex diplomate de anno 1270. cujus titulus hic eſt: *Eliſabeth Dei gratia major regina Hungariæ, Duciſſa de Makow, & de Boſna.* Ejuſmodi plura in ipſis annalibus in medium proferemus. Itaque Comes curialis reginæ, ſignificat Prætorem, ſeu Judicem curiæ, ac aulæ reginalis, qui cauſas non modo aulæ ejus familiarium, & ſequacium, ſed & ſub caſtris, & ditionibus ejus degentium, principaliter, aut per appellationem ad ſe devolutas, diſcuteret. Comites enim curiæ Parochiani nullum penitus diſcutere poterant, niſi populos ſui caſtri. Comites vero Parochiani, ſeu Comitatuum ſupremi non audebant prædia nobilium diſcutere, niſi cauſis monetarum, & decimarum. Erat itaque partium Judicis, ſeu Comitis curiæ reginalis diſcutare etiam nobiles in ditionibus reginarum, & ſæpe in fundis, ab iiſdem donatis, commorantium. Ex quo etiam vides, Barones aulæ reginalis, veris regni Baronibus fuiſſe accenſitos. Qui autem reginales Barones fuerint, ſaltem quorum nomina, & dignitates interdum diplomatibus ſubſcriberentur, quis exquirat, in tanta præſertim vetuſtiorum documentorum, etiam quæ exſtant, ſuperſtitioſe nimium, ac vaniſſimo metu occultatorum paucitate? Filios quoque regum emancipatos ſuos habuiſſe Barones ex diplomatibus conſtat.

p) Non diu tenuiſſe hanc legem ex publicis inſtrumentis paſſim liquet.

q) De aureo ſigillo vide Tyrocin. Juris Hung. Part. II. Tit. 13.

r) Scilicet Romanum ab D. Stephano conditum.

s) Itidem Romanum eodem auctore ſtructum. Sed cum Papæ exemplar jam miſſum ſit, quid opus erat Romam tria mittere. Quid ſi Hieroſolymam potius? ubi Andreas paullum ante cum magiſtris & hoſpitalis, & templi familiariter agit, iſque ordo inde in Hungariam traductus eſt. Sed hæc mea ſolum conjectura eſt.

t) Alludit ad dignitatem, quæ dein lege declarata eſt anno 1481. art. 6. inter Palatinales.

u) Hic §. ſeu clauſula hujus decreti excluditur, & ſemovatur tum a præſenti decreto, tum a formula juramenti, qua ſe reges noſtri tempore felicis ſuæ inaugurationis ad obſervanda ſignanter præſentia Andreæ II. privilegia

LIBER IV.

Redintegrata cum filio amicitia diſſolvitur.

Solutis Comitiis tranquillitas quidem publica reſtituta utcunque videri poterat, pax inter patrem & filium non item; quam Optimatum haud pauci dedita opera, ut poſtea dicturi ſumus, interturbabant: quorum malevolentia quoque effectum, ut Bela uxorem, quam biennium integrum maritali amore complexus eſt, repudiaret, ſive non ſervatam tori fidem, ſive aliud quiddam, quo Belæ animum a conjuge averterent, nefarii homines commenti fuerint. Mali ſemen in ipſo ortu præſocandum Antiſtites cenſuere: ne quid ex eo repudio periculi a Græcia Hungariæ immineret. Eluxit Ugrini Colocenſis Archi-Epiſcopi incredibile in conciliandis conjugibus ſtudium, qui, cum per ſe ſe, tum per Aconcium Legatum Apoſtolicum fruſtra operam locaſſet, communicato cum ſuis ſuffraganeis conſilio, rem omnem Pontifici perſcripſit (x). „ Ad hoc (inter cetera ait) divina „ diſpenſatione vocati eſtis in plenitudinem poteſtatis, ut ea, quæ ſalutem deſiderant animarum, nec alias poſſunt corrigi, per ſubjectos auctoritate ſedis Apoſtolicæ corrigantur. Inde eſt, quod veſtræ ſignificandum duximus ſanctitati, quod „ cum Dominus noſter, rex Ungarorum de partibus ultra marinis rediens, per terram nobilis viri Laſcari tranſitum faceret, filiam ejusdem filio ſuo primogenito Belæ illuſtri, jam in regem coronato, & in regni gubernacula poſt, Deo propitio, „ ſucceſſuro deſponſavit uxorem, præſtito ab ipſo rege, & nobilibus ſuis, qui tunc „ præſentes erant, publice juramento, ut ad conſummationem matrimonii inter perſonas memoratas fideliter laborarent. Eandem etiam nobilem, ut nurum decet regiam, ſecum in ſuam terram adducens, recepto prius a Nobilibus regni, qui tunc „ in traductione puellæ abſentes erant, ſolemniter ſacramento, filio ſuo memorato tradidit in uxorem, ipſam nihilominus, omni ſolemnitate adhibita, in reginam Ungariæ coronari faciens, & inungi. Cui ſupra dictus Bela illuſtris cum omni „ dilectione, & tranquillitate in ætate legitima jam exiſtens cohabitavit per biennium, & amplius, ſicut maritus: nunc autem diabolo ſeminante zizaniam, & quorundam malevolis ſuggeſtionibus perverſorum, vir legitimam, cui, poſtquam ad „ ætatem legitimam uterque pervenerat, per bienoium, & amplius cohabitarat, ut „ diximus, in totius regni ſcandalum, & ſubverſionem religionis Chriſtianæ dimiſit „ uxorem.

Colocenſis Archiepiſcopi in ea concilianda ſtudia.

„ Et licet una cum Magiſtro Aconcio Subdiacono, & Capellano ſanctitatis „ veſtræ legato, qui ſuper hoc negotio, ſicut vir honeſtus, & prudens, omnem „ diligentiam, quam potuit, adhibuit, inſtitiſſemus attente, propter excellentiam tamen ſublimitatis regiæ, præſertim, cum litteræ ſanctitatis veſtræ ſuper hoc ad quoſdam „ ut dicitur, indices emanaſſent, absque conniventia veſtra minime duximus procedendum. Quapropter ſanctitas veſtra taliter in hac parte providere dignetur, ne „ inferiores quique, qui majorum debent informari exemplo, perditione ſimili „ corrumpantur, nobis, & Legato veſtro mandantes, quid ſuper hoc nobis exſtiterit faciendum. Parati enim ſumus, tanquam obedientiæ filii, in omnibus ſacris veſtris obedire mandatis.

Andreas in templi milites liberalitas.

Pontifex intellecto, quid in Hungaria ageretur, tametſi alibi quoque magnopere implicitus eſſet, tam gravi tamen caſu in Hungariam animo reflexus, ſingulari ſoler-

legis obſtringere ſolent, per artic. 4. an. 1687. Congruit Art. 1. anni citati, item 1. anni 1715. nec non artic. 2. anni 1741., in quibus juramenta Joſephi, Caroli, ac Mariæ Thereſiæ Regum continentur. In reliquis autem omnibus iuis punctis, conditionibus, & clauſulis præſens decretum, cui velut baſi, & primario fundamento Hungariæ gentis prærogativæ, libertates, & exemtiones innitutur, in priſtino ſuo vigore, & ſtatu permanere jubetur, & quatenus opus eſt, innovatur per citatum artic. 4. Quo ſenſu dicta clauſula ævo Patrum, & Avorum noſtrorum accepta fuerit, depromit Petrus de Réwa Cent. III. ſimiliter reſpectu Tranſilvaniæ excluditur dicta clauſula in decreto Leopoldino artic. 3. & in reſolutionibus regiis an. 1742. die 20. Julii emanatis.

x) Apud Raynald. ad an. 1223.

ſolertia ſopiendo malo curas impendit, litteras ad Belam ſcribens, quibus eum paterne admonuit, ut uxorem, quam maledicentia ſceleſtorum hominum ab ſe abegiſſet, priſtino amori, & loco reſtitueret. Andreas ſub hæc religioſis S. Mariæ Teutonicorum militibus regionem, quam Pontificiæ litteræ *Boza* appellant, donum quondam dedit. In quos cum Tranſilvaniæ Epiſcopus ſacrum imperium affectaret, decimas, ac alia jure Epiſcopali exigens, reluctantes vero anathemate feriret, acres ab Honorio litteras accepit, quibus auctoritate Apoſtolica ſententiam, ſi quam tuliſſet, revocare jubetur, & a vexationibus deſiſtere; alioquin, ſi more ſuo militibus religioſis infeſtus eſſe pergeret, eam ſe injuriam non impune paſſurum (*y*). Non improbabile eſt, terram Boza, aut Tranſilvaniæ finitimam, aut partem illius provin-
1224. ciæ fuiſſe, quod Epiſcopus Paſtoris jura in eam tam liberaliter ſibi arrogaret.

Bela patris iras veritus cum uxore in Auſtriam evadit.

Bela aut in exitu prioris, aut principio ſequentis anni uxorem, quemadmodum Pontifex juſſerat, recepit, & priſtino amore complexus eſt. Ea res, incertum quam ob cauſam, Andream ſic commovit, ut patris oblitus, filium acerbis propterea odiis exerceret: quibus ferendis cum ſe imparem videret Bela, ne, quod ſe indignum eſſet, in patrem moliri ingratiis cogeretur, cum uxore Maria, & familiaribus ſuis ad Leopoldum Auſtriæ Ducem (*z*) confugit, a quo liberaliter acceptus tamdiu iſthic delituit, quoad pater aliorum opera placaretur. Collaudavit Leopoldi hoſpitalitatem Honorius, ſimulque Bohemorum regi, ac Carinthiæ Duci per litteras mandavit, ut in conciliando Belæ Andrea nihil diligentiæ prætermitterent. Colocenſem autem Archi-Epiſcopum, & ejus ſuffraganeos, ut Andream ad revocandum ex Auſtria filium cohortationibus ſuis permoverent, ſequenti epiſtola admonuit (*a*).

ARCHI-EPISCOPO COLOCENSI, ET SVFFRAGANEIS EIVS.

Ejus cauſa Pontifex mire ſolicitus, rem Hungariæ Epiſcopis commendat.

„ Cum chariſſimus in Chriſto filius noſter, rex Bela primogenitus chariſſi„mi in Chriſto filii noſtri Andreæ regis Ungariæ illuſtris, gravem pro eo, quod uxo„rem ſuam ad mandatum noſtrum recepit, perſecutionem ſuſtineat, coactus ex hoc „in terram nobilis viri Ducis Auſtriæ ſe transferre, fraternitati veſtræ per Apoſtolica „ſcripta mandamus, quatenus prædicto nato regis ejuſdem, cui merito tenemur ad „eſſe, veſtrum ei exhibendo favorem plenius aſſiſtatis, monitis apud patrem ipſius, „& exhortationibus inſiſtentes, ac conſulentes eidem, ut ſibi malitioſum ſe non ex„hibeat, vel infeſtum, nec ad ſe redire compellat eundem, ſed in regno ſuo, ubi „cum ejus uxore, ac ſuis, ſicut regium decet hæredem, honeſte valeat commora„ri, redditus ei certos aſſignet, ipſos etiam, qui cum eo morantur, nequaquam in „perſonis, vel rebus offendat, mandatum noſtrum taliter impleturi, quod veſtra „cognoſcatur diligentia per effectum, & a nobis poſſitis de circumſpecta ſolicitudine „commendari. Datum Laterani VIII. calendas Martii, Pontificatus noſtri anno „octavo.

Simul Andream, ut filio ſe facilem præbeat, litteris convenit.

In eandem fere ſententiam ad regem quoque ſcripſit, monuitque, ne, quod filius ſe auctore conjugem receperit, implacabilis illi eſſet, quin exquiſita paterne charitatis ſignificatione illum proſequeretur, haberetque eo loco, quo regium hæredem haberi oportet, ne cui ſuſpicionem injiciat, moleſte ipſum ferre, quod filius ſuus ſedi Apoſtolicæ morem geſſiſſet. Quamquam admonitu hoc opus non erat: Andreas enim veritus, ne novi in regno motus ob abſentiam filii adverſum ſe concitarentur, nuntios cum litteris ad Honorium expedierat, oratum, ut ſibi in tam arctis rebus conſilio adeſſe ne gravaretur. Pontifex regis, quem non ſuo ingenio, ſed aliorum malitia exerraſſe cerneret, miſertus, non modo ad Belam, & ejus familiares ſcripſerat, ut Patri, ac Domino, poſitis inimicitiis, morem gererent, ſed ipſum quoque Andream in hæc verba ſolatus eſt (*b*). „ Firmiſſime teneas, & nullatenus „dubites, quod ſic nos tui honoris, & exaltationis augmentum, & regni tui tran„quillitatem affectamus, & pacem, ut neminem contra hoc ſupportare velimus, „quin potius quibuſcunque contra te, aut regnum tuum machinantibus, parati ſumus, „tanquam de noſtro agerent diſpendio, efficaciter obviare. Unde Chariſſimo in „Chriſto

y) Apud RAYNALD. ad an. 1224.
z) ORTILO ad hunc annum.
a) Apud RAYNALD. ad an. 1224.
b) Idem ibid.

„Chriſto filio noſtro, Belæ regi, nato tuo ſcripta noſtra dirigimus, ut ſe tibi devo-
„tum filium exhibeat, & in nullo a filiali ſe reverentia, & devotione ſubducat, pro-
„viſurus attente, ne occaſione ſua, vel eorum, qui cum ipſo morantur, regnum
„contingat Ungariæ, perturbari. Scribimus etiam morantibus cum eodem, ut ad
„devotionem tuam prædicti filii tui animum accedentes, nihil ſibi ſuadeant, nihil-
„que ipſi facere præſumant, unde moveri debeas, & regni tui tranquillitas pertur-
„betur. Quocirca excellentiam regiam monemus, & hortamur attente, quatenus
„eundem natum tuum, qui ad tempus, non tamen tua dicitur culpa ceſſiſſe,
„ſicut tanti regis decet filium, & hæredem, benigne, ac honeſte ſtudeas pertracta-
„re, cum, ſi ſecus fieret, nonnulli putarent diſplicuiſſe tibi, quod idem filius tuus
„circa uxoris ſuæ receptionem mandatis Apoſtolicis obedivit. Datum Laterani IV.
„idus Martii Pontificatus noſtri anno VIII.

Rex filio conciliatus, ne obortis turbis, ſuorum opera deſtitueretur.

Reconcillatum hoc anno Belam cum patre, contra quam Timon (c) exiſti-
met ex rebus, quas ad inſequentem annum narrabimus, perſpicuum fiet. Quam-
quam ea amicitiæ redintegratio haud diu ſibi conſtitiſſe videtur, quin adeo recruduiſſe
diſſidia Rogerius illius plane ævi ſcriptor prodidit (d), ut collectis utrinque copiis,
quoniam neutri, qui ſtuderent, deerant, prope ad conferendas manus pater cum filio
veniſſet, niſi paucorum procerum conſilio, quos patriæ calamitas, & amor tetige-
rat, diremti fuiſſent. Atque id, ſi temporis rationem habeamus, in cauſa fuiſſe pu-
to, ut Andreas, fluxam, & inſtabilem ſuorum fidem conſpicatus, Saxones Tranſil-
vaniæ, quod eorum virtutem militarem, & conſtans erga ſe ſtudium in expeditione
Hieroſolymitana uſu ipſo comperiſſet, non modo in veterum privilegiorum, quæ ab
Geiſa obtinuerant, poſſeſſione confirmaret, ſed novis præterea prærogativis libera-
liſſime excoleret. Quibus potiſſimum capitibus eæ contineantur, quoniam Geiſæ lit-
teras intercidiſſe veriſimile eſt, Andreæ diploma referre haud abs re erit (e).

Saxones ſibi devincit.

„In nomine S. Trinitatis, & individuæ unitatis Andreas Dei gratia Hungariæ,
„Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Ludumeriæque rex in perpetuum.
„Sicut ad regalem pertinet dignitatem, ſuperborum contumaciam potenter opprimere,
„ſic etiam regiam decet benignitatem, oppreſſiones humilium miſericorditer ſubleva-
„re, & fidelium metiri famulatum, & unicuique ſecundum ſua propria merita re-
„tributionis gratiam impertiri.

Datis ampliſſimus privilegiis.

„Accedentes itaque fideles noſtri hoſpites, Teutonici ultra Tranſilvani ad
„pedes noſtræ majeſtatis, humiliter nobis conquerentes, ſua querimonia ſuppliciter
„nobis monſtraverunt, quod penitus a ſua libertate, qua vocati (f) fuerant a piiſſimo
„rege Geiſa, avo noſtro, excidiſſent, niſi ſuper eos Majeſtas regia oculos ſolitæ pie-
„tatis noſtræ aperiret; unde præ nimia paupertate nullum majeſtati regiæ ſervitium
„poterant impertiri.

„Nos igitur juſtis eorum querimoniis aures ſolitæ pietatis inclinantes, ad præ-
„ſentium, poſterorumque notitiam volumus devenire, quod nos Anteceſſorum no-
„ſtrorum piis veſtigiis inhærentes, pietatis moti viſceribus priſtinam eis reddimus li-
„bertatem. Ita tamen, quod univerſus populus incipiens a Várоſs, uſque ad Baralt,
„cum terra Siculorum terra Sebus, & terra Daraus unus ſit populus, & ſub uno Judice
„cenſeatur, omnibus comitatibus, præter Cibinienſium, ceſſantibus radicitus, Comes ve-
„ro quicunque fuerit Cibinienſis, nullum præſumat ſtatuere in prædictis Comitatibus,
„niſi ſit intra eos reſidens, & ipſum populi eligant, qui melius videtur expedire.
„Nec etiam in Comitatu Cibinienſi aliquis audeat comparare pecunia.

„Ad lucrum vero noſtræ Cameræ quingentas marcas argenti dare teneantur
„annuatim: nullum prædialem, vel quemlibet alium volumus infra terminos eorun-
„dem poſitum ab hac excludi redditione, niſi qui ſuper hoc gaudeat privilegio ſpe-
„ciali. Hoc etiam eiſdem concedimus, quod pecuniam, quam nobis ſolvere tene-
„buntur, ſeu dignoſcuntur, cum nullo alio pondere, niſi cum marca argentea,
„quam piiſſimæ recordationis pater noſter Bela eiſdem conſtituit, videlicet quintum

LII „dimi-

c) In Epit. ad an. 1228.
d) In carmine miſerabili cap. IX.
e) Habetur in opuſculo a P. Joan. Bapt. SZEGEDI S. J. edito Jaurini anno Chr. 1751.
f) TOPPELTINVS legit *donati*, ſed, ut monuit Valentinus FRANCK nationis Saxonicæ Comes in Breviculo ſuo anni 1696. legendum eſt, *vocati*.

„dimidium fertonem Cibinienſis ponderis (*g*), cum Colonienſi denario, ni diſcre-
„pent in ſtatera, ſolvere teneantur. Nunciis vero, quos regia Majeſtas ad dicam
„colligendam ſtatuerit, ſingulis diebus, quibus ibi moram fecerint, tres lottones
„pro eorum expenſis ſolvere non recuſent.

„Milites vero quingenti intra regnum, & regni expeditionem deputentur;
„extra vero regnum, centum, ſi rex in propria perſona iverit. Si vero ex regno
„Jubagionem miſerit, ſive in adjutorium amici ſui, ſive in propriis negotiis, quin-
„quaginta tantum modo milites mittere teneantur. Nec regi ultra præfatum nume-
„rum poſtulare licebit, nec ipſi etiam mittere teneantur. Sacerdotes vero ſuos libere
„eligant; & electos repræſentent, & ipſis decimas perſolvant, & de omni jure Ec-
„cleſiaſtico ſecundum antiquam conſuetudinem eis reſpondeant.

„Volumus etiam, ac firmiter præcipimus, quatenus illos nullus judicet, niſi
„nos, vel Comes Cibinienſis, quem nos eis, loco, & tempore conſtituemus. Si
„vero coram quocunque judice remanſerint, tantum modo judicium ordinarium red-
„dere teneantur. Nec eos etiam aliquis ad præſentiam noſtram citare præſumat, niſi
„cauſa coram ſuo judice non poſſit terminari.

„Præter ſupra dicta ſilvam Blacorum, & Biſſenorum (*h*) cum aquis, eiſ-
„dem contulimus, ut præfata gaudentes libertate nulli inde ſervire teneantur. Inſu-
„per eiſdem conceſſimus, quod unicum ſigillum habeant, quod apud nos, & Ma-
„gnates noſtros evidenter cognoſcatur. Si vero aliquis eorum aliquem convenire
„velit in cauſa pecuniali, coram judice non poſſit uti teſtibus, niſi perſonis infra
„terminos eorum conſtitutis. Ipſos ab omni jurisdictione penitus eximentes, ſales-
„que minores ſecundum antiquam libertatem „ circa feſtum Georgii octo diebus,
„circa feſtum D. regis Stephani, & circa feſtum B. Martini ſimiliter octo diebus,
„omnibus, libere recipiendos concedimus, quod nullus Tributariorum nec aſcen-
„dendo nec deſcendendo præſumat impedire eos.

„Silvam vero cum omnibus appendicibus ſuis, & aquarum uſus cum ſuis
„meatibus, omnibus tam pauperibus, quam divitibus libere concedimus exercendos.
„Volumus etiam, & regia authoritate præcipimus, ut nullus de Jubagionibus noſtris,
„villam, vel prædium aliquod a regia Majeſtate audeat poſtulare. Si vero aliquis po-
„ſtulaverit, indulta eis poteſtate a Nobis contradicant. Statuimus inſuper dictis
„fidelibus, ut cum ad expeditionem ad ipſos Nos venire contigerit, tres deſcenſus
„tantum ſolvere ad noſtros uſus teneantur. Si vero Vaivoda ad regalem utilitatem
„ad ipſos vel per terram ipſorum tranſmittetur, duos deſcenſus, unum in introitu,
„& alterum in exitu ſolvere non recuſent.

„Adjicimus etiam ſupra dictis libertatibus: quod mercatores eorum, ubicun-
„que voluerint in regno noſtro libere, & ſine tributo vadant, & revertantur: effi-
„caciter jus ſuum, regio Majeſtatis intuitu proſequentes. Omnia etiam fora ipſo-
„rum ſine tributis præcipimus obſervari. Ut autem hæc, quæ ante dicta ſunt, fir-
„miter, & inconcuſſa maneant imposterum, præſentem paginam duplicis ſigilli no-
„ſtri munimine ſecimus roborari. Datum anno ab Incarnatione Domini milleſimo,
„ducenteſimo, vigeſimo quarto; regni autem noſtri vigeſimo primo. (*i*).

Sed neceſſe eſt errorem vel in annum Chriſti, aut regni irrepſiſſe, quod diplomata Andreæ, quæ hactenus viderimus, omnia mirum in modum congruant, annum ſeculi hujus quintum, regni itidem primum fuiſſe. Tum illud non mediocriter quoque dolemus, diploma ſine ſubſcriprione Nominum vulgatum fuiſſe, ex quibus cum Magiſtratuum, tum familiarum rationes magno hiſtoriæ commodo illuſtrari poſſent. Mihi tamen ex publico inſtrumento conſtat (*k*), Emericum Sopronien-

g) Pollicitus eſt Joan. Bapt. Szegedi de his ponderibus ſe acturum, ſteteritne promiſſis, ignoro, neque aſſequor, quid menſuræ *fertonis* nomine veniat.

h) Valachos accipit: Biſſenorum nomine Patzinacitas in Moldavia degentes accipi oportere ſuſpicor.

i) Quem in modum privilegia hæc intelligenda ſint, conſule P. Joan. Bapt. Szegedi S. J. cum laude toties memoratum, qui id decretum eleganti, & erudito commentariolo illuſtravit.

k) In MSS. Heveneſſianis, eſtque hujus tenoris. *Ego Emericus DEI gratia Palatinus, & Comes de Sopron, præcipio vobis collectoribus Cybrionum. . . Datum anno ab Incarnatione MCCXXIV.*

nienſem Comitem Palatini dignitate conſpicuum hoc anno fuiſſe, quem Jongelinus 1224.
(*l*) penitus præterit: niſi Bela, cum primum rex inauguratus eſt, ſuum quoque Palatii Comitem habuiſſet, quod non ſine exemplo majoribus noſtris fuiſſe, infra docendi locus erit.

Dum in Saxones ita liberalis eſſe pergit Andreas, alia parte pœnitentia ductus, 1225.
terram *Boza*, quam nuperrime Teutonicis militibus donarat, armis recuperare aggreditur, non tam ex ſuo, quam aliorum, qui exteros fortunis, & latifundiis affluere ægre ferebant, ingenio. Verſatilem regis aoimum Pontifex, ſcriptis in hæc verba litteris, revocare conatus eſt (*m*). „ In tuis privilegiis perſpeximus contineri, quod „terram Bozæ, ac ultra montes nivium fratribus domus Theutonicorum regia liberalitate donaſti, unde terram ipſam ſub Apoſtolicæ ſedis protectione ſuſcepimus, & „libertate donavimus ſpeciali, adeo ut Apoſtolico privilegio ſtatuerimus eam nulli, „niſi Pontifici ſubjacere, quatenus eadem colonis citius impleretur, tuumque meritum „eo altius ſurgeret, quo donum tuum terræ ſanctæ uberius proveniret.„ Paucisque interjectis, ne obtrectatorum vocibus facilem ſe præberet, ita proſequitur. „ Profecto non deberes ſic perſequi dona tua, quin imo terram ipſam, quaſi plantam „tuam beneficiis rigare continuis, & non hujuſmodi oppreſſionibus, & injuriis tuæ „liberalitatis meritum apud Deum, & homines denigrare: quamquam hæc nequaquam clementiæ tuæ inputanda credamus, ſed potius pravis ſuggeſtionibus malignorum, qui videntes præfatam terram per immenſum fratrum dictorum ſtudium profeciſſe, ad ejus cupidinem venenoſis ſuaſionibus te accendunt, non attendentes, „quod nihil veraciter retinetur, niſi quod pia liberalitate donatur. Magna quidem „ſunt, quæ dediſti fratribus ante dictis; ſed certe, ſi devota meditatione penſaveris, quam multa, & magna tibi contulit divinæ immenſitas largitatis, non magna „reputabis, quæ pie pro ejus honore, ac amore dediſti, ſed potius cogitabis, te „nunquam poſſe digna Domino retribuere pro omnibus, quæ retribuit ipſe tibi. Cogitabis etiam, quia cum ſcriptum ſit, quod ſua defunctos opera ſubſequuntur, ea „ſola quæ Domino dederis, tibi poſt vitæ præſentis exitum remanebunt, & ſic non „ſtudebis, quæ Deo dediſti, minuere, ſed augere, ac ſequi doctrinam evangelicam, „ſuadentem, ut ſtudeas in cælo tibi theſaurizare theſuros, ubi nec ærugo, nec „tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Rogamus igitur ſerenitatem tuam, monemus, & obſecramus in Domino JEſu Chriſto, quatenus hæc „prudenter attendens, & præfatas litteras noſtras ſecundum ſanum intellectum ſuperius expreſſum accipiens, dictos fratres ſuper terra pie a te ſibi donata de cetero „non moleſtes, ſed eam pacifice ſibi dimittens, ſecundum limites in privilegio tuæ „donationis expreſſos, prædicto caſtro eis libere reſtituto, & ſatisfaciens, ac ſatis„fieri faciens de damnis, & injuriis per te, ac tuos eisdem hactenus irrogatis, ſic „eos cum in aliis juſtitiis tuis, tum ſpecialiter in prædicta terra regalis potentiæ bra„chio protegas, & defendas, quod in terra viventium gratam recipere debeas re„tributionem a Deo, qui nec bonum irremuneratum, nec malum aliqnod deſerit impu„nitum. . . Datum Tybure II. idus Junii.

Terras, quas templi militibus liberaliter donarat, armis recipit. Eam ob rem ab Honorio arguitur.

Nihil tamen his litteris profectum: Andreas enim illo opinor maxime in ſententia confirmatus, quod Pontifex terram Teutonicis militibus dono datam ab regum poteſtate exemtam vellet, milites Teutonicos ea portione, quam armis recuperaverat, expulit. Ex hoc Honorius acrioribus litterit regem urgere cœpit, quo eventu non conſtat: pollicitus id quidem ad ſequentem annum Raynaldus, ſed eorum, quæ promiſerat, immemor, ſilentio rem omnem præterivit. Satis ramen liquet, Honorium, dum Andream dictis obaudientem non haberet, ad Belam converſum eſſe, eique dediſſe in mandatis, ut quæcunque pater bona regia abalienaſſet, auctoritate ſua revocaret, quo priſtino ſplendori Hungariæ regnum vindicaretur. Eam ob cauſam litteris Belam quoque convenerat, quæ etſi peoe in eandem ſententiam, qua Colocenſi Archi-Epiſcopo, ut alias retulimus, ſcriptæ ſint, non tamen nullum in annalibus locum merentur (*n*).

Apud quem cum parum proficit, Belæ ſtudium implorat.

Lll 2 *ILLV.*

l) Io Catalogo Palatinorum ita habet: *Philippus comes de Szepesuivar . . ab anno Domini 1223., uſque ad annum 1225.*

m) Apud Raynald, ad an. 1225.

n) Idem ibid.

ILLVSTI VIRO BELAE, JVVENI REGI.

„Intellecto jam dudum, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter, illuſtris „rex Hungariæ, pater tuus alienationes quaſdam fecerit, in præjudicium regni ſui, „& contra regis honorem, nos ſuper hac paterna affectione conſulere cupientes, ei„dem regi dirigimus ſcripta noſtra, ut alienationes prædictas, non obſtante juramento, „ſi quod fecit, de non revocandis eiſdem, ſtudeat revocare; quia cum teneatur, „& in coronatione ſua juraverit, etiam jura regni ſui, & honorem coronæ illibata „ſervare, illicitum profecto fuit, ſi præſtitit de non revocandis alienationibus hu„juſmodi juramentum, & propterea penitus non ſervandum. Quocirca ſerenitatem „tuam monemus, & hortamur attente, quatenus in ea regni parte, quam ex ordi„natione patris tui habes, alienationes eaſdem revocare procures, juramento de „ipſis non revocandis a patre tuo, vel a te præſtito, non obſtanre, quin potius „de juratione incauta condignam pœnitentiam agere non omittas. Datum Reate, „idibus Julii, Pontificatus noſtri anno IX.„

1226. Quæ alienationes hæ fuerint, non conſtat, niſi id forte, quod ſupra ex Dandulo retulimus, fuiſſe dicamus, Andream, cum Hieroſolymam proficiſceretur, jura, quæ in Jadrenſes habuit, navium cauſa, quas ad iter ab Venetis acceperat, in iſtos tranſtuliſſe. Verum id utcunque ſit. Bela novam cum Friderico Leopoldi Auſtriæ Ducis filio juniore cognationem hoc anno contrahens res ſuas utcunque ſtabiliſſe videri poteſt, cum ſoror Mariæ conjugis, Friderico collocata eſſet (o). Haud diu tamen id vinculum perſtitit, quod tertio abhinc anno ob ſterilem uterum a marito repudiaretur (p), quæ res olim cauſam ſuppeditabit, cur Andreas cum Bela infeſtis armis

1227. partem Auſtriæ percurſarent.

Andreas voto ſolutum ſe contendens, remuit iterum in Syriam proficiſci. In ejus loco Landgravius Thuringiæ, qui Eliſabetham Andreæ filiam in conjugio habuerat, profectionem ſuſcipit.

Sub hæc Gregorius hujus nominis IX. Honorio Pontifici ſucceſſerat, qui dum pari ſtudio in profectionem Hieroſolymitanam ferretur, Principes Chriſtianos cohortationibus ſuis, ac Andream in primis ad expeditionem rurſus ſuſcipiendam permovere conatus eſt. Dedit ad hunc, & Ludovicum Thuringiæ Landgravium ejuſdem prorſus argumenti litteras, in quibus præter alia ſic ſcribit (q): „Te, qui „ab olim ſuſcepto crucis ſignaculo illi militare voviſti, qui pro te in crucis patibulo „militavit, rogamus, monemus, & hortamur attente, ac per aſperſionem ſanguinis „Jeſu Chriſti nihilominus exhortantes, quatenus taliter præparare re ſtudeas, quod „in inſtanti Auguſto, quo generale paſſagium eſt indictum, valeas Deo duce feliciter „transfretare, recepturus ex hoc gratiam in præſenti, & gloriam in futuro.„ Verum Andreas voto, cujus in patris loco reus erat, jam ab ſe ſatisfactum eſſe contendens, tum regni, ut reipſa erat, perturbatum ſtatum cauſatus, domi reſtitit. Landgravius contra Eliſabethæ, Andreæ filiæ, conjux haud gravate morem geſſit. De qua, quoniam ſermo incidit, neque res prorſus ad annales noſtros impertinens eſt, illud haud prætereundum, quod biennio abhinc vitæ illius auctor prodidit. Cum fames ea tempeſtate vehementer in Germania graſſaretur. *Nongenti quotidie mendici ſub oculis* (Eliſabethæ) *alebantur, exceptis, quos per latiſſimam ditionis ſuæ provinciam paſcebat abſens, apud quos omnes tanta beneficia indefeſſæ humanitatis poſuit, ut redditus, frugeſque locupletiſſimi Principatus vehementer exantlaverit, diſtractis nonnunquam & corporis ſui ornamentis, atque in pretia collectis, ne Chriſti membra fame tabeſcerent* (r).

Eliſabethæ mores, & virtutes.

Quæ dum viro ex Apulia reduci narrarent promicondi, atqoe quererentur etiam, brevi rem familiarem, niſi uxori modum poneret, exhauſtum iri, dignum Principe, qui ſe ſuorum non dominum, ſed patrem meminiſſet, reſponſum dedit: ſinerent uxorem ſuam largitiones facere, modo arces ſibi ſalvæ manerent, alimoniam, quamdiu ipſa egenorum inopiam levaret, non defuturam. Ita mutuo pietatis ſtudio uxor cum marito certavit, quos hoc anno mors quidem, non amor ſolvit. Mox enim nuntii Ludovicum Landgravium Thuringiæ, eundemque Haſſiæ, ac Saxoniæ Principem, & Palatinum Comitem deceſſiſſe attulerant. Tam triſtis caſus ne Eliſabethæ aures gravius feriret, Sophia defuncti Ludovici mater captatis temporibus nuntium afferre

o) Ortilo ad hunc an. & Albericus in Chronico.

p) Idem ibid.

q) Apud Raynald. ad an. 1227.

r) Surius Tom. VI. die XIX. Novembr.

1227.

afferre nurui per ſeſe voluit; cumque illam, ſi quid conjugi adverſum eveniſſet, bono animo eſſe juberet, Eliſabetha captum eſſe virum ſuſpicata, *ſi captivus* (inquit) *detinetur frater meus* (his enim verbis mollioribus eum compellabat) *ſpero, divina, ac noſtra, & amicorum opera liberatum iri. Cui Sophia; exſtinctus eſt: tunc illa ingenti dolore percita exclamat, mortuus, mortuus ergo mihi pariter mundus, ac periit, quidquid in mundo mihi adblandiri poteſt* (*s*). Simul præ doloris vehementia, ingenti ululatu, lacrimiſque effuſis palatium, quam longe excurrebat, celeriter emenſa, parieti adhæſit, a quo ſecutæ eam matronæ, lacrimis etiamnum madentem, ac inter ſingultus triſtiſſimas voces abrumpentem avulſere. Haud multo poſt Henricus Ludovici frater non modo principatum, nepotibus jure debitum, ſumma injuria invaſit, ſed & reginam palatio inhumaniſſime ejectam ad ſummas incitas redegit. Dejecta ex florentiſſimo rerum ſtatu, fortiſſima mulier nuſpiam ſibi excidit; ſed prima, qua palatio exacta eſt, nocte ad Fratrum Minorum Eccleſiam contendens, orabat illos, ut hymnum Ambroſianum decantarent, quaſi in tam funeſta rerum converſione triumpharet. Quibus deinceps ærumnis acta ſit, quoad poſita vita ſanctorum numero insereretur, neque hujus loci, nec argumenti eſt.

Cumani ad ſacra Chriſtiana traducuntur opera Strigonienſis Archiepiſcopi.

Ceterum, quod de profectione in Palæſtinam ſupra memoratum eſt, tametſi Andreas id onus ab ſe amolitus eſſet; veriſimile tamen eſt, multos ſive voti religione obſtrictos, ſeu privato actos ſtudio iſthuc conceſſiſſe. Atque in iſtorum numero Archi-Epiſcopum Strigonienſem fuiſſe, voto tamen poſtea, quam ſpes Cumanos ad chriſtiana ſacra traducendi, affulſiſſet, ſolutum Gregorii litteræ produnt, quas hoc anno ad eum exaraverat (*t*). „Nuper (ſcribit) per litteras tuas nobis traoſ-
„miſſas accepimus, quod JEſus Chriſtus, Deus, ac Dominus noſter, ſuper gentem
„Cumanorum clementer reſpiciens, eis ſalvationis oſtium aperuit his diebus: aliqui
„enim nobiles gentis illius per te ad baptiſmi gratiam pervenerunt, & quidam Prin-
„ceps Boriz nomine de terra illorum cum omnibus ſibi ſubditis per miniſterium tuum
„fidem deſiderat ſuſcipere chriſtianam; propter quod unicum filium ſuum una cum
„fratribus Prædicatoribus - - ad te ſpecialiter deſtioavit, attentius obſecrans, ut
„perſonaliter accedens ad ipſum, & ſuos, viam vitæ oſtenderes ipſis, per quam ad
„veri Dei notitiam valeant pervenire. Unde quamvis pro executiooe voti tui, quod
„emiſeras, pro terræ ſanctæ ſuccurſu, io peregrinationis eſſes itinere conſtitutus,
„conſiderans tamen tam magnum animarum fructum, & augmentum Chriſtianæ fidei
„exinde provenire poſſe, ſi piis eorum deſideriis condeſcendas, intermiſſo dictæ
„peregrinationis itinere, dilectum filium Archidiaconum de Zala ad nos deſtinare
„curaſti, devote, ac humiliter ſupplicans, ut tibi hæc faciendi, non obſtante voto
„prædicto, licentiam præberemus. Et quia magis fructificare poteris, ſi Apoſto-
„licæ ſedis legatione fungaris, cum auctoritas ſemper conſueverit multum favoris ha-
„bere, in Cumania, & Brodiſia terra illis vicina, de cujus gentis converſione ſpe-
„ratur, legationis officium tibi committere dignaremur, per quod habeas poteſta-
„tem eiſdem terris vice noſtra prædicandi, baptizaodi, ædificandi Eccleſias, ordi-
„nandi clericos, nec non & creandi Epiſcopos, & generaliter omnia, quæ ad cul-
„tum, & ampliationem fidei pertinent, exercendi. Cum igitur majus bonum mi-
„nori ſit merito præferendum, & de tuæ charitatis ardore geramus fiduciam plenio-
„rem, accedendi ad dictas provincias licentiam tibi concedimus poſtulatam, devo-
„tioni tuæ prædictis plenæ legationis officium in eiſdem provinciis tibi committentes.
„Datum Anagniæ II. Calendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno primo.„

1229. Nec dubium eſt, Præſulem pro ſuo in rem chriſtianam ſtudio multiplicem ex Cumanis fructum tuliſſe, quando altero abhinc annno de ſecundis progreſſionibus edoctus Pontifex, mirifice lætus, litteras ad eos ſcripſerat, quibus recens ad fidem traductos in patrocinium ſedis Apoſtolicæ recepit, datoque genti Epiſcopo, hunc ſoli Romano Pontifici obnoxium eſſe voluit (*u*).

Optimatum in regem, & Belam conſpiratio.

Dum hæc in Cumania agerentur; grave regi, & Belæ ceteriſque liberis periculum in Hungaria conflatum eſt. Optimatum haud pauci, cum viderent patri cum filio ita jam conveniſſe, ut ſpes non facilis eſſet, eos rurſum committendi, in-

Mmm humaniſ-

s) Apud RAYNALD. ad an. 1227. *t*) Idem ibid. *u*) Idem ibid.

1229. humaniſſimum facinus aggreſſi ſunt. Collatis capitibus de utroque e vita tollendo nefarium conſilium inierant, &, ut data fide magis ſe viciſſim obſtringerent, Hungariam omnem in certas portiones dividunt, quas inter ſe partiti, a patrata cæde hæreditario jure poſſiderent (*x*). Sed graviſſimæ inſidiæ in ipſo ortu detectæ ſunt, & conjurati partim ſupplicio affecti, partim ejecti in exilium, ac fortunis omnibus mulctati: cujus non modo Rogerius coævus ſcriptor, ſed & Belæ diploma fidem faciunt (*y*). Autores tam immanis facinoris nihil attinet ad poſterorum memoriam tranſmittere: quod ſi quis conjecturam de cæde Gertrudis inde capiat, fortaſſe a vero non aberrabit.

1230. *Res publica per Saracenos, & Judæos turbatur.*

Abhinc in Hungaria defluere omnia, depravari mores ſupra quam credi poſſit. Nam & res publica fere per Saracenos & Judæos adminiſtrabatur, & Eccleſia rapacitate, ac avaritia profanorum hominum detrimenta in dies capiebat, ſive oſcitantia regis id factum, ſive optimatum diſſidio, qui dum privatis fortunis ſtudent, nihil penſi habere ſolent, quo loco regni res conſiſtant. Tam miſeram Hungariæ conditionem, quoniam pene omnibus ſcriptoribus præteritam eſſe video, juvat ex Gregorii epiſtola, quam ad Archiepiſcopum Strigonienſem dederat, cognoſcere (*z*).

GREGORIO ARCHI-EPISCOPO STRIGONIENSI.

Gregorius propterea graves litteras Strigonienſi Archiepiſcopo ſcribit.

„Inter alia, quæ divinæ, ac humanæ legi obviant manifeſte, propter op-
„preſſionem Chriſtianorum pauperum, & Saracenorum, Judæorumque in Chriſti fi-
„deles dominatum, multi Chriſtianorum oneribus importabilium exactionum gravati,
„videntes Saracenos melinris conditionis, & majoris libertatis prærogativa gaudere,
„ſponte ſe transferunt ad eoſdem, & ritum ſuſcipientes eorum, ut pari cum eis gau-
„deant libertate, non ſolum per errorem Chriſtiani Saracenorum, & Saraceni Chriſtia-
„norum mulieribus commiſcentur, verum etiam illas ducunt damnabiliter in uxores.
„Emunt præterea Saraceni mancipia Chriſtiana, & de iis, tanquam de ſuis omnem
„voluntatem, atque voluptatem explentes, ipſas apoſtatare compellunt, & earum
„non ſinunt filios baptizari: pauperes nihilominus Chriſtiani quandoque ſic oneribus,
„& exactionibus affliguntur, quod filios, ac filias coguntur vendere Saracenis, & ſic
„liberi fiunt ſervi, & Chriſtiani quodammodo Saraceni.

„Ad hæc quidam eorum, cum revera ſint Saraceni, ſe Chriſtianos mendaci-
„ter confingentes, qui juxta verbum propheticum, arcum rem amaram contendunt,
„ut ſagittent innoxios in occultis, ſub palliata ſpecie pietatis multos Chriſtianorum
„decipiunt ſimplices, & nonnullos ſeducunt aſtute, illos ad infidelitatis errorem ae-
„quiter attrahendo: &, dum tanquam Chriſtiani cum Chriſtianis mulieribus contra-
„hunt, illas, poſtquam duxerint in uxores, apoſtatare compellunt, & cum non-
„nulli Cumanorum relicto infidelitatis errore jam ſint illuminati per fidem, quidam
„vero ipſorum de tenebris, & umbra mortis currere cupiant ad Chriſtum, lucem,
„viam, veritatem, & vitam, præfati Saraceni eos ementes in ſervos, & baptizatos
„cogunt retro reſpicere, & baptizandos venire ad agnitionem fidei non permittunt.
„Ad quorum libertatem, ſi præſumptores hujuſmodi cogerentur, ſicut dicitur, ſir-
„miter eſt ſperandum, Cumanos ex hoc ad fidem catholicam provocari. - - Et licet
„in Toletano Concilio provide ſit ſtatutum, ne Judæi publicis officiis præficiantur,
„cum nimis abſonum videatur, ut Chriſti blaſphemus in Chriſtianos vim exerceat po-
„teſtatis, in regno tamen eodem paſſim Judæi, & Saraceni publicis officiis præpo-
„nuntur, qui ſub tali prætextu & damna gravia Eccleſiis inſerunt, & Chriſtiano no-
„mini plurimum ſunr infeſti. Libertas quoque Eccleſiaſtica in regno ipſo adeo ſub-
„verſa dicitur, & everſa, quod non ſolum Eccleſiarum hominibus, ſed etiam ipſis
„Eccleſiis,

x) ROGERIVS in miſerabili carm. cap. IX. *Et contra vitam patris, & filiorum nequiter conſpiraverant: ut illis gladio interemtis facilius quilibet poſſet de Hungaria, quam ſibi per partes diviſerant, portionem ſibi debitam, ſine conditione cujuslibet, obtinere.*

y) De anno 1239. in quo bona infidelium, & in ejus vitam conſpirantium Pouſæ Comiti, filio Botus confert, & donat: Ejus initium, hujuſmodi eſt: *Bela Dei gratia rex, primogenitus regis Hungariæ.*

z) Apud RAYNALD. ad an. 1231. Sed ex anno Pontificatus Gregorii quarto liquet, ad præſentem annum litteras revocandas eſſe.

„& perſonis eccleſiaſticis collectæ, & talliæ imponantur a laicis, & reſpondere co- 1230.
„gantur ſub examine Judicis ſecularis. Poſſeſſiones quoque, & redditus, quos ex „devotione regum a longis retro actis temporibus pacifice poſſederunt, eiſdem Ec„cleſiis contra juſtitiam auferunt, ac per immenſas donationes, quas de novo quibuſ„dam nobilibus regalis feciſſe dicitur celſitudo, non modicum aggravantur. Et „quamvis cauſæ matrimoniales ad examen eccleſiaſticum pertinere noſcantur, hu„juſmodi tamen cauſæ ibidem ad ſecularem judicem perferuntur, & per ſecularem „judicem matrimonia ſeparantur; ſicque fit, ut ipſius regni Eccleſiæ tot afficiantur „injuriis, atque damnis, tot tribulationum anguſtiis affligantur, quod, niſi celeriter „ſuccurratur eiſdem, vix poterunt reſpirare. - - Datum Laterani V. nonas Martii, „Pontificatus anno IV. „ (*a*). Simul cohortatus Archi-Epiſcopum eſt, nervos omnes contenderet, ne ſacra profanis ita temere miſcerentur, & pro ſua apud regem, ceteroſque auctoritate efficeret, ne malum, quod regnum univerſum jam corripuerat, altiores radices ageret. Quis fructus operæ reſponderit, poſtea referemus: atque hinc, ſi præterita cum futuris contendantur, ſatis perſpicuum eſt, primum ex his ad pœnam gradum eſſe factum, qua Numen poſtea per immanem Tartarorum gentem in Hungariam graviſſime animadvertit.

1231.

Lucæ Strigonienſis Archiepiſcopi ſanctimonia.

His calamitatibus oppreſſam pene Hungariam recreavit nonnihil Lucæ Archi-Epiſcopi Strigonienſis late vulgata ſanctimonia, pluribus etiam prodigiis illuſtrata. Erat Lucas ex Banſiorum genere, &, dum viveret, mira morum probitate florens, a morte autem inſigni miraculorum gloria illuſtris. Quorum fama cum latius in dies ſpargeretur, & Romam quoque ad Gregorium allata eſſet, inceſſit Pontificem cupido Lucam ſanctorum catalogo annumerandi. Itaque Chanadienſi Epiſcopo, & duobus aliis religioſis viris provinciam demandat, ut diligenti, ac maturo judicio in rei veritatem inquirerent, &, quæ de prodigiis ferebantur, teſtibus ſacramento obſtrictis comprobatum irent. *Cum ex parte* (ita Pontifex Chanadienſi (*b*) ſcripſerat) *venerabilium fratrum noſtrorum, Strigonienſis Archi-Epiſcopi, & ſuffraganeorum ſuorum fuiſſet nobis ſæpius intimatum, quam juſte, ſobrie, atque pie felicis recordationis Lucas Strigonienſis Archi-Epiſcopus, prædeceſſor Archi-Epiſcopi memorati vixerit in hoc mundo, quantaque Deus operetur miracula per eundem, languorem multorum, qui devote auxilium implorant ejusdem, relegando ab ipſis, nobisque fuiſſet devotiſſime ſupplicatum, ut & canonizaremus eundem, & ſanctorum annumerari catalogo faceremus, tanto maturiori conſilio circa ea cenſuimus procedendum, quanto in his citius, quam in aliis mole carnis gravatus humanæ conſiderationis intuitus poteſt falli. Ideoque ſinceritati veſtræ, de qua fiduciam gerimus pleniorem, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus inquiratis per juratos teſtes idoneos tam de vita, & converſatione ipſius Archi-Epiſcopi, quam de miraculis ſupra dictis, & circumſtantiis univerſis diligenter, & perſpicaciter veritatem, & eorum dicta fideliter redigentes in ſcriptis, ea ſub ſigillis veſtris tranſmittatis - -. Datum Reate V. calend. Septembris, Pontificatus anno V.*

Agitur de eo inter Divos referenda.

Andreas novam, conſtitutionem ad reformandam rem publicam edit, Decreto Libertatis fere conſimilem.

Sed rem omnem adhæſiſſe veriſimile eſt, quod Pontifex, dum Archi-Epiſcopum Strigonienſem, ceteroſque crebro admoneret, ut regem ad abolenda mala quæ nuper per litteras expoſuerat, conſiliis ſuis permoverent, curis alioſum avocaretur. Horum adhortationibus permotus Andreas novam conſtitutionem ad reformandum regnum edidit, quæ cum magnam partem illi, quam anno regni ſui decimo ſeptimo vulgaverat, ſimilis ſit, in nonnullis autem differat, eo modo annalibus inferendam eſſe, quo Hungariæ Epiſcopi Romam tranſmiſerant, cenſuimus (*c*).

„ In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis: Andreas Dei gratia Hungariæ, „Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galatiæ, Lodomiriæque rex in perpetuum. „Concedimus tam eis, quam aliis Jobagionibus, & Servientibus regni noſtri libertatem a Sancto rege conceſſam, ac alia ad ſtatum regni noſtri ordinandum perti„nentia, in hunc modum confirmamus. In feſto S. regis noſtri, niſi arduo negotio „regni noſtri ingruente, vel infirmitate prohibiti fuerimus, Albæ teneamur ſolemni„zare, ut ibi oppreſſi ſine timore querimonias ſuas nobis poſſint exponere: ſed ſi „nos non poſſumus intereſſe, Palatinus intereſſe tenetur, & vice noſtra cauſas au-

 „diat,

a) Apud RAYNALD. ad annum 1230.
b) RAYNALD. ad an. 1231.
c) RAYNALD. ad an. 1232. Num. 13.

1231.

„diat, & omnes Servientes noſtri, & alii, qui volunt, libere, & ſine timore illuc conveniant; Prælati Eccleſiarum, aut Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi ad pauperum querimonias audiendas, ex infra ſcriptæ formæ libertatis conceſſæ confirmatione, niſi canonica præpeditione ſuerint impediti, tenentur intereſſe. Si Palatinus interim male adminiſtraverit negotia regis, & regni, ſupplicabunt nobis, ut utiliorem loco ejus conſtituamus, quem volumus: quod nec nos, nec poſteri noſtri aliquos unquam capiant, vel deſtruant, niſi prius ordine judiciario conveniantur, & cum iſta ſacramento noſtro, & Principum noſtrorum ſuerint confirmata, ſi qui per nos, vel per filios noſtros, vel per quoſcunque poſt idem tempus, ſcilicet decimo ſeptimo anno regni noſtri ſine judicio ſunt ſpoliati, plene reſtituantur. Item nullam collectam, nullam exactionem, nec lucrum Cameræ, quocunque nomine poſſit cenſeri, occaſione aliqua ſuper homines cujuscunque nationis, vel conditionis, colligi faciemus: exceptis, qui fiſco regio in debito cenſu tenentur: ſuper domos ſervientium vel villas nec nos, nec agaſones, nec ſalconarii nes cariferi, nec curiferi noſtri deſcendant ipſis invitis: Ubicunque autem alibi nos, vel dictos officiales noſtros deſcendere contigerit, juſtam æſtimationem ſolvi faciemus, ſicut in ſequentibus continetur.

„Et quia propterea tam per deſcenſus noſtros, & Dominæ reginæ, ac filiorum noſtrorum, intolerabilis damna, & gravamina per totum noſtrum regnum fieri videbamus, diſtricte præcipiendo ſtatuimus, ut nihil recipiatur ad coquinam noſtram, vel noſtrorum, niſi juſto dato pretio. Similiter & de anona, & de vino, & aliis neceſſariis nihil recipiant, niſi juſto dato pretio. Pro domeſtico autem, cui juſtitia exhibita non fuerit, tres ruſtici de villa jurare debeant, & ad eorum juramentum hoſpes quicunque fuerit, domeſticó plenam ſaciet juſtitiam cum judiciali regali, vel dominus villæ, quicunque fuerit, ſive Archi-Epiſcopus, ſive Epiſcopus, ſive Nobilis ille per litteras hoc verbo veritatis dicere teneatur. Quicunque vero Nobiles juxta formam ſtatuti noſtri juſtitiam non fecerint, tales quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi excommunicet, & nos eos pro excommunicatis tamdiu habebimus, donec injuriam paſſo ſatis fiat competenter (*d*).

„Nobis facientibus exercitum extra regnum, nobiles nobiſcum ire non tenentur, niſi Comites, & ſtipendiarii, & Jobagiones Caſtri, & qui ex officio debito tenentur, quibus amplas conceſſimus poſſeſſiones. Si vero exercitus ſuper regnum venerit, univerſi, & ſinguli ad defenſionem patriæ contra inimicos ſe opponere teneantur. Regreſſo ſuperveniente exercitu pro vindicta ipſos tenentur perſequi. Palatinus vero Comes omnes homines indifferenter diſcutiet, præter perſonas Eccleſiaſticas, & Clericos, cauſas matrimoniales, & dotes, & alia Eccleſiaſtica, quacunque ratione videntur ad Eccleſiaſticum examen pertinere.

„Cauſæ nobilium, quæ ad perditionem capitis, aut deſtructionem poſſeſſionum eorundem pertinent, ſine conſcientiæ regiæ periculo terminentur. Palatinus judices vicarios non habeat, niſi unicum in Curia ſua, & caveat diligenter, ne contra præſens ſtatutum aliquem judicet, vel condemnet. Curialis Comes noſter, dum in Curia noſtra manet, omnes judicet, & cauſam inchoatam in noſtra curia, ubique poſſit terminare; ſed exiſtens in prædio ſuo, vel alibi extra Curiam noſtram nec dare Præſtaldos, nec partes poſſit citari facere. Et quia multi in regno læduntur per falſos Præſtaldos, citationes, vel teſtimonia eorum non valeant, niſi per teſtimonium diœceſis Epiſcopi, vel Capituli; nec falſificatus Præſtaldus poterit ſe juſtificare, niſi eorundem teſtimoniis in factis majorum, minorum, vicinorum, Conventuum, vel Clauſtrorum teſtimoniis: Præſtaldum nullus per annum, vel biennium, vel ultra ſecum detineat, niſi uſum ad deciſionem cauſæ, ad quam impetravit.

„Hoſpites nobiles ad regnum venientes, niſi incolæ eſſe velint, ad dignitates non promoveantur, per tales enim divitiæ regni extrahuntur. Uxores decedentium, vel condemnatorum per ſententiam ad mortem, vel in duello ſuccumbentium, aut alia ex quacunque cauſa non fraudentur dote ſua. Uxores furum,

„vel

d) Omiſit hoc loco RAYNALDVS bonam decreti partem; ſuppleri forte poſſet ex Bibliotheca Vaticana.

„vel latronum; vel eorum liberi pro delictis patrum non vendantur. Integros Comitatus, vel dignitates in prædia non transferemus. Statuimus Jobagiones Caſtrorum ſecundum libertatem, a ſancto rege conſtitutam, ſimiliter & hoſpites cujuſcunque nationis ſecundum libertatem ab initio eis conceſſam perpetuo teneri. Ad ſecandas indagines, ad foſſata facienda, ad hortos, ad quæcunque regia ædificia, vel officinas, ſervientium, vel Eccleſiarum populos non cogemus. Præter vigeſimam, quam ab antiquo reges habent, decimas non exigemus, quia per hoc populus gravatur. - -

„ Monetæ, & ſalibus, & aliis publicis officiis Judæi, & Saraceni non præficiantur. Poſſeſſiones extra regnum non conferantur, &, ſi aliquæ ſunt collatæ, vel venditæ, populo regni ad redimendum reddantur, vel ſimpliciter recipiantur. Item per ſingulos Marturinos quatuor pondera perſolvantur. Quæcunque inde provenerit tertia para domino fundi, & duæ partes Domino terræ perſolvantur: Comites jure ſui Comitatus ſint contenti. Cetera ad regem pertinentia, ſcilicet ihrtiones (*e*), tributa, boves & duæ partes caſtrorum ad regis voluntatem, cui voluit, diſtribuentur. Item, quandocunque aliquos ordine judiciario convinci contigerit, in voluntate noſtra erit, bona ipſorum penes nos retinere, vel aliis prò velle noſtro diſtribuere: incendium tamen mitti nolumus ſuper villas eorundem. Ut autem hæc noſtris, & ſucceſſorum noſtrorum temporibus firma, & inconcuſſa permaneant, tam nos, quam filii noſtri præſtito corporaliter juramento confirmavimus, & tam noſtro, quam filiorum noſtrorum ſigillis fecimus roborari, ſpontanee conſentientes, ut ſive nos, ſive filii noſtri, ac ſucceſſores noſtri hanc a nobis conceſſam libertatem confringere voluerint, Strigonienſis Archi-Epiſcopus, præmiſſa legitima admonitione, nos vinculo excommunicationis, & eos innodandi habeat poteſtatem. Datum anno ab Incarnatione Domini milleſimo, ducenteſimo, trigeſimo primo - - (*f*).

Saracenis, ac Judæis potentiam in immenſum augentibus.

Hactenus decretum, ut illud Raynaldus ſuis annalibus inſeruit. Neque tamen ſeu ad temperanda, ſeu penitus abolenda Hungariæ mala ſatis ea conſtitutione cautum fuit. Judæi enim, ac Saraceni nimia regis Andreæ, qui ſe procerum conſiliis ſubornari patiebatur, partim facilitate, partim ignavia potentiam ſuam in immenſum fere auxerant.

1232.

Robertus Archi-Epiſcopus Strigonienſis ea auctoritate Pontificis ſe opponit.

Quæ res cum reipublicæ Chriſtianæ, & religioni inprimis pernicioſa eſſet, Robertus Strigonienſis Archi-Epiſcopus, cui Pontifex fulminandi interdicti auctoritatem commiſerat, regem, ut reſipiſceret, admonuit, ceteros autem ſcelerum adminiſtros, poſtquam conſilia ſua cum Jacobo electo Præneſtino Apoſtolicæ ſedis Legato, ceteriſque Hungariæ Epiſcopis communicaſſet, cætu fidelium, & ſacris graviſſima ſententia interdixit. Ne autem temere in tam gravi re cuiquam egiſſe videretur, cauſas, cur ad eam auſteritatem delapſus fuiſſet, his verbis palam vulgavit (*g*). „ Nullis itaque correctis de his omnibus, quæ D. Papa rogaverat, mandaverat, & præceperat corrigenda, contemta etiam, & non obſervata conſtitutione Domini regis ſupradicta, ultimus error factus eſt pejor priore, & noviſſima prioribus ſunt pejora, cum non ſolum modo Saraceni præficiantur Cameræ, & publicis officiis, imo conditione eorum facta meliore quam antea, quidam eorum, qui quaſi ſervilis conditionis huc-uſque fuerunt, & ad ſolvendam quamdam ſummam pecuniæ annuatim dominæ reginæ tenebantur, nunc ab hujus conditione liberati facti ſunt ſtipendiarii, & liberis hominibus ſunt æquales. Solebant quandoque Chriſtiani ritibus Saracenorum adhærere, æſtimantes leviorem conditionem impoſitam Saracenis in Ungaria, quam pauperibus Chriſtianis. Quid facient amodo hujuſmodi ſimplices, & imbecilles Chriſtiani, cum videant ſibi Saracenos dominari & nobiles eſſe pares? præſumen-

e) Rectius *cibriones*, ut habetur in Decreto anni 1222.

f) Additur: *regni noſtri anno vigeſimo nono.* Videtur tamen error eſſe decretum ex autographo deſumentis, neque enim cum decreto anni 1222. nec 1224. congruit. Corrigendus igitur error, ex ipſo hoc diplomate, in quo rex diſerte ſe revocat ad regni annum XVII. ſive decretum primum: quod quia annum 1222. expreſſit regni XVII. recta conſecutio eſt an. 1231. fuiſſe an. regni XXVI. non item XXIX.

g) RAYNALD. ad annum 1232. Num. XIX.

„dum eſt, quod libentius, quam antea, paulatim tam propter lucrum temporale,
„quam propter levem conditionem ſe transferent ad ritum, & fœditatem paganorum.
„Poteſtis etiam ſcire, quod per hujuſmodi apoſtaſiam in partibus iſtis animarum in-
„finita millia perierunt. Quod autem diximus de Saracenorum articulis, idem, vel
„ſimile dicere poſſumus de ſingulis articulis in litteris D. Papæ comprehenſis, cum
„nullus eorum ſit correctus. Quippe Eccleſiarum, monaſteriorum, orphanorum,
„Clericorum, pauperum condirio de die in diem aggravatur. Nam & multæ poſ-
„ieſſiones, redditus, & beneficia, quæ per privilegia regalia Eccleſiæ, & domus re-
„ligioſæ poſſidebant, per malitiam Saracenorum, per iniquas ſuggeſtiones conſilia-
„riorum domini regis, domibus religioſis, & Eccleſiis ſunt ſubtracta.

Interdicti ſententiam in regnum promulgat.

„Ne igitur crimen inobedientiæ, ne DEI, & ſummi Pontificis incurramus
„offenſam, ne etiam tamquam mercenarii, & non paſtores veniente lupo, tamquam
„canes muti non valentes latrare, fugere comprobemur, ne tantam injuriam miſero-
„rum, tantam contumeliam fidei Chriſtianæ, tantam oppreſſionem Eccleſiarum, &
„ordinis Clericalis diſſimulare videamur, cum dominus rex Andreas ſæpe per nos ad-
„monitus ad piam, & paternam admonitionem ſummi Pontificis, ſupra dictos exceſ-
„ſus corrigere noluerit, nos mandatum Apoſtolicum exſequendo, auctoritate Do-
„mini Papæ, qua fungimur in hac parte, totum regnum Ungariæ ſuppoſuimus interdicto,
„prohibentes & interdicentes auctoritate ſuper hoc nobis commiſſa, ne quis in regno Un-
„gariæ, ſive in Strigonienſi, ſive Colocenſi provincia, ſive in Curia domini regis,
„vel filiorum ſuorum, vel alibi præſumat divina celebrare. Quidam vero, quibus
„hoc a jure, vel ex ſpeciali privilegio indultum eſt, ſubmiſſa voce campanis non pul-
„ſatis, januis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, divina poterunt cele-
„brare. Præterea prohibemus, & interdicimus, ne quis in prædictis provinciis præ-
„ſumat divina Sacramenta miniſtrare, hoc excepto, quod baptiſma parvulis, corpus,
„& ſanguis Domini; pœnitentia, & ultima unctio laborantibus in extremis non ne-
„gerur: corpora tamen Eccleſiaſticæ ſepulturæ non tradantur. Cuilibet Parochiali
„ſacerdoti liceat ſemel in Menſe januis clauſis, campanis non pulſatis, excommuni-
„catis, & interdictis excluſis, voce ſubmiſſa celebrare divina, & corpus Chriſti con-
„ficere ad opus infirmorum.

Dionyſium Palatinum multas ob cauſas ſacris interdicit.

„Quia vero regiæ celſirudini, in quanrum ſecundum DEUM poſſumus, de-
„ferre volumus, nondum in perſonam ipſius ſententiam tulimus, ejus correctionem
„exſpectantes. Conſiliarios autem ejus, quorum conſilio ipſe retrahitur, & retar-
„datur, a correctione ſupra dictorum exceſſuum, & quorum ſuggeſtione Saracenos
„exaltavit, & publicis præfecit officiis, excommunicationis ſententia innodamus.
„Dionyſium vero Comitem Palatinum non ſolum modo ob cauſam prædictam, imo
„multis aliis de cauſis nominatim excommunicavimus, utpote, qui non ſolum Eccle-
„ſiaſticas perſonas quam plures rebus ſuis, & beneficiis, & Eccleſiis ſpoliavit, imo
„aliquos viros Eccleſiaſticos fecit percuti, & inhoneſte tractari, ut de injuriis, &
„violentiis Præpoſito & Plebanis de Scepus, & per ipſum, & ſuos illatis ad præſens
„taceamus; tacere non volumus, nec debemus, quod Magiſtrum Joannem Præpo-
„ſitum Poſonienſem alapis fecit cædi, & tractari inhoneſte, nec de hoc Eccleſiæ, nec
„paſſo injuriam ſatisfecit: præterea Saracenos, & falſos Chriſtianos in ſua malitia

Tavernicorum Magiſtro inducias præſcribit.

„protegit, & tuetur, aliquos etiam in ſuis prædiis receptando. Nicolao Camerario
„magiſtrorum Tabarnicorum, cum ſit Domini regis conſiliarius, & ejus conſilio
„omnia regis, & Cameræ negotia diſponantur, damus inducias uſque ad diem cœnæ
„Domini proxime venturum, ut interim, quæ per ipſum in prædictis articulis per-
„peram acta ſunt, ſtudeat emendare, alioquin ex tunc ſciat nominatim ſe excommu-

Cameræ Præfectum itidem excommunicationis ſententia ferit.

„nicatum, & ab omnibus evitandum. Præterea Samuelem quondam Comitem Ca-
„meræ nominatim excommunicamus, pro eo, quod ipſe infamatus, & convictus de
„hæreſi, in purgationem, & correctionem ſui erroris aſſumta cruce, dato & recepto
„ad hoc termino, ut eat ultra mare, & non ivit, imo Saracenos, & falſos Chriſtia-
„nos ſimiles ſui ſuſtinet, & defendit.

Simili pœna in eos

„Item auctoritate DEI, & Domini Papæ prohibemus, ne aliquis Chriſtianus
„in aliquo commercio, vel contractu, vel aliquo modo communionem habeat ali-
„quam cum aliquo Saraceno, donec omnes Saracenos baptizatos, vel baptizari vo-

„lentes,

,,lentes, vel baptizatorum filii, ſive ſint Ungari, ſive Bulgari, ſive Cumani, vel 1232.
,,cujuſcunque nationis homines reſtituant, & dimittant, ſive apud eos in ſervitute, ,,ſive in libertate fuerint commorati. Auctoritate igitur Summi Pontificis, qua fungimur in hac parte, vobis mandamus, & in virtute obedientiæ ea auctoritate, qua ,,nobis diſtricte præceptum eſt, vobis diſtricte præcipimus, quatenus interdictum ,,obſervetis, & per veſtram diœceſim ſine dilatione aliqua faciatis promulgari, & firmiter ab omnibus obſervari. Si qui vero ſacerdotes, vel alii viri Eccleſiaſtici, ,,poſtquam ad eos notitia hujus interdicti pervenerit, ipſum interdictum firmiter, & ,,diligenter non obſervabunt, & contra prædictam formam divina celebrare præſumpſerint, in perpetuum ab executione ſui officii ſint ſuſpenſi, niſi per Apoſtolicam ,,ſedem, cujus auctoritate hoc actum eſt, fuerint reſtituti. Si autem dubitatis, an ,,mandatum ſummi Pontificis habeamus, ad nos mittatis aliquos, quibus fidem adhibeatis, qui videant, & legant litteras Domini Papæ, & vobis referant veritatem: ,,Actum Budæ anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſecundo ,,Menſe Decembris.,,

animadvertens, qui interdictum violare auſi.

Hæc Robertus non minus graviter, quam; ut illa tempora expoſcebant, libere, quique res Eccleſiæ, & regni, quæ mira ſibi communione illigari ſolent, privatis commodis, antepoſuerit: quem ſi optimates ſtudiis ſuis ſectati fuiſſent, non erat Hungariæ cum tam miſera calamitate & ærumnis confligandum, ut in loco narrabimus.

Andreas partim juſtiſſimis Roberti comminationibus, partim charitate, qua 1233.
in regnum ferebatur, permotus, Pontificem per litteras orabat, ut Jacobum, quem Gregorius haud ita dudum ex Abbate trium fontium ad Præpeſtinam ſedem evexerat, Apoſtolici Legati auctoritate ornatum mitteret, quo tot in dies ſubnaſcentibus malis modus tandem poneretur. Re enim ipſa turbas inde orituras rex ſapienter providerat, quas, ut in ipſo jugulo elideret, jure jurando ſe obſtrinxit, quæcunque Pontifex correcta in Hungaria voluiſſet, operam daturum, ut omnino emendarentur. Quamobrem ad Jacobum Præneſtinum Epiſcopum, & Pontificium Legatum ſequentem epiſtolam exaravit (*b*).

His territus rex omnia ſe facturum per litteras Apoſtolico Legato promittit.

,,Venerabili in Chriſto Patri, & amico chariſſimo Jacobo, Dei gratia Præneſtino (*i*) electo, Apoſtolicæ ſedis Legato Andreas Dei gratia rex Ungariæ ſalutem.

,,Cum conſtantia ſinceræ dilectionis rex, qui ſedet in ſolio judicii, teſte rege ,,Salomone, diſſipat omne malum intuitu ſuo. Hunc regem ſanctæ, & recolendæ ,,memoriæ intelligimus beatiſſimum Stephanum gentis Ungariæ primum regem, qui ,,ad regni ſolium auctoritate propria noluit ſublimari, ſciens ſcriptum, quod nemo ,,aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, & ideo non a quolibet ſed a Vicario JEſu Chriſti, & Petri beatiſſimi ſucceſſore per revelationem divinam ſummo Pontifici factam aſſumſit regni diadema. Sed etiam parentibus ejus fuerat divinitus revelatum, quod ei in gente noſtra corona debebatur, & regnum. Sedens itaque ,,in cathedra cum David ſapientiſſimus Princeps, omne malum infidelitatis, ſecundum illa tempora, ut prædiximus ſuo intuitu diſſipavit, obſtetricante manu ipſius ,,a gente Ungarica ejectus eſt coluber tortuoſus: ſed & auctoritate ſummi Pontificis, ,,qui ipſum vocavit regem, & Apoſtolum gentis noſtræ, provincias per Epiſcopatus diſtinxit, Eccleſias mirifice ampliavit, & ſciens ſcriptum in Iſaia, quod in juſtitia regnabit rex, & quod judicium elevat gentes, fecit judicium, & juſtitiam inter ſuos, ut juſtitia, & judicium, eſſent præparatio ſedis ſuæ, ut & ſic divino munere, ut rex Salomon, firmaretur juſtitia Domus ſuæ.

Hæc cum rex proloquutus eſſet, adjecit ſe D. Stephani veſtigiis omnino inhærere velle, &, ne pravis aliorum conſiliis a propoſito averteretur, hoc ſe ſacramento obſtrinxit. ,,Vobis Domine Jacobe, Præneſtinenſis electe Apoſtolicæ ſedis ,,Legato, vice & nomine Romanæ Eccleſiæ & omnium Eccleſiarum Ungariæ, nos ,,Andreas rex Ungariæ, juramus ad ſancta Dei Evangelia, omnia & ſingula capitula ,,infra ſcripta obſervare, ſtatuentes ea a filiis noſtris, & a ſucceſſoribus noſtris in ,,perpetuum obſervari, & non contra venire quacunque occaſione, vel fraudem

Jure jurando ſe obſtringens.

b) Raynald. ad an. 1233.

i) Exemplar habet, ſed male, *Peneſtrino.*

1233.

,,committere in eis, quin faciant, ſicut inferius continentur, & præcipiemus omni-
,,bus ſubditis noſtris in regno noſtro, quod omnia, & ſingula obſervent, & ſi qui
,,noſtri mandati tranſgreſſores exſtiterint, ſicut decuerit puniemus, & faciemus filios
,,noſtros, & Jobagiones jurare, ſecundum quod inferius de juramento eorum conti-
,,netur.

,,Capitula autem ſunt hæc: Judæos, Saracenos, Ismaelitas de cetero non
,,præficiemus noſtræ Cameræ, monetæ, ſalibus, collectis, vel aliquibus publicis
,,officiis, nec aſſociabimus eos Præfectis, nec in fraudem aliquid faciemus, propter
,,quod ab ipſis poſſint opprimi Chriſtiani. Item nec permittemus in toto regno no-
,,ſtro Judæos, Saracenos, vel Iſmaelitas præfici alicui publico officio.. Item facie-
,,mus, quod Judæi, Saraceni, ſive Iſmaelitæ de cetero certis ſignis diſtinguantur, &
,,diſcernaotur a Chriſtianis. Item non permittemus Judæos, Saracenos, ſive Iſmae-
,,litas mancipia Chriſtiana emere vel habere quocunquemodo: & promittimus per
,,nos, & ſucceſſores noſtros conſtituere, & dare ſingulis annis Palatinum, vel alium
,,de Jobagionibus noſtris, quem voluerimus, Chriſtianæ fidei zelatorem, quem fa-
,,ciemus jurare, quod mandatum noſtrum ſecundum iſta fideliter adimplebit, & pe-
,,titionem Epiſcopi, in cujus diæceſi ſunt, vel erunt Judæi, pagani, & Iſmaelitæ,
,,ut Chriſtianos extrahat a dominio, & habitatione Saracenorum, vel Saraceni Chri-
,,ſtianorum quomodocunque mulieribus copulati, ſive ſub ſpecie matrimonii, ſive
,,alio modo bonorum omnium copulatione, tam Chriſtiani, quam Judæi, vel paga-
,,ni mulctentur, & nihilominus in ſervitutem Chriſtianorum per regem perpetuo de-
,,putentur --.

,,Item nolumus, nec permittimus, quod de cetero tractentur cauſæ dotium,
,,vel matrimoniales per nos, vel per alios judices ſeculares, quia de his nolumus nos
,,intromittere, nec debemus; ſed per judices Eccleſiaſticos tractentur, & terminen-
,,tur. Item volumus, & conſentimus, quod Clerici, & perſonæ Eccleſiaſticæ re-
,,ſpondeant, & conveniantur coram Eccleſiaſtico judice ſuper omnibus, exceptis ju-
,,diciis terrarum, de quibus volumus, quod tam per vos domine Legate, quam per
,,nos conſulatur dominus Papa, expreſſis eidem circumſtantiis facti, in quibus circum-
,,ſtantiis, inter alia exprimatur, quod vos a Prælatis Ungariæ percepiſtis, quod ſi
,,judicia terrarum Eccleſiaſticarum ſubtraherentur a noſtro judicio, damnoſum eſſet
,,Eccleſiis plurimum, & periculoſum, quia per hæc multa de jure Eccleſiaſticis poſ-
,,ſent deperire. Nullas collectas, & nullum lucrum imponemus, vel recipiemus a
,,Clericis, vel Eccleſiaſticis perſonis, & contra eorum privilegia, ſi qua habent,
,,ſcientes non veniemus; ſuper collectas vero per regnum noſtrum aliis imponendas,
,,per nos, & Legatum conſulatur Dominus Papa, ſicut convenimus cum eodem de
,, conſultatione facienda D. Papæ ſuper judiciis terrarum: & hæc omnia ſponte &
,,ſine conditione promittimus & juramus.

Eodem jure jurando Bela regni hæres, & Colomanus, rex ac Dux Sclavo-
niæ, tum proceres Hungariæ ſe obſtrinxerant; cujus formam certis conceptam verbis
in Vaticano Mſ. exſtare Raynaldus monet. Actum præterea de Luca Strigonienſi
Archi-Epiſcopo inter divos refereodo. Ad extremum in anni exitu expeditio in
Auſtriam ſuſcepta.

Hungarorum in Auſtriam procurſio novis fæderum pactis abſolvitur.

Cauſa a Sophia Belæ conjugis ſorore, quam Fridericus Auſtriæ dux repudia-
verat, petebatur. Commodum Fridericus bello cum Bohemis implicitus fuit: illius
abſentia uſus Andreas cum Bela in hoſticum procurrit: pars Stiriam, Auſtriam pars
altera infeſtis armis petierat. Illi vaſtitatem inter alpes latiſſime circumferentes cum
nobiliſſimis Stirorum, qui collectis, ut temporis anguſtia ſinebat, ruſticorum turbis
obviam venerant, manus conſeruere. Prælium Stiris prorſus inauſpicatum fuit, cæſi
ad internecionem omnes, quinquaginta ægre fuga elapſis. Andreæ contra haud ſa-
tis ex ſeotentia res cecidit: dum enim Auſtriam impune percurſat, a Friderico ex Bo-
hemia reverſo cum aliqua clade ad Hoſleinum, eſt is vicus in confinio Hungariæ,
& Auſtriæ ſitus, rejicitur. Iode converſis ſtudiis opinione citius pax confecta: rex
cum filio Neoſtadium ad Fridericum profectus liberaliter acceptus eſt, quem An-
dreas viciſſim haud multo poſt cum eum in Hungariam invitaſſet, ſumma benevo-
lentiæ, & honoris ſignificatione excoluit, corroboratis nova amicitia fœderi-

bus,

bus (*k*). Quamqnam congreſſum hunc, nuptiarum potius apparatum, quam pacis confirmationem ſpectaſſe poſtea memorabimus.

Regem promiſſorum parum memorem.

Interea, dum rex pene de nihilo foris bello occupatur, magna rurſus domi rerum converſio facta eſt. Neque enim Andreas pollicitis ſuis, quæ annn priore data jurisjurandi fide confirmarat, ſtetit; & Valachi præterea turbas in Cumania dedere. Utrumque, quia Eccleſiæ perniciofum futurum erat, Pontifex tnllere moliebatur, Andrea primum, tum Bela per litteras convento. Et ad regem quidem in hæc verba ſcripſit (*l*).

GREGORIVS ANDREAE ILLVSTRI REGI VNGARIAE SPIRITVM CONSILII SANIORIS.

Gregorius litteris datæ fidei admonet.

„Non abſque mentis amaritudine ſerenitati regiæ ſalutationis alloquium cogimur denegare, cum nulli unquam Principum, quamdiu vinculn ſit excommunicationis adſtrictus, Romana Eccleſia conſueverit ſcribere cum ſalute. Cum enim olim ſuper multis abuſionibus, & enormitatibus abuſivis, quæ fiebant in regno Ungariæ contra Eccleſiaſticam libertatem, quæ vergebant in derngationem fidei, & ignominiam, & confuſinnem regiæ dignitatis, validus, & ſtupendus clamnr frequenter ad ſedem Apoſtolicam aſcendiſſet, nos, qunrum inſtantia eſt ſecundum Apoſtolum, Eccleſiarum omnium ſolicitudo continua, de regno militantis Eccleſiæ colligere ſcandala cupientes, dilectum filium noſtrum Jacobum, Præneſtinum electum, virum utique ſecundum cor noſtrum, quem tuæ ſerenitati credebamus acceptum, ad partes ipſas commiſſo ſibi plene legationis officio providimus deſtinandum. Cum autem idem electus apud Celſitudinem regiam ſuper ipſis abuſionibus emendandis, & ſatisfactione læſis Eccleſiis impendenda, crebris monitionibus, & ſedulis exhortationibus inſtitiſſet, tandem ſann uſus conſilio prout regalem decebat excellentiam monitis ejus obtemperans, ſatisfactiunem de præmiſſis plenariam promiſiſti, te ad id ipſius electi arbitrio principaliter obligando; &, ne irrita fierent, quæ tuis labiis proceſſerunt, ſed factis dicta melius compenſares, ferri in te, & quoſdam Conſiliarios tuos, niſi infra præfixum tibi ab eodem electo de tua voluntate terminum, juxta quod tractatum, & ordinatum fuerat, prædictis Eccleſiis ſatisfaceres, & impleres omnia, quæ in tuis litteris continentur, & generaliter in omnes, qui conſulendo, vel ſuggerendo, aut alio modo ſcienter in hoc impedimentum præſtarent, per jam dictum electum excommunicationis, & in curiam tuam interdicti ſententias, relaxata prius in te lata interdicti ſententia, conſenſiſti, venerabili fratre nnſtro, Epiſcopo Boſnenſi, & Collegis ſuis ſententiarum ipſarum poſt eundem terminum denunciatoribus deputatis, prnut evidenter ſerenitatis tuæ litteræ manifeſtant. Et licet electus ipſe hujuſmodi ſententias te præſente, & aſtante multitudine copioſa ſolemniter promulgaſſet, tu quorundam inductus, & ſeductus conſiliis, veniens contra propriam ſponſionem, nullam, vel modicam ſatisfactionem, diutius expectatus poſt terminum, impendiſti: propter quod denunciatores prædicti te incidiſſe in eaſdem ſententias publice nunciarunt, prout in eorum litteris perſpeximus plenius contineri.

„Cum igitur nos ſuper quibuſdam articulis per nuntios tuos duxeris conſulendos, & nos hilariter tuos nuntios videamus, & recipiamus gratanter, ægre tamen ferre non debet regia magnitudo, quod, quamdiu ſententiarum nexibus ſubjacet præmiſſarum, ſuis non poſſumus conſultationibus reſpondere, quia quo univerſalis Eccleſiæ ſolicitudo principalius nnbis imminet, eo de hnneſtate ipſius tenemur ſolicitius cogitare, ne per injuriam, vel negligentiam noſtram, notam alicujus detractionis incurrat: & quamquam tui nuntii miſſi fuerint probare ſatisfactionem plenariam cnram nnbis, nihil exinde oſtendere potuerunt. Monemus itaque magnificentiam regiam, & hortamur, obſecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & per aſperſionem ſanguinis crucifixi, quatenus prudenter attendens,

k) PERNOLDVS coævus auctor in Chron. ad an. 1234. STERO, & Chronica AVSTRALIS.

l) RAYNALDVS ad annum 1234.

,, quod nil prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ ſubti-
,, neat detrimentum, & quod non debet uſque adeo præferri caro ſpiritui, & ſen-
,, ſualitas rationi, ut præponatur utilitati voluptas, quodque gratum tibi eſſe debuit,
,, & acceptum, quod ad compoſitiooem cum prænominatis Eccleſiis deveniſti, quæ
,, promiſiſti ſine difficultate qualibet, juxta compoſitionem eandem exſolvas. . . .
,, Datum Reate V. Calend. Auguſti anno VIII. ,,

Alias quoque ad Belam ſcribit hæreticorum cauſa.

Credibile eſt vinculo anathematis, cui ſe aliorum conſiliis imprudens irretierat, ſolutum fuiſſe. Facile enim vidit Pootifex malum latius jam in Hungaria vulgatum, quam ut illud, tametſi vellet, rex funditus exſtirpare poſſet. Ad Belam vero Valachorum cauſa, qui, quod ad Græcorum ritum promiſcue tranſirent, nonnihil inter Cumanos turbarant, in hanc ſententiam litteras dedit (*m*).

GREGORIVS BELAE REGI, PRIMOGENITO REGIS VNGARIAE.

,, In Cumanorum Epiſcopatu, ſicut accepimus, quidam populi, qui Vala-
,, chi vocantur, exiſtunt, qui etſi cenſeantur nomine Chriſtiano, ſub una tamen fide
,, varios ritus habentes, & mores illa committunt, quæ huic ſunt nomini inimica.
,, Nam Romanam Eccleſiam contemnentes, non a venerabili fratre noſtro, Epiſco-
,, po Cumanorum, qui loci diœceſanus exiſtit, ſed a quibuſdam pſeudoepiſcopis
,, Græcorum ritum tenentibus univerſa recipiunt Eccleſiæ ſacramenta, & nonnulli
,, de regno Ungariæ, tam Ungari, quam Theutonici, & alii orthodoxi morandi
,, cauſa cum ipſis trânſeunt ad eoſdem, & ſic cum eis quaſi populus unus factus, cum
,, eiſdem Valachis, eo contemto, præmiſſa recipiunt ſacramenta in grave orthodo-
,, xorum ſcandalum, & derogationem non modicam fidei Chriſtianæ. Ne igitur ex
,, diverſitate rituum pericula proveniant animarum, nos volentes hujuſmodi periculis
,, obviare, ne præfati Valachi materiam habeant pro defectu ſacramentorum ad
,, Schiſmaticos Epiſcopos accedendi, eidem Epiſcopo noſtris damus litteris in man-
,, datis, ut Catholicum eis Epiſcopum, illi nationi conformem, provida deliberatione
,, conſtituat, ſibi juxta generalis ſtatuta concilii vicarium in prædicta, qui ei per
,, omnia ſit obediens, & ſubjectus. - -

,, Cum autem tu tanquam Prioceps Catholicus ad commonitionem dilecti
,, filii noſtri Jacobi Præneſtini electi tunc Apoſtolicæ Sedis Legati præſtito juramento
,, promiſeris, te omnes inobedientes Romanæ Eccleſiæ in terra tua ad obediendum
,, eidem Eccleſiæ compulſuturn, prout confectæ ſuper hoc tuæ litteræ continebant,
,, ac eidem electo viva voce promiſeris, quod præſatos Valachos compelleres ad re-
,, cipiendum Epiſcopum, quem eis Eccleſia ipſa conceſſerit, & aſſignaſſe ſibi de red-
,, ditibus tuis, quos ab eis percipis, ſufficientes redditus, & honeſtos, ſicut idem
,, electus nobis expoſuit, regalem excellentiam rogamus, mooemus, & hortamur
,, attente, ac in remiſſionem tibi injungimus peccatorum, quatenus, cum te non de-
,, ceat in regno tuo hujuſmodi Schiſmaticos ſuſtinere, ac ea, quæ promiſiſti, Deo
,, grata, & homioibus ſint accepta, ne facias irrita, quæ de tuis labiis tam laudabili-
,, ter proceſſerunt, eaque ſtudeas efficaciter adimplere, ita quod ex hoc placeas regi
,, regum, & nos ſinceritatis tuæ zelum poſſimus dignis in Domino laudibus commen-
,, dare. Datum Peruſii XVIII. Calend. Decembris, Pontificatus noſtri anno VIII.,,

Quam late Bela vivo patre dominatus ſit.

Ubi locorum Cumani & Valachi, quorum Gregorius meminit, ea tempeſtate fuerint, haud ſatis aſſequor. Non putem eos hoc loco venire, qui inter Tibiſcum, & Danubium hodie colunt, & Jazyges nonnullorum errore perperam dicuntur; quoniam ab D. Ladislai temporibus, quibus nonnullos in Hungaria reſtitiſſe alias narravimus, credibile non eſt, in tantum oumerum excreviſſe, ut ſuum ſeorſim Epiſcopum haberent: neque Valachi id temporis, ut Gregorii litteræ loquuntur, in Hungaria Cumanis finitimi fuere, & alioquin ſerius poſtea Cumanos hunc tractum incoluiſſe in loco a nobis dicetur. Fortaſſe oon male opiner, ſi Cumanos hos in Moldavia, qua hæc Tranſilvaniæ, & Valachiæ finitima eſt, collocavero; quo & Teutones Saxones, & Tranſilvani, Hungaricum alioquin ortu ſuo genus, facile, ut Pontifex in litteris diſerte queritur, commearint, & Græcum ritum per intervalla

pro-

m) RAYNALD. ad annum 1234.

profeſſi fuerint. Quæ conjectura ſi locum habet, neceſſe eſt, eam Moldaviæ par- tem abhinc, quam Borizius, Cumanorum Princeps, cum ſuis opera Strigonienſis Archi-Epiſcopi, ut ad annum ſeculi hujus vigeſimum ſeptimum narravimus, ad ſa- cra Chriſtiana traductus eſt, Hungariæ juribus deditione Principis ſuiſſe obnoxiam. Veriſimile enim non eſt, Borizium, ſi hodiernam Cumanorum in Hungaria ditionem coluiſſet, in tanta Epiſcoporum frequentia, ad hanc uſque ætatem avitis ſuperſtitio- nibus tam perdite inhæſurum fuiſſe. Ex quo præterea facile rationem capimus, Be- lam trans Tibiſcum uſque ad Moldaviam vivo patre rerum potitum eſſe, quemadmo- dum Colomanum Ducem Sclavoniæ fuiſſe ex publicis monumentis conſtat.

Juris jurandi forma, qua ſe Bela adverſum hæreticos obſtrinxit.

Ceterum juris jurandi forma, cujus Gregorius in laudata epiſtola mentionem facit, & qua Bela ſe obſtrinxerit, heterodoxos omnes e ditione ſua ejectum, aut ad Eccleſiæ obſequia compulſum iri, quemadmodum in libro cenſuum exſtat, hujuſmo- di fuit. *Nos Bela Dei gratia rex, primogenitus Domini Andreæ regis Ungariæ illuſtris: univerſis præſentes litteras inſpecturis facimus manifeſtum, quod ad petitionem Venerabilis pa- tris, Domini Jacobi Præneſtinenſis electi, Apoſtolicæ ſedis Legati, in ipſius præſentia, & plurimorum aliorum juravimus ad ſancta Dei evangelia, quod de terris noſtræ jurisdictioni ſubjectis, & quæ in futurum, dante Domino ſubjicientur, univerſos hæreticos, & alios Chriſtianos, qui, relicta fide Chriſtianitatis, ad ſuperſtitionem Iſmaelitarum, vel judæorum pervertuntur, quocunque nomine cenſeantur, & fictos filios Chriſtianos de terris noſtris bo- na fide ſtudebimus pro viribus exſtirpare, & eos, qui Romanæ Eccleſiæ in terra noſtra ſunt inobedientes juxta ritum uniuſcujuſque nationis, qui non ſit contra fidem Catholicam, compel- lemus obedire Romanæ Eccleſiæ. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras noſtri ſigilli mu- nimine juſſimus roborari. Datum Strigoniæ VII. Calendas Martii, anno gratiæ MCCXXXIV.* (n).

Colomani in Sclavonia contra hæreticos ſtudium Pontifex collaudat.

Eodem anno Colomanus Sclavoniæ rex egregiam operam ad ejiciendos e Dalmatia hæreticos navabat. Conflatum in hos, agente ſummo Pontifice, ſacrum bellum eſt, cujus Dux Colomanus cum rem armis, & conſilio ſtrenue ageret, bo- nam nefariorum hominum partem repreſſit, partem ad viam reduxit. Collau- davit Gregorius Colomani ſtudium datis ad eum litteris, utque porro rem re- ligionis cordi haberet, impenſe hortatus, ſimul virum Carthuſiani Ordinis, per Car- nioliam, Iſtriam, Dalmatiam, Boſniam, Croatiam, & Serviam Apoſtolicæ ſedis Le- gatum, qui illi in tam præclaro conatu adjutor eſſet, miſſurum pollicitus fuit. Sed malum non minus in his provinciis, quam Hungaria, magis invaluerat, quam ut hu- mana ope funditus tolli poſſet. Tanta labes unius regis oſcitantia invecta eſt. Ve- rum pœnas, quas pater indulgentia ſua eatenus commeruit, inſcrutabili Dei judicio filius olim perſolvet.

Rex cum filiis ab Duce Auſtriæ ad nuptias invitatur.

Sub hæc finitimi Hungaris Auſtrii confecta cum Bojoariis pace, voluptati poſt belli labores litarunt. Fridericus cognomento bellicoſus, quem nuper fœderibus cum Andrea illigatum fuiſſe narravimus, Conſtantiam ſororem Henricō Miſnenſium Mar- chioni nuptui collocarat. Nuptiarum apparatus, quoniam Viennenſibus haud ſatis tuto fides haberi poterat, Stadlawiæ, eſt id oppidum trans dannubium Viennæ op- poſitum, celebrari placuit. Convenere præter Venceslaum regem Bohemiæ, & Archi-Epiſcopum Salisburgenſem, tum Patavienſen, Friſingenſem, & Babenbergen- ſem Epiſcopos, Duces quoque Saxoniæ, & Carinthiæ, Landgravius Thuringiæ, Marchio Moraviæ, ac finitimi quique auctoritate, & generis prærogativa inſignes. Ne quid ad ſplendorem deeſſet, erant enim veteres quoque, contra quam nobis perſuadeamus, publicæ pompæ magis amantes, quam prodigi, Andream Hun- gariæ regem communi omnium conſilio per Legatos rogandum cenſuere, ut ipſe quo- que nuptiis intereſſe vellet. Rex fœderato Principi nihil negandum ratus, cum Be- la, & inſigni Optimatum comitatu in Auſtriam profectus, magno ſplendore ſolen- nes nuptiarum apparatus cohoneſtavit (o). Credibile eſt, Andream, etſi provectæ jam ætatis eſſet, & temporis, & rerum, quæ iſthic agebantur, habitu admonitum fuiſſe, ut ad ineundum matrimonium animos quoque adjiceret, ageretque per Ora- tores cum Aldrovandino Marchione Eſtenſi, ut ſibi Beatricam filiam, bona illius gratia matrimonio copulare liceret.

Ipſe quoque ad novas nuptias aſpirat.

n) Raynald. ad annum 1234.

o) Pernoldus ad annum 1234.

„ quod nil prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ ſubdi-
„ neat detrimentum, & quod non debet uſque adeo præferri caro ſpiritui, & ſen-
„ ſualitas rationi, ut præponatur utilitati voluptas, quodque gratum tibi eſſe debuit,
„ & acceptum, quod ad compoſitionem cum prænominatis Eccleſiis deveniſti, quæ
„ promiſiſti ſine difficultate qualibet, juxta compoſitionem eandem exſolvas. . . .
„ Datum Reate V. Calend. Auguſti anno VIII. „

Alias quoque ad Belam ſcribit hæreticorum cauſa.

Credibile eſt vinculo anathematis, cui ſe aliorum conſiliis imprudens irretierat, ſolutum fuiſſe. Facile enim vidit Pontifex malum latius jam in Hungaria vulgatum, quam ut illud, tametſi vellet, rex funditus exſtirpare poſſet. Ad Belam vero Valachorum cauſa, qui, quod ad Græcorum ritum promiſcue tranſirent, nonnihil inter Cumanos turbarant, in hanc ſententiam litteras dedit (*m*).

GREGORIVS BELAE REGI, PRIMOGENITO REGIS VNGARIAE.

„ In Cumanorum Epiſcopatu, ſicut accepimus, quidam populi, qui Vala-
„ chi vocantur, exiſtunt, qui etſi cenſeantur nomine Chriſtiano, ſub una tamen fide
„ varios ritus habentes, & mores illa committunt, quæ huic ſunt nomini inimica.
„ Nam Romanam Eccleſiam contemnentes, non a venerabili fratre noſtro, Epiſco-
„ po Cumanorum, qui loci diœceſanus exiſtit, ſed a quibuſdam pſeudoepiſcopis
„ Græcorum ritum tenentibus univerſa recipiunt Eccleſiæ ſacramenta, & nonnulli
„ de regno Ungariæ, tam Ungari, quam Theutonici, & alii orthodoxi morandi
„ cauſa cum ipſis tranſeunt ad eoſdem, & ſic cum eis quaſi populus unus factus, cum
„ eiſdem Valachis, eo contemto, præmiſſa recipiunt ſacramenta in grave orthodo-
„ xorum ſcandalum, & derogationem non modicam fidei Chriſtianæ. Ne igitur ex
„ diverſitate rituum pericula proveniant animarum, nos volentes hujuſmodi periculis
„ obviare, ne præfati Valachi materiam habeant pro defectu ſacramentorum ad
„ Schiſmaticos Epiſcopos accedendi, eidem Epiſcopo noſtris damus litteris in man-
„ datis, ut Catholicum eis Epiſcopum, illi nationi conformem, provida deliberatione
„ conſtituat, ſibi juxta generalis ſtatuta concilii vicarium in prædictis, qui ei per
„ omnia ſit obediens, & ſubjectus. - -

„ Cum autem tu tanquam Princeps Catholicus ad commonitionem dilecti
„ filii noſtri Jacobi Præneſtini electi tunc Apoſtolicæ Sedis Legati præſtito juramento
„ promiſeris, te omnes inobedientes Romanæ Eccleſiæ in terra tua ad obediendum
„ eidem Eccleſiæ compulſurum, prout confectæ ſuper hoc tuæ litteræ continebant,
„ ac eidem electo viva voce promiſeris, quod præſatos Valachos compelleres ad re-
„ cipiendum Epiſcopum, quem eis Eccleſia ipſa conceſſerit, & aſſignaſſe ſibi de red-
„ ditibus tuis, quos ab eis percipis, ſufficientes redditus, & honeſtos, ſicut idem
„ electus nobis expoſuit, regalem excellentiam rogamus, monemus, & hortamur
„ attente, ac in remiſſionem tibi injungimus peccatorum, quatenus, cum te non de-
„ ceat in regno tuo hujuſmodi Schiſmaticos ſuſtinere, ac ea, quæ promiſiſti, Deo
„ grata, & hominibus ſint accepta, ne facias irrita, quæ de tuis labiis tam laudabili-
„ ter proceſſerunt, eaque ſtudeas efficaciter adimplere, ita quod ex hoc placeas regi
„ regum, & nos ſinceritatis tuæ zelum poſſimus dignis in Domino laudibus commen-
„ dare. Datum Peruſii XVIII. Calend. Decembris, Pontificatus noſtri anno VIII. „

Quam late Bela vivo patre dominatus ſit.

Ubi locorum Cumani & Valachi, quorum Gregorius meminit, ea tempeſtate fuerint, haud ſatis aſſequor. Non putem eos hoc loco venire, qui inter Tibiſcum, & Danubium hodie colunt, & Jazyges nonnullorum errore perperam dicuntur; quoniam ab D. Ladislai temporibus, quibus nonnullos in Hungaria reſtitiſſe alias narravimus, credibile non eſt, in tantum numerum excreviſſe, ut ſuum ſeorſim Epiſcopum haberent: neque Valachi id temporis, ut Gregorii litteræ loquuntur, in Hungaria Cumanis finitimi fuere, & alioquin ſerius poſtea Cumanos hunc tractum incoluiſſe in loco a nobis dicetur. Fortaſſe non male opiner, ſi Cumanos hos in Moldavia, qua hæc Tranſilvaniæ, & Valachiæ finitima eſt, collocavero; quo & Teutones Saxones, & Tranſilvani, Hungaricum alioquin ortu ſuo genus, facile, ut Pontifex in litteris diſerte queritur, commearint, & Græcum ritum per intervalla pro-

m) RAYNALD. ad annum 1234.

profeſſi fuerint. Quæ conjectura ſi locum haber, neceſſe eſt, eam Moldaviæ partem abhinc, quam Borizius, Cumanorum Princeps, cum ſuis opera Strigonienſis Archi-Epiſcopi, ut ad annum ſeculi hujus vigeſimum ſeptimum narravimus, ad ſacra Chriſtiana traductua eſt, Hungariæ juribus deditione Principia fuiſſe obnoxiam. Veriſimile enim non eſt, Borizium, ſi hodiernam Cumanorum in Hungaria ditionem coluiſſet, in tanta Epiſcoporum frequentia, ad hanc uſque ætatem avitis ſuperſtitionibus tam perdite inhæſurum fuiſſe. Ex quo præterea facile rationem capimus, Belam trans Tibiſcum uſque ad Moldaviam vivo patre rerum potitum eſſe, quemadmodum Colomanum Ducem Sclavoniæ fuiſſe ex publicis monumentis conſtat.

Ceterum juris jurandi forma, cujus Gregorius in laudata epiſtola mentionem facit, & qua Bela ſe obſtrinxerit, heterodoxos omnes e ditione ſua ejectum, aut ad Eccleſiæ obſequia compulſum iri, quemadmodum in libro cenſuum exſtat, hujuſmodi fuit. *Nos Bela Dei gratia rex, primogenitus Domini Andreæ regis Ungariæ illuſtris: univerſis præſentes litteras inſpecturis facimus manifeſtum, quod ad petitionem Venerabilis patris, Domini Jacobi Prænestinenſis electi, Apoſtolicæ ſedis Legati, in ipſius præſentia, & plurimorum aliorum juravimus ad ſancta Dei evangelia, quod de terris noſtræ jurisdictioni ſubjectis, & quæ in futurum, dante Domino ſubjicientur, univerſos hæreticos, & alios Chriſtianos, qui, relicta fide Chriſtianitatis, ad ſuperſtitionem Iſmaelitarum, vel judæorum pervertuntur, quocunque nomine cenſeantur, & fictos filios Chriſtianos de terris noſtris bona fide ſtudebimus pro viribus exſtirpare, & eos, qui Romanæ Eccleſiæ in terra noſtra ſunt inobedientes juxta ritum uniuſcujuſque nationis, qui non ſit contra fidem Catholicam, compellemus obedire Romanæ Eccleſiæ. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras noſtri ſigilli munimine juſſimus roborari. Datum Strigoniæ VII. Calendas Martii, anno gratiæ MCCXXXIV.* (n).

Juris jurandi forma, qua ſe Bela adverſum hæreticos obſtrinxit.

Eodem anno Colomanus Sclavoniæ rex egregiam operam ad ejiciendos e Dalmatia hæreticos navabat. Conflatum in hos, agente ſummo Pontifice, ſacrum bellum eſt, cujus Dux Colomanus cum rem armis, & conſilio ſtrenue ageret, bonam nefariorum hominum partem repreſſit, partem ad viam reduxit. Collaudavit Gregorius Colomani ſtudium datis ad eum litteris, utque porro rem religionis cordi haberet, impenſe hortatus, ſimul virum Carthuſiani Ordinis, per Carnioliam, Iſtriam, Dalmatiam, Boſniam, Croatiam, & Serviam Apoſtolicæ ſedis Legatum, qui illi in tam præclaro conatu adjutor eſſet, miſſurum pollicitus fuit. Sed malum non minus in his provinciis, quam Huogaria, magis invaluerat, quam ut humana ope funditùs tolli poſſet. Tanta labes unius regis oſcitantia invecta eſt. Verum pœnas, quas pater indulgentia ſua eatenua commeruit, inſcrutabili Dei judicio filius olim perſolvet.

Colomani in Sclavonia contra hæreticos ſtudium Pontifex collaudat.

Sub hæc finitimi Hungaris Auſtrii confecta cum Bojoariis pace, voluptati poſt belli labores litarunt. Fridericus cognomento bellicoſus, quem nuper fœderibus cum Andrea illigatum fuiſſe narravimus, Conſtantiam ſororem Henricô Miſnenſium Marchioni nuptui collocarat. Nuptiarum apparatus, quoniam Viennenſibus haud ſatis tuto fides haberi poterat, Stadlawiæ, eſt id oppidum trans dannubium Viennæ oppoſitum, celebrari placuit. Convenere præter Venceslaum regem Bohemiæ, & Archi-Epiſcopum Salisburgenſem, tum Patavienſen, Friſingenſem, & Babenbergenſem Epiſcopos, Duces quoque Saxoniæ, & Carinthiæ, Landgravius Thuringiæ, Marchio Moraviæ, ac finitimi quique auctoritate, & generis prærogativa inſignes. Ne quid ad ſplendorem deeſſet, erant enim veteres quoque, contra quam nobis perſuadeamus, publicæ pompæ magis amanres, quam prodigi, Aodream Hungariæ regem communi omnium conſilio per Legatos rogandum cenſuere, ut ipſe quoque nuptiis intereſſe vellet. Rex fœderato Principi nihil negandum ratus, cum Bela, & inſigni Optimatum comitatu in Auſtriam profectus, magno ſplendore ſolennes nuptiarum apparatua cohoneſtavit (o). Credibile eſt, Andream, etſi provectæ jam ætatis eſſet, & remporis, & rerum, quæ iſthic agebantur, habitu admonitum fuiſſe, ut ad ineundum matrimonium animos quoque adjiceret, ageretque per Oratores cum Aldrovandino Marchione Eſtenſi, ut ſibi Beatricem filiam, bona illius gratia matrimonio copulare liceret.

Rex cum filiis ab Duce Auſtriæ ad nuptias invitatur.

Ipſe quoque ad novas nuptias aſpirat.

 Aldro-

n) Raynald. ad annum 1234.

o) Pernoldus ad annum 1234.

Ducta Beatrice Marchionis Eſtenſis filia.

Aldrovandinus, acceptis ſumma humanitate Legatis, tam illuſtri affinitatis gloria mirum in modum lætus, facilem ſe regis poſtulato præbuit. Neque multo poſt tempore ante menſem Majum Beatrix per Azonem patruum ſuum ingenti nobiliſſimorum Italiæ virorum comitatu ſtipata Andreæ in Hungariam adducta eſt, puella ſeni propemodum juveniliter amanti (*p*). Nuptias Albæ regiæ celebratas eſſe conſtat ex pactionum tabulis, quibus dos Beatrici publica fide ab Andrea conſtituta fuit: ſuntque in hunc modum conſcriptæ (*q*).

Cui dotem publicis tabulis conſtituit.

In nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti Amen. Dominus Andreas Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ (*r*), *Galatiæ, Ramiæ, Serviæ, Lodomeriaque* (*s*) *rex, nomine mere, ac pure, & irrevocabilis donationis, quæ eſſe dicitur inter vivos, donavit quinque millia marchas argenti Dominæ Beatrici reginæ, uxori ſuæ, filiæ quondam felicis memoriæ Domini Aldrovandini, Marchionis Eſtenſis, promittendo ſe daturum, & ſoluturum prædictæ Dominæ Beatrici uxori ſuæ, & ſuis hæredibus prædictas quinque millia marchas argenti, hinc ad quinque annos completos, ita, quod in quolibet anno iſtorum quinque annorum ſolvere debeat, & ſibi ſolvere teneatur, & ſuis hæredibus mille marchas argenti, obligando ſe, & ſuum regnum totum, donec prædictam pecuniæ quantitatem ſibi, & ſuis hæredibus ſolverit, & attenderit, ita quod ipſam pecuniam totam, ſive argentum prædictum apud ſe habeat, & habere debeat, & de ea, quidquid ſibi placuerit, ad ſuam voluntatem, ut voluerit facere, faciat. Et in hoc ſibi dotem conſtituit. Concedendo etiam idem Dominus rex Andreas eidem reginæ omnes redditus, proventus, utilitates, rationes, & jura, quæ, & quas illo tempore hinc retro habuerunt, ſeu habere conſueverunt reginæ Ungariæ. Et inſuper faciens ei gratiam ſpecialem promiſit dare ei, & ſolvere omni anno in vita ſua, ultra dotem, & omnia prædicta, de ſua Camera ſpeciali mille marchas argenti, vel tantum, quod inde de ſuis redditibus poſſit tantum argentum ab ea omni anno percipi, & haberi.*

Et in continenti interrogatus idem Dominus Andreas Dei gratia rex Ungariæ a Domino Guidocto Dei gratia Epiſcopo Mantuano, ſi volebat Beatricem, filiam felicis memoriæ quondam Domini Aldrovandini, Marchionis Eſtenſis, in ſuam uxorem legitimam, & in ipſam, ut ſuam uxorem legitimam per verba de præſenti conſentire: reſpondit, quod ſic volebat, & ſibi placebat, & dicebat, & faciebat in omnibus, ut dictum eſt ſuperius. Et eodem modo interrogata prædicta Domina Beatrix ab eodem Domino Epiſcopo Mantuano, ſi volebat Dominum Andream, Dei gratia regem Ungariæ, in ſuum virum legitimum per verba de præſenti conſentire: reſpondit, quod ſic volebat, & ſic placebat, & dicebat, & faciebat, in omnibus, ut dictum eſt ſuperius.

His itaque interrogationibus, & reſponſionibus ſic factis, idem Dominus Andreas rex eandem Dominam Beatricem deſponſavit annulo maritali, conſentiendo in eam, ut dictum eſt, in omnibus, & per omnia. Et de omnibus prædictis plura inſtrumenta uno tenore inde fieri rogata ſunt.

Interfuere teſtes, Dominus Robertus (*t*) *Dei gratia Strigonienſis Archi-Epiſcopus, Dominus Bartholomæus Dei gratia Epiſcopus Veſprimenſis* (*u*), *Comes Maginhardus de Aquilucia, Comes Martinus de ſancto Martino, Comes Schenele de Tarviſio, Dominus Mathæus de Corrigia, Dominus Caſtellanus de Gaffaris, Dominus Wilhelmus Vice-Dominus, Dominus Bonaventurinus de Archelardis, Dominus Arnaldus de Saviola Milites Mantuani, Dominus Occatus de Padua, Dominus Raymondus de Tarviſio, & alii teſtes quam plures.*

Actum eſt hoc apud Albam Civitatem in Eccleſia Beatæ Virginis Mariæ, milleſimo, ducenteſimo, trigeſimo quarto, Indictione VII. Die Dominico quarto decimo, intrante Majo (*x*).

Bela

p) Monachus PADVANVS Chronicæ ſuæ Lib. I. apud VRSTISIVM, ſed male, ut ex tabulis patet, ad an. 1235.

q) In diplomatario Cl. LVNIG. Tom. I. pag. 1581. 82

r) Exemplar. habet *Gloriæ*. Male autem legerit, qui ex autographo deſumſit. Videtur ſcribendum *Croatiæ*.

s) In exemplari eſt, *Laudemiaque* ſed ejusdem credo errore factum.

t) Exemplar male habet *Rumbertus*.

u) Male itidem iſthic ſcribitur *Veſperinus*.

x) Subjunguntur in fine hæc verba: *Ego Zanobonus de Lonalo a Domino Frederico rege Notarius interfui, & rogatus ſcripſi.* Quis hic rex hujus nominis fuerit, ignoro: niſi opiner Fridericum Imperatorem fuiſſe, qui Siciliæ itidem rex erat.

Bela tamen, & Colomanus haud ſatis æquo animo nuptias tulere, ſive veriti ſint, ne pater amoribus juvenculæ irretitus, regni curas, quibus alioquin non multum in vitæ exitu occupari ſe paſſus eſt, inſuper haberet, ſeu, ſi prolem ex illa tolleret, ut factum poſtea narrabimus, ne hæreditatem diminueret: nihil tamen in eam ab utroque commiſſum eſt, quod maximam partem in ſuis regnis commorati ab aula abeſſent. *Ægre id ferente utroque filio.*

Nuptias has ſequente anno aliæ exceperant, dum Jacobo Arragonum regi Jole, vel ut aliis placet Jolanta Andreæ filia collocaretur. Surita, gravis ceteroquin ſcriptor, Violantam fuiſſe dictam perhibet, & ex conjuge ejuſdem nominis, quæ filia Petri Antiſſiodorenſis, ad imperium Conſtantinopolitanum evecti, fuerit, ab Andrea ſublatam: ex quo facilis ratio apparet, cur Honorius Pontifex Petrum Andreæ ſocerum in litteris compellarit, dum oblatum Conſtantinopolitanum imperium regi noſtro gratularetur, ut ad annum ſeculi hujus decimum ſeptimum prolixe a me memoratum fuit. Sed, quod eodem loco monui, ut incertus plane annus initi matrimonii eſt, ita prorſus incompertum, quo anno Violanta Andreæ conjux, quam poſt cædem Gertrudis ſibi copulaverat, obierit. *Jolantam filiam regi Arragonum deſpondet.*

Andreas a nova nupta cogitationes ad ſeria transferens, ærario inprimis reparando operam navavit. Pollicitus enim prius Gregorio fuit, ſingulis annis per quinquennium ſe duo marcarum millia argenti ſoluturum quo damna Eccleſiæ ab ſe illata repararentur; nunc autem, cum uxori quoque ſingulis annis mille marcas in dotem per quinquennium conſtituiſſet, tantum vero, ex quo contracta utrinque nomina dilueret, corradi poſſe deſperaſſet, orabat Pontificem, ut tempus ſibi pro ſuo adverſum ſe animo prorogatum vellet. Non abnuit Gregorius, regique in hæc verba reſpondit: (y). *Cum ad mandatum venerabilis fratris noſtri, Præneſtini Epiſcopi, tunc Apoſtolicæ Sedis Legati pro damnis illatis Eccleſiis per compoſitionem, ad quam te juramento præſtito aſtrinxiſti, annuatim promiſeris uſque ad quinquennium duo millia marcarum argenti Eccleſiis reſtituere memoratis; & redditibus tuis, ſicut aſſeris, per regales munificentias aſſignatis, ex eis tribus partibus, tuis filiis, & nepoti, ſola, ut creditur, quarta tibi retenta, plurimum diminutis id facere nequeas, neque primo anno pro debitis, quæ neceſſario te oportuit pro defenſione regni contrahere, ſatisfacere potuiſſes, ſuppliciter poſtulaſſe, ut neceſſitatibus tuis inſpectis, clementer ſuper hoc agere dignaremur. Nos igitur tuis devotis precibus inclinati, qui quantum cum Deo poſſumus, excellentiæ proponimus regali deferre, tibi uſque ad decennium, ita quod ſingulis annis mille marcas eiſdem Eccleſiis ſolvere tenearis, terminum duximus præfigendum, remittentes benigne, quod ex defectu ſolutionis primi termini contraxiſti. Datum Peruſii XI. Calendas Septembris.* *Tempus illi ad compenſanda Eccleſiæ damna a Pontifice prorogatur.*

Ex quibus ſatis aperte conſtat, Belæ, vivo etiamnum patre, Stephanum ex Maria conjuge natum fuiſſe, quod rex bonam ſumptuum partem in nepotem educandum impendi per litteras Pontifici ſignificarat. Ceterum Gregorii benevolentia, qua regem in prorogando ad decennium tempore complexus eſt, haud diu Andreas uti potuit; in anni exitu letali morbo exſtinctus, & in Egreſienſi monaſterio, aut, ut alii malunt, Varadini ad pedes D. Ladislai tumulatus, regnum relinquens filio ut ſtudio partium, quas in principio compreſſas oportuit, diſtractum, ita paulum poſt immani totius gentis clade pene abolendum. (z). *Morbo letali correptus obit.*

y) Raynald. ad an. 1235.

z) Juvat laterculum genealogicum ſubnectere ob jura ſucceſſionis in Andream III. deinde devoluta.

Andreas II.

Uxor I. *Gertrudis.*	II. *Jole*, ſive *Jolanta.*	III. *Beatrix*
Bela. Colomanus. Andreas. Eliſabetha. Plures ſe ex Gertrude filias ſuſtuliſſe, ipſe rex in litteris, quibus cædem conjugis Pontifici perſcribit, fatetur, ut ſuo loco docui. Quidam filium etiam addunt Emericum, poſtea monachum ad S. Crucem in Auſtria factum: item Andream a priore illo diverſum, & quemdam anonymum. Sed hæc incerta admodum fide dicuntur.	*Jole ſeu Jolanta.* Jacobo Arragoni nopta.	*Stephanus, Poſthumus. uxor, Thomaſina Maurocena.* *Andreas* III. dictus Venetus.

BELA IV.

Bela a patris obitu rurſus Albæ rex inauguratur.

Bela procuratis patri funeribus extemplo, ut erat ingenti Antiſtitum, & Optimatum corona ſtipatus, Albam regiam contendit, iſthicque, quemadmodum Rogerius (*a*) ea ætate vivens ſcribit, ab Archiepiſcopo Strigonienſi denuo corona incinctus eſt, ſive id moris fuerit, ut filii, qui vivo patre coronam adepti ſunt, ab ejus obitu rurſus ad illuſtrandam pompam inaugurarentur, ſive Bela ſponte id poſtularit, ne per fraudem, aut aliorum gratiam ſolio irrepſiſſe factioſis hominibus videretur. Peracto ritu, acceptoque de more jurejurando, quo ſe Regi proceres obſtringere ſolent, acerbiſſimas quæſtiones in eos habuit, qui ſibi patrem olim infenſum reddidiſſent, maximaque fuiſſent cauſa, cur regnum connivententia Andreæ a priſtino ſplendore & fortuna huc calamitatis defluxiſſet.

Severe in eos animadvertit, qui [illegible] vivo patre commiſerant.

Quibuſdam exilio, aliis carcere mulctatis, Dionyſium Palatinum oculis privari imperat. Tum conditis legibus, quibus facinoroſi, & ex alienó vivere aſſueti homines regno exturbari jubentur, faſtum inprimis nobilium caſtigandum ſibi ſumſit. Itaque graviſſimis verbis cautum, ne quia, præter primarios regni Proceres, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ſe præſente conſidere audeat, ſi quis contra facturus eſſet, illius ſedea, nefaſto igni cremanda addiceretur (*b*).

Beatrix ejus iras verita in Auſtriam profugit, Stephanum poſthumum enixa.

Tam auſtero regnandi initio, tametſi pœna pro criminibus levior videri poterat, cum plerorumque animoa ſibi infenſos reddidiſſet, Beatrix, quæ uterum ex Andrea gerebat, ac bonam Procerum partem ſibi faventem habuerat, privigni vim, aut iras verita ſub virili habitu fuga evaſit (*c*), ac non multo poſt, cum ad ſuoa delata eſſet, Stephanum poſthumum felici partu enixa eſt. Qui adoleſcentiæ annos ingreſſus, poſtquam crebro Belam fruſtra oraſſet, ut ſe in fratris loco habere vellet, ad Venetos delatus Thomaſinam nobiliſſimo Maurocenorum genere ortam, uxorem accepit, ex qua Andream, futurum olim Regem, non tam ſibi, quam Hungaris ſuſtulit, ut, cum locus erit, ex inſtituto dicturi ſumus.

A Pontifice rogatur, ut Latinis Conſtantinopoli ſuccurrat.

Beatricis fuga novam Proceribus offenſionis cauſam præbuit, & Belæ regnum minus tutum. Acceſſit ab oriente quoque periculum, cui ſi rex, quemadmodum Pontifex optarat, implicaretur, haud ſatis ſecundæ res domi ſperari poterant. Rem hunc in modum eveniſſe ferunt. Joannes Ducas a Latinis, qui in Aſiam excurrerant, laceſſitus, percuſſo cum Azane Bulgarorum rege, armorum fœdere, contractoque ingenti exercitu Conſtantinopolim acerrima obſidione premebat. Gregorius de periculo Balduini II., penes quem tum rerum ſumma Conſtantinopoli fuit, edoctus, Belam magnopere cohortatus eſt, ut, quoniam finitimus eſſet, Bulgaros aut obmoto bello, aut oſtentato armorum metu a vi porro Latinis inferenda cohiberet. Litteræ, quas propterea ad Belam dederat, hujuſmodi ſunt (*d*).

BELAE REGI VNGARIAE ILLVSTRI.

„Sicut pro certo didicimus, Vatacius (*e*), & Aſanus ſchiſmatici nuper in„ter ſe iniquitatis inito fœdere, terram chariſſimi in Chriſto filii noſtri Imperatoris il„luſtris cum maxima Græcorum multitudine hoſtiliter invadentes, & capientes Cal„lipolim, omnes habitatores ipſius crudeli gladio, differentia ſexus, vel ætatis non „habita, jugularunt, & deinde in forti manu Conſtantinopolim obſidentes, eam „credebantur capere, niſi a DEO liberata fuiſſet deſuper adjuvante,„ Deinde prolixe narrans, quem in modum urbs Numinis auxilio liberata fuiſſet, ſubjungit:

„Nos

a) In Miſerab. Carm. Cap. VI. „ Bonæ me„moriæ rege Andrea, genitore iſtius Belæ regis „mortis debitum perſolvente, ſubito rex cum „Regni Principibus, & Nobilibus venit Al„bam regiam Civitatem, & ibi poſtquam per „manus Archi-Epiſcopi Strigonienſis prout „moris eſt, regali diademate exſtitit corona„tus. . . „

b) Idem ibid.

c) Monachus PADVANVS ad annum 1236. apud Urſtiſium.

d) Apud RAYNALD. ad an. 1235.

e) Hoc nomine Joannes Ducas quoque compellabatur.

„Nos igitur attendentes, quod ipſius conſervatio imperii ſpecialiter pertinet ad pro-
„motionem ſubſidii terræ ſanctæ, de qua nonniſi per partes Romaniæ liber reditus
„peregrinorum habetur, & ſi, quod abſit, dictum imperium dominio Græcorum,
„qui magis Latinos odiunt, quam Pagani, ſubjicitur, de facili ejuſdem terræ diſſi-
„dium ſequeretur, celſitudinem regiam monendam duximus attente, & hortan-
„dam, quatenus cum eo levius, & citius præfato imperio per homines Ungariæ
„ſubveniri valeat, quo ei viciniores exiſtunt, ob reverentiam JEſu Chriſti, Apo-
„ſtolicæ ſedis, & noſtram, ſicut animæ tuæ ſalutem deſideras, ad ſubveniendum
„præfato imperio, regium ſtudeas auxilium, & conſilium impertiri, ita quod exinde
„ſupernæ gloriæ merearis particeps effici, & per tui auxilii ioterventum dictum va-
„leat imperium liberari, ſpe tibi propoſita, quod dum in imperio eidem terræ ſub-
„venia memoratæ, duplicatum remunerationis divinæ præmium reportabis. - - Da-
„tum Viterbii XVII. Calendas Januarii.„

Eodem argumento ſcripſit ad Archiepiſcopos Strigonienſem, & Colocenſem, tum præcipuos Hungariæ Optimates: Verum Belæ nec tantum otii, nec facultatis fuit, ut ea in re Pontifici morem poſſet gerere. Procerum enim plerique, quos ri gore ſuo offenderat, conſpiratione inita ſemel atque iterum nuncios cum litteris ad Fridericum Auſtriæ Ducem, tum Imperatorem ejuſdem nominis, miſere, qui certis pactionibus Hungariam illis offerrent; ſi eorum opera a jugo, quo Bela illos premeret, liberarentur (*f*). Adjecerant conjuratorum magnam jam manum eſſe, quæ, ubi is cum exercitu regnum ingreſſus fuerit, partim ſeditionem in populo concitura, partim ſe illi adjunctura eſſet. Auſtriæ Dux, ſeu juvenili gloria, ſeu ſpe potiundi regni actus, facile in conjuratorum vota conſenſit, clam militem ſcribere, omniaque, quæ ad bellum neceſſaria viderentur, apparare. Interea proditores rurſus tabellarium in Auſtriam mittunt, qui Fridericum ad maturanda arma exhortaretur, ſuis ſe partibus non deſuturos, modo is, ut pollicitus fuit, tempori adeſſet. Verum tabellarius, propitio Numine interceptus, conjuratorum, ac quæ agebatur, rei indicium Belæ fecerat. Is diſſimulato metu, ac injuria, tanquam aliud agens copias itidem congregari jubet, ne, ſi quid ab Auſtria periculi ingrueret, ad vim propulſandam inparatus eſſet. *Sed obrutis domi turbis morem gerere non poteſt.*

Fridericus ſub hæc eorum, quæ acta cum tabellario fuiſſent, imprudens, neque inſidias detectas eſſe ratus, cum XXX. millibus, ſuperato Leita flumine, Hungariam ingreditur; cumque in limitibus ſeditioſorum turbas, ut conventum prius erat, diu fruſtra præſtolatur, neque conjuratorum Principes adeſſe videt, deluſum ſe exiſtimans, omnem eam Hungariæ plagam, quæ ab Auſtria verſus Arabonem amnem tenditur, fæda populatione vaſtiſſimam reddit. Regredi parantem, ſpoliisque onuſtum, repente Bela, & Colomanus cum exercitu conſequuntur, & ad ineundam pugnam cogunt ſubſiſtere. Neque is prælium, tametſi numero inferior erat, detrectans, aciem, & ordines ſtruere pro temporis, & locorum habitu parabat, cum milites, ſeu bonitati cauſæ diffiſi, ſeu amittendæ prædæ metu conſternati, inſalutato Principe fugam capeſſunt, Friderico cum trecentis, qui reſtiterant, ægerrime fuga elapſo. Bela cum ſuis Auſtriæ tractum, qui Styriæ finitimus eſt, uſque Viennam latiſſime percurſat, neque copias in Hungariam reduxit, quoad æmulum confecta pace ingenti auri ſumma mulctaſſet (*g*). *Fridericum Auſtriacum ad optimatibus ad regnum evocatum profligat.*

f) Rogerius Cap. IX. „Et cum concepta nequirent effectui mancipare, aliud nequins cogitarunt: Duci Auſtriæ litteras cum „certis pactis & conditionibus deſtinando, „Domino Friderico Romonorum Imperatori, Coronam Regni, & Hungariam dare „promittebant. Sed nuntius in via captus, „regi fuit cum litteris præſentatus . . . Igitur non erant juſti Hungari in hac parte.„

g) Pernoldus ad an. 1236. „Rex Bela „noa in principio regni ſui, rigore vel juſto, „vel injuſto offendit Hungaros adeo, ut bis, „& ter per nuncios tacitos Friderico Auſtriæ Duci regnum ſuum obtulerint. Ille „gloriæ cupidus, nec ſatis prudenter objuventutem expendens, quantam rem, quam „periculoſam, nec ſatis æquam præſumeret, „collegit exercitum fortium ſuorum, & ſpe „regni ingreſſus eſt ſilenter Hungariam, ſeditionem exſpectans. Sed Belæ res prodita eſt, qui viciſſim arma potentia paravit. „Quod audiens Dux, Hungaris ſe in vanom „vocantibus iratus, vaſtare, & prædari cœpit. Cui ſubito ſupervenit Bela cum Colo-

„mano

1236.

Prima Tartarorum in Tranſilvaniam incurſio.

Ex Auſtria redux, Tartarorum partem infeſtis armis in Tranſilvaniam incurriſſe accepit, ut in Braſſovienſis Templi inſcriptionibus legitur: an autem ſeptennium integrum iſthic morati ſint, eſt omnino, cur ambigam; quod veriſimile mihi non videatur, regem, dum nullo bello implicitus eſſet, tam atrocem hoſtem in regni ſui viſceribus, ita diu commorari paſſurum fuiſſe. Quare rectius de Moldavia id accipiendum puto, in quam ſæpe eos incurriſſe, & ſenſim, ut poſtea narrabitur, viam ſibi in Hungariam complanaſſe, a vero non abhorret.

Friderician Imp. tributum repetentem rejicit.

Sub hæc Fridericus II. Imperator, cui graviſſimæ cum Gregorio diſſenſiones interceſſerant, ad Belam Legatos miſit, qui, ut Albertus Trifontanus ſcribit (*h*), tributum quadraginta ſeptem annorum abhinc, quam Fridericus Magnus, ejus Avus, obiiſſet, repeterent. Sed rex nec tributi quidem nomen, quod nunquam Hungari pacti erant, audire ſuſtinens, Oratores re infecta domum remiſit, adjectis minis, bello ſe, ſi de tributo quidquam mentionis uſpiam fieret, tam inſignem calumniam vindicaturum. Jurene id, an injuria a Friderico factum ſit tum ex iis, quæ hactenus in medium attulimus, ſatis perſpicuum eſt, tum ex conſequentium rerum narratione planius faciemus.

1237.

Judiciorum, & aulæ rationes ad normam Curiæ Romanæ ordinat.

Profligato bello Auſtriaco, ad inſtaurandam rempublicam, quæ ſub patre vitium haud leve fecerat, toto animo Bela ferebatur. Et quia res factu ardua erat, neque ſingula per ſe curari poſſe viderat, quo leviore compendio fierent, illud inprimis cavit, ut rerum tractatio, & juris dicendi ratio ad normam Romanæ Curiæ deinceps inſtitueretur. Quæ levioris momenti eſſent, Cancellarii ſuo arbitrio expedirent, graviora autem ſibi cognoſcenda permitterent. Hunc in modum negotia publica, & citius, & majori fide abſolutum iri putabat. Verum, ut omnis regiminis novatio populi fere dicacitati in principio obnoxia eſt, ita palam querebantur, veterem reipublicæ conſuetudinem, qua cuivis ad regem aditus permittebatur, non aliter quam ingenti publicæ felicitatis damno abrogatam, ſeque ex Cancellariorum ingenio, qui, ut cuivis ſtuderent, res itidem tractaturi erant, avaritiæ, & injuriæ palam objici: ſatius eſſe, ut, quibus poteſtatem nullis limitibus arctatam conceſſiſſet, nomen quoque regium tribueret, ut in quam partem ſtudia ſua deinceps converti opus ſit, ne ignorarent. Ita vulgus, quæ commodo publico inſtituta erant, in vitium verterat (*i*).

Litteras a Papa accipit ut Azanem Bulgarum contra Græcos juvet.

Apud finitimos Bulgaros ſub hæc nova rerum converſioni factum initium eſt. Aſanes, idem ille, contra quem priore anno Belam Gregorius concitaverat, facta a Vatacio ſeceſſione, magnum erga ſedem Apoſtolicam ſtudium præ ſe tulit, ſcripſiſque ad Pontificem litteris ſpem non levem de ſe præbuerat, ut ſe Catholicæ Eccleſiæ conjungeret: petiitque eum in finem Legatum ad ſe mitti, cum quo de unione, & tuendo præterea Conſtantinopolitano imperio ageret, metus enim non de nihilo erat, ſi Græci Vatacio Duce id occuparent, regnum quoque Bulgariæ in diſcrimen adductum iri. Pontifex eo nuncio mire lætus, quique Græcorum Imperio Latinis aſſerendo, ob faciliorem in terram ſanctam aditum, vehementer alias ſtudebat, Preneſtinum Epiſcopum Legati munere exornat, ſimulque ad Belam, ut eum liberaliter acciperet, & in exequendis conſiliis illi adjutor eſſet, in hanc ſententiam litteras ſcripſit (*k*). *Serenitatem tuam rogandam duximus in Domino JEſu Chriſto, te per ipſius Crucem, & ſanguinem obſecrantes, quatenus prudenter advertens, quod ab aliquo ſubditorum tua gratia non poſſit impetrari facilius, quam quod idem in tuis habeatur obſe-*

quiis

„mano fratre, & ingenti numero. Volebat „pugnare Dux ſemper magnanimus, & ſui „nolebant, quia prædam divitem timuerunt „perdere, & cauſa eis non bona videbatur. „Fugere igitur Dux coactus, nunquam ſuos, „ut ſtarent, perſuadere valuit, maximo do„lore, & pudore ſuo. Bela populatus eſt „uſque Wiennam, nec ceſſavit ulturus æmu„lationem regni, donec auro ingenti a Duce „ſibi exſoluto pacem fecit. „ Chronica AVSTRALIS vero ita habet: „ Bela . . congre„gato exercitu magno, ut dicebatur, CC. „millibus, intravit fines Auſtriæ. Dux ve„ro e contra veniens cum XXX. millibus be„ne inſtructis, antequam ad rem venirent, „exercitus Ducis fugam iniit. . . „

h) Ad an. 1236. „ Imp. Fridericus repetit a Rege Hungariæ tributum XLVII. anno„rum, quod videlicet, ex quo mortuus eſt „ejus avus, Magnus Fridericus, ſolutum „non fuerat. „ Neque ſolutum prius fuiſſe, ullus ſcriptorum, qui coævus fuerit, memorat.

i) Tom. I. Scriptor. rer. Hung.

k) RAYNALD. ad an. 1237.

Digitized by Google

An. Chr. 1237.

*ſequiis expeditus, propitiationem Altiſſimi, qui te condidit, & redemit, in hoc eo donante
mereri ſtudeas, quod ad omnia per quæ ipſius hæreditas erui poſſit de manibus paganorum,
invaleſcas, grandi ſtudio juxta magnitudinem tuæ, ac tuorum potentia proviſurus, ut cum
Romaniæ imperium continuis anguſtiis fatigatum tanta ſit opportunum terræ ſanctæ negotio,
quanta per ipſum peregrinis via tribuitur, & ſecuritas, ſolatium procuratur, ab imminenti
diſcrimine præripi, & commodis, ac honore filiorum matris Eccleſiæ valeat conſervari. Ve-
rum cum in hoc præcipue facultas proſperitatem hujuſmodi conſequendi conſiſtere videatur, ut
nobilis vir Aſanus ſtudeat Eccleſiæ devotione continua complacere, aut quod Vatacius ad
ipſius gremium auctore Domino revertatur, tua ſerenitas, quantum in ipſa fuerit, quod
utrumque proveniat, & videri ſolicita, & efficax ſtudeat inveniri, honore, quo ipſa con-
decet, recepturus, venerabilem fratrem noſtrum Peruſinum; & I - - quondam Boſnenſem
Epiſcopos, viros utique ſcientia, & honeſtate conſpicuos, quos DEO dilectos, & acceptos
nobis, ac fratribus noſtris piæ vitæ ſtudiis; & titulo multimodæ probitatis, ad partes ipſas
ſuper hujuſmodi negotio deſtinamus, ſpem firmam, & ſecuram fiduciam obtinentes, quod per
eorum induſtriam, & virtutem, tui favoris accedente ſuffragio, optatum ſubſidium eidem
negotio producatur. - - Datum Viterbii anno XI.* In eadem fere verba Colocenſi Ar-
chiepiſcopo, ejuſque ſuffraganeis ſcripſit, ut ad cruce indutam militiam comparan-
dam Legatis auxilio eſſent, magnopere cohortatus, data etiam poteſtate, ut in eum
finem omnes, qui anathemate impliciti fuerint, niſi atrociſſimum crimen eſſet, ab-
ſolverent (*l*).

1238. *Sed detecta Bulgari perfidia, arma in eum corripere jubetur.*

Neque Bela ab ferendis Aſano Bulgaro auxiliis abhorruit, quippe qui & ſo-
rorem ſuam in conjugio habuerat, & ea ratione ſperaret, limites Regni ſui aut pro-
pagatum, aut, ſi fors ferret, novis quoque incrementis auctum iri. Verum anno
ſequente, poſtquam ſororem ſuam extinctam audiſſet, & Aſanus præterea converſis
ſtudiis, deluſoque Pontifice fœdus cum Græcis rurſum iniſſet, non modo a ferendis
ſuppetiis per Gregorium prohibitus, ſed contra, ut bellum perfido hoſti moveret,
excitatus eſt. Quoque magis regem ad id pelliceret, ſpe occupandæ Bulgariæ pro-
poſita, his eum litteris convenerat (*m*).

ILLVSTRI REGI VNGARIAE.

„Supremus opifex, qui fingit corda hominum ſingilatim, & qui non ex
„præjacente materia, ſed de nihilo creavit omnia ſolo verbo, vas ſibi in gloriam,
„& honorem, prout tenemus experimento probabili, te formavit, ut per te fides
„Catholica propagetur, conſervetur libertas Eccleſiaſtica, & defendatur religio Chri-
„ſtiana. Tu etiam fili chariſſime ab eo, qui ſolus habet in regno poteſtatem, non
„ſolum dignitatis regiæ gloriam recognoſcens, ſed etiam quidquid habes, imo quid-
„quid es, ei totum attribuens, qui te fecit, illo menti tuæ timorem tui nominis,
„& amorem miſericorditer inſpirante, te ſibi ſubſternere tota devotione teneris, &
„ejus beneplacitis promta fide te offerens, & exponens, totis ei debes affectibus
„complacere.„ Tum ab ipſis cauſis rem omnem exponens, qua ratione Aſanus
inito cum Schiſmaticis fœdere, hæreticis, qui obſcœnos Manetis errores in Bulgaria
diſſeminabant, fræna laxarit, ita ſubjungit: „Cum igitur dignum ſit, ut ſanguis
„eorum veniat ſuper eos, iniquitate ſua velut Amorrhæi populi conſummanda, ve-
„nerabilibus fratribus noſtris, Strigonienſi, & Colocenſi Archiepiſcopis, Epiſcopo
„Peruſino, Apoſtolicæ Sedis Legato, & univerſis Epiſcopis per Ungariam conſtitu-
„tis, noſtris damus litteris in mandatis, ut contra dictum Aſanum, & terram ſuam
„prædicent verbum crucis, illam cruce ſignatis in perſonis, vel rebus laborantibus
„indulgentiam concedentes, quæ conceditur tranſeuntibus in ſubſidium terræ ſanctæ.
„Quia vero inter cetera pietatis opera, per quæ ſerenitas regia placere valeat Regi
„regum, iſtud præcipuum reputatur, ſi zelo divinæ legis accenſus accingaris in eos,
„& in illos exarſerit ira tua, qui antichriſti præcurſores effecti, vel potius antichri-
„ſti, fidem noſtram immaniter perſequuntur, excellentiam tuam affectuoſe rogamus
„& a te Chriſtianiſſime Principum inſtanter expoſcimus, obſecrantes per Patrem,
„Filium, & Spiritum ſanctum, & per aſperſionem ſanguinis JEſu Chriſti crucifixi, ut
„exſur-

l) Raynald. ad an. 1237.

m) Idem ad an. 1238.

„exſurgas in adjutorium Chriſti tui; exſurgas ad contritionem nationis pravæ, at-
„que perverſæ, quæ multis inſultat opprobriis nomini Chriſtiano. Accendat te ze-
„lus fidei orthodoxæ, & ſic contra eos in forti manu, & extento brachio te accin-
„gas, ut hujuſmodi peſtilentibus aote faciem tuam velut nubibus aquilone fugatis,
„illuc ſanctificatos Domini divino comitatus auxilio introducas. Nos enim de omni-
„potentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ejus aucto-
„ritate confiſi, ſibi, & univerſis vere pœnitentibus, & confeſſis, plenam peccami-
„num veniam indulgemus, & terram eandem exponimus, prout ſtatutum eſt in
„generali Concilio, tibi, & aliis Catholicis occupandam. Datum Laterani XI. Ca-
„lendas Februarii anno XI. (*n*).

Accipit eam provinciam Bela, & hac occaſione gratias a Papa poſtulat.

His litteris quamquam ad ferendam Conſtantinopolitaois opem Bela majorem in modum permotus eſſet, tamen adduci in ſententiam aliter non potuit, niſi Balduinus Imperator armorum ſocietatem ſecum iniret. Quem, quia id ob jura, quæ in Bulgariam ſe habere contenderat, ægre facturus videretur, Pontifex datis litteris haud gravate perſuaſit, ut ſuo judicio rem eam commiſſam eſſe vellet. Itaque Bela Pontificis & aliorum Epiſcoporum precibus ſolicitatus, ingentibuſque præmiis præterea erectus, ne qua in re Romanæ Eccleſiæ defuiſſe videretur, inferendi Bulgaris belli provinciam libens accepit, & tempore uſus, nonnullas prærogativas ſibi a Gregorio concedi per litteras poſtulavit (*o*).

„Sanctiſſimo in Chriſto Patri Gregorio Dei gratia Sacroſanctæ Romanæ Ec-
„cleſiæ Summo Pontifici, Bela eadem gratia rex Uogariæ, tam debitam, quam de-
„votam in omnibus reverentiam.

„Veſtræ ſanctitatia admonitionibus inducti, Vatacium Imperatorem Græco-
„rum, ut Sedi Apoſtolicæ obediret, multis exhortationibus monere ſtuduimus, &
„dum ſuper hoc ſpem habentes diligentius inſtaremus, Paternitatis veſtræ litteras, &
„venerabilem Patrem Peruſinum Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Legatum ſecundo re-
„cepimus, qui juxta ſuæ legationis modum penes nos diligenter inſtitit, & pruden-
„ter, de contingentibus nil omittens, ut terras Aſani, utpote Schiſmatici, auctori-
„tate Sedis Apoſtolicæ in remiſſionem peccatorum occupare dignaremur, cum tamen
„nos amicitiarum, & cognationis fœdera conjunxerunt: ex inclitæ enim recordatio-
„nis ſorore noſtra filium habet, & hæredem, & ooſtris juſſionibus ſic in omnibus
„eſt ſubjectus, ut non tam amicus, quam ſubditus eſſe videatur: ex cujus impugna-
„tione omoium amicorum, & cognatorum, quos hactenus habemus in parte Ro-
„maniæ, offenſam incurremus. Vatacius enim noſtram neptem ſuo filio duxit in
„uxorem (*p*), & noſtræ chariſſimæ Conſortis, reginæ Hungariæ frater exſtitit
„tanta nobis devotione conjunctus, ut & ſe, & ſua ad beneplacitum ooſtrum exhi-
„bere ſit paratus, qui ſe in perſona Aſani reputabat impugnari, pro quo tamen, ſi
„ad noſtram inſtantiam ad ſanctæ Matris Eccleſiæ, quæ non ſdlum ſepties, ſed etiam
„ſeptuageſies ſepties debet ignoſcere delinquenti, converſus fuerit unitatem, veſtræ
„ſanctitatis clementiam humiliter deprecamur, ut eum ſolita benignitate dignemini
„recipere.

„Sane quia nihil debet amori divino, & animarum ſaluti præponi, ſpe
„æternæ remunerationis, & Apoſtolicæ ſedis devotiooe, ac ſincera dilectione, quam
„erga nos vos habere cooſidimus, provocati aſſumimus ex aoimo per nos, aut per
„noſtros, prout expedire videbimus, Bulgariam & alias terras Aſani occupare, &
„Sedi Apoſtolicæ in ſpiritualibus; in temporalibus vero noſtræ juriſdictioni, Deo
„cooperante, ſubjugare, niſi quod abſit, legitimo fuerimus impedimento præpediti.
„Cum tamen negotium ſit arduum, nec debitum valeat ſortiri effectum, niſi ve-
„ſtrum auxilium apponatur ad ea, quibus ſpecialiter in hoc facto indigemus, a ve-
„ſtra ſanctitate poſtulanda venerabilem fratrem, Jaurinenſem Epiſcopum, direxi-
„mus, qui ſi forte propter viarum diſcrimina ſuum ad nos adventum retardaret, ne
„dilatio difficultatem afferat, præcipue propter inſtantem Gallicorum adventum, qui
„per terram noſtram tranſire volunt in partes Romaniæ, de noſtris petitionibus,
„ſine

n) Cum Gregorius inierit Pontificatum an. 1227. XX. Martii neceſſe eſt poſtrema anni XI. pontificatus incidiſſe in annum 1238.

o) Ex Codice Mſ. VALACELLENSI.

p) Quæ, aut cujus nominis fuerit, nuſpiam reperi.

„ſine quibus tam difficile commode aggredi non poſſemus, citius certiorari cupien-
„tes, per præfati Legati nuncium præſentes litteras noſtrarum petitionum ſeriem
„continentes, ad Sedem Apoſtolicam transmiſimus, ut ſine moræ diſpendio ad nos
„cum veſtræ ſanctitatis beneplacito revertatur.

„Petimus, ut officium legationis non alii, ſed nobis in terra Aſani committa-
„tur, ut habemus poteſtatem limitandi diæceſes, diſtinguendi parochias, & in hac
„prima inſtitutione poteſtatem habeamus, ibi ponendi Epiſcopos de conſilio Præla-
„torum, & virorum religioſorum, quia hæc omnia beatæ memoriæ anteceſſori no-
„ſtro, S. Stephano ſunt conceſſa, illa potiſſimum ratione, quia, ſi cum Legato
„Sedis Apoſtolicæ partes illas ingreſſi fuerimus ab univerſis illarum partium incolis
„præſumetur, quod non nobis, ſed Romanæ Eccleſiæ eos velimus etiam in tempo-
„ralibus ſubjicere, quod ipſi tam plurimum abhorrent, ut quamplurimi, quos ſine
„pugnæ certamine poſſemus obtinere, uſque ad mortis periculum ſe defendere nite-
„rentur: nobis enim, & aliis Chriſtianis frequenter improperant, quod Eccleſiæ
„Romanæ ſervi ſimus.

„Præterea cum circa partes Bulgariæ in terra, quæ Zemram nominatur,
„quæ dudum fuerat deſolata, populi multitudo ſupercreverit, qui nondum ſunt ad
„cujuſquam Epiſcopi diæceſim applicati, ut eos alicui Epiſcoporum ſecundum no-
„ſtrum beneplacitum aſſignare valeamus, a veſtra ſanctitate poteſtatem tribui poſtu-
„lamus. Idem, ut intra Hungariam ſuper terram Aſani procedentes crucem nobis,
„& noſtro exercitui anteferre liceat, in omnes invaſores regni Hungariæ, in infi-
„deles, & conſpiratores contra noſtrum regnum Hungariæ, donec fuerimus in pro-
„ſecutione hujus negotii, ne propter hoc ſervitium DEI valeat impediri: quam ſen-
„tentiam publicari facietis ubique per Epiſcopos, & Fratres Prædicatores, & Mi-
„nores in Hungaria, ac in regnis, & terris vicinis Hungariæ. Item petimus, ut
„nulli regnum Hungariæ invadendum, vel occupandum concedatur, niſi, cui nos
„permiſerimus, & nos, ac univerſa noſtro ſubjecta regno in protectionem Sedis
„Apoſtolicæ aſſumatis.

„Verum cum nos, & noſtros, nec honoris ambitio, nec divitiarum cupidi-
„tas, quæ nobis divina gratia largiente abundanter ſunt conceſſa, ſed ſalus anima-
„rum, ac Apoſtolicæ ſedis devotio ad hæc exſequenda pro viribus inducat, excom-
„municationum ſententias, quas non ſolum inferiores, verum etiam majores, ac Præ-
„lati, ac pene tota Hungaria ex Conſtitutionibus, & Canonibus latæ ſententiæ Ve-
„nerabilis patris Præneſtini Epiſcopi, tunc Apoſtolicæ ſedis Legati incurrerunt, &
„diebus ſingulis inevitabiliter incurrunt, ſuppliciter depoſcimus relaxari: pernicio-
„ſum enim exiſteret, ſe mortis periculo in Dei ſervitio exponentes, in excommuni-
„catione, in quam ex levi cauſa inciderunt, detineri; quia licet eundem ſanctitate
„præeminere pro certo credamus, cum tamen ſtatus Hungariæ ei eſſet incognitus,
„ſic ſuas conſtitutiones excommunicationum vallavit ſententiis, ut pene omnes
„in excommunicationem ſe noverint incidiſſe. Unde non ſolum nos, imo tota Hun-
„garia paternitatem veſtram devotiſſime deprecatur, ut omnes Conſtitutiones ipſius,
„quoad pœnam excommunicationis dignemini revocare, & nos a multiplicibus ſa-
„cramentis, quæ a nobis pro cauſis levibus accepit, quæ præ multitudine ad memo-
„riam revocare non valemus, abſolvatis, ut nos, & regnum noſtrum jure commu-
„ni, & ſanctorum Patrum inſtitutionibus regamur, onera gravia, & importabilia,
„quæ nemo poteſt adimplere, non habentes. Datum in Zolum (*q*) VII. Idus Junii
„anno gratiæ MCCXXXVIII. regni autem noſtri anno III.„

Sane ut gravis undequaque regis epiſtola eſt, ita partim obſcura, ut difficile exiſtimem conjecturam capi poſſe, partim autem ſic perſpicua, ut ad eam illuſtrandam nihil adjicere opus ſit. Quæ enim de Legati Apoſtolici munere, exemplo D. Stephani, Bela differit, ex iis, quæ hactenus a nobis narrata ſunt, non operoſe intelligi poſſunt, quæ contra de ſacramentorum multiplicitate, quibus ſe levi de cauſa Pontifici obſtrictum ſatetur, inſinuat, nulli, quod ſciam, hactenus memorata fuerunt. Gregorius acceptis Belæ litteris, nec omnia, quæ petita ſunt, concedens; nec præciſe negans in hunc modum reſpondit (*r*).

q) Fortaſſe rectius Zolnok, vel Solyom legeretur.

r) RAYNALD. ad an. 1238.

GREGORIVS REGI UNGARIÆ.

Reſpondet Pontifex partemque eorum, quæ rex petierat, indulget, partem contra negat.

„ Illam de te fiduciam gerimus, & ſic puritatis tuæ zelum diſcretionis ſpi-
„ ritu te credimus moderari, quod nihil tibi concedi a nobis velis, per quod Ro-
„ mana Eccleſia, mater tua, notam alicujus detractionia incurrat, vel trahi poſſit
„ ab aliis in exemplum. Cum enim inductus forſan conſilio aliquorum a nobis pe-
„ tieris, tibi Legationis officium in terra Aſani ſupra dicti committi, & concedi etiam
„ poteſtatem, limitandi diœceſes, inſtituendi Epiſcopos, & diſtinguendi Parochias,
„ oec non & terram, quæ Zemram nominatur, in qua dudum deſolata excrevit po-
„ puli multitudo, qui noodum ſubfuerunt cuiquam Epiſcopo, alicui Epiſcopatui ap-
„ plicandi, quia ſerenitatem regiam in viſceribus JEſu Chriſti gerimus, ac per hoc
„ negare tibi aliquatenus non valemus, quod cuipiam eſſemus Principum conceſſuri,
„ etſi non id, quod ad litteram petitur, idem tamen tibi de fratrum noſtrorum conſi-
„ lio concedimus in effectu, ut videlicet poſſia aſſumere, quemcunque malueris de
„ Archi-Epiſcopis, vel Epiſcopia regni tui, qui noſtra fretus auctoritate, præmiſſa
„ de tuo conſilio exequatur, cui venerabilis frater noſter, Epiſcopus Peruſinus
„ A. S. L. de ſpeciali mandato noſtro, quod ei dirigimus, eadem exequendi tribuet
„ poteſtatem. Et quia perſonam, quam intendis aſſumere, ignoramus, illam no-
„ bis regia manſuetudo ſignificet, ut ei ſuper hoc noſtras litteras deſtinemus, ad hoc,
„ ut ad aſſumo expeditionem negooi ex aliquorum ſubſidiis, licet non indigeas, per
„ Dei gratiam forous animeris, univerſis cruce ſignatia ejuſdem regni commutandi
„ vota ſua per manus dilecti filii prioris provincialis fratrum Prædicatorum, & Mini-
„ ſtri fratrum Minorum provinciæ Strigonienſis, quibus ſuper hoc ſcripta noſtra di-
„ rigimus, liberam concedimus facultatem. Ipſis quoque Priori, & Miniſtro per
„ litteras noſtras iojungimus, ut per ſe, ac fratres ſuoa, contra prædictos hæ-
„ reticos & ſchiſmaticos prædicent verbum Crucia, illam eis, qui contra
„ eosdem Crucis ſignum aſſumſerint, indulgenoam concedentes, quam habent la-
„ borantes in ſubſidium terræ ſanctæ, tibique coocedaot aliquos ex fratribus, quos
„ in hujuſmodi obſequio JEſu Chriſti provideris eligendos.

„ Ceterum, quia indignum eſſet, ut dum militas regi regum, aliquod regni
„ tui diſpendium paoaris, in omnes, qui, poſtquam te accinxeris ad præfatum ne-
„ gotium exſequendum, quamdiu in proſecutione ipſius fueris, regnum ipſum inva-
„ ſerint, & contra te, diabolo conſpiraverint inſtigante, excommunicationis ſenten-
„ tiam promulgamus, quam per Archi-Epiſcopos, & Epiſcopos Ungariæ, ac Fra-
„ tres Prædicatores, & Minores per totam Ungariam, ac regna, & loca vicina
„ mandamus ex nunc ſolemniter publicari. Ut igitur iooffenſo pede curratur ad præ-
„ lium Domini præliandum, nulloque poſſit aſſumtum negotium adverſo obice præ-
„ pediri, univerſos dicti Regni, qui ad collaborandum tecum in eodem negooo aſſum-
„ ſerint ſignum crucis, ac alios ab univerſia excommunicationum ſententiis latis a
„ Venerabili ſratre noſtro Epiſcopo Præneſtino A. S. L. per Priorem, ac Miniſtrum
„ prædictos juxta formam Eccleſiæ mandamus abſolvi. Datum Anagniæ V. Idus Au-
„ guſti anno XII.

Bulgariam pollicitus, ſi hoſtis perfidiam ultum iret.

Adjecit quoque aliam epiſtolam, qua Bulgariam occupandam nulli alii con-
ceſſum iri, tum Hungariam, quoad bello Bulgarico diſtineretur, ſub ſua clientela fu-
turam pollicetur; ad id vero, ut in hoſtem moturo crucia ſignum præſerretur, quod
rex itidem popoſcerat, ita reſpondit: (s) „ In cœlorum rege fiduciam tuam ponens,
„ illo miſericorditer inſpirante, velut ſortis athleta Chriſti proponis in ſplendore ful-
„ goris armorum Domini currere accinctus ad ejus prælium præliandum, qui coro-
„ nam legitime certantibus repromittit. Quspropter prudenter attendens, quod in
„ Cruce Domini noſtri JEſu Chriſti te oporteat gloriari, pie deſideras ſalutare cru-
„ cis ejus vexillum de licentia noſtra in hujuſmodi proſecutione negoti ſublimitati tuæ
„ permittere, ut ejus armatura munitus, poſſis triumphum de hoſtibus divino co-
„ mitatus auxilio reportare. Nos igitur attendentes, quod nequaquam obi ſint ar-
„ maturæ cæleſtis inſignia deneganda, qui contra Chriſti blaſphemos, hæreticos vi-
„ delicet, & ſchiſmaticos laborare proponis certamine inceſſante, ſerenitati tuæ præ-

„ ſentium

s) RAYNALDVS ad annum 1238.

„ſentiam auctoritate concedimus, ut, poſtquam te accinxeris ad promiſſum nego-„tium proſequendum, ſalutiferæ Crucis ſignum tam in eundo, quam morando, & „redeundo ante te, ac hujuſmodi exercitum Domini facias bajulari. Datum Ana-„gniæ VI. Idus Auguſti, anno XII.„

Tantus armorum apparatus, ingentibus animis, magnaque in dies confluente populi multitudine ſuſceptus, tametſi nunquam ad vim ventum eſt, fructu non caruit. Aſanus enim imminentia belli periculo territus, ſuapte deſerto Vatacio, Latinorum partibus ſe adjunxit, magnoque poſtea iſtis adjumento fuit, cum Balduinus copias ex occidente in orientem traduxiſſet. Et quia maxima militum pars tam per Hungariam, quam Dalmatiam, ac Sclavoniam iter factura fuit, Gregorius Colomanum qui provinciis his præfuit, majorem in modum orabat, ut illis non modo liberum commeatum præſtaret, ſed ope præterea, ac conſilio adeſſe vellet, ita inter cetera ſcribens (*t*): *Licet hactenus Conſtantinopolitano Imperio iratus Dominus habitatores ipſius divinæ flagello clementiæ caſtigarit, nunc tamen honorabili militum, & aliorum bellatorum exfortio, cæleſti inſpiratione ad inſtans paſſagium Martii, magnifice ſe ad ipſius ſucurſum accingentibus, ſicut ſperamus, ad illud in miſericordiis revertitur, ut ipſum ſtola lucτus, & vexationis exuens, idem imperium de longe veniente lætitia, & decore perpetui honoris indui largiatur. Quocirca ſerenitatem regiam rogandam duximus attentius, & hortandam, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus nobilem virum Balduinum, hæredem Imperii Romaniæ, & Comitem Namurcenſem, ac alios in Imperii prædicti ſubſidium tranſeuntes benigne recipiens ſecurum conductum, efficax conſilium, & auxilium impertiri procures. Datum Laterani VI. Calendas Decembris anno XII.*

Eam ob rem Balduino Orientis Imp. ſcribit, ut juri ſuo in eam provinciam cederet.

1239.

Ceterum Balduinus ſequente primum anno copias in Græciam trajecit, neque Belam ſolum cum Colomano, ſed Aſanum quoque Bulgarum faciles, & humanos expertus eſt: quæ res multum momenti attulit, ut Vatacius non modo de recuperando regno Orientis animum abjiceret, ſed ſpem præterea de ſe præberet non levem, unionis cum Eccleſia ineundæ, ut poſtea ex Belæ litteris conſtabit.

Hic copias bona Bulgarorum venia ex occidente Conſtantinopolim ducit.

Eodem anno, ſi Chronico Zwetlenſi fides (*u*), Cumani Tartarorum metu, qui vaſtata Georgia, & quod trans Tanaim eſt, arma & formidinem ad Boryſthenem circumferebant, territi ad Hungariam conceſſere. Rex illis Cuthenus, qui haud ignares, qua beneficentia populares ſui ad Chriſtiana ſacra nuper traducti, ab rege accepti fuiſſent, Legatos ad Belam miſerat, rogatum, ut ſe cum gente ſuo Imperio obnoxia in clientelam reciperet, pollicitus ſe cum omni populo, deſertis majorum ſuperſtitionibus, ad religionem Catholicæ Eccleſiæ tranſiturum. Rex ea acceſſione mirum in modum lætus, haud gravate copiam illi cum ſuis veniendi fecit, tractumque illum Hungariæ, qui inter Danubium & Tibiſcum a meridie in ſeptentrionem vergit, frugum, ſi quem alias, feracem colendum præbuit; Cutheno eorum rege Peſtini commorari permiſſo; qui haud multo poſt cum præcipuis viris, Bela agente, ſacro fonte ablutus eſt. Atque ut gentem recens in regnum appulſam ſtabiliori fide ſibi adverſus hoſtes conciliaret, datis hoſpitalitatis juribus, veniam quoque fecit, ut connubia cum Hungaris promiſcue inirent. Quæ res magnam primum illis apud Hungaros invidiam conflavit, tum regno quoque, ut deinceps narrabitur, exitialis fuit (*x*).

Cumani Tartarorum metu acti terras in Hungaria colendas a rege petunt, & impetrant.

Per hæc tempora nuptiæ inter Cunegundem Belæ filiam, & Boleſlaum Cracoviæ Ducem celebratæ ſunt. Eas Salomea Colomani regis conjux, quæ ut ipſa erat probitati inſigniter dedita, ita mores Cunegundis ab ipſo ortu curioſe exploraverat, conciliaſſe fertur. Longinus Polonicarum rerum ſcriptor, & nuptiarum apparatum, & caſtiſſimæ Virginis vitam compendio ita refert (*y*): *Futuram optimam indolem ipſa etiam crepundia præmonſtrarunt. Quamprimum ſiquidem anno incarnationis Domini noſtri JEſu*

Cunegundis Belæ filia Boleslao Cracovienſi Duci nuptui datur.

Rrr

t) Raynald. ad an. 1238.

u) Ad annum 1239. „ Anno eodem Chomani, gens immundiſſima, quæ carnibus „utebatur fere crudis pro cibo, & lacte equo-„rum, & ſanguine pro potu. Hi miſerunt „quoſdam ex ſuis cum rege Gothan nomine „ad Regem Ungariæ rogantes, ut collocaret „eos in terra ſua, ſimulantes ſe fieri Chriſtia-„nos, qui ad ſuggeſtionem Prædicatorum „ſine conſilio Principum ſuorum ſuſcipiens „eos, heu malo ſuo! ſinebat habitare ſecum, „at illi paulatim creſcebant, multiplicabantur ſuper numerum. „ . .

x) Rogerius in carm. cap. VII. & XII.

y) Hiſt. Polon. Lib. VII.

1239. *JEſu Chriſti MCCIV. apud Pannonios, matris alvo, in primis, quibus in lucem infantula edebatur, horis non ab ejulatu, & lacrimis, ut ceteri infantes, ſed a Gabrielica denuntiatione ſuos auſpicata eſt ortus. Claram enim, articulatam, & ſonoram, ave Regina Cœlorum, in idiomate Ungarico, edidit vocem. Quartis inſuper, & ſextis feriis ſemel tantummodo ſugere ubera contenta, Præſulem beatum Nicolaum in ipſa infantia æmulabatur. Deducta eſt autem præfata Virgo cum magno apparatu, ferens ſecum amplam, quadraginta videlicet millium marcarum, dotem Cracoviam, ubi & ſolemnitas nuptiarum diebus duodecim acta eſt. Ex ea autem tempore, & deinceps Cunegundis duciſſa præfata, celſitudinis ſuæ nomen, & meritum ea celebritate per pietatis opera apud regiones Polonicas diffundebat, ut non ſecus, quam altera egregiæ virtutis beata Hedvigis - - duciſſa, cujus & ipſa Cunegundis neptis ex ſorore germana fuerat, in Polonico populo videretur ſurrexiſſe. - - Feruntur autem ambo in ævum Virgines permanſiſſe, & primo nuptiarum die, primum quidem ad unum annum, quo lapſo ad alterum, & deinde in tertium, quo effluxo felici Cunegunde operante, & inſtigante in omne ævum Domino cœli, cœlibatum ſpontanee voviſſe; & ſervaſſe. Ex quo Boleslao Dux, pudicus meruit appellari.* Hæc Longinus: quamquam id non recte conſignatum puto, quod Cunegundem anno ſeculi hujus quarto in lucem fuiſſe editam perhibet; quo Belam nondum pubertatem attigiſſe veriſimile eſt, quem octavo primum abhinc anoo cum Maria Mieſcislai filia connubio innexum fuiſſe alio loco oſtendimus. Satis tamen probabiliter cooficitur, Cunegundem, noo ex Maria Laſcari filia, ſed ex prima conjuge ſublatam eſſe.

Caſtimoniæ voto uterque conjux ſe obſtringunt.

Colomanus in Boſnia rem adverſus hæreticos ſtrenue agit.

Atque hæc apud Polonos geſta: in Boſnia Colomanus Patarenos, alioſque hæreticos, qui obſcœnos Maoetis errores ab inferis revocarunt, magno ſtudio oppreſſum ibat: exciſaque bona nefariorum homioum parte Eccleſiam Catholicam late propagabat. Tam pios Principis conatus ubi Gregorius crebris ouncis accepiſſet, non modo meritis laudibus Colomanum exornavit, ſed ut in propoſito conſtans eſſet, magnopere cohortatus eſt. *Sicut earum* (ſcribit) *tenore percepimus, exſtirpare hæreſes, & fidem ſtudes Catholicam propagare, exaltationem procuras Eccleſiæ, & ad expugnandum impugnatores ipſius, ejus te exponendo beneplacitis, beneficia, quæ a poteſtate recipiſti divina, verbo & opere recognoſcis. Super quo ſerenitatem tuam attente exhortamur, quatenus in devotione Dei, & Eccleſiæ continuis excreſcere procures augmentis, & de virtute in virtutem aſcendens, in cœlis meritorum cumulum indefeſſis tibi ſtudeas humeris ampliare. Datum Laterani nonis Decembris, anno XIII.* Adjecit præterea io mandatis ſe dediſſe Prædicatoribus Huogariæ, ut viros, doctrina, & pietate præcellentes ex ſuo ordine io Boſniam mitterent, qui Colomano in revocaodis ad Eccleſiam heterodoxis ſtudium, ac operam oaviter conjungerent. Sed malum altiores jam radices

2140. egerat, quam ut tam brevi tempore penitus exſtirpare poſſet.

Cumani tumultuantur in Hungaria cient.

Interea Cumani pro beneficio, quo eos Bela ſuperiore anno complexus erat, inſigne maleficium reddidere. Ipſis Paſchæ feriis civitatem Rodna ingreſſi, cum oppidani diviois operantur, nihil tale opioantes facto impetu trucidant, oec ætati nec ſexui parcentes, ad hæc viros religioſos, ludibrio prius habitos, immaniter omnes mactant (z). Tam atrocis cædis fama cum per Hungariam percrebuiſſet, incredibile dictu, quanta odia in Cumanos apud omoes promiſcue ordines concitarit. Ipſe etiam rex oefarium facinus pro merito graviter tulit. Accedebat populi dicacitas, qua regem aperte carpebant, quod hominibus nuper advectis tantum fidei, & benevolentiæ tribuere: ea facilitate ſumſiſſe animos, ut Hungaros præ ſe deſpicabiles habeant, oeque aliud ſuperare, quam ut ſe barbaris hominibus in ſervitutem addicat. Bela, ne malum porro ſerperet, in principio curatum voluit. Itaque conventum regni ordinibus ad monaſterium Kövenſe haud procul Tibiſco amne ſitum indicit: Ubi habitis in utramque partem conſultationibus hunc in modum cautum eſt: ſingulæ Cumanorum familiæ ſeorſim per Hungariam cum fortunis ſuis, ac jumentis, oam in his ſummæ illis tum divitiæ, ſpargerentur: quo partim ferociæ gentis modus, partim amplexaodæ fidei via illis pooeretur: oe autem disjuncti aliorum injuriis parerent,

Quos rex ut periculo caveret, ſeorſim per regnum diſpergit.

z) Chronicon Mſ. Zwetlense. „Et in „die ſancto Paſchæ intrabant Civitatem Rod„na, illis edentibus, & bibentibus, & ſecu„re habitantibus interfecerunt omnes religio„ſos, juvenes, & virgines, ſenes cum junio„ribus, nemini parcentes.„ Quamquam Rogerius id facinus Tartaris potius adſcribat.

rent, viros ab æquitate, & auctoritate graves conſtituit, qui ſive ab aliis Cumani in judicium poſtularentur, ſive ipſi diem, a quibus læſi erant, dicerent, ſine partium ſtudio jus pronunciarent (*f*). Hac prudentia ſopitum quidem, non exſtinctum malum eſt, ut narrandi locus erit.

Ratislao Hal: iæ Duci, genero ſuo ſuppetias contra Ruſſos mittit.

Neque multo poſt bellum inter Ratislaum Belæ generum, & Danielem Ruſſorum Ducem exarſit. Hic primus omnium fuiſſe fertur, qui locato Moſcuæ domicilio *Tzari* titulum ſumſerit, & ditiones in immenſum porrexerit. Atque id in cauſa fuiſſe ſuſpicor, cur regnum Haliciæ infeſtis armis invaderet. Ratislaus cum reſiſtendo imparem ſe videret, acceptis poſtea ab ſocero ſuppetiis oon modo vim propulſare, ſed inferre quoque conſtituit. Concurſum eſt ad Jaroslaviam prælio acerrimo, in quo Ratislaus capitale pene periculum adierat, niſi Laurentii Procerum Hungariæ fortiſſimi virtute diſcrimini ereptus fuiſſet: quamquam ipſe quoque lethali vulnere perſtrictus victoriæ fructum propemodum inutilem reddiderit. Ruſſi in fugam acti, reparatis brevi viribus iterum pugnam ineunt, in qua, etſi nondum penitus convaluiſſet, tot, tamque præclare fortitudinis facinora Laurentium edidiſſe perhibent, ut victoria, qua inſigni prorſus potiti ſumus, illius præcipue virtuti ab omnibus adſcriberetur. Juvat rei geſtæ ſeriem ex regiis litteris, quibus ad faciendam fidem nihil luculentius, audire. *Primo ſiquidem*, (ita Laurentii hujus encomia rex orditur) *cum adhuc in numero, ſeu collegio domus noſtræ famam pollentem, & nomen duceret glorioſum, ipſum cum Chariſſimo Genero noſtro, Ratislao Duce Galaciæ, in partes Ruſſiæ cum cæteris regni noſtri magnatibus duximus transmittendum, qui ſub Caſtro Iroslo Ruthenis quam plurimis in perniciem ipſius Generi noſtri exeuntibus, de eodem, & armatam in expeditionem noſtram dirigentibus aciem, zelo devotæ fidelitatis armatus, volens potius poſt mortem vivere per famæ gloriam, quam tergum hoſtilitati hujusmodi vertere, ſe objecit, ubi transfoſſo hoſtili lancea crure ſuo exſtitit lethaliter vulneratus. Deinde cicatrice ſui vulneris nondum obducta, cum Daniel Ruthenorum rex ad campeſtre prælium contra ipſum noſtrum Generum prodiiſſet, ſtrenuitas ejusdem Magiſtri Laurentii deſidiæ obſcuritatem abhorrens in lucem prodiit probitatis, & ſingulariter hoſtili ſe immiſcens aciei, quemdam de Ruſciæ Baronibus impulſu dejecit lanceali, quem ſupra dictus Gener noſter fecit capite detruncari. In quo conflictu cum equus ſæpe dicti Ducis, Generi noſtri perdilecti, fuiſſet interfectus, idem Magiſter Laurentius ſolitæ fidelitatis inſiſtens fervori, vitamque jam dicti Ducis præferens vitæ ſuæ, equum, quo vehebatur, eidem Duci tradidit, & ſe inter hoſtes confertiſſimos poſuit, variis periculum fluctibus involutum, ſicut præmiſſa ſupra dicti Ducis, & multorum fidelium, ac fide dignorum nobis relatio patefecit* (*b*). Hactenus Bela: quo loco illud in memoriam revocare libet, Haliciam abhinc, quam regum noſtrorum titulis inſerta, & Colomanus rex inauguratus fuiſſet, fere ab iodigenis, qui Ducum titulo ornabantur, adminiſtratam eſſe, cujuſmodi Ratislaum hac tempeſtate fuiſſe regium diploma diſerta prodidit. Ceterum quæ, aut cujus oominis filia fuerit, quam Bela Ratislao collocarat, in obſcuro eſt.

Et gemina victoria potitur.

Vatacius Græcorum Imp. Belæ operam apud Pontificem implorat.

Gregorius, cum hæc in Hungaria aguntur, veritus oe Conſtantinopolitano imperio corruente, proxima Syriæ ruina conſequeretur, Huogaros ad ferendam Balduino contra Vatacium operam crebris litteris exſtimulabat. Neque ſupervacaneum Pontificis ſtudium futurum erat, niſi ex alio capite. unde minime exſpectabatur, repente auxilium affuiſſet. Vatacius enim, non ignarus Hungarorum apparatum, quem priore anoo adverſus Aſanem Bulgarum comparaveraot, ſi Pontifex urgeret, in ſe facile cooverti poſſe, conſilium tempori commodare, & arte agere inſtituit. Itaque ad Belam ſcribit, ſignificatque, ſi ſuam apud Gregorium operam interponeret, ſe trahendæ ad Romanam communionem Græcorum Eccleſiæ magno deſiderio teneri: ageret igitur pro ſua apud Pontificem gratia, ut oe ea in re difficilem reperiat, unionis fructum ſibi, gloriam cootra illi manſuram. Rex etſi græcanicas hominis artes multo ante compertas habuiſſet, tamen, ne in tam præclaro facinore Eccleſiæ deeſſe videretur, Pontificem de Vatacii mente edocet, qui haud multo poſt Belam miro laudum encomio exoroans ita reſcripſit (*c*).

a) ROGERIUS in Miſerab. Carm. Cap. VIII.
b) TIMON Imag. Nov. Hung. Cap. XIII.
c) RAYNALD. ad anoum 1240.

BELAE REGI UNGARIAE ILLVSTRI.

Reſpondet regi Gregorius, hortaturque, ut ad religionis communionem Græcos adducat.

„ Conſuetæ benignitatis affectu recepimus litteras, quas nobis tua ſublimitas „ deſtinavit, & quæ continebantur in eis, perſpicaciter intellectis, regiæ Celſitudini „ dignas gratiarum referimus actiones, quod tu tanquam Princeps Catholicus ſupra „ fundamentum, præter quod aliud poni non poteſt, quod eſt Chriſtus JEſus, fidei tuæ „ conſtantis radicata - - - oves, quæ tanquam errabundæ poſt gregem ſodalium evagaotur, ut ad ovile Domini redeant, efficaciter elaboras. Cum enim, ſicut nobis „ per easdem litteras intimaſti, Græcorum populum, quaſi caliginoſum montem „ gratiæ ſuæ radiis Dominus videatur adeo illuſtrare, ut tuo ſtudio mediante nobilis „ vir Batacius cum terris ſuis & populis, Cleris, & Eccleſiis univerſis, qui - - extra „ unitatem Romanæ Eccleſiæ permanſiſſe dignoſcitur, ad eam, quaſi ad caput, & „ matrem omnium, ſano quamvis ſero, uſus conſilio deſideret cum humilitate redire, „ nos, qui ex adverſo doluimus, de reverſo gaudentes, ipſius reditum, qui omnium „ ſalutem zelamur, libenter exquirimus & cum deſiderio exſpectamus, imo thus orationum noſtrarum pro ejus, & aliorum errantium converſione Domino ſuaviter „ adolemus, ut de abundantia pietatis ſuæ, qua merita ſupplicum excedit, & vota, „ eos ad viam, ab invio, & ad veritatem revocet ab errore. Ceterum quia de prædictorum Nobilis, Eccleſiarum, & Clericorum, terrarum quoque, & populorum „ reditu, videlicet, qualiter redire deſiderent, quid intendant, qualiterve de ipſorum perſeverantia in poſterum caveatur, nihil plene in eisdem litteris expreſſiſti, „ ſerenitatem regiam rogamus, & monemus attentius, quatenus de iis, & aliis circumſtantiis univerſis, quæ præſens negotium tangere dignoſcuntur, reſcribas nobis plenius veritatem, ut ex tua relatione ſufficienter inſtructi procedamus exinde, „ prout honori Eccleſiæ, ac animarum ipſorum ſaluti viderimus expedire. Datum „ Laterani IV. Idus Februarii anno XIV.

Verum optima regis ſtudia Tartari in Europam irrumpentes intercipiunt.

1241. Sed rem cum ob vafrum Græcorum ingenium, tum ob impedentem ſequenti anno calamitatem abhæſiſſe veriſimile eſt. Si quis, hic certe annus Hungariæ propemodum exitialis fuit. Immanis Tartarorum gens, quos Tartaros alii rectius nuncupant, vaſtatis in Aſia populis ſuperato Tanai torrentis inſtar Europæ ſe infuderant. Ac primum quidem, qua vis ipſa ducebat, in Ruſſiam effuſi, direpto ampliſſimo regno, *Kioviam* urbem funditus delent: inde collocata in tuto præda, Sandomiriam citatiſſimo impetu aggreſſi, poſt ingentem editam ſtragem urbe potiuntur. Ab hinc acceptis, illatisque cladibus Poloniam omnem cædibus, ac igne pervagati, in Sileſiam, ac finitimam Bohemiam deferuntur.

Vaſtatis Polonia, & Ruſſia in Hungariam incurſuri feruntur.

Interea immaniſſimæ gentis fama orbem Chriſtianum ſtupore, ac metu defixerat: in primis Hungaria, quæ prima omnium furori barbarorum maxime patebat, conſternata, opisque egens, calamitatis eminus incumbentis periculo admonebatur. Agebantur dies naſcenti Chriſto ſacri, cum primus de Tartaris rumor per Hungariam diditus, regem mire ſolicitum habuit: neque enim ſatis præſidii ad vim repellendam domi erat, nec multum auxilii a ſuis, quod magnam partem infenſos ſibi ſciret, ſperandum fuit. Ne tamen vanis conſultationibus tempus tereretur, fidos ſibi homines cum in Ruſſiam, tum Poloniam miſit, qui acceleratis itineribus re, quæ agеretur, explorata, quid rumoribus his ſubeſſet, diligenter referrent. Illi non multo poſt famam factis minorem eſſe nunciant, ingenſque regno, niſi mature caveretur, diſcrimen, ac exitium ultimum impendere.

Quibus Bela Palatinum ad regni fauces opponit.

His cognitis rex, totius regni Nobiles, ac ſtipendiarios in armis primo quoque tempore adeſſe jubet, periculi magnitudinem explicat, orat, patriæ ne deeſſent, rem non ſuam, ſed regni, ſed omnium agi, ſe, quoad omnes in caſtra confluerent, viſurum ne quid reſpublica detrimenti pateretur. Simulque Comitem Palatinum cum lectiſſima militum manu montium fauces, qua aditus ex Ruſſia in Hungariam fuit, occupare jubet, obteſtatus, ut ſitu, & natura loci fretus, detrectata, quantum poſſet, pugna, barbarorum impetum viriliter ſuſtineret, adfuturum ſe haud multo poſt cum exercitu, quo, ſi Deus faveat non modo hoſtis ferociam retundere, ſed vim præterea ſe inferre poſſe ſperet (*d*).

Sed

d) ROGERIVS in Miſerabili Carm. Cap. XIV.

Optim a-tum in præſente periculo deſidia.

Sed optimum regis conſilium, ac in rebus pene conclamatis unicum, & neceſſarium Hungari ipſi ſocordia ſua corruperunt. Plerique enim, quod rumor alias quoque idem percrebuiſſet, vanum id terriculamentum regem ſponte commentum fuiſſe ſibi perſuadebant: alii, ut erant Epiſcopis perinfenſi, ab his famam de Tartarorum irruptione dedita opera ſparſam eſſe, vulgaverunt, ne Conciliu Romano, ad quod a Gregorio vocati erant, interaſſe cogerentur (e). Ex quo Friderici II. Imperatoris opinionem facile refellas, qui cum ad Angliæ regem de eodem argumento ſcripſiſſet, crediderit Belæ deſidia, quidquid calamitatis Hungaria perpeſſa fuiſſet & ignavia eveniſſe, ut poſtea memorare non omittam.

Implorat Friderici Imp. & Auſtriæ Ducis opem.

Bela ab ſuis deſtitutus opem apud finitimos implorabat: Et Fridericum quidem Auſtriæ Ducem facilem in ſua vota habuit: Imperatorem contra, itidem Fridericum, aut averſum, aut alibi occupatum expertus. Ne tamen nihil egiſſe videretur, cauſas, cur auxilio illi adeſſe nequiret, his litteris explicat (f).

Imperator, cur ſuppetias venire non poſſit, reſpondet.

Honor imperii, qui propter turbationes temporum valde fuerat in Italia diminutus, per quem noſtra, & exaltatio Principum procuratur, diu nos de conſilio tuo, & aliorum Principum ad ſui reformationem tenuit in eisdem partibus occupatos. - - - Quia vero pridem auditis rumoribus nationis barbaræ Tartarorum, quod regnum Hungariæ ſubitis aggreſſibus invaſiſſent, cogitavimus proximo ardente pariete, rebus noſtris conſultius ſuccurrendum - - -. Sed ſumma neceſſitas neceſſariæ cauſam dilationis induxit, ut rem tam arduam imperii, nos ſpecialiter, & principaliter contingentem, bellicis tot armorum laboribus, in effuſionem germanici ſanguinis acquiſitam, & ad finem proximum Germanis enſibus jam deductam, non deberemus omittere, propter breviſſimam moram temporis imperfectam, ut, quod eſſet deterius, & facile contingeret, Italicis gentibus in abſentia Dominorum ſuorum utentibus more ſuo, tantus labor, & effuſæ divitiæ pro receſſu noſtro in irritum reciderent, & recidiva negotii graviora nobis, & Imperio iterata pericula remanerent.

Aliud etiam urgens, & evidens impedimentum occurrit, quod creſcente inter nos, & Romanum Pontificem ab olim orto diſſidio, experientia præteriti temporis ſuggerit venturum tremorem, ut juſtus timor, qui cadere valeat in conſtantem, recte moveat mentem noſtram; ne nobis venientibus ad confuſionem hoſtium barbarorum, familiaris, & domeſticus hoſtis - - invaderet regnum noſtrum, cum familiaris peſtis ſit levior ad nocendum. - - Quapropter omnibus prætermiſſis, felices greſſus noſtros direximus verſus urbem, ita quod partibus Romanis vicinamur. - - Speramus autem per præſentem greſſum noſtrum mundo aquirere bonum pacis, & ſtatu Italiæ pacifice reformato, ac regno noſtro in Dei ſecuritate dimiſſo, tam onuſti divitiis, quam gentium multitudine conſtipati cum exſpectata benedictione ſacroſanctæ matris Eccleſiæ veniemus, ita, quod Domino exercituum nos juvante, quo Duce, quo prævio miniſtrata nobis a cœlo victoria, qua de cunctis inimicis noſtris conſuevimus triumphare, Tartarorum multitudinem devincemus. Tuam igitur induſtriam exhortamur, quatenus interim cum toto tuarum virium conatu dilecto filio noſtro Conrado, in Romanorum regem electo potenter aſſurgas, ad reprimendos impetus adverſariorum communium, & ingreſſus, ut eis non liceat campum liberum invenire, donec nos cum potentia maxima ad eorum confuſionem ultimam veniamus (g).

Auſtriæ Dux contra auxiliarios Peſtinum adducit.

Hæc Fridericus Imperator ſplendide quidem, ſe, ſi exitum rei ſpectemus, parum utiliter. Auſtriæ contra Dux cum ſuo, tum fœderati regis periculo admonitus, partim conſilio, partim ſuppetiis Belæ adſuit. In Hungariam delatus haud procul Peſtino conſtiterat: cujus adventu Rex magnopere recreatus, Budam ipſo verni jejunii tempore Præſules, ac Optimates ſine diſcrimine convocat, ut de propulſando periculo in commune conſultaretur. Adfuere plerique, rebus ad conſultandum propoſitis, viſum omnibus eſt, Cuthenum cum primoribus Cumanorum cuſtodiæ mandandum, quod fidem illius, quaſi Tartaros in Hungariæ exitium, clam miſſis nuntiis, advocaſſet, in dubium vocaretur (h).

e) Rogerius laudato cap.

f) Petrus de Vineis aulicus, & Cancellarius Friderici II. Epiſtol. Lib. I. Cap. XXIX.

g) Epiſtolam non retulimus integram, ut pote nihil ad res Hungariæ attinentem. Id moneo, Petrum de Vinais, qui Friderico a Conſiliis fuit, tum eum, qui Pontifici a manu erat, odiis privatis inter ſe certaſſe, unde nihil mirum, quod iisdem odiis ſuos Dominos inplicuerint.

h) Rogerius Miſerab. Carm. Cap. XV.

Accepto nuncio Palatini copias a Tartaris profligatas eſſe.

Nondum media verni jejunii pars effluxerat, cum ex improviſo nuncius a Palatino, quem regni aditus jubente rege occupaſſe memoravimus, adfuit, qui Tartaros in ipſas montium fauces, quas indagine, & ſilvarum incæduis obſepſerant, infultum feciſſe retulit, neque ſpem videri ullam, ut illis exiguo illo manipulo cum fructu reſiſti poſſit. Rex diſcriminis præſentia territus, neque enim, quod juſſerat, ad id tempus convenere, incertus animi fluctuabat, cum Palatinus, quatuor ipſos dies, noctesque concitatiſſimo equo uſus, ad regem defertur, nunciatque, arctiſſimos aditus, qui euntibus ex Ruſſia in Hungariam viam faciunt, ab Tartaris occupatos; ſuos, quos imperio obnoxios habuerit, fortiſſime dimicantes pene ad unum omnes deletos, ſe, ut quid actum eſſet, referret, ægerrime rapaciſſimorum hominum manus evaſiſſe. Hic vero conſternari omnes, & de regno conclamare: unus Bela ſibi non excidit: Epiſcopis, ac Proceribus veniam abeundi facit, ut copiis, quanta poſſent celeritate, conflatis Peſtini, nam iſthic, ut milites confluerent, imperatum fuit, præſto ſibi eſſe niterentur. Ad hæc, quantum temporis anguſtiæ, & vicinum periculum ſinerent, omnia præſente animo complexus, Magiſtrum Stephanum, Epiſcopum Vacienſem, tum Orodienſem, ac Cſanadienſem Præpoſitos ad regioam abire jubet, quam cum prolibus, ac theſauris præcipuis ad Auſtriæ confinia adducerent; hanc ſe eorum fidei credere, repetiturum ſe tam charum depoſitum, cum primum melior Hungariæ fortuna affulſiſſet: quod ſi, ut incertus belli exitus eſt, prælio ſe occubuiſſe certis nunciis compererint, introrſum ad Auſtriam conjugem comitarentur, reperturam iſthic & jacturæ, & viduitatis ſolatium. Aut, ſi e re futurum viderint, in Dalmatiam, fidam præ ceteris, ac tutiſſimam ab hoſtium incurſionibus provinciam concedant. His imperatis Strigonium, tum Albam, hic ut opinor Colomanum cum Sclavonicis ſuppetiis affuturum credebat, contendit, collectoque exercitu citatis itineribus revertit, trajecto ad Budam danubio Peſtini caſtra defigens (i).

Singulos viritim cum armis adeſſe jubet.

Conjugem cum prolibus & theſauris verſus Auſtriam, tum in Dalmatiam dimiſſa.

Tartari oracula conſulunt.

Interea Bathus, qui toti Tartarorum genti ſumma poteſtate præfuit, occupatis montium faucibus, fuſiſque Palatini copiis Hungariam, ac Tranſilvaniam ingreditur, ferro flammaque late viciniam omnem corrumpens. Fertur barbarus Hungarorum virtutem metuens prius, porro quam arma in Hungariam inferret, dæmonum oracula conſuluiſſe, quæſiſſeque, num e ſententia, ſi infeſtis armis regnum invaderet, res caſuræ eſſent. Reſponſum, ut Nangius (*k*) perhibet, in hæc verba tulit: *Ite ſecuri, quia ſpiritus diſcordiæ, & incredulitatis vos præcedent, quia turbati Hungari vobis non prævalebunt.* - - Illo, ut opinor, collimans, quod, cum vicinam Ruſſiam, Poloniam, Sileſiam, ac Moraviam Tartari latiſſime armis circumſtreperent, parum, aut nihil præſidii ad vim repellendam noſtri compararent. Sed id Optimatum potius, quam Regis ſocordia eveniſſe, ſupra ex Rogerio Canonico id temporis Varadienſi luculenter demonſtravimus. Quamquam quod calamitati huic caput fuerit, Thomas Archidiaconus illorum quoque temporum ſcriptor, de Hungaris loquens, in hæc verba refert (*l*): *Erant longa pace diſſoluti, armorum aſperitate deſueti, carnalibus enim gaudentes illecebris, ignaviæ torpore marcebant. Etenim terra Hungarorum omnibus bonis locuples, & fœcunda cauſam præſtabat, ſuis filiis, & rerum copia immoderatis delicis delectari. Quod enim alud erat juvenilis ætatis ſtudium, niſi polire cæſariem, cutem mundare, virilem habitum in muliebrem cultum mutare: tota dies exquiſitis conviviis, aut mollibus expendebatur locis, nocturnos ſopores vix hora diei tertia terminebat. Cuncta quidem ſuæ vitæ tempora in apricis ſilvis, & amœnis pratis cum uxoribus tranſigentes, non de bellorum ſtrepitu cogitare poterant, qui non ſeria, ſed ludicra quotidie tractabant.* Huc nimirum militaris Hungarorum diſciplina defluxerat, ut, cum olim finitimis, ac remotis gentibus terrori eſſent, nec ſe, nec regnum adverſus exterorum vim ſatis jam tueri ſcirent. His annales contracti apud Manſium (*m*) aliam quoque cauſam, ſed neſcio, qua fide adjiciunt; trium nempe Epiſcoporum libidinem memoratu horrendam DEVM permoviſſe, ut regnum omne furori barbaræ gentis objici, ac convelli ſimeret.

Eorum reſponſa.

Verior cauſa mali imminentis.

i) ROGERIVS Cap. XVI.

k) In actis S. Ludovici.

l) Hiſtor. Salonit. Cap. XXVII.

m) Apud RAYNALD. novæ editionis, in notis Manſii ad an. 1241. Et Thomas ARCHIDIAC. Hiſt. Salonit. Cap. XXXVII. circiter finem.

ſineret. Ferunt ſemel, atque iterum a Batho barbarorum regulo nuncium ad Belam miſſum eſſe, qui, ſi ſponte ſe cum regno dederet, gratiam, ac clientelam ſuo nomine regi offerret (*n*). Nuncium genere Anglum fuiſſe, & multiplici linguarum peritia inſtructum poſtea patebit.

Tartari miſſis ad regem nunciis.

Tartari, quod neminem abhinc, quam Palatini copias fuderant, qui reſiſteret, obvium habuiſſent, itinere mediæ diei a Peſtino urbe caſtra locant. Iſthic, quid noſtri molirentur, Bathus ſciendi avidus partem levis equitatus exploratum mittit. Nam præter infinitam barbarorum multitudinem non modo loricatos in exercitu, ſed leviores quoque copias, ac quadraginta lectiſſimorum militum millia, qui ſecuribus muniti viam per ſilvas, & confragoſa loca complanarent, numerabat. Illi poſtquam ſemel, atque iterum prope urbem ſpectatum veniſſent, dominico die, qui Chriſto patienri ex ritu Eccleſiæ ſacer eſt, majore, quam alias numero adfuerant, vicoſque circumſitos igni involvunt, ingenti hominum copia in ſervitutem abducta; rati, noſtros ea ratione in apertum capum ex urbe elici poſſe. Sed hi collucentes undique flammas triſtes e mœnibus ſpectabant, conſilli, & rerum pene inopes. Non tulit ignaviam hanc Ugolinus Colocenſis Archi-Epiſcopus, vir ut ſacratiori vitæ impenſe deditua, ita manu promtus, & impiger, raptiſque ſecum paucis equitum, hoſtem citato curſu inſequitur. Sed Tartari pugnam detrectantes dedita opera fugam per paludem ſimulant, quam cum Ugolinus majore animo, quam prudentia ingreſſus eſſet, equi armoram pondere preſſi limo immerguntur, ut neque ad alteram paludis ripam eluctari, nec regredi commode poſſent. Tum vero barbari noſtria cum cœno, & ſtagno luctanribus circumfuſi, ſagittis promiſcuam ſtragem edunt; cæſis pleriſque, aut palude abſorptis. Ugolinus cum tribus ſociis ſumma vi ex ſabulo eluctatus, ægre Peſtinum ſalvus, & incolumis evaſit, haud leviter indignatus, quod rex ſibi, & ſuis laborantibus ſuppetias non veniſſet (*o*).

Haud procul Peſtino conſiſtunt.

Colocenſis Archi-Epiſcopus velitationem cum tis init.

Sed fortuna parum ſecunda.

Nihilo mitius eodem die cum Vacienſibus actum eſt. Confluxerat iſthuc Nobilium vicina loca colentium pars præcipua, fortuoas, opes, ac vitam a Tartarorum injuria in tuto collocantium. Subodorati rem hominum rapaciſſimi, urbem non ſatis munitam primo impetu facile capiunt; ad Eccleſiam tamen, & vicina huic palatia, quod, qui ſe iſthuc ſalutis cauſa receperant, defenſionem ſtreoue adornarent, cladem accepere. Qua irritati majoribus animia, & niſu in obnitentes feruntur, ſubjectoque ædibus igne Eccleſiam expugnant, ſacros, profanoſque viros, ac reliquam multitudinem nullo ætatis aut ſexus diſcrimine cædunt, & theſauro, regum beneficentia, ceterorumque pietate conflato, impune potiuntur (*p*).

Noſtris metū attonitis hoſtes Vacium funditus delent.

Deleta funditus urbe dum ad ſuos revertunt, ac Peſtinum eminus prætervolant, ferunt Fridericum Auſtriæ Ducem, dignum poſterorum memoria facinua edidiſſe. Is exigua equitum manu ſtipatus extremum hoſtium agmen carpere, ac ad pugnam policere ſumma vi conniſus, cum barbaros more ſuo fugam ſimulare conſpiceret, laxato equi freno audacter in poſtremam turbam invehitur, proximo, vim apparanti, haſta transverberato, ac altero, qui ſocio ſuppetias venerat, manu mulctato, ceteros in fugam egit. Id ubi apud Hungaros percrebuit, Ducem laudibus palam ornare, regem contra, quod meticuloſus, ac deſes in urbe reſiſtens hoſtea impune volitare ſineret, conviciis laceſſere cœperunt, lingua, quam manu promtiores (*q*).

Inde reduces Dux Auſtriæ aliqua clade afficit.

Vulgus ex dicacitate haud multo poſt ad vim gradum fecit. Paſſim Cuthenua cum ſuis Cumanis in cauſa fuiſſe ferebatur, quod regnum Tartarorum rapacitati, ac injuriæ expoſitum eſſet, factaque coitione palam hominem, quamquam, ut poſtea patuit, innocentem coorto fremitu ad necem depoſcebant. Bela ſive miſero conſultum vellet, ſive, ut tumultuantem populum ſedaret, gravius in eum advertere conſtituerit, Buthenum ad ſe acciri juſſit: ſed is vim ac ferociam vulgi veritua, iturum ſe negavit, niſi rex data fide virum gravem, cujus auctoritate tutus ab injuria eſſet, mitteret. Id cum palam vulgaretur, ſic ab omnibns acceptum eſt, quaſi imperium regis homo faſtuoſus detrectaſſet. Tum vero ſatis cauſæ nactos ſe eſſe arbitrati, impetum in ædes Hungari cum Germanis promiſcue faciunr, auſoſque obniti exquiſitis mo-

Vulgus in Cumanes, tanquam Tartaros in Hungariam vocarint, promiſcue ſævit.

n) Parisius in Hiſt. Anglic.
o) Rogerius Cap. XXI.
p) Idem Cap. XXII.
q) Rogerius Cap. XXIII.

dis obtruncant. Buthenus cum paucis ſuorum vim diu propulſabat, quoad numero oppreſſus, cum uxore, & filiabus capite truncaretur. Corpora cæſorum per feneſtras in plateam præcipitata ludibrio objecta, & inhumata manſere. Sunt, qui id facinus Auſtriæ Duci tribuaot: ego inconſulto rege oihil eum tentaſſe, quo fortitudinem inſigni inhumanitate temeraſſet, mihi perſuadeo (*r*).

Qui cæſo ſuo rege Tartaris ſe conjungunt.

Cutheni cædes majores, quam exiſtimatum communiter ſit, turbas conſcivit. Cumani enim, qui regia litteris ad auxilium vocati ex tota Hungaria confluxerant, audito, regem ſuum tam immaniter trucidatum, cooverſis repente ſtudiis, non modo vicos, ac oppida Peſtino finitima vaſtare, ſed inita cum Tartaris armorum ſocietate in Hungarus arma corripere cæperunt, vindictæ ſtudio ita acti, ut feritate Tartaros non modo æquarent, ſed ſuperarent etiam. Primus ſævientium furor in Bulzooem, Cſanadienſem Epiſcopum effuſus: qui cum magnam militum partem Regi auxilio adduceret, ignarus, quid interea geſtum eſſet, in Cumanos incidit: hi ſacto ex inſidiis impetu facile imparatos, & nil hoſtile veritos fundunt, fugantque; Epiſcopus ſub prælii initium lectica, cui æger incubuerat, ægerrime fuga ſubductus eſt. Inde, ceu re præclare acta, danubium transmittunt, vaſtatoque pulcherrimo tractu, qui inter Savum, Dravumque jacet, in Bulgariam infunduntur (*s*).

Tartari Varadienſem Epiſcopum dolo eludunt.

Similis calamitas Beoedictum, Varadienſem Epiſcopum acceperat: hic pariter non temnendo numero copias in regia caſtra adducens, ubi Tibiſcum flumen trajeciſſet, comperit, Agriam a Tartaris occupatam, ſpoliisque divites ad Bathum rediре. Facti atrocitate, & quod haud parvam barbarorum manum in itinere ſudiſſet, ſactus audacior, magnis itioeribus in eos conteodit, veritus, ne ultioni ſe ſe fœdiſſimus hoſtis ſubduceret. Tartari, quamquam numero inferiores eſſent, viſo Epiſcopum ſine ordine, ac temere magis, quam ex ritu militari approperare, ſtropham adornant, ut per ſeſe ridiculam, ita exitu plane ſelicem. Collis erat ex planitie ſenſim acclivis, hoc uno opportunus; quod in patentiſſimis campis longe intuentium oculos falleret. Hic Tartari bonam equorum partem, quibus ſimulacra, hominum larvis tecta impoſuerant, deſtituuot, paucoſque addunt ex ſuis, qui hoſti operirentur, tum, ſi Hungari manus conſererent, ſenſim colli ſuccedere jubeot, ipſi ex alia parte ooſtris inviſi inſidias pro loco, & tempore ſtruunt. Varadinenſes prælii arbore, & hoſtium paucitate incenſi, ut citatiſſimo curſu ferebantur, io prmos Tartarorum ordines impetum faciunt, protritoſque in collem agunt; hic vero cum ſimulacris, non cum hominibus ſibi rem eſſe conſpicati, tum inſidias, ut re ipſa erant, veriti, receptui canunt: verum barbari ex utroque latere erumpentes immani inter confertiſſimos ſtrage edita, metu alioquin conſternatos in effuſiſſimam fugam agunt. Epiſcopus Varadinum reverſus, mulctatas copias trajecto Danubio Peſtinum adduxit (*t*).

Gregorius regem in tanto diſcrimine, per litteras ſolatur, Cruce ſignatorum auxilia pollicitus.

Hunc io modum crudeliſſima gens totam Hungariam, quæ trans Danubium ſita eſt, cædibus, ac incendiis miſerrime curruperat, metuſque fuit, niſi rex confluentibus in dies majorê numero copiis, ſecunda ſortuoa confligeret, non modo reliquam regni partem, ſed omnes Chriſtiani orbis provincias in extremum diſcrimen adductum iri. Gregorius, qui partim a rege, partim ab aliis quoque Principibus crebros ea de re nuocios acceperat, quod unum potuit, Belam per litteras ſolatus eſt, ac cruce ſignatorum opem promiſit. Juvat ipſum Pontificem audire (*u*).

GREGORIVS . . . BELAE REGI VNGARIAE.

Vocem in excelſo lamentationis, & fletus audivimus, & nos multis amaricati doloribus deploramus, quod jaculatum de Cælo judicium jam depopulatur undique populum Chriſtianum, quod fidelium gladius in fideles reciproca cæde convertitur, & in Chriſticolas paganorum mucro crudeliter debacbatur. Clamor enim ſcelerum bumani generis multiplicatus, aſcendens in aures omnium conditoris, ipſum, qui quaſi non videns bactenus tacuit, qui correctionem populi ſui velut patiens expectavit, ultorem iniquitatum gladium coëgit exerere, & ab oculis patientiæ ſuæ abominationes emendare flagitiorum, expetita gravi de peccatoribus ultione.

r) Idem cap. XXIV.
s) Idem Cap. XXV. & Cap. XXVI.
t) ROGERIVS Cap. XXVII.
u) RAYNALD. ad an. 1241. Num. 18.

ultione. Propter quod omnes, quorum corda timor Domini tetigit, opertos ciliciis, & aſperſos cinere in ſuſpirio & lacrimis divinam convenit miſericordiam implorare, ut, qui ſemper ad ignoſcendum multus exſtitit, qui præſtabilis ſuper malitia omni eſſe tempore conſuevit, exemtum gladium ad vaginam jubeat regredi, & iram in gentes, quæ illum non noverunt, effundens dignetur populo Filii ſui charactere inſignito miſereri. Speramus autem, quod, etſi Deus noſter nos dura increpatione redarguere cœperit, regna tamen, quæ ipſius nomen invocant, a facie ſua diſperdere non intendit: quin imo a pœna perpetua peccatores curat eripere, quibus temporalis ſtudet ultionis beneficium ad caſtigationem noſtri generis adhibere, quia etſi filios Iſrael tentatio mortis in eremo quandoque tetigerit, in eis tamen ira Domini diutius non permanſit. Verum etſi graviter de omnium fidelium oppreſſione turbemur, ſuper afflictione tamen regni Ungariæ, quod a Tartaris invaſum, & occupatum pro magnu parte in lectione litterarum tuarum non ſine multarum lacrimarum effuſione dedicimus, ſpecialior, & major triſtitia cor noſtrum implevit, quo in ipſo purioris erga Deum, & apoſtolicam ſedem ſigna devotionis invenimus, quo claræ memoriæ progenitores tuos, & excellentiam regiam in exſequendis Eccleſiæ beneplacitis eſſe novimus promptiores.

Firmam igitur ſpem in eo ponentes, qui etſi Regi Aſſyriorum Senacherib liberum in terram Iſrael ingreſſum exhibuit, ſuper Ezechiæ tamen contritione commotus, adverſariorum multitudinem nocte una delevit, ſerenitatem tuam monemus, & hortamur attentius, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, quatenus in eo confidens, qui ſalvum facit populum humilem, & oculum humiliat arrogantem, ad defenſionem regni prædicti, & Catholicæ fidei, quæ ab eiſdem barbaris ſpecialiter noſcuntur expugnari, potenter, & viriliter, ſicut decet regalem magnitudinem, te accingens, in illorum expugnatione eo ſtudioſior, & ferventior cures exiſtere, quo in hoc exaltationem tui nominis, & honoris fortius dignoſceris procurare. Nos enim tibi, & regno prædicto, quibus in tantæ neceſſitatis articulo deeſſe non poſſumus, nec debemus, efficax curabimus auxilium, & conſilium annuente Domino imperiri, ac perſonam, & familiam tuam ſub protectione Sedis Apoſtolicæ recipientes, & noſtra tibi, & omnibus, qui aſſumto crucis ſignaculo contra Tartaros eoſdem ad defenſionem regni prædicti proceſſerint, illam immunitatem concedimus, eamque indulgentiam elargimur, quæ terræ ſanctæ ſuccurrentibus in generali Concilio conceduntur. Datum Laterani XVI. Calend. Julii anno XV.

Io eundem modum Colomano quoque ſcripſit. Vacienſi autem Epiſcopo, quem cum Regina in limitibus Auſtriæ, ac Huogariæ commorari rex voluit, mandarat, ut crucem pro concione promulgare, cenſuris irretitos ſolvere, ac laboranti regi ſuppetias mittere niteretur. Ejuſdem argumenti encyclicas litteras ad pleroſque Europæ Principes, & Antiſtites miſit, quibus univerſos ad ferendam Hungariæ opem, ne, hac everſa, pari periculo reliquæ Provinciæ involvereotur, diligenter, & ſolicite cohortatus eſt.

Bela partim Gregorii litteris recreatus, partim multitudine confluentium militum aliquid tentari poſſe ratus, dato profectioni ſigno copias ex urbe, & caſtris Peſtinenſibus recta in hoſtem ducit. Ut eminus oostros barbari conſpexere, ſuorum partem itidem emittunt, qui laceſſendo primum Hungarorum impetum ſuſtioerent, quoad ceteri, convaſatis rebus, ocium ad Tibiſcum remeandi nanciſcerentur. Seu vera, ſeu ſimulata fuga fuit, noſtri tanquam bono futuri prælii omine fugientes conſequuntur, trajectoque Tibiſco oon prius conſiſtunt, quam Tartari ex oppoſita *Sayonis* fluvii parte ſigna defigereot. Hic rex caſtra continuo metari, ac operibus militaribus pro tempore, & loco communiri imperat; copias in aciem, ac ordines diſtribuit, vexillis omnes ſuccenturiat, ut, ſi manus confererentur, ſub cujus auſpicio, ductuve cuivis pugnandum eſſet, ne ignoraret. Ad hæc ſingulos fere adire, hortari ad prælium, obſecrare, ne ſe, ne regnum, ne conjuges, ac liberos immaniſſimis barbaris ſua deſidia proſtituerent: verſari res omoium tam aocipiti loco, ut, ſi viriliter ſigna contulerint, ad gloriam, & felicitatem, ſin contra ignavi fugam circumſpectent, ad ignominiam, & morte magis miſeram captivitatem gradum facere neceſſarium ſit. Et ne vigilantiſſimi Ducis partes ullas prætermitteret, graviſſime cavit, ut ſingulis noctibos mille lectiſſimorum militum ſtationes caſtrorum obirent, ne quid inſidiarum a Tartaris, noſtris imprudentibus conficeretur. Verum tam ſedulam regis curam Hungari propemodum riſu, & cachino exceperant, quod in tanta militum copia ſupervacaneam, & nimiam eſſe plerique ſibi perſuaderent. Ferunt ma-

Confluentibus in dies Peſtinum copiis in hoſtem movet.

Caſtraque ad Sayonem fl. Tartaris opponit.

gnam quoque partem fuiſſe, quæ in eo, ut rex inferior ex arena excederet, laborarit, ſtolidiſſime arbitrari, haud alia ratione ejus potentiam, quam formidoloſam toti regno fore putabant, infringi poſſe, quam ſi victus ad procerum opem confugere, neceſſe haberet (x).

Hæc commutari, & muniri imperat.

Hæc rerum apud noſtros in caſtris facies erat. Tartari more ſuo defixis in patente campo ſignis, *Sayonem* fluvium in fronte, ex lateribus autem paludem, cœno, ac limo ſtagnantem, & quod noſtroa maxime incautos, ſecuroſque fecit, utrinque ad fluvium convergentem habuere. Eo paludis ſitu noſtria fucus objectus eſt. Cum enim ſtagnum vadis carere, neque alia parte hoſtes aggreſſionem facturos, quam ubi fluvius adeundi ſpatium per pontem, a noſtris munitum, fecit, exiſtimarent, caſtra arctiua contrahunt, carriſque ac ſcutis obſepiunt: qua re factum eſt, ut funes, quibus tentoria tendebantur, ita viciſſim implicari neceſſe fuerit, ut non modo via impeditiſſima redderetur, ſed nec locus eſſet, ordines ex ritu diſciplinæ militaris juſto intervallo explicandi. Atque id quod firmiſſimi prædii loco fore exiſtimatum eſt, maximo noſtris deinde exitio fuit.

Tartari viſo locorum ſitu, ſi pontem nocte concubia occupare conſtituunt.

Cum in hunc modum dies aliquot mutandis, ac communiendis caſtris nulla re tentata prætereunt, Bathus ocii, ac moræ impatiena, ex proximo colle, unde per immenſam camporum planiciem oculo divagari latiſſime poterat, noſtrorum ſitum, ac caſtrorum naturam crebro, & diligenter ſpeculatus eſt, quæ ubi commutata vidiſſet, reverſus ad ſuos, *bono animo*, inquit, *nos eſſe oportet ſocii! quia licet magna ſit multitudo gentis iſtius, tamen, quia improvido reguntur conſilio, non poterunt effugere manus noſtras. Vidi enim eos, quaſi greges in quodam arctiſſimo ſtabulo interclusos* (y). Simul, ubi primum nox ingruerit, partem ſuorum ad occupandum pontem abire jubet, ceteros, ſi tentato vado paludem ſuperaverint, caſtris circumfundi, omnique ex parte aggreſſionem facere imperat. Commodum Ruthenus in noſtrorum caſtra ab hoſte transfugerat, qui dum ad Colomanum, erat enim hic maxime, & unus omnium cauſa ſolicitus, adduceretur, paucis, quid hac nocte Tartari molituri eſſent, edocet, maximumque diſcrimen pro foribua eſſe nunciat, niſi pontem adverſus vim ſtrenue tuerentur.

Inſigni cum clade a Colomano, & Colocenſi Archi-Epiſcopo rejiciuntur.

Colomanus nihil periculi præſentia territus, Ugolinum Colocenſem Archi-Epiſcopum concubia nocte adit, de diſcrimine admonet, rogat, ne cum ſuis copiis ſe conjungere gravetur, adeſſe occaſionem rei fortiter gerendæ, haud alias redituram, opprimendos ex inſidiis Tartaroa, qui fraudem ex fraude adornatum irent, ſe in ejus conſilio, ac fortitudine plurimum ſpei ad felicem eventum reponere, modo ne inutili mora pulcherrimum facinus corrumperet. Adjectus eſt ſponte currenti ſtimulus, datoque ſuia ſigno ut in armis præſto eſſent, Colomano, qui ſuas copias jam eduxerat, ſe conjungit, ſilenteſque ad pontem feruntur. Cum ad alterum lapidem abeſſent, confuſis pugnantium vocibus de periculo ſociorum admoniti advolant, Tartaroſque, occupato jam ponte, ferocientes incredibili fortitudine aggreſſi partim cædunt, partim in flumen, ac paludem præcipites agunt, fuſis, fugatiſque omnibus, qui laborantibus auxilio venere. Victoria potitus Colomanus maximam militum partem cuſtodiendo ponti relinquit, ipſe cum Ugolino ad caſtra properat, ut regem, ac ceteros periculi commonefaceret (z).

Redeunt ſub diluculum & profligatis Hungaris caſtra circumdant.

Interea majoribus viribus aucti barbari ſub diluculum redeunt, advectiſque machinis, quibus ſaxa eminus ſcitiſſime jaciebant, noſtros de ponte deturbant, & confertiſſimis ordinibus fugientes inſequuti haud procul a caſtris conſiſtunt. Noſtris clamore fugientium ex ſomno experrectis nec conſilium, nec animua ad pugnam in promtu erant; univerſos enim barbaros adeſſe rati, magis fugam, quam defenſionem apparabant: quoad Colomanus, eductis Ugolini, ac Magiſtri militiæ templi copiis in hoſtem illatus, & ſpatium noſtria fecit, ut ſe a metu revocarent, & magna fortitudine dimicana ingentem ſtragem edidit.

Colomanus vulnere perſtringitur.

Sed cum apud barbaros recentes feſſis identidem ſuccederent, & ſenſim accreſcerent in immenſum numerum, ipſeque militiæ templi Magiſter cum maxima Latinorum parte occubuiſſet, admonitus ab Ugolino, caveret, ne ab reliquo exercitu excluderetur, tametſi vulnere perſtrictus eſſet,

x) Rogerius Cap. XXVIII.

y) Thomas Archidiac. Hiſt. Salon. Cap. XXXVII.

z) Archidiac. Hiſt. Salonit. Cap. XXXVII.

eſſet, pugnam per intervalla inſtaurans cum Ugolino itidem vulnerato, pedem in
caſtra retulit (*a*).

Hæc, partim priore, partim præſenti periculo omnibus attonitis, metus &
conſternatio ita jam occupaverat, ut, quid conſilii in deſperatis rebus caperent, ne-
mini prorſus occurreret, pleriſque ob inſtantis mortis imaginem præ ſtupore defixis.
Auctum malum eſt, cum omnis Tartarorum exercitus transvadata palude præter
omnium expectationem caſtra indagine obvallare niteretur. Nam, ut ſcribit Archi-
diaconus (*b*), „hora diei quaſi ſecunda -- univerſus Tartaricæ multitudinis exercitus
„veluti quædam Chorea, circumdedit omnia caſtra Hungarorum, & nitentes arcubus
„cœperunt undique ſagittare; alii vero in circuitu caſtrorum ignem apponere prope-
„rabant: videntes autem Hungari, ex omni parte hoſtilibus ſe cuneis circumſeptos,
„periit mens, & conſilium ab eis, nil jam de explicandis ſuis copiis, aut de ineun-
„do univerſali certamine poterant cogitare, ſed tanto malo attoniti, ibant circum-
„quaque, velut oves in ſtabulo, luporum morſus evadere perquirentes; hoſtes ve-
„ro undique circumfuſi, non ceſſabant jaculis, & ſagittis inſtare. At vero miſe-
„randa Ungarorum multitudo, omni ſalutis conſilio deſtituta, quid faceret, non vi-
„debat, neque enim alteri cum altero colloquium habere licebat, unuſquiſque ſibi
„ſolicitus, de communi ſalute nullus providere valebat, ſagittarum, & jaculorum
„imbrem non armis oppoſitis excipiebant, ſed dorſa vertentes, ad ictus cadebant
„paſſim tam crebri, ut de concuſſa illice diffluere glandes ſolent. Et cum omnis
„ſpes vitæ foret ademta, mors vero in omnium oculis hiando per caſtra videretur
„diſcurrere, rex, & princeps relictis inſigni ad fugæ præſidium ſe convertunt: tunc
„reliqua multitudo hinc crebris mortibus territa, hinc flammæ devorantis in gyro
„metu attonita, nil niſi ad fugam totis præcordiis æſtuabat. Verum cum tantis ſe
„poſſe malia eripere fugiendo intendunt, ecce alind malum domeſticum, & fami-
„liare incurrunt. Etenim cum viarum aditus funiculorum connexione, & tentorio-
„rum denſitate forent periculoſiſſime præpediti, dum curſim exire feſtinant, alter
„ruebat in alterum, nec minor videbatur ruina, quam ex ſui preſſura exercitus fa-
„ciebat, ac quam hoſtes ſagittarum ictibus inferebant. Videntes autem Tartari,
„quod in fugam verſus eſſet exercitus Ungarorum, quaſi oſtium quoddam apertue-
„runt eis, & permittentes eos abire, non impetuoſe, ſed pedetentim inſequeban-
„turs eos ex utraque parte, non ſinentes eos huc, aut illuc divertere: jacebant au-
„tem per vias infelicium opes, vaſa aurea, & argentea, purpurea indumenta, &
„arma copioſa: ſed Tartarorum inaudita crudelitas, nil curans de ſpoliis, omnem
„pretioſarum rerum parvi pendens prædam, in ſola hominum cæde graſſarunt. Cum
„enim viderent jam itineris labore deſeſſos, nec poſſe ad arma manus extendere,
„nec pedes ulterius ad fugam laxare, tunc cæperunt hinc, & inde jaculis infigere,
„gladiis obtruncare, nulli parcere, ſed omnes feraliter trucidare; cadebant a dex-
„tris, & a ſiniſtris hibernalium foliorum inſtar, jacebant per totam viam miſerorum
„proſtrata cadavera, fluebat ſanguis more torrentis fluvii, infelix patria filiorum in-
„fecta cruore, longe lateque rubebat. Tunc miſerabilis multitudo, quam nondum
„devoraverat gladius Tartarorum, ad quamdam paludem venire compulſa, non eſt
„permiſſa diverſam ingredi viam, ſed urgentibus Tartaris in eam ingreſſa eſt para
„maxima Hungarorum, ibique ab aqua, & luto pene omnes abſorpti ſunt, & ex-
„ſtincti.„

Hoſtis ſuppoſito caſtris igne promiſcue in vulgus ſævit.

Hic pugnæ ab hominum memoria infeliciſſimæ exitus fuit. Cecidere eo præ-
lio præter Mathiam Strigonienſem, & Ugolinum Colocenſem Archi-Epiſcopos, Geor-
gius Jaurinenſis, Raynoldus Tranſilvanus, & Nitrienſis Epiſcopi. Bartholomæus Quin-
queeccleſienſis ægre fuga diſcrimini ſubductus eſt: Optimatum ac Nobilium nec nomi-
na nec numerus conſignata ſunt, tametſi conſtet pleroſque e Primoribus Hungariæ vi-
ris fatali illa clade periiſſe.

Cædes Epiſcoporum, & optimatum.

Atque hæc inclinante in veſperam die patrata: ubi nox adfuit, defeſſis jam,
& ceſſantibus Tartaris (ut ſuperiorem locum Archidiaconus proſequitur) „non pate-
„bat liber tranſitus volentibus fugere, quocunque mediis tenebris divertebant, im-
„pingebant in corpora miſerorum, ſpirantium adhuc, aut ſub vulnere gementium,

Immanis Tartarorum in captivos barbaries.

a) Idem ibid.

b) Ibid.

„jacebant ex majori parte letali ſomno immobiles, velut utres flatibus tumefacti:
„horror ingens erat, prima nocte cernere tam multa cadavera hominum, velut li-
„gna & lapides ubique jacentium, ſed diebus ſequentibus aſſuetudo mali horrorem
„in tutelam mutavit. Nonnulli etenim tota die diffugere non audentes ſemetipſos
„interfectorum ſanguine involvebant, & inter cadavera latitabant, & ſic vivi amor-
„tuis tutelæ refugium obtinebant. Quid vero commemorem de immani ſævitia,
„quam in civitatibus, & villis diebus ſingulis exercebant, cum imbellem turbam
„mulierum, ſenum, & infantium congregantes faciebant uno ordine conſidere, &, ne
„veſtes macularentur ſanguine, neve carnifices laſſarentur, indumenta prius omni-
„bus detrahebant. Et tunc miſſi carnifices, ſingulorum brachia elevantes, figebant
„leviter telum in corde, & extinguebant omnes. Præterea mulieres Tartarorum,
„virili more armis accinctæ, in pugnam audacter ferebantur, ut viri: hæ in mulie-
„res captivas atrocius ſæviebant. Si quas enim venuſtiori vultu cernebant, ex
„quibus zelotypiæ motum poſſent aliquatenus formidare, ſtatim extracto gladio pe-
„rimebant, vel ſi quas videbant, ad ſerviendum habiles, præciſo totaliter naſo, de-
„turpata facie, ſervili miniſterio deputabant; pueros quoque captivos ad ſe venire
„jubentes, tale de ipſis ludibrium faciebant. Primo ſeriatim eos conſidere jubebant,
„deinde vocatis ſuis parvulis dabant eis viridium lignorum vectes ſingulos, & tunc
„præcipiebant, ut in capita percuterent miſerabilium parvulorum, ipſæ vero ſeden-
„tes, crudelibus oculis intuentes corridebant ad invicem, collaudantes eum, qui
„melius ictum vibraſſet - -. Quid pluribus opus eſt, nulla erat reverentia feminei
„ſexus, nulla pietas puerilis ætatis, nulla miſeratio ſenectutis, uno cunctos impie-
„tatis genere trucidantes, non homines, ſed dæmones videbantur. Ad religioſo-
„rum habitacula cum venirent, procedebat eis Clericalis cœtus, ſacris ſtolis induti,
„concinentes hymnos, & cantica, quaſi debitam honorificentiam victoribus exhi-
„bentes, & parantes munera, xenia, ut eorum circa ſe miſericordiam provocarent,
„ſed ipſi totius pietatis, & humanitatis ignari, religionis obſequia contemnentes, &
„piam eorum ſupplicationem extractis gladiis abſque ulla miſeratione ipſorum capita
„detruncabant. Tunc irruentes in Clauſtra diripiebant omnia, domos ſuccendentes,
„Eccleſias profanantes diruebant altaria, ſpargebant reliquias, ex ſacratis veſtibus,
„concubinis, & uxoribus redimicula præparabant.

Rex ægre fuga ſubductus primum in Poloniam, tum in Auſtriam evadit.

Sed hæc, ſi cum iis, quæ poſtea a ferociſſima gente acta ſunt, comparentur, levia videri poſſunt. Colomanus, quamquam vulnus, quod in nuperna pugna acceperat, grave eſſet, ubi omnia jam conclamata vidiſſet, ſalutis publicæ cauſa compendio viarum uſus Peſtinum defertur, admonitiſque omnibus, ut ſaluti ſuæ conſulerent, in provinciam Simigienſem defertur, inde Sclavoniam petiturus, ut novis ſupplementis accepta prælio jactura reparari poſſet (*c*). Rex equo Andreæ Forgacsii, quem illi contemto vitæ periculo ſuppeditarat, ex periculo eluctatus, continente fuga Turoczienſem ditionem attigerat, in Polonia apud Boleslaum generum opem, & auxilium quæſiturus: ſed dum hunc cum filia pari calamitate implicitos in eadem provincia obvios habuiſſet, Poſonium contendit: inde, quoniam haud ſatis tuta ſtatio futura videbatur, uxore cum prolibus, & regni corona in Dalmatiam dimiſſa, ad Fridericum Auſtriæ Ducem, veteranum amicum, & fœderatum conceſſit (*d*).

Barbari diviſis ſpoliis fraude Hungaros circumducunt.

Tartari, fuſis, fugatiſque noſtris, rei feliciter geſtæ nuncios ad populares ſuos miſere: tum omne ſtudium dividendis ſpoliis datum. Inter hæc dum ſigillum regis reperiunt, novam fraudem machinantur. Scribendi gnaros, quorum non pauci in captivorum numero erant, minis, & pollicitationibus adigunt, ut litteras regis nomine ad Hungaros in hæc verba exararent: *Canum feritatem, & rabiem non timeatis; nec veſtris de domibus vos movere audeatis: Licet enim propter quamdam improviſionem tum caſtra, tum tentoria reliquerimus; paulatim tamen, Deo nobis propitio, eadem recuperare intendimus, contra illos prælium virtuoſum inſtaurantes. Unde tantum orationi vacetis, ut miſericors Deus adverſariorum noſtrorum capita a nobis permittat malleari* (*e*). Hoc dolo plerique, tunquam res a noſtris non prorſus infe-

liciter

c) ROGERIVS Cap. XXVIII.
d) TIMON in Epitome Chronol.
e) ROGERIVS Cap. XXXI.

liciter geſta eſſet, in fraudem ioducti, periculorum, & hoſtis ſecuri barbaris præda fiebant. *Nam* (ut Rogerius calamitatum illius temporis luculentiſſimus teſtis ſcribit) *tantam illarum certitudini litterarum fidem dedimus, quod, licet omni die contrarum cerneretur, tamen, quia in terra illico guerrarum turbatio ſupervenit, ob hoc ad ſciendum rumores, nuntios mittere nullatenus poteramus, contrariumque credere nequibamus* (*f*).

His machinationibus brevi tempore, totam, quæ trans danubium eſt, Hungariam ſui juris fecere. Cladis acceptæ ſama, & barbaries, qua promiſcue in omne hominum genus graſſabantur, opinione citius totam Europam pervagata, plerosque ingenti metu conſternavit, Fridericus Imperator, etſi in Italia morabatur, certis tamen nuociis, quidquid io Hungaria actum fuiſſet, haud multo poſt comperit, Regique Angliæ, ceteriſque in eandem fere ſententiam perſcripſit. Non erit abs re, ſi litteras has, quod, quæ hactenus narrata ſunt, in luce clariore ponant, quamquam prolixiores ſint, annalibus inſeramus (*g*).

FRIDERICVS IMPERATOR - - REGI ANGLIAE SALVTEM.

Friderici Imp. ad regem Angliæ litteræ, quibus cladem Hungarorum prolixe deſcribit, parum tamen æquus in Belam.

„Rem, quæ tam Romanum imperium - - quam cuncta mundi regna Chriſtiano cultui dicata ſpeciali zelo contingit, toti reipublicæ univerſæ Chriſtianitatis excidium generale comminatur, & quamquam ad noſtram rei geſtæ veritas ſero perveoerit, quin ad veſtram notitiam referamus, tacere non poſſumus. Egreſſa enim dudum ex ultimia mundi finibus de regione Auſtrall, quæ diu ſole ſub torrida zona toſta latuerat, quæ poſtea verſus partes Boreales occupatis violenter regionibus, diu manens, ut bruchus multiplicatur, gens barbaræ nationis & vitæ, quo neſcimus a loco vel origine Tartari nuncupata, non abſque præviſo DEI judicio ad ſui populi correptionem, & correctionem, non utinam ad totius Chriſtianitatia diſpendium ad hæc noviſſima tempora reſervatur. Sequuta eſt igitur publica clades, communis regnorum deſolatio, & terræ fertilia exterminium, quam gens impia peragravit, ut ſexui, ætati, vel dignitati non parcat, & reliquum genus humanum delere confidat, dum ubique terrarum per immenſam, & incomparabilem eorum potentiam, & numerum ſola dominari ſatagat, & regnare. Datis igitur in necem, & prædam cunctis, quæ poterant oculi eorum conſpexiſſe, ac univerſali depopulatione poſt terga dimiſſa, dum ad populoſam Cumanorum coloniam perveniſſent dicti Tartari, imo Tartarei, quibus vitæ prodigis, arcus arma magis ſunt familiaria, cum laoceis miſſilibus, & ſagittis, quarum uſus apud eos eſt continuus, & fortius aliis exerta habent brachia, ipſos peoitus diſſipatos devicerunt, & quos fuga non eruit, cruentatus eorum gladius interemit. Quorum vicinitas Rutheoos, ab eis non multum diſtantes, vix cautos efficit, & munitos; ut ignotæ gentis inſoliti ab eorum iocurſibus ſibi, prout ignis exterrebat, intenderent præcavere, ſaltem ſibi conſulentes. Advolant nempe ſubito ad prædam, & exterminium. Ad repentinos igitur impetus, & illius barbaricæ gentis aggreſſus, quæ velut ira DEI, & fulgur ſe raptim jaculatur, expugnata, & capta ejuſdem regni Cleva (*b*) civitatum maxima, tum illud nobile regnum, cæſis ſuis habitatoribus, in deſolationem cecidit devaſtatum.

„Quod cum contermino regno Hungarorum fuiſſe debuit ad cautelam, robur, & munimen, ſprevit negligenter. Quorum rex deſes, & nimia ſecurus, per Tartarorum nuncios, & litteras requiſitus, ut, ſi ſuam vitam cuperet, & ſuorum, per ſuam, & regni ſui deditionem eorum gratiam feſtinus præveniret: nec ſic perterritus, aut edoctus ſuis, vel aliis præſtitit documentum, ut & ipſe, & ſui ſe maturius ad eorum protecti præmunirent iocurſus. Sed hoſtium contemtores, elati, vel neſcii, dum inimico vicinante ſegnes dormitarent, loci nativo munimine confidentes, ipſi more turbinis intrantes eos undique circumdabant repentini. At Hungari ante expectatum circumdati, & oppreſſi velut imparati, ipſis objicere caſtra contenderunt. Et cum diſtarent quinque tantum milliaribus hinc exercitus

f) Idem ibid.

g) Matthæus PARISIVS Hiſt. Anglic. Editionis Tigurinæ 1589. pag. 539. &c.

b) Id eſt, Kioviam ad Borysthenem ſitam.

1241.

„ Tartarorum, inde Hungarorum, irruerunt raptim in auroræ crepuſculo Tartarorum
„ præambuli, & ſubito caſtris Hungarorum circumdatis, interfectis primo Prælatis,
„ & Majoribus de regno, qui ſe objecerant, cæſis, infinitam Hungarorum multitu.
„ dinem gens inimica trucidavit, ſtragem faciens inauditam, cui ex antiquiſſimi lapſu
„ temporis, in uno belli conflictu vix recolitur fuiſſe conſimilia. Ex fuga igitur rex
„ vix elapſus equo raptus velociſſimo. Qui raro ſatellite ſtipatus aſſociato, ad fra-
„ ternam Illyrici regni (i) ſortem, ut ſaltem ibidem protegeretur, fugitivus avola.
„ vit. Victores igitur caſtris, & ſpoliis victorum inſederunt exſultante. Jam jam-
„ que majorem & nobiliorem Hungariæ partem ultra Danubium fluvium, & incolas
„ ejus ferro, & flamma feraliter vaſtantes, cetera confundere minantur procacciter,
„ prout per venerabilem Vacienſem Epiſcopum, dicti Hungariæ regis Legatum ad
„ noſtram curiam, & poſtea ad Romanam didicimus deſtinatum. Hic per nos primo
„ tranſitum faciens, his teſtimonium perhibuit, quæ vidit (k), & teſtimonium ejus
„ nimis verum eſt. Nec non & hæc per litteras dilecti filii noſtri Conradi, in Re-
„ gem Romanorum electi, ſemper Auguſti, & Regni Hieroſolymitani hæredis, Re-
„ giſque Bohemiæ, Auſtriæ & Bavariæ Ducum, ipſis quoque nunciorum verbis, qui
„ de vicinitate hoſtium experimento ſunt edocti, plenius certificamur. Nec hæc
„ ſine magna animi perturbatione potuimus didiciſſe: ſane ſicut innotuit, & præam-
„ bula fama geſtorum proclamat, indeterminatus exercitus eorum in tres partes infe-
„ lices indultu Domini, damnandus conſultu diviſus proceſſus. Nam una per Rute-
„ nos transmiſſa, & ingrediente Poloniam, Princeps, & Dux terræ illius ab eorum
„ inſequenti exterminio ceciderunt, & deinde tota fuit per eos illa regio devaſtata.
„ Secunda Bohemiæ fines ingreſſa eſt, & aggreſſa ſubſtitit, Rege illius terræ cum
„ ſuis conatibus viriliter occurrente. Tertia percurrit Hungariam, Auſtriæ finibus
„ vicinanda. Unde timor, ac tremor a furore nactus irruentium principium, ſingulos
„ excitant, & invitant: ad ipſorum obſtaculum urget neceſſitas, quæ incumbit peri-
„ culo cominus imminente, generale exterminium orbis terræ, præcipue Chriſtianitatis,
„ auxilium feſtinanter provocat, & ſuccurſum.

„ Hæc enim gens eſt feralis, & exlex, humanitatis ignara. Sequitur tamen,
„ & Dominum habet, quem obedienter colit, & veneratur, & nuncupat DEVM
„ terræ. Homines parvæ, ac brevis ſtaturæ ſunt, quantum ad longitudinem, ſed
„ ſolidi, lati, & propaginati, rigidi, ac fortes, & animoſi, ad nutum ſui Ducis ad
„ quælibet ambigua proruentes: vultus amplos, aſpectus torvos, clamores horribi-
„ les habent, cordibus conſonantes: cruda geſtant coria, bovina, aſinina, & equi-
„ na, inſutis laminis ferreis, pro armis muniuntur, quibus hactenus uſi ſunt, ſed,
„ quod non ſine ſuſpiriis dicere poſſumus, jamjam de victorum ſpoliis Chriſtianorum,
„ armis decentioribus elegantius muniuntur, ut propriis armis, irato DEO, turpius,
„ & anxius trucidaremur. Inſuper equis melioribus inſtaurantur, epulis lautioribus
„ reficiuntur, veſtibus pulchrioribus adornantur. Ipſi autem Tartari ſagittarii incom-
„ parabiles, utres ferunt artificialiter factos, quibus flumina transmeant indemnes
„ rapaciſſima, & paludes. Deficiente vero cibo, corticibus arborum, & foliis, &
„ herbarum radicibus dicuntur eſſe contenti equi eorum, quos adducunt, quos ta-
„ men velociſſimos inveniunt, & fortiſſimos in articulo neceſſitatis. „

Interpoſitis deinde querimoniis ob diſſenſionem, quæ ſibi cum Pontifice in-
terceſſerat, ita epiſtolam proſequitur: „ Dilectum autem Filium noſtrum Conradum,
„ ac ceteros Imperii noſtri Principes expreſſe transmiſimus, ut ad reprimendum in-
„ greſſus, & impetus hoſtium barbaricorum potenter occurrant. Serenitatem etiam
„ veſtram pro communi neceſſitate per Auctorem fidei noſtræ Chriſtianæ, Dominum
„ noſtrum JEſum Chriſtum præcordialiter adjuramus, quatenus vobis, & regno ve-
„ ſtro - - inſtantiſſima ſolicitudine, & provida deliberatione præcaventes, maturata
„ militum ſtrenuorum, & aliorum armatorum, & armorum ſubſidia non ſegniter
„ præparetis. - - Nam ſi quod abſit, Germaniæ fines invadant, nec inveniant
„ obſtaculorum repagula, pro foribus exſpectent ceteri venientis ſubito fulgura tem-
„ peſtatis,

i) Boleslaum Cracovienſem Ducem, Belæ generum intelligit.

k) Atqui Vacienſis Epiſcopus ad primam de irruptione Tartarorum famam cum Regina Poſonium abſceſſit: itaque hæc ex aliis audiarit, non per ſe ſit viderit.

„peſtatis, quam diverſis mundo contagiis inquinato, refrigeſcente charitate multo„rum - - divino judicio credimus emerſiſſe. Provideat ergo excellentia veſtra, & „dum communes inimici in vicinia regionibus debachantur, ad reſiſtendum eis ma„turatis conſiliis vobis conſulatis. Quoniam de terris eorum hac ſe moverunt inten„tione, vitæ pericula non curantes, ut totum ſibi, quod avertat Dominus, ſubji„ciant occidentem, fidemque, & nomen Chriſti pervertant, & evertant - - ſpe„ramus autem in Domino JEſu Chriſto, quo duce, quo prævio hactenus ab inimi„cis noſtris liberati triumphavimus, ut & hi, qui de Tartareis ſedibus proruperunt, „faſtu depoſito, expertis occidentis viribus, quas ſibi ſentient adverſantes, ad ſua „Tartara Tartari detrudentur. - - Datum in receſſu poſt deditionem, & depopula„tionem Faventiæ, tertio die Julii.„

Suſpicio multorum ſed improbabilis fuit, Fridericum Tartaros in Hungariam exciviſſe.

Hæc Fridericus ad Regem Angliæ: quæ ut maximam partem auditu accepta ſunt, ita illud, quod Belam deſidem prorſus, ac ad repellendam Tartarorum vim incurium ſcribit, non rite conſignatum eſt, quem Rogerius ea tempeſtate vivens, & caſtris regiis vicinus, mira in comparando milite cura, & ſolicitudine occupatum fuiſſe perhibet, etſi pleroſque Optimatum minus obſequentes haberet. Quin injecta non paucis ſuſpicio eſt, Tartaros a Friderico in Chriſtianos ex Aſia accitos fuiſſe (*l*), ſed cum nec de cauſa, nec de modo quidquam conſtet, prorſus difficulter adducor, ut credam. Ceterum Vacienſem Epiſcopum, cujus in litteris Fridericus meminit, Bela ab infauſto prælio ad Imperatorem Legatum miſerat, pollicitus, Regnum Hungariæ ejus ſe clientelæ dediturum, ſi immaniſſimum hoſtem ditionibus ſuis exigeret (*m*). Quod an præſtitum ſit, infra memorandi commodior locus erit.

Bela a Duce Auſtriæ captus, omnibus theſauris inhumaniter ſpoliatur.

Bela Poſonio in Auſtriam delatus, haud auſpicato ad Fridericum Auſtriæ Ducem venerat. Fridericus enim, ut ſcribit Pernoldus rebus geſtis coævus (*n*), *eum hoſpitio amice primum recepit, ſed poſtea coegit, ut omnes fere theſauros ſibi tradere deberet, pro reſtitutione damnorum, quæ Auſtriæ prioribus annis fecerat, & pro coactione ad ſolvendum ſibi aurum maximum, & pro extorto a Wiennenſibus tributo. Et quia ad hanc reſtitutionem non ſuffecerunt omnes pecuniæ, & monilia regis, debuit etiam duci magnam portionem terræ Hungariæ, Auſtriæ vicinam invadiare, quam dux contra Tartaros ſtatim munivit. Tunc Regem cum Regina* (*o*) *verſus Dalmatiam comitatus eſt.* Quanti pretii theſaurus Regi acceptus fuerit, non liquet: ſunt, qui ſeptem, alii novem, aut decem marcarum argenri millibus æſtimatum perhibeant (*p*). Ceterum nemo facile ſcriptorum eſt, qui inhumanum Friderici facinus vituperio non proſequatur, cum fugitivum Regem theſauria omnibus, uno in tam arctis rebus ad reparandam rem publicam nervo, & ſolatio per ſummum nefas ſpoliaret, qui ea in re omnes hoſpitalitatis, æquitatis, ac humanitatis leges prætergreſſus merito videri poteſt. Siquidem in mentem venire oportuerat, auri ſummam, quam Bela olim ab eo expreſſerat, in affectati regni pœnam, non prædæ ſtudio extortam fuiſſe, ut in loco a nobis prolixe narratum eſt. Sed ut potentium animi non omnia, quæ audent ex æquitate ſemper metiuntur ita, cum factorum rationem nulli reddere debent, facile ſpeciem inveniunt, qua ſe, ſi quid minus recte patratum ſit, tueantur.

Inde in Dalmatiam cum uxore, & optimatibus defertur.

Rex omnibus fortunis ſuis privatus, cum ad Hungariæ limites a Friderico deduceretur, Reginam cum Stephano, ut nonnulli putant (*q*) bimulo, Optimates pleroſque, ac infinitam pene Hungarorum multitudinem, quæ Tartarorum manus effugerat, offendit. Horum caterva ſtipatus Zagrabiam primum, tum in Dalmatiam defertur, veritus ut ab injuria, & vi Tartarorum, ſi eos iſthuc, ut poſtea evenit, vaſtitatem perferre contingeret, ſatis tutus cum conjuge eſſet. Haud multo poſt, quam in Sclavoniam appuliſſet, nova Regem calamitas excepit, dum Colomanum fratrem, in quo ſpes omnes collocarat, ex vulnere, ſuperiori pugna acce-

l) Paaisius Hiſt. Anglic. pag. 542.

m) Petrus de Vineis Epiſt. Lib. I. cap. XXX.

n) In Chron. ad an. 1241.

o) Plerique tamen, ut ſupra notavi, Reginam Poſonio recta in Dalmatiam delatam ſcribunt.

p) Rogerius cap. XXXII.

q) Timon in Epitome Chronolog. quamquam ex Andreæ regis Epiſtola ad Pontificem, quam ſuo loco inferui, fera conficiatur, jam provectioris ætatis fuiſſe.

pto, obiiſſe audiret. Conditus eſt maximarum virtutum Princeps, *Cſaſmæ* in Monaſterio Prædicatorum, tumulo dedita opera oculis humanis ſubducto, ne Tartarorum, qui ſepulcra, prædarum ſpe, paſſim temerabant, injuriis pateret.

Tartari Peſtinum obſident.

Interea cædibus, ac luctu miſerimum in modum Hungaria complebatur. Tartari poſt adeptam victoriam vicina circumquaque loca depaſti, furorem in Peſtinenſes primum omnium exeruere. Admonitos cives cum reliquis, qui ſalutis cauſa iſthuc confluxerant, a Colomano, ut ſibi conſulerent, alias narravimus. Illi tamen partim virtuti ſuæ, partim urbis præſidio, ac confluenti in dies populo confiſi, effoſſis vallis, compoſito aggere, ac ceteris militaribus operibus pro temporis anguſtia ſtructis, defenſionem adornabant; felices, ſi principio exitus reſpondiſſet. Verum munimentis nondum ad faſtigium eductis, barbari ex improviſo urbem obſidione cingunt, acerrimeque oppugnant. Protracta eſt obſidio defendentium virtute in tertium diem, baliſtisque, & id genus machinis maxima barbaris damna illata: verum quod hoſtes ſagittis veneno illitis uterentur, neque commeatus, qui tantæ multitudini ſatis eſſet, urbi antea importari potuerit, partim fame, partim cædibus attenuati defenſionem languidius apparabant: quo cognito Tartari, atque id, quod erat, ſuſpicati, validius oppugnationem omni ex parte inſtaurant, ſubrutiſque muris urbe potiuntur. Non eſt facile dictu, quanta immanitate in captos furerent, centum millia promiſcue cæſa perhibent, adeo, ut danubius cæſorum ſanguine, taboque ſpatio bene longo ruberet (*r*).

Captaque urbe ingentem cædem edunt.

Inter Tibiſcum, & Cryſium amnes fæda populatione omnia vaſtant.

Ex capta urbe ſedem belli conſtituere, ex qua reliquam Hungariam ultra, citraque danubium ſitam percurſarent. Et ne tempus ingruente ſenſim hieme interciperetur, quidquid cis flumen ad Tranſilvaniæ montes fuit, in primis ad Cryſium amnem fœdiſſime populati ſunt. Varadino urbi in ea Provincia munitiſſimæ præcipue inhiabant. Quæ quod ceteris ad vim hoſtium propulſandam commodior videretur, *undique illuc nobiles* (ut ſcribit (*s*) Rogerius ejus urbis tum Canonicus) *tam dominæ, quam mulieres populares innumerabiles convenerant. Et licet Epiſcopus cum quibuſdam Canonicis exinde receſſiſſet, ego tamen cum remanentibus eram ibi: & cum caſtrum ex una parte dirutum cerneretur, amplo muro illud fecimus reparari, ut, ſi Civitatem defendere non poſſemus, ad Caſtrum refugium haberemus. Cumque uno dierum ſubito adveniſſent, & eſſet in Civitate ſub quodam dubio mora mea, caſtrum intrare nolui, ſed auffugi in ſilvam, in qua diu, prout potui, latitavi. Ipſi tamen ſubito Civitatem capientes, & pro majori parte comburentes, tandem nil extra muros Caſtri penitus dimiſerunt, & receptis ſpoliis tam viros, quam fœminas minores, & majores interfecerunt in plateis, domibus, & campis - - . Quibus peractis ſubito exinde receſſerunt, & omnia in receſſu receperunt, & longe a Caſtro ſe per quinque milliaria poſuerunt, & ad Caſtrum per multos dies nullatenus acceſſerunt, ſic, ut illi de caſtro cogitarent, eos propter caſtri fortitudinem receſſiſſe. Nam magnis munitum erat foſſatis, & turribus ligneis ſuper muros, & multi loricati milites erant ibi, ita, ut dum Tartari ad reſpiciendum interdum accederent, milites Hungari velociori curſu eos inſequi procurarent. Et cum plurimis diebus ad caſtrum non accederent, & crederetur, quod ex toto inde receſſiſſent, milites, & alii, qui in caſtro erant, de receſſu eorum habentes fiduciam, caſtro quam plurimi exierunt, & domos, quæ remanſerant extra caſtrum, cœperunt communiter habitare. Et ſic in aurora eos Tartari, qui ubi eſſent, ſcire non poterant, invadentes, magnam ipſorum partem, qui nequierunt ad caſtrum fugere, necaverunt. Et caſtrum illico circumdantes, ex oppoſito ad murum novum ſeptem machinas poſuerunt, & die, noctuque cum eis emittere lapides, quouſque novus murus dirutus eſt ex toto, nullatenus ceſſaverunt, & turribus dirutis, atque muris congreſſum dederunt, & caſtro per violentiam occupato, ceperunt milites & Canonicos, & alios, qui non fuerunt in occupatione caſtri gladio interemti. Dominæ vero, Domicellæ, & puellæ nobiles ſe in Eccleſiam cathedralem recipere voluerunt.*

Varadinum partim dolo, partim vi occupant.

Ipſi vero Tartari fecerunt arma a militibus ſibi dari, & per tormenta duriſſima, quidquid habuerunt, a Canonicis extorſerunt. Et quia Cathedralem Eccleſiam ſubito intrare nequiverunt, igne appoſito Eccleſiam, & dominas, & quidquid erat in Eccleſia combuſſerunt. In aliis vero Eccleſiis tot ſcelera de mulieribus patrarunt, ut tutius ſit ſubticere, ni hominum

r) Rogerius Cap. XXVIII. & Thomas Archidiac. Hiſt. Salonit. Cap. XXXVII.

s) Cap. XXXIV.

homines ad nequiſſima inſtruantur. Nobiles, Cives, milites, & Canonici extra Civitatem 1241.
in campo fuerunt omnes ſine aliqua pietate jugulati. Poſt hæc ſanctorum ſepulcra totaliter everterunt, & pedibus ſceleratis reliquias calcaverunt, thuribula, cruces, & calices aureos, & vaſa aurea, & alia dedita ad altaris miniſteria comminuerunt. Introducebant ad Eccleſias mixtim viros, & mulieres, & poſt turpem illorum abuſionem eosdem ibidem necabant. Poſtquam autem omnia everſa ſunt, & fœtor intolerabilis procederet ex corporibus defunctorum, exinde receſſerunt, & tantum locus ſolus remanſit. Credibile eſt, tumulum D. Ladislai munificentia regum donis auro, & argento ditiſſimis ornatum rapaciſſimorum hominum manibus temeratum quoque fuiſſe, niſi ſacras exuvias ad primam ingruentis periculi famam diſcrimini ſubductas opinemur.

Sub hæc Fridericus quoque et Auſtria in Hungariam procurrit.

Hæc cum inter Cryſium, & Maruſium fluvios ad orientem a Tartaris crudeliſſime fiunt, Fridericus Auſtriæ Dux, quod in fœderato, & Chriſtiano Principe mirum videri poteſt, ad occidentem pene iſtorum more Hungariam fœde vaſtabat. Jaurinum infeſtis armis progreſſus urbe nullo negotio potitur; ad arcem cum adhæreret, confluentibus undique ad defenſionem Hungaris, ex urbe turpiter quoque ejicitur. Eo dedecore ita æſtuaſſe præ iræ vehementia Ducem ferunt, ut Hungaros, quos data fide prius in Auſtria receperat, immenſa pecuniæ ſumma mulctaret (*t*).

1242.

Bela Imperatori Hungariam clientelarem offert, ſi Tartaros regno exegerit.

Malis his modum, non finem hiems impoſuit. Neque ſpes auxilii a finitimis ulla, minime a Friderico Imperatore affulſit, qui toto animo relicta Germania in Italiam ferebatur. Conradum quidem filium, ubi diſcrimen Hungariæ, ac Europæ univerſæ ab obſcœniſſima gente imminere ex Vacienſi Epiſcopo intellexiſſet, miſſurum ſe pollicitus, qui Tartarorum impetum refringeret, immo barbaros homines toto regno exigeret, ratus, Hungariam ſecundum pacta, quæ Bela per Vacienſem Antiſtitem offerebat, imperio Romano ſubjectum iri. Tuleritne ſuppetias noſtris Conradus, aut quo eventu, & fortuna rem cum Tartaris geſſerit. incompertum eſt. Pariſius quidem, ſed incerta prorſus fide, in hæc verba narrationem texit (*u*): *Per eosdem dies rex Hungariæ expulſus de regno ſuo per Tartaros ad alas protectionis Imperialis convolavit, ab eodem in tali articulo conſilium efficax, & auxilium contra communes hoſtes petiturus. Habito igitur diuturno, & ſecretiſſimo conſilio, procuratum eſt, quod Dominus Imperator ab irruptione hoſtili & barbarica potenter regnum Hungariæ liberaret, ut ſcilicet dictus rex regnum illud liberatum, & pacificatum ab ipſo imperatore, & deinceps ab Imperio teneret, quaſi a Domino capitali - - . Miſſo igitur innumerabili exercitu Imperator regnum memoratum non ſine magnis ſumtibus & periculis ab inhumanis Tartaris liberavit, & eoſdem procul a finibus regni potenter & prudenter eliminavit. - - Igitur liberato regno Hungariæ & regi pacifice reſtituto ſubjecta facta eſt Hungaria Imperio, & obligata in trecentis militibus, & eorum ſequela, Imperatori in confiniis pugnaturo fideliter exhibendis.*

Sed id nunquam præſtitit Fridericus.

Exterorum ſcriptorum in hoc argumento errores.

Hæc ad verbum ex Pariſio depromere libuit, ut nænias has, quamquam jam exoletas, quoniam locus poſcere videbatur, illuſtrarem. Ut enim refragari nolim, Belam, cum res conclamatæ jam eſſent, regnum Friderico in clientelam obtuliſſe, ſi id adverſus Tartarorum vim tueretur, quoniam hanc pactorum conditionem ipſe Fridericus in epiſtola (*x*) diſerte commemorat, credibile autem non ſit, Imperatorem illiberale commentum ex ſeſe confinxiſſe; tamen, quod priore anno ingentem de Jauenſibus victoriam in Italia reportaſſet, præſentem autem in comparanda adverſus Piſanos, & Venetos claſſe penitus tereret, ut Chronographi illorum temporum habent, non video, quem in modum Hungariam Fridericus ab ea barbarorum illuvie liberarit. Nihilo melioris momenti eſt, quod idem Pariſius alio loco in hæc verba conſignavit (*y*). *Complete igitur voto - - miſit idem Imperator Henricum filium ſuum - - ad fratrem Conradum, qui cum innumerabili exercitu ex diverſis finibus imperii*

t) Rogerius Cap. XXXIV.

u) Hiſtor. Anglic. pag. 598.

x) Apud Petrum de Vineis Lib. I. Epiſt. cap. XXX. „Ecce enim, quod rex Hungariæ Regnum noſtræ ditioni ſubjecit, dummodo defenſionis noſtræ clypeo protegatur.„ Et Richardus de S. Germano in Chron. ad an. 1241. „Ipſe rex Ungariæ ſignificavit „eidem Imperatori, per Vacienſem Epiſcopum Legatum ſuum, & per litteras ſuas, per „quas ſe ipſum, & regnum ſuum Ungariæ, ſuæ „promittit ſubjicere ditioni, dummodo per „ipſum Imperatorem ab ipſis Tartaris protectionis ſuæ munimine defendatur.„

y) Hiſt. Anglic. pag. 545.

1242.

perii collecto, Tartarorum, & Cumanorum impetum repellere parabat, ut alter alterius fra-
tris ſolatio mutuo roboraretur, & milite copioſiore ſtiparetur. Duxit autem ſecum quatuor
millia equitantium juſſu patris, & peditum manum non minimam. Qui cum aliis adjuncti
fuiſſent, quibus venerant in ſubſidium, incomparabilem exercitum conflaverunt. Quo com-
perto hoſtium ſiluit jactantia, & arrogantia tepuit refrenata. Facta namque quadam con-
greſſione cruentiſſima juxta ripam fluvii Delpheos, non multum a Danubio diſtantis, multis
utrobique cauentibus, tandem Deo propitio repulſus eſt hoſtilis exercitus, licet nullo numero
poſſet comprehendi. Fluvium *Delphos*, ad quem manus cum barbaris confertæ ſint, fru-
ſtra io Hungaria quæſieris; neque Tartari prius, quam altero abhinc anoo, idque ſpon-
te, quando jam nihil, quod corradereot, ſuperabat, regno exceſſere: adeo com-
mentis referta eſt Pariſii narratio. Sed de his hactenus.

Tartari ipſa hieme Strigonio inhiant.

Tartari inclementiam hiemis nihil morati, Strigonio urbi, quod totius Hungariæ id temporis celeberrima eſſet, imminebant. Favebat barbarorum conatui tempus quoque præter opinionem: cum enim Daoubius ob frigoris vehementiam & nivium copiam in glaciem duratus eſſet, facilem commeantibus in adverſam ripam aditum præbiturus videbatur, niſi noſtrorum ingenium periculi præſentia exacuiſſet. Nam quacunque tranſitum moliri poſſe hoſtem putabant, cæſa minutim glacie ingentes in medio daoubio hiatus fecere, quibus ſi cominus barbari fierent, aut pondere armorum, aut fallente veſtigium pede abſorberentur, fuitque dies non paucos utrinque in ipſa glacie acerrime pugnatum, illis operas impedire connixis, ooſtris contra laborem naviter pertendentibus, quoad aſperrima ab hominum memoria ingruens bruma laborem omnem inutilem feciſſet. Neque tamen Tartari durato glacie danubio fidere auſi, ad hæc ooſtrorum quoque veriti virtutem, dolum in hunc modum commioiſcuntur. Ingentem equorum, ac jumenrorum copiam temere in ripa oberrare ſinunt; ipſi proximos ſaltus petunt, treſque integros dies videri deſierant, quaſi deſperatis rebus receptui cecinerint. Noſtri, quamquam primum inſidias ſubeſſe arbitrarentur, tamen quod triduum nemo barbarorum ſe aſpectabilem præbuiſſet, abiiſſe hoſtem rati, jumenta trans danubium ad citimam ripam agunt, ſpoliis, & barbarorum abitu mirum in modum læti. Sed hi, quid rerum ageretur, ex in ſidiis coonſpicati, cum primum noſtros periculi incurios vidiſſent, repeote danubium tanto numero tranſmittunt, ut omne; quod montibus interceptum eſt, ſpatium confertiſſimis ordinibus replerent (z).

Urbemque obſidione cingunt.

Erat urbs foſſis, vallis, ac turribus adverſum inſultus hoſtium ſatis communita: arx vero mooti, qua flumen reſpicit, arduo ac prærupto incumbens, non urbi modo, ſed finitimæ plagæ late dominans. Ad hæc militum copia ex Hungaris, Francis, & Lombardis noo mediocri numero conflata, quodque maximum fuit, inita ſæpe cum barbaris velitatione, illorum moris, quo in præliis utebantur, noo expers. Addebat illud quoque animos, quod Tartaros, qui per intervalla eminus non tam pugnandi, quam explorandi cauſa, urbi appropinquarant, ſolida operum militarium compaginatione territos, ab aggreſſione abhorrere ſibi perſuadebant. Sed illi captaro rempore urbi ex improviſo circumfuſi ingentem faſcium numerum per captivos ad foſſæ ſupercilium deferre jubent, quibus & murorum altitudinem æquabant, & adverſus obſeſſorum tela ſuos incolumes præſtitere. Tum advectis triginta muralibus machinis mænia nocte dieque quatere incipiunt, tanta vehementia, ut muri quaquaverſum defenſoribus nudarentur. Obſeſſi viſo barbarorum ingenio, deſperataque urbis ſalute ignem in ſuburbana injiciunt, cæſis equis, infoſſoque terræ auro, & argento, quidquid pretioſæ ſupellectilis erat, ne hoſti in prædam cederet, flammis addicunt. His dum turres, ac murorum pars forte fortuna corripirur, Tartari occaſiooe utendum rati, facto in portam impetu, momento urbem capiunt, ac cædibus in omnes promiſcue graſſantur. Ferunt tam immaniter hoſtem ſæviiſſe, ut vix quindecim præcipitata in proximos ſaltus fuga ſalutem conſequerentur. A cæde ad rapinas converſi, cum vacua omnia ſpe ſua fruſtrati reperiſſent, vivos lento igne aſſabant, ut, quo loco theſauros, ac divitias coodidiſſent, cruciatuum dolore exprimerent. Arce quo minus potirentur, Simeonis Hiſpani militis, qui loco præfuit, virtute effectum eſt (*a*).

Qua non multo poſt admotis machinis potiuntur.

Cayda-

z) Rogerius Cap. XXXVIII.

a) Idem Cap. XXXIX.

Caydanus barbarorum Dux fugitivum regem in Sclavonia perſequitur.

Caydanus, qui hanc Tartarorum partem ducebat, ne quid moræ in capiendo rege, hujus enim erat cupidiſſimus, intercederet, relicto Strigonio Budam contendit, hac igni exuſta, Albam regiam petit, qua, quod eam Latini ſtrenue deferderent, & glacies intepeſcente ſeotim aura ſolveretur, præterita, citatis itineribus ad Dravum operabat. Bela, qui abhinc, quam ex Auſtria Friderici manus evaſit, Zagrabiæ ſubſtiterat, ubi crebris nunciis comperit, Caydanum appropinquare, convaſatis ſumma celeritate rebus, admonitiſque, qui ſecum erant, periculi cum regina, & prolibus in Dalmatiam ſe ſubduxit. Ut Spalatum contioente curſu rex attigerat, obvium Clerum cum primoribus civibus habuit, qui regia calamitatem miſerati, ſumma omnes benevolentiæ & humanitatis ſignificatione accepere. Neque bic tamen ſatis tutum ſe fore ratus, Tragurium mox conceſſit (*b*).

Qui periculo ſe ſubducens Spalatum, tum Tragurium, ac denique in Adriaticas inſulas ſe confert.

Atque id ſingulari Numinis beneficio eveniſſe videri potuit: paucis enim poſt diebus Caydanus ſumma celeritate Croatiæ ſuperatis mootibus, qua nulli hactenus uſitatum iter fuit, Spalatenſibus opinione citius iogruebat. Rumor de barbarorum adventu incredibilem adeo Hungarorum, ac Sclavonum copiam in urbem concivit, ut poſtquam domus refertiſſimæ hominibus eſſent, Nobiliſſimis quibusque ſub dio manendum fuerit. In urbem tamen nihil boſtile auſus eſt barbarus, quod cives advectis machinis eminus hoſtem peterent, & defenſionem, ſi quid moliretur, ſtrenuam, ac diuturnam apparare viderentur. Itaque partim virtute illorum, partim pabuli penuria, coactus, erat enim Martii principium, neque ſatis herbarum tanto equitatui, Cliſſæ arci, arduæ rupi impoſitæ exercitum admovit, fama multorum perſvaſus, in ea regem cum Optimatibus, ac maximo regni theſauro latere. Jamque arcem, improbo ſtudio per rupes reptantibus militibus oppugnare cœpit, cum intellecto Belam io maritima Traguriị urbe morari, illuc converſu itinere defertur. At rex mature de hoſtis conſilio commonefactus, conjuge & prolibus in inſulas, vaſtiſſimo freto ab urbe divulſas, traductis, navim conſcendit, ex eaque, in altum devectus, quid barbari molituri eſſent, eminus explorabat. Caydanus tam nobilem prædam ſibi elapſam ægerrime ferens, cum omnes aditus, ipſumque adeo fretum fruſtra diu tentaſſet, in ſuorum caſtra reverſus, nuncium ad Traguriensſes miſit, qui veniens prope pontem (ut narrat Archidiaconus) exclamavit voce magna Sclavonico (*c*). dicens: *hæc dicit vobis Dominus Caydanus, invictæ militiæ Princeps, nolite reatum alieni ſanguinis vobis appropriare, ſed tradite adverſarios ad manus noſtras, ne forte involvamini vindictæ eorum, & pereatis fruſtra. Sed murorum cuſtodes nil ad eorum verba reſpondere auſi ſunt. mandaverat enim rex, ut nullum eis redderent verbum. Tunc univerſa multitudo eorum inde conſurgens, via, qua venerat, reverſa receſſit. Sic ergo fere per totum Martium in Croatiæ, & Dalmatiæ partibus commorantes, quinque aut ſex vicibus ad Civitatis bas deſcendebant, & poſtea ad ſua caſtra redibant. Igitur relinquentes Croatiæ regionem tranſierunt per ducatum provinciæ Boſnenſis: inde deſcendentes abierunt per regnum Serviæ, quæ Raſcia nuncupatur, veneruntque ad civitates maritimas ſuperioris Dalmatiæ, & pertranſeuntes Raguſium, modicam enim illic potuerunt læſionem inferre, venerunt ad Catbarenſem civitatem, quam ignibus concremantes proceſſerunt ulterius, baſque civitates aggreſſi, Suagium, & Trivaſtum depopulati ſunt eas in ore gladii, non relinquentes in eis mingentem ad parietem. Iterum autem totam Serviam percurrentes in Bulgariam devenerunt, ibi enim uterque Dux, Batbus & Caydanus conduxerant ſuarum turmarum copias recenſere. Illi ergo ibi coadunati Curiam celebrarunt, & ſimulantes gratias exbibere captivis fecerunt per totum exercitum præconis voce clamari, ut, quicunque eſſet in comitatu eorum ſpontaneus, vel captivus, qui vellet redire in patriam, liberam ſe ſciret babere licentiam ex clementia Ducum. Tunc multitudo magna Hungarorum, Sclavorum, & aliarum gentium nimia exultatione repleti, data die de exercitu exierunt, & cum omnes conglobati duobus, aut tribus millibus proceſſiſſent, ſtatim miſſi equitum cunei irruerunt in eos, quos ſimiliter gladiis detruncantes in ipſa planitie proſtraverunt* (*d*).

b) Thom. Archidiac. Hiſt. Salon. Cap. XXXIX.

c) Ne quis propterea putet Tartaros fuiſſe Slavici generis. Ut enim Fridericus Imp. in ſuis Epiſtolis, & Rogerius in Miſerabili carmine prodiderunt, ſtipendiarios ex variis gentibus habuere.

d) Hiſt. Solonit. Cap. XL.

Tartari, qui in Hungaria ſubſiterant, Auſtriam invadunt.

Neque minor ſive rapinarum, ſive cædium furor eos, qui in Hungaria convulſo Strigonio reſtiterant, interea tenuit. Fruſtra tentata Alba, pars ad mentem Pannoniæ Divi Martini, qood magnam Nobilium turbam cum fortunis ſe iſthuc recepiſſe ex agreſtibus didiciſſent, prædarum ſpe advolarant. Sed dum loci Abbas, cum promiſcua confluentium undique multitudine viriliter ſe defenderet, re infecta theſaurorum helluonibus abeundum fuit. Quod ſi loci ejus tabularium, quod unum fortaſſe poſt Albenſe, & Strigonienſe ab eorum temporum injuria ſalvum, & intemeratum manſit, nobis pateret, haud dubium eſt, quin & rebus ea tempeſtate geſtis, & quæ deinceps patratæ ſunt, magna lux affundi poſſet. Inde quidquid ad Poſonium uſque tenditur, populationibus pervagati, in Auſtriam irrumpunt, propeque

Et Neoſtadium obſident.

Neoſtadium locatis caſtris urbem obſidione circumvallant, Viennamque per ocium procurrunt (e). Juvat; ut rem hic barbari geſſerint, ex Joannis Clerici Narbonenſis epiſtola ad Giraldum Burdegalenſem Epiſcopum data, quod is eo tempore oppido incluſus fuerit, & inſignem illius gentis inhumanitatem, mores, ac naturæ vitia, notarit, cognoſcere (f). „Sed ab eodem fratre (laico nimirum, ut ſcribit, cum quo Aquilejæ fuerat) „poſtero mane ſolus relictus Carinthiam pertranſivi ſolivagus,

Inde captis aliquot rejectis: inter quos Tartarorum nuncius genere Anglus.

„ac deinde in quodam oppido Auſtriæ, quod Teutonice Neüſtat dicitur, id eſt,
„nova Civitas, inter quoſdam novos Religioſos qui Beguini vocantur, hoſpitabar.
„Et in proxima Civitate Vienna, locisque circumjacentibus aliquot annos delitui - -.
„In hac demum æſtate ipſa gens - - quæ Tartari nuncupatur, Pannoniam, quam per
„traditionem ceperat, exiens, dictum oppidum, in quo tunc forte morabar, cum
„infinitis millibus obſedit truculenter. Nec erant ibidem in ipſo ex noſtris viri bel-
„lici præter milites quinquaginta, quos cum viginti baliſtariis Dux in munitione re-
„liquerat. Hi omnes ex quibuſdam eminentiis circumfuſum ſupervidentes exercitum,
„immanem abhorrebant ſævitiam ſatellitum Antichriſti, & aſcendentes ad Dominum
„Chriſtianorum planctus miſerabiles audiebantur, qui ſubito in circumjacente pro-
„vincia præoccupati, ſine delectu conditionis, fortunæ, ſexus, & ætatis omnes in-
„differenter diverſis ſuppliciis interibant. Quorum cadaveribus Principes cum ſuis
„cynocephalis, aliisque lotophagis, quaſi pane veſcentes, nihil præter oſſa vultu-
„ribus relinquebant. Sed quod mirum eſt, famelici, & edaces vultures, quæ for-
„te ſupererant, reliquiis veſci minime dignabantur. Mulieres autem vetulas & de-
„formes antropophagis, qui vulgo reputantur, in eſcam, quaſi pro diario dabant,
„nec formoſis veſcebantur, ſed eas clamantes, & ejulantes in multitudine coituum
„ſuffocabant. Virgines quoque uſque ad exanimationem opprimebant, & tandem
„abſciſſis earum papillis, quas Magiſtratibus pro deliciis reſervabant, ipſis virgineis
„corporibus lautius epulabantur.

„Videntibus interim ipſorum ſpeculatoribus ex cujusdam promontorii ſummi-
„tate, Ducem Auſtriæ, cum Rege Bohemiæ, Patriarcha Aquilegiæ, Duce Carin-
„thiæ, & Marchione, ut dicebatur, concomitante de Bade, cumque plurimo po-
„tentatu conterminorum, & jam ordinatas ad bellandum acies, totus ille nefandus
„exercitus repente diſparuit, omneſque illi curſores in miſerabilem Hungariam ſunt
„reverſi, qui, ut ſubito aderant, ſic & aberant repentini, unde magis omnes hoc
„videntes redduntur formidantes. Ex ipſis vero fugientibus Princeps Dalmatiæ cepit
„octo, quorum Dux Auſtriæ novit unum Anglicum natione, ſed propter quædam
„maleficia de Regno Angliæ perpetua baniatione proſcriptum. Hic ex parte regis
„nequiſſimi Tartarorum bis venerat ad Regem Hungariæ nuncius, & interpres, &
„mala, quæ poſtmodum contigerunt, ſatis manifeſte præmuniendo comminatus eſt,
„niſi ſe, & Regnum ſuum Tartareæ dederet ſervituti.

Ex hoc reſciſcunt nefandæ gentis religionem, & politicas artes.

„Hic a Principibus noſtris inductus ad dicendum veritatem de Tartaris, nul-
„lum viſus eſt prætermittere juramentum, ſed tanta conteſtatus eſt, ut & ipſi credi
„poſſet diabolo. In primis igitur de ſe ipſo narravit, quod inſtanter poſt tempus pro-
„ſcriptionis ſuæ, id eſt, ante triginta annos ætatis ſuæ, in Civitate Acon amiſſis in
„ludo omnibus, quæ habuit, in ipſa hieme nihil præter camiſiam de ſacco,
„calceos de bove, cappam de cilicio ſecum aſportans, ignominioſa com-
„pellente inedia cum infirmitate, tonſoratus omnino, ut fatuus - - multas provincias

„libere

e) Pernoldus in Chron. ad annum 1242. f) Apud Pariſium Hiſt. Anglic. p. 589.

„libere pertranſiſſet -- tantem ex nimietate laborum, & aſſidua æris mutatione,
„& ciborum apud Chaldæoa gravi languore detentus, & in tædium vitæ demerſus eſt.
„Non valens igitur procedere, vel reverti, paulatim reſpirando ibi commorans, cæ-
„pit, ut erat aliquantulum litteratus, ea, quæ ibi proferebantur, tabulis commen-
„dare, & cito poſtea tam recte proferre, ut indigena putaretur, & eadem facilitate
„didicit plures linguas. Ipſum igitur Tartari per exploratores ſuos eligentes, ſibi
„attraxerunt; & poſtquam de vendicando ſibi totius mundi dominio acceperunt re-
„ſponſum, multis ſibi donariis ad fidelitatem ſuam & ſervitium aſtrinxeruot, pro eo,
„quod interpretibus indigebant.

„De moribus autem eorum, & ſuperſtitione, de diſpoſitione corporum eorum,
„& ſtatura, de patria, & modo pugnandi, juravit, quod ſunt ſuper omnes homines *Mores,*
„avari, iracundi, doloſi, & immiſericordes. Sed rigore punitionis & immanitate *corporis,*
„pœnarum, per ſuoa ſuperiores inſligentarum a jurgiis, & mutuis deceptionibus, *vultuſque*
„& ſævitiis invicem coercentur. Principia ſuarum tribuum Deos vocant, & certis *habitum.*
„colunt temporibus ſolennitates eorum, multas quidem particulares, ſed tantum
„quatuor generales. Et propter ſe ſolos omnia credunt eſſe creata. In exercendo
„ſævitiam contra rebelles, nullum eſſe credunt peccatum. Habent autem pectora
„dura, & robuſta, facies macras, & pallidas, ſcapulas rigidas, & erectas, naſos
„diſtortos & breves, menta prominentia, & acuta; ſuperiorem mandibulam humi-
„lem, & profundam, dentes longos, & raros, palpebras a crinibus uſque ad naſum
„protenſas, oculos inconſtantes, & nigros, aſpectus obliquos, & torvos, extre-
„mitates oſſoſas, & nervoſas, crura quoque groſſa, ſed tibias breviores, ſtaturam
„tamen nobis æqualem: quod enim in tibiis deficit, in ſuperiori corpore compen-
„ſatur.

„Patria eorum tellus olim deſerta, & maximæ vaſtitatis ultra omnes Chal-
„dæos, de qua leones, urſos, & alias feras arcubus, & aliis machinis expulerunt. *Natale ſo-*
„De coriis earundem bullitis ſibi arma levia quidem, ſed tamen impenetrabilia coap- *lum, &*
„tarunt: Solent autem non maximis, ſed fortiſſimis equis, ac parvo pabulo con- *armorum,*
„tentis, inſidentes fortiter alligari. Jaculis, clavis, bipennibus, & gladiis inſatiga- *pugnan-*
„biliter, & fortiter dimicare. Sed prærogativam habent in arcubus, & argutam *tique ri-*
„induſtriam pugnandi. A tergo debilius armati, ne fugiant: non prius a conflictu *tum, &*
„recedunt, quam principale vexillum ſui Ducis videant retroire. Victi quoque non *genus.*
„ſupplicant, & vincentes non parcunt. In voluntate, & propoſito ſubjiciendi ſuo
„dominio totum mundum perſiſtunt omnes, quaſi vir unus, nec poſſunt tamen mil-
„lia millium computari. Satellites vero, numero ſexcenta millia, cum ad manſio-
„nes exercitui præparandas præmittuntur, properantes in equis curſoribus, ſub unius
„noctis ſpacio tranavolant tres diëtas; ſe ſeque ſubito per totam diffundentes pro-
„vinciam, univerſum populum inermem, immunitum, & diſperſum præoccupantes,
„tantam faciunt ſtragem, ut rex, vel Princeps terræ obſeſſæ, quos contra eos ador-
„net, & in bello ordinet, non inveniat.

„Omnes populus, & Principes regionum ſecundum non cauſam, ut cau-
„ſam tempore quietis decipiunt. Nunc ſe propter Magos reges, quorum ſacris cor-
„poribus ornatur Colonia, in patriam ſuam reportandos: nunc propter avaritiam &
„ſuperbiam Romanorum, qui eos antiquitus oppreſſerunt, relidendam: nunc pro-
„pter ſubdendas ſibi barbaras tantum, & hyperboreas nationes, & gentes: nunc
„propter furorem Teutonicum ſua modeſtia temperandum: nunc propter militiam a
„Gallis addiſcentam: nunc propter rerræ fertilitatem, quæ ſuæ multitudini ſufficere
„poſſit, aquirendam: nunc propter peregrinationem ad S. Jacobum in Galicia termi-
„nandam, egreſſos ſe patria mentiuntur. Pro quibus figmentis, quidam eis reges
„ſimplices. inito fœdere, liberum per terras ſuas tranſitum conceſſerunt, eisque
„fœdera non ſervantibus nihilominus perierunt.„ Hactenus Ivo Narbonenſis ex
capto Anglo interprete, quo neminem melius mores, & ingenia Tartarorum per-
noviſſe credibile eſt.

Exacti Auſtria barbari omnem, quæ cis, tranſque Danubium eſt, Hunga-
riam, imperio ſuo obnoxiam habuere: in arcem tamen Strigonienſem Pannoniæ
D. Martini montem, ac Albam regiam nihil unquam fraude, & viribus profecere.

Veriſimile eſt, ſi temporum rationem habeamus, id DEVM ſingulari beneficentia D. Stephano tribuiſſe, ut, quæ loca vivens exquiſita pietate illuſtraſſet, nihil injuriæ a barbarorum furore acciperent.

Bela Dalmatarum animos ſibi conciliat.

Inter hæc Bela calamitates Hungariæ in Dalmatia eminus ſpectans, facilitate ſua, & beneficentia, plerorumque animos ſibi conciliabat. Addebat ad amorem, quo in eum Dalmatæ ferebantur, magnum pondus fortunæ commutatio, cum ex feliciſſima in miſerimam repente, nec ſuo merito, decidiſſe intuerentur. Jadrenſes in primis, ſeu dominationem Venetorum exoſi ſeu priſtinæ felicitatis, qua ſub Hungariæ regibus florebant, memores, ſeu etiam ærumnis, quibus infelicem regem conflictari viderant, commoti, ejus fidei ſe permiſerunt. Initium appulſo Michæle, qnem Veneti urbi Comitem præfecerant, datum: inde vexilla Hungariæ erecta, quibus, velut ſigno dato, intuenres admonerentur, in cujus deinceps clientela futuri eſſent. Nec dubium eſt, tametſi ejus rei tabulæ nuſpiam exſtent, cives iiſdem a Bela privilegiis, quibus olim a Colomano, aliisque deinceps Regibus ornati erant, donatos fuiſſe (*g*).

In eos maxime liberalis, qui fide conſpicui erant.

In eundem modum liberalem ſe erga eos præbuerat, quorum opera, ſtudio, ac fide calamitoſo illo tempore adjutus fuiſſet, Pharenſes in primis, dum Tragurii moraretur, inſigni prærogativarum jure publicis litteris præmiatos lego. Quas hoc loco adducendas putavi, quod nomina optimatum eorum, qui ex ſuperioris anni clade Tartarorum ſervitutem effugere, poſterorum memoriæ prodant (*h*).

„In nomine ſanctæ Trinitatis, & individuæ unitatis. Bela Dei gratia Hunga-
„riæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæquæ rex, univerſis
„præſentes litteras inſpecturis ſalutem in vero Salvatore. Ex antiqua Patrum tradi-
„tione didicit poſteritas, ut ea, quæ per Reges & Principes ſtatuuntur, Scriptura-
„rum perpetuæ cuſtodiæ commendentur, ne proceſſu temporis oblivione novercante
„a memoria elabantur, ut, quæ ſanata fuerant, dubietatis intrante ſcrupulo, in-
„tum valeat revocari: hinc eſt igitur, quod cum fideles noſtri nobiles de inſula
„Phariæ plurima nobis ſervitia fidelitatis opportuno tempore, emiſſis altius noſtris
„tam obſequiis vigilanter, & fideliter inhærentes exhibuerunt, propter quæ noſtræ
„magnitudinis celſitudo ad recompenſationem præmii fidelitatis ipſorum ſolerter ſu-
„perindentes, volens tam ipſos, quam alios præmiorum digna retributione, tam
„ad ipſius, quam Coronæ ſervitia efficacius provocare, habita deliberatione, juſta
„ipſorum, & ſpecialiter venerabilis Patris Nicolai Epiſcopi, & Zepregnæ, tunc
„temporis Jupani Pharenſis, & Bracenſis, precibus inclinati, proinde ſtatuimus, ut
„cum ſecundum tempora Eccleſia de Pharia vacare contigerit, libere eligant electo-
„res, ad quos de jure ſpectat electio, de fidelibus ad regnum Hungariæ ſpectanti-
„bus ſibi Præſulem, qui eis præſit, verbo, proficuum, & exemplo, electus tamen
„regiæ Majeſtati præſentetur, ut ab ipſo jura Epiſcopalia recipiat; concedimus
„etiam, ut Epiſcopus una cum Jupano cum N. N. de genere Givich libera potian-
„tur facultate eligendi, & aſſumendi ſibi Comitem de Hungaria, & ad Regem Hun-
„gariæ pertinentem, quem ſibi utiliorem circumſpexerint, dum modo Regi, & Co-
„ronæ fidelis, etiam mandatis ipſius in omnibus obſequendo. Comes autem præfi-
„ciendus, regi Hungariæ præſentabitur confirmandus, dictus vero Comes conſtituet
„ſibi judicem pro ſuo arbitrio voluntatis. Item ſtatuimus, quod Jupanus ſemper de
„genere Givich eligatur, & electus Comiti præſentetur confirmandus, & quod ſit
„Jupanus ambarum inſularum tam Phari, quam Brazæ. Jupanus autem antedictus
„in inſulis ſupra dictis perpetuo præſidebit, niſi forte ex cauſa legitima fuerit remo-
„vendus. Item concedimus, quod nulla unquam collecta, & exactio a nobilibus
„in eadem inſula habitantibus requiratur, imo ipſorum libertas in omnibus inconcuſſa
„conſervetur, niſi voluerint honorare. Cum autem Regi Hungariæ exercitum fa-
„cere placuerit, nobiles de genere Givich cum duabus barchis, quas habere pote-
„runt, de ſuis impenſis præparatis, & armatis, ſecundum quod regiam condecet
„majeſtatem, una cum nautis, & remigatoribus ſervire teneantur. Mercatores au-
„tem, vel Negotiatores ipſorum per univerſum regnum regis Hungariæ, in terra,
„marique negotia, & mercimonia exercentes, immunes a ſolutione tributi penitus
„habean-

g) DANDVLVS in Chronico.

h) Apud LVCIVM Lib. IV. Cap. V.

„habeantur. Attendenres etiam ipſorum fidelitatem, concedimus, quod nullus di„ctorum nobilium in eadem inſula commorantium, extra civitatem comparere, vel „reſpondere cotam aliquo judice teneantur, niſi forte regiam Majeſtatem Dalmatiam „contingeret advenire: Si vero aliquis ex ipſis forte gravatus, juſta de cauſa ad alias „partes ſe transferre voluerit, ſecure cum uxore, filiis, & familia, & omni ſua poſ„ſeſſione recedere valeat, quocunque ſibi placuerit, nullum impedimentum ex parte „noſtra vel alicujus alterius habiturus. -- Ut autem hujua noſtri ſtatuti ſeries, & „decreti ſanctio futuris temporibus illibata conſervetur, & libertas eorundem perpe„tuo permaneat inconcuſſa, præſentem paginam ſigilli noſtri munimine fecimus „roborari: Datum per manus venerabilis Patris Stephani Epiſcopi Vacienſis, anno „ab incarnatione Domini MCCXLII (*i*). Sexto Idus Maji, anno autem Regni no„ſtri ſeptimo, venerabili Patre Benedicto Epiſcopo Varadienſi, Benedicto Præpo„ſito Albenſi aulæ regiæ Cancellario, & poſtulato Colocenſi. Dionyſio Bano, & „Duce totius Sclavoniæ, Arnoldo Comite Palatino, Paulo Comite Albanenſi, Mat„theo Magiſtro Tavarnicorum, Rollando Magiſtro Dapiferorum exiſtentibus.„

1243.

Accepto nuncio Tartaros regno exceſſiſſe.

Atque hi fere ex Antiſtitum & optimatum ordinibus fuere, qui poſt prælium cum Tartaris initum, fidem ſuam calamitoſiſſimo tempore Regi conſtanter probaverant. Laurentius enim, qui poſtea præclare factis incredibili fama inclaruit, Tranſilvaniæ Vaivoda datus eſt, ut eam provinciam collecto milite ab hoſtium incurſionibus pro viribus tueretur. Primuſque omnium fuiſſe videtur, qui Regi nuncium in Dalmatiam attulerit, Tartaros regno exceſſiſſe (*k*). Hi enim, poſtquam nihil prorſus fuiſſet, quod in prædam cederet, exinanito penitus regno, ſponte in Aſiam ſenſim redibant, & Hungariam, quin Europam omnem ingenti metu abſolverunt. Cognitum tamen poſtea eſt, tam repentini abitus cauſam non aliam fuiſſe, quam quod Imperatorem ſuum *Octodayum* veneno ſublatum comperiſſent, cui, cum ſucceſſor conſtituendus eſſet, eaque prærogativa ad exercitum inprimis attineret, ne quid factionum propterea oboriretur, eos domum properare oportuerit (*l*).

In Hungariam revertitur.

Rex accepto nuncio lætus, relicta in Cliſſæ caſtro regina cum Stephano, maturabat in Hungariam, ut regno, quoad fieri poſſet, conſultum iret. Ductabat ſecum multa ex cruciferis de inſula Rhodo agmina, & Frangipanes honoris cauſa cum lectiſſimis militibus regem ſtipavere. Hoc comitatu Hungariam ingreſſus, omnia luctu, & ſqualore plena reperit. Nam ut Chronica Auſtralis ſcribit (*m*): *in XV. dietis in longitudine homo non inveniebatur in regno illo: a nativitate Chriſti non eſt tanta plaga, & miſeria viſa, & audita in aliquo Regno, ſicut in Hungaria propter peccata eorum.* Etenim plerique, qui cladem barbarorum evaſere, in profundiſſimis ſaltibus, ac abditis montium ſpecubus latuere, qui, ut ſenſim metu liberati ex latibulis ad civilem conſuetudinem redierant, haud multo poſt altera calamitate impliciti ſunt. Cum enim ob hoſtis rapacitatem nihil ſementis humo credi potuerit, & populi multitudo ſenſim conflueret, tam diram famem invaluiſſe perhibent, ut præter obſcænas animantes, caro quoque humana, quam ex putridis tabo corporibus collegerant, palam venum proſtaret (*n*). Tum luporum tantam copiam ex improviſo emerſiſſe, ut non modo, vi in domos facta, infantes ex matrum gremio raperent, ſed armatis quoque viris congreſſi nefanda ingluvi dilaniarent (*o*). Acceſſit malum priori

Incolis prope vacuam.

Fameque examinandam.

i) Diploma habet annum MCCXLIII. Sed corrigendus eſt ex regni anno ſeptimo, qui incidit in annum MCCXLII.

k) Patet id ex diplomate anni MCCXLIII. ex Mſ. Husztiano, ubi inter cetera hunc in modum rex ait. *Dictus Laurentius Vaivoda conſiderans ſervitium, & fidelitatem per quosdam Teutonicos Lentenk videlicet --- nobis exhibitam, eisdem quasdam terras caſtri noſtri --- ad nos pertinentem contulit, etiam ob remunerationem ſervitii ſui, & fidelitatis perpetuo poſſidendam. Et hoc idem nobis retulit L. Vaivoda cum poſtmodum ad nos veniſſet, viva voce.* Signatum autem eſt diploma dicti anni VI. Calendas februarii, ex quo conjectura fit; Vaivodam primum omnium de Tartarorum abitu, regi nuncium tuliſſe.

l) Vincent. Bellovac. Specul. Hiſt. lib. 13. cap. 33. & 34.

m) Ad. an. 1234.

n) Chronica Australis ad annum 1243. „Interea fames horribilis, & inaudita terram „invaſit Hungariæ, & plures perierunt fame, „quam antea a paganis. anes edebant, & „cattos, & homines, humana caro publice „vendebatur in nundinis -- deinde locuſta „id, quod ſeminatum erat, corroſit.„

o) Archidiac. Hiſt. Salonit. Cap. XL.

„Poſt

haud levius, dum crebræ locuſtarum nubes aliunde in regnum allatæ, ſpem annimelioris in herba funditus depaſcerentur.

Accingit ſe inſtaurandæ reipublicæ a ſacris exorſus.

Nihilo tamen ſegnius rex curandam rempublicam accepit, a ſacris, & placando Numine rem auſpicatus, quod calamitates non aliam ob cauſam, quam criminum enormitatem, ab irato cœlo immiſſas agnoſceret. Nec puduit Regem, id publicis litteris ad poſterorum memoriam tranſmittere (p). *Ad univerſorum*, (inquit) *notitiam volumus pervenire, quod cum propter ſcelera omnium hominum in regno noſtro degentium inſtigante antiquo humani generis inimico abundaverant, & plus, quam arena maris, multiplicaverant, nolens Deus eorum malitiam impune ulterius pertransire, rabiem Tartaricæ gentis excitavit, per quos potentiam ſuæ Deitatis genti pro fide oſtenderet, & eos de terra deleret, propter quorum etiam peccata a nobis ſuam miſericordiam elongaverat, adeo, quod per ipſos Tartaros in campeſtri prælio convicti, fugæ præſidio maritimas adiremus partes, & aquarum latibula quæreremus.*

Tum profana ingenti animo complexus.

Inde Profana animo complexus, concire ſenſim homines, inſtaurare vicos, urbeſque, & conſtitutis Magiſtratibus, novam quaſi a fundo rempublicam educere cœpit, beneficentia in eos maxime profuſus, quos ſe abſente charitate in patriam inclaruiſſe comperiſſet. Credibile eſt, Cumanos pœnitentia ductos abhinc, quam Tartari regno exceſſerunt, denuo ſe Regis fidei permiſiſſe, multumque eo contuliſſe momenti, ut vaſtiſſima regio haud multo poſt hominum copia frequentaretur. Neque enim prius Cumaniæ titulo Belam in litteris uſum fuiſſe reperio, quam redux in Hungariam donationem a Laurentio Tranſilvaniæ Vaivoda ſua actoritate factam, publico judicio in hæc verba confirmaſſet (q). *Bela Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Ladomeriæ, Cumaniæque rex. Univerſis Chriſti fidelibus præſentem paginam inſpecturis ſalutem in vero ſalutari (r): Juſtis petentium deſideriis gratum regia Celſitudo debet præbere conſenſum, ut fidelium propoſitis ad votum completis, ad obſequia debita teneamus promtiores. Hinc eſt, quod univerſorum notitiæ tam præſentium, quam poſterorum volumus fieri manifeſtum quod cum fidelem noſtrum Laurentium Vayvodam poſt conflictum Tartarorum ad partes Tranſilvanas miſiſſemus, ut populos noſtros recolligeret, & ea, quæ ſibi viderentur in terra illa, nobis, & regno noſtro utilia vice noſtra, & auctoritate ordinaret, dictus L. Vayvoda conſiderans ſervitium, & fidelitatem per quoſdam Teutonicos -- nobis exhibitam, eiſdem quasdam terras caſtri noſtri -- contulit perpetuo poſſidendas --. Nos itaque juſtis eorum petitionibus annuentes & collationem fidelis noſtri L. Vayvoda ſæpe dicti ratam, & firmam habentes, eandem confirmamus, & præſentibus ſcriptis duplicis ſigilli noſtri munimine roboratis communimus. Datum anno Domini MCCXLIII. Sexto Calendas Februarii, regni autem noſtri anno octavo (s).*

Veneti Jadram oppugnant.

Munificentia hac, qua in bene de ſe meritos, uſus eſt Bela, & hominibus a metu reſpirantibus, dum ſenſim ex ruderibus capur cœpit tollere Hungaria, pleriſque ex recordatione damnorum ad inſtaurationem priſtinæ fortunæ acriter intentis, alibi ex improviſo jacturam accepit. Veneti defectione Jadrenſium irritati, quamdiu rex in Dalmatia reſtiterat, injurias diſſimulabant; at illo in Hungariam reverſo, claſſem XLVI. navium ex bellicis partim, partim onerariis conflatam urbi menſe Majo admoverunt. Præerat claſſi Rainerius Zeno vir impiger; Jadram Dionyſius Banus cum auxiliariis Hungaris, & Sclavonibus defendendam regis juſſu accepit. Erant oppugnantium, defendentiumque ſtudia diu acerrima: Jadrenſes portum, qua aditus ad urbem erat, miris catenarum machinis communierant: quæ res, ut difficilem Venetis in principio pugnam effecit, ita Jadrenſibus deinde exitio fuit. Confiſi enim operi huic militari muros, qui ea parte jam vitium fecerant, inſtaurare neglexerant, rati haud tantum hoſti virium futurum, ut, qui longo ſatis intervallo a mœnibus

„Poſt hæc vero rabidorum luporum multitu„do, quaſi de diaboli caverna, emerſit, qui „non niſi humanum ſanguinem ſitientes non „jam occultis inſidiis, ſed palam irrumpebant „in domos, & de matrum gremiis parvulos „rapiebant, nec ſolum parvulos, ſed ipſos „etiam armatos viros, facto agimine, inva„dentes ſævis dentibus lacerabant.

p) Timon in Epit. Chronol.

q) Ex Mſ. Husztianis.

r) Forte rectius *Salvatore*, nam in aliis quoque diplomatibus fere ſic legitur.

s) Exemplar habet *decimo*, ſed ex anno Chriſti patet errorem eſſe.

hibus remotus eſſet, ea machinis bellicis quateret. Verum illi perruptis catenarum repagulis haud longe a muro claſſem locant, cominuſque crebris machinarum ictibus urbem verberantes brevi ingentes, pronoſque ad aſſultum hiatus faciunt. Cives viſo periculo ruinam novis ſtructis operibus diligentiſſime farciunt, fuitque abhinc alterna utrinque fortuna in decimum diem pugnatum, quoad Dionyſius ſagitta perſtrictus, vulneris, & doloris vehementia ex urbe efferretur. Elato duce, quem occubuiſſe plerique arbitrati ſunt, poſitis animis de ſalute urbis omnes conclamare, convaſatiſque raptim fortunis, quod ſine Hungaro ſpem defenſionis inanem viderent, ſecunda Junii Jadra exceſſere. Ita vacuam & præſidio nudatam urbem Veneti occupant, diſtributiſque, quæ ſupererant, fortunis novam ex ſuis coloniam ducunt (t). Jadrenſes plerique Nonam, cum qua urbe vetera illis fœdera erant, conceſſere, novoſque colonos nondum ſtabilitis rebus, crebra incurſione infeſtabant, nullo tamen ad recuperandam urbem relato operæ precio.

Et Dionyſio Bano vulnere perſtricto capiunt.

Sub hæc Innocentius IV, qui Cæleſtino, XXIV. Junii in Pontificatu ſucceſſerat, Hungariam ab ærumnis vixdum reſpirantem, ſingulari paterni animi ſignificatione complexus eſt, Stephanumque a Vacienſi ſede ad Strigonienſem nuper traductum Legati Apoſtolici auctoritate exornavit, ut ſectariorum errores, qui in Dalmatia, ac Croatia repullulabant, majore ſtudio reprimeret. *Tibi*, inquit, *Legationis officium in Croatia, & Dalmatia duximus committendum, fraternitatem tuam rogantes, & obſecrantes in Domino JEſu Chriſto quatenus inductus fortitudine, ac virtute præcinctus, pravitatis hæreticæ maculas, quibus terræ hujuſmodi Ramis, ſicut accepimus, ſunt infectæ, ſic de ipſius divinæ potentiæ propitiante ſubſidio, per te, ac alios ad hoc idoneos abolere ſtudeas, quod ibidem Chriſtiana poſſit vigere religio ad illius honorem, & gloriam, in cujus beneplacito geritur, ut perennis vitæ felicitas per fidei puritatem, & innocentiæ ſtudium acquiratur - -. Datum Anagniæ XV. Calend. Auguſti, anno primo* (u).

Innocentius Strigonienſem Archiepiſcopum Legati Apoſtolici dignitate exornat.

Quo eventu hac auctoritate Stephanus uſus ſit, nuſpiam conſignatum reperio: veriſimile eſt, quamquam incredibili ſtudio ad exſtirpandos nefariorum errores ferretur, rem omnem adhæſiſſe, quod rumor de imminentibus iterum Tartaris Hungariam pervagatus, ingenti omnes metu, ac mærore percelleret. Bela, quod ſæpe alias barbaros abitum de induſtria ſimulaſſe, ut incautos ſecurius opprimerent, uſu ipſo comperiſſet, haud vanum eſſe rumorem ſuſpicatus, litteras ad Innocentium exaravit, quibus majorem in modum obteſtatur, ut regni miſertus, opem ferre ne gravetur, actum eſſe de Chriſtianorum omnium provinciis, ſi barbari redeant; neque aliter peſtem hanc a jugulo amoliri ſe ſperare, quam ſi Pontifex Cruce ſignatorum copias in auxilium primo quovis tempore mitteret. Innocentius, quem ſuperiorum temporum calamitas non lateret, metuſque præterea haberet non levis, reliquas Europæ ditiones, niſi mature caveretur, ſimili, quo nuper Hungariam, exitio involutum iri; Patriarcham Aquilejenſem, ut propoſito crucis ſigno Germaniæ populos ad ferendam Hungaris opem conciret, his litteris cohortatus eſt (x).

Invaleſcente rumore Tartaros in Hungariam redituros.

INNOCENTIVS PATRIARCHAE AQVILEIENSI.

Plenæ lacrimis, & repletæ ſuſpiriis reliquiæ fidelium in Ungariæ partibus poſitorum Matris Eccleſiæ ſolicitant pietatem ut ſui doloris qualitatem attendat, ejuſque amaritudini, & mærori conſolationis dulcedinem largiatur, ac ſibi de illo provideat defenſionis auxilio, per quod, ſi hoſtis DEI, & amica dæmonum gens impia Tartarorum ſuam in eaſdem reliquias moliretur experiri ſævitiam, poſſint ab exitio præcipi, vel exterminio præſervari, ſalubris proviſionis effectum ex hac univerſitate populi Chriſtiani conſequente: maxime cum ſit evidens argumentum, quod ipſa tranquilla maneat, & ſecura conſiſtat, ſi miniſtra perditionis illa gens effera, divina dextra triumphante poſſit conteri, vel de contritorum confinio profligari. Hæc enim, dum nos, qui licet immeriti generalis Eccleſiæ curam ex divina proviſione ſuſcepimus, noſtræ mentis oculis præſentamus, reddimur ex corde ſoliciti, ut illis propere intendamus remediis, per quæ in Ungariæ partibus ſi celebris perpetuo gloria redemtoris.

Pontifex Aquilejenſi Patriarchæ mandat, ut cruciatorum copias in ſuppetias cogat.

t) ARCHIDIAC. Hiſt. Salonit. Cap. XLIII. Et DANDVLVS in Chronico.

u) RAYNALD. ad an. 1243.

x) Idem ibid.

Igitur cum chariſſimus in Chriſto filius noſter, illuſtris rex Ungariæ, & ſubjectus ei populus, qui credentes pro acerbitate illatorum vulnerum ſuis gladium imminere cervicibus, dum præcurſores horridos in vicinis Ungariæ partibus rumore terribili percipiunt conſtitutos, nos lacrimis moveant, & lamentis inducant, ut eorum anguſtiis occurramus gratiæ feſtinæ fomento, fraternitatem tuam rogamus, & obſecramus in Domino JEſu Chriſto, in remiſſionem peccaminum tibi injungentes, quatenus per te, ac alios, quos ad hoc videris opportunos, Chriſti fideles in Teutonia conſtitutos, ſecundum providentiam tibi, & illis deſuper attributam piis inducas monitis, ut ipſi, per quos adverſus tyrannidem perfidorum Chriſtiana potiſſime ſolet defendi religio, contra ſathanæ nuncios, tartarique miniſtros crucis ſignaculum pro ſic afflicti populi ſalute reverenter ad gloriam ſuſcipiant crucifixi, ſe taliter iis, quæ ſunt opportuna bello Domini, munientes, ut ſi neceſſitas exegerit, quod avertat Dei filius, ſic Dei familiam de regno Ungariæ tueri valeant, quod pars oppoſita, Domino propitio, ruinæ grandis incurrat opprobrium, redemti pretioſo JEſu Chriſti ſanguine optatæ ſalutis conſequantur effectum. Nos enim, ut, quod tam pie, tam juſte cupimus, lætanter, & leviter fieri gaudeamus, omnibus, qui de Alemannia ſigno Crucis aſſumto in Ungariam contra Tartarorum proceſſerint feritam, illam indulgentiam, idemque privilegium elargimur, quæ tranſeuntibus in terræ ſanctæ ſubſidium in generali Concilio conceduntur. - - Datum Anagniæ XII. Calend. Auguſti, anno primo.

Diſſipato rumore rex conjugem ex Dalmatia accerſit. Neque inanis a Tartaris metus erat, qui circa Ruſſiæ ditiones vaſtitatem circumferebant: Sed hoc ſenſim evaneſcente, reſpiravit Bela, & ineunte autumno Mariam conjugem cum Stephano ex Dalmatia in Hungariam revocat, quæ haud longe morata nobiliſſimorum virorum comitatu ſtipata ad virum ſalva, & incolumis magna omnium congratulatione revertitur. Non ſic tamen Dalmatiam deſeruit, quin aliquam ſui partem iſthic relinqueret. Catharinam enim, & Margaretam filias, quæ Cliſſæ interea obierunt, honorificentiſſimo tumulo conditas in perennem Spalatenſibus memoriam conceſſit (y). Ferunt Guilielmum quoque, Belæ ex filia nepotem, Tragurii ſepultum eſſe (z). Opinor Ratislao Haliciæ duce, qui poſtea totius Sclavoniæ Banus, & Dux Machovienſis fuit, patre prognatum fuiſſe, ut alias memoratum eſt.

Veneti adverſum Jadrenſes fœdus cum Arbenſibus conficiunt. Jadrenſis urbis jacturam non multo poſt alia itidem conſequuta eſt. Cum enim cives urbi exacti Venetos cum mari, tum terra vehementer infeſtarent, fereque navalibus velitationibus victoria potirentur, Veneti cum Arbenſibus, Veglienſibus, & ceterarum inſularum incolis, ut ſibi adverſum Jadrenſes, alioſque, qui ditiones ſuas incurſarent, auxilio adeſſent, fœdus triennale pepigerunt. Exſtant pactorum tabulæ jurejurando utrinque in hunc modum confirmatæ (a).

Fœderis conditiones. „Anno Dominicæ Incarnationis MCCXLIII. Indictione II., menſe Novem„bris die tertia exeunte, Arbi, temporibus equidem Domini noſtri Jacoci Teopoli „incliti Ducis Venetorum, Dalmatiæ, & Croatiæ, & Pauli venerabilis Arbenſis „Epiſcopi, ac Rogerii Mauroceni egregii Comitis. Cum Dominus noſter Jacobus „Teopolus, Dei gratia Venetorum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, quartæ partis, „& dimidiæ totius imperii Romaniæ Dominator potentiſſimus viros nobiles, Do„minum Henricum Paſqualigum, & Dominum Marinum Superantium, Ambaſciato„res ſuos Arbum miſiſſet, ſuper delegatione eis commiſſa, ab eis diligenter, & be„nigne ſic fuit proceſſum, quod ſupra ſcripti Ambaſciatores, cum viro nobili D. „Rainerio Mauroceno, Comite dictæ civitatis Arbi, & cum beneplacito, & vo„luntate ejuſdem terræ communicatis, ſupra ſcriptus Dominus Comes cum tota „communitate ſupra ſcriptæ ſuæ civitatis Arbi, ad honorem ſupra ſcripti Domini „noſtri Ducis, & totius communis Venetorum, firmiter per ſacramentum ſtipulan„do promiſit, a modo uſque ad tres annos proxime, firmam, & ſtabilem ſocieta-

„tem

y) Conditæ ſunt in Eccleſia Metropolitana cum hac epigraphe:

Catharina inclyta, & fulgens Margari-] ta
in hoc arcto tumulo jacent abſque vi-] ta
Belæ IV. filiæ regis Hungaro-] rum
& Mariæ Laſcari reginæ Græco-] rum
Ab impiis Tartaris fuerunt fuga-] ta
Mortuæ in Cliſſio huc Spalatum transla-] ta

z) In notis ad Caput XL. Thomæ Archidiaconi.

a) Apud Lucium Lib. IV. Cap. VI.

„tem habere, & tenere cum omnibus hominibus, qui ſunt ad præſens, vel erunt
„in Jadra, pro ſupra ſcripto Domino noſtro Duce, & Comite venerabili, & cum
„omnibus hominibus totius inſulæ Veglienſis, & totius inſulæ Apſarenſis. Et ſuper
„bis omnibus debeant habere, & tenere uſque ad dictum terminum, ſuum rectorem
„illum, qui eſt, vel erit, ſive fuerit per ſupra ſcriptum dominum Ducem, & com-
„mune, Venerabilis rector in Jadra. Et hæc ſocietas debet eſſe, & tenere in hunc
„modum, ita videlicet, quod a modo uſque ad dictum terminum, debent, & te-
„nentur ſub debito juramenti facere vivam guerram de ſanguine, & foco omnibus
„Gazætis, & depredatoribus maris, & ſpecialiter omnibus Jadertinis, qui ſunt, vel
„exſtiterunt, vel a modo fuerunt rebelles contra honorem, & voluntatem ſupra
„ſcripti Domini noſtri Ducis, & communis Venetorum, & omnibus hominibus, &
„terris, qui voluerint offendere, vel offendent dictis communitatibus, vel homi-
„nibus Venetorum, in terra, vel in mari.

„Præterea quandocunque fuerit de voluntate rectoris Jadræ, & per ſuum
„nuncium, vel litteras ſupra ſcripto Domino Comiti, & communitati Arbi ſignifi-
„caverit, ut cum ſuis lignis armatis debeant exire ad offendendum ſuos inimicos,
„vel ad præbendum ſibi ſuccurſum, cum trecentis hominibus debent exire, & ejus
„mandatum facere, & tum minori numero dictorum virorum, ſi eis præceperit, &
„hoc totum debet, & totum teneatur communitas Arbi obſervare, ſub pœna M. M.
„liberarum denariorum Venetorum parvulorum, medietas quarum, ſi mandatum
„ſupra ſcriptum non obſervaverit, fiat communi Venetorum, & alia medietas fiat
„communitatibus, quæ mandatum adimpleverint. Item ſi infra dictum terminum,
„ſæpe dictus Dominus noſter Dux, ſuper bis ſuas litteras, vel nuntium, Arbum
„tranſmiſerit, & aliud ordinamentum facere voluerit, per dictum ſacramentum,
„ejus mandata adimplere bona fide, & ſuo poſſe teneatur Communitas Arbi: Acta
„ſunt hæc in communi Curia Arbenſi, & ibi interfuerunt teſtes Abundius Dabran-
„ze, Victor Eſinne, Madius Tolchus; Madius Bartaldi, Duimus Diacobo, Magi-
„ſter Dobre, & alii quam plures. Ego Vitalis ſubdiaconus ex me ſubſcribo.„ 1244.

Quamquam conſœderatione hac Venetis opus non erat, quod oborto inter Spalatenſes, & Tragurinos bello; Jadertini iſtorum auxiliarii nec modum, nec tempus Venetos armis infeſtandi haberent. Initium bello ab Spalatenſibus factum, qui Traguriensem agrum depeculati ducentos cives in captivitatem abduxere. Concurſum deinde tam terreſtri, quam navali prælio ſæpius eſt, Tragurinis fere victoria potitis. Spalatenſes, quoniam numero, & viribus inferiores fuere, accito in ſuppetias Minoslao Boſniæ Bano, majore, quam antea, apparatu bellum adornabant, fuiſſetque extremo utriuſque urbis periculo dimicatum, niſi Bela precibus Tragurienſium motus, Dionyſium Banum, quem nuper vulnere perſtrictum in Jadertina obſidione narravimus, in Dalmatiam miſiſſet, ut pro delicti magnitudine graviter in Spalatenſes animadverteret (*b*).

Spalatenſium cum Tragurinis diſſidia.

Hic collecto celeriter exercitu, cum præcipuis Hungariæ Optimatibus, factoque per Sclavoniam itinere in Dalmatiam properat, ubi conſcripto ex Tragurinis, & Cliſſenſibus non minimo ſupplemento, ad Salonam ſecundis caſtris conſtitit. Spalatenſes imminente periculo perculſi, clam ad Belam nuncios mittunt, qui & prius factum attenuarent, & gratiam urbi exorarent. Fuit tum rex in Sclavonia republicæ cauſa, qui auditis Legatis, diſſimulata ira, reſpondit, domum ſe conferrent, iſthicque mandata ſua operirent, ſe, quod æquum fuerit, per ſuos pronuntiaturum. Interea alium quoque exercitum in Minoslaum Boſnenſem Banum immittit, ne Spalatenſibus conjunctus, iſtis ferociores animos, ſuis contra pugnæ aleam difficiliorem redderet: ſimul Dionyſio imperat, ut ſine mora in refractarios moveret, & pœnam ex eis pro tempore & loco caperet. Spalatenſes viſo Dionyſium cum ingentibus copiis appropinquare, nobiliſſimos civium obviam mittunt, qui donativis iram Ducis, & militum emollirent: rejecti ſunt illiberaliter, addita comminatione, niſi obſides, & certam pecuniæ ſummam continuo præberent, urbem ferro, flammaque vaſtatum iri. Mirati ſunt poſtulari inſolentiam cives, qui ſe priorum Regum litteris ab omni tributo immunes pronunciatos noſſent, ad hæc haud parvam in Belæ facilitate ſpem habe-

Ad hæc ſopienda rex Dionyſium Banum in Dalmatiam mittit.

b) Archidiac. Hiſt. Salonit. Cap. XLVII.

haberent; itaque ducis, aut præfectorum avaritiem precibus ſubeſſe rati, negabant ſe, quidquid tributi nomine peteretur, daturos. At ubi id ab rege mandatum cognoſſent, indignati ſe propemodum fraude circumductos eſſe, in urbem re infecta redeunt, & tumultuarie concitis civibus defenſionem adornant (*c*).

Qui refractarios prælio primum victos, tum redintegrata amicitia.

Abhinc ad vim appertam ſpectare omnia: Dionyſius, diſtributis in partes copiis, quoniam ex ritu militari ob locorum anguſtias junctis ordinibus pugnari non poterat, primam turbam ductabat: alteri Bartholomæum Quinque Eccleſienſem Epiſcopum præfecit, Philetus Præpoſitus tertiam regebat; Tragurienſes & Cliſſenſes, ſuisque Præfectis obtemperare juſſi partim ad ſtruendas inſidias, partim ut laborantibus ſuccurrerent, extremum agmen confecere. Comparata hanc in modum acie IV. Idus Julii recta adverſus urbem ducit, primuſque impetus in pomœria, quæ Spalatenſes confertiſſimo numero occupaverant, factus. Acerrimum hic, ancepſque prælium exortum eſt, quod noſtri Spalatenſium civium ictibus præſidiis nudati paterent, illi maceriis, ac domibus adverſus tela communiti eſſent: nec nihil moleſtie anguſti in ſuburbana aditus attulerant, fuiſſetque haud inproſpere a civibus ea die contra noſtros pugnatum, niſi Tragurienſes cognito errore urbem clam circumfecti ab occidentis parte, qua urbs monti propinqua eſt, in nihil tale veritos a tergo aggreſſionem tentaſſent. Tum vero utrinque premi cives, & in iſtos maximo furore invecti Dionyſio ſpatium fecere explicatis ordinibus manus conferendi. Ea re, cum noſtris animi adjecti eſſent, novamque in obnitentes impreſſionem facerent, Spalatenſes deſperata ſalute inconditam fugam capeſſunt; quamquam omnes, præter decem, cæſos perhibeant; noſtrorum triginta univerſe deſiderati. Dionyſius metu, quo correpti erant, utendum ratus, ignem domibus, quæ urbis mœnibus proximæ fuerunt, injici jubet: quas ubi cives conflagrare, & flammas coorto vento in urbem deferri triſtes intuerentur, miſſis continuo Legatis de pace agere cœperunt. Dionyſius, quamquam miles pugnam anhelaret, tamen maximam victoriæ gloriam fructumque in eo reponens, ſi ſuorum, ac ſociorum ſanguini parceretur, Hungaris ab omni injuria abſtinere juſſis faciles petentibus aures præbuit.

Pactiſque conditionibus ad obedientiam revocat.

Conventum eſt in has conditiones: Cives datis ſex obſidibus in mulctæ loco ſexcentas argenti marcas penderent, tum captivos Tragurienſibus bona fide reſtituerent. Firmatis hunc in modum pactis a bello ceſſatum eſt (*d*). Boſnenſis quoque Banus, ubi profligatos Spalatenſes ex nunciis comperiſſet, ne omnis belli vis in ſe incumberet, facile in ordinem redigitur.

Veneti quoque cum Bela fœdus ineunt.

Veneti, qui turbas has cominus ſpectabant, poſtquam ſopitas redintegrata amicitia audiſſent, ipſi quoque ad ineundem cum Bela fœdus animum appulere. Miſſi ſunt Petrus Dandulus, & Stephanus Juſtinianus, qui cum rege agerent, ne Jadertinorum cauſa, qui toties fidem violaſſent, quidquam hoſtile in Venetos moliretur, & complanata lite veterem amicitiam, ac fœdera inſtauraret (*e*). Bela, qui ex verſatili Jadrenſium ingenio facile bellum oboriri, magno autem impendio abſolvi poſſe videbat, non invitus pacem cum Venetis iniit. Quibus conditionibus coaluerit, Dandulus Codicis Ambroſiani in hæc verba conſignat: *in pacto pacis convenere, ut Veneti Jaderam poſſideant cum ſuis pertinentiis, ſicut cives Jadertini antea poſſederant, nemine contradicente, vel contraeunte. Promiſit etiam Rex, ſe nec per ſe, nec per ſuos intromittere poſthac in ea urbe perpetuo; rebelleſque Venetorum Jadertinos ſe armari probibiturum, ita, ut Venetis nocere non poſſint. Veneti vero ſe Regi, ejuſque amicis favorabiles promiſerunt, neque regis inimicis auxilium, aut favorem præſtituros, præſertim in maritimis, neque cum illis pacta, aut fœdus percuſſuros, præcipue cum Domina Beatrice, ejuſque filio, regis nepote. Denique Jadertini rebelles Venetorum confitentes crimen, illorum gratiam meruere, & Stephanus Juſtinianus Comes eſt illis datus: urbis muri maritimi diruti, & arx eſt exſtructa* (*f*). Ex quo facile apparet, regem Beatricis novercæ, & Stephani, quem enixa eſt, poſthumi metu, ne novas res molierentur, ad pacem cum

c) Idem Hiſt. Solonit cap. XLVII.

d) Idem ibid.

e) DANDVLVS in Chron. „Dux per Legatos ſuos Petrum Dandulo, & Stephanum „Juſtiniano cum Bela rege Hungariæ, Jadræ „remiſſo litigio perpetuam pacem Juramento „firmavit.„

f) MVRATOR. Tom. XII. ſcript. rer. Ital. pag. 355. in Notis.

cum Venetis ineundam fere permotum eſſe. Male igitur Dandulus nepotem dicit, qui frater alioquin ſcribendus erat. 1244.

Bela his curis perfunctus, ac in Hungariam redux animum ad ulciſcendam injuriam, quam a Friderico Auſtriæ Duce nuper acceperat, convertit. Hærebat etiamnum facti atrocitas, dum præter theſauros acceptos, tres Hungariæ Provincias, quæ Auſtriam ab occidente reſpiciunt, ingratiis ſuis Duci obſtringere coactus eſſet. Quia ſero nondum ſatis virium, quibus vindictam caperet, ſibi adeſſe videbat, regem Bohemiæ, ac Carinthiæ Ducem initia fœderibus ad armorum ſocietatem pertraxit (*f*).

1245.

Ex Dalmatia redux Bohemos, & Carinthios in Auſtriam concitat.

Dederunt id fœderato regi Bohemus, ac Carinthus, ac ſequente anno infeſtis copiis in Auſtriam irrupere. Bohemi inferiorem, Carinthi ſuperiorem provinciæ illius partem vaſtabant, ſed utrique inauſpicata prorſus fortuna. Fridericus enim ut primum Verona ab Imperatore reverſus eſt, contracto celeriter milite primum Bohemis occurrit, profligatoſque ex Auſtria ejecit. Tum in Carinthos, qui prope Styram urbem rapinas exercebant, movens, conſertoque prælio victor in fugam agit, Duce ipſo in fuga intercepto (*h*). Atque ita bellum pene in ipſo ortu profligatum fuit. Credibile eſt, Fridericum confœderationis, qua Bela utrumque ſibi hoſtem conſciverat, ignarum prorſus fuiſſe, quod non multo poſt tempore, Henrico Ottonis Bavariæ Ducis filio, liberum per Auſtriam commeatum indulgeret, cum hic in Hungariam ad jungendam ſibi matrimonio Eliſabetham Belæ filiam in frequentiſſimo nobilium comitatu conceſſiſſet (*i*). Ex quo conjugio Ottonem, qui poſtea Hungariæ regnum obtinuit, in lucem fuiſſe editum conſtat, quem Bollandus (*k*) cum Dlugoſſo non recte maritum Eliſabethæ conſtituit.

Ad novas turbas complanandas Stephanum in Dalmatiam mittit.

In Dalmatia interim novarum turbarum metus obortus eſt: Spalatenſes enim ſuperiore mulcta magis irritati, quam pacati Tragurienſibus perinfenſi erant, quod maxime in cauſa fuiſſe putarentur, ut præter regis iram, jacturam quoque fortunarum incurrerent. Hinc mutuis odiis clam utrinque certatum eſt: mali contagione ad Sibenicenſes deinde traducta, qui cum Jadrenſibus, & Arbenſibus diuturna diſſidia fovebant, vereri Bela cœpit, ne privatæ ſimultates in apertum erumperent, & nullo ſuo merito cum Venetis bello implicaretur. Itaque ad redintegrandam inter diſſidentes amicitiam Stephanum, magnæ prudentiæ virum, Sclavoniæ Banum præfecit, ea de cauſa maxime ad id conſilium addductus, ut æquitate, & facilitate ſua exacerbatos animos complanaret. Quanti Rex Stephanum faceret, perſpicuum fit ex epiſtola, quam illius cauſa ad Tragurienſes ſcripſerat, in qua virum a fide, & juſtitiæ amore in primis commendat (*l*).

Eumque Dalmatinis majorem in modum commendat.

Bela DEI gratia rex Hungariæ, dilectis, & fidelibus ſuis, Judici, & univerſis civibus civitatis Traguriensis ſalutem & gratiam.

Quando diuturna in vobis fidelitas per ſucceſſiones temporum continuum circa nos ſuſcipit incrementum, ſicut per opera veſtra patuit, & nunc claret, dignum ducit Excellentia regia vobis gratiarum actionibus ſimul, & operibus occurſare. Super moleſtiis, ſiquidem vobis, ut ex querimoniis veſtris ſuſcepimus, irrogatis, quamque mentem quietudini noſtræ quædam turbatio immutarit ad præſens, tam propter ſucceſſus diverſos proſperos, & jucundos, quibus pius Dominus animum regium egregiis ſuæ benignitatis muneribus illuſtravit, celſitudinis regiæ dexteram multiformiter roborando: non putavimus vobis aliquid juvaminis impertiri reputantes eos quantocius rep - - Si (m) propter inſignia noſtra, & ardua veſtri minores articuli retardentur, quod noſtra ſolemnitas, cujus amminiculo veſtris, & aliorum ſubditorum noſtrorum utilitatibus potentius proſpiciemur. Foret propter quævis modica ſibi dilata. Verum ſuper his & aliis, quæ noſtris incumbunt humeris reformanda, ecce prædilectum, & fidelem noſtrum, Stephanum Banum totius Slavoniæ, quem præfecto virum ſe-

g) Pernoldus ad an. 1224. „Rex etiam „Bela contra ipſum (Fridericum) in fœdus „traxit regem Bohemiæ, & Ducem Karinthiæ, ut pro altero anno in ipſum pararent.„

h) Pernoldus ad an. 1245.

i) Chronica Avgvstensis Tom. I. Freher. ad an. 1245. „Henricus filius Ottonis Ducis Bavariæ duxit uxorem Dominam „Eliſabeth filiam Belæ regis Ungariæ.„

k) In proleg. Num. 5. §. I.

l) Apud Lvcivm Lib. IV. Cap. IX.

m) Obſcura hæc prorſus, vel quod legi in autographo nequiverint, aut fuerint uſu extrita.

cundum cor noſtrum invenimus, ad partes maritimas transmiſimus, dantes ei plenam aucto- ritatem reædificandi, & plantandi honeſtos, & probos, ac etiam reprobos deſtruendi, qui profecto non deſtructor, ſed potius conſtructor, non diſperſor, ſed congregator, nec raptor erit, ſed magis innatæ fidelitatis, & prudentiæ ſtudio magnificus Conſervator, cui, tanquam nobis, in omnibus pareatis, eidem diſcretionis veſtræ conſiliis, viriumque veſtrarum auxiliis occurſando, ſtudioſiſſime, ut ſoletis, cui etiam ſpecialiter præcepimus, ut vos diligat ſpecialius confovendo. Nos quoque circa partes confinii hujus, moram concedente Domino trahemus, & eidem Stephano Bano, qui jam nunc eſt in veſtra, & vobis proximus, & expedierit nos per grata ſubſidia exhibere. Datum in Vuaska, VI. nonas Aprilis. Neque Stephanus conceptam de ſe ſpem fruſtratus eſt: ſimul enim in Dalmatia adfuit, cum mira morum facilitate, & æquabili in omnes juris dicundi ſtudio, omnium ſibi animos conciliarat; tum ſopitis inter Tragurienſes, & Spalatenſes, ceteroſque mutuis diſſenſionibus, brevi tempore mercatus rationem terra marique ita inſtituit, ut ſpes eſſet haud multo poſt Hungariæ in priſtinum florem reſtituendæ.

Pontifex declarat Fridericum Imp. nihil juris in Hungariam habere.

Interea Rex gravibus curis non de nihilo angebatur, veritus, ne Fridericus Imperator, quod illi regnum antea fiduciario jure obtuliſſet, ſi id adverſum Tartaros intra præſcriptum tempus defenderet, occaſionem captans, Hungariam occupare moliretur. Conſuluerat Bela eam ob rem Innocentium per litteras, qui, ubi omnia diligenter exploraſſet, in hæc verba regi reſpondit (*n*): *Ex parte tua fuit propoſitum coram nobis, quod cum olim regno Ungariæ depopulato a barbaris nationibus, & Tartarorum tyrannide pene penitus devaſtato, permittente Domino, vel jubente, timens, ne regnum ipſum ad exinanitionem ultimam deveniret, ac deſiderans, ut ipſius reliquiæ ſalvæ forent, Friderico quondam Imperatori* (*o*) *ſub ea conditione præſtiteris homagii juramentum, ut idem in regnum tuum, ad defendendum ipſum, contra prædictorum impetum Tartarorum infra certum terminum potenter accederet, vel illuc ſuum filium deſtinaret, idem Fridericus diu expectatus poſt terminum, nec venit, nec illuc filium ſuam, ut promiſerat, deſtinavit. Quare nobis humiliter ſupplicaſti, ut ne hac occaſione in te, vel regnum tuum poſſit a Romano imperio aliquid in poſterum vendicari, providere indemnitati tuæ ſuper hæc paterna ſolicitudine curaremus. Attendentes igitur, quod quoties aliquid ſub conditione conceditur, non exſtante conditione, perinde, ac ſi conceſſum non fuerit, ſit habendum: conſiderantes etiam, quod non eſt conquaſſatus calamus conterendus, nec debet afflictis afflictio ſuperaddi, ſed eo ſunt illis humanitatis ſolatia impendenda, quo urgentius miſerationibus indigent alienis, ut miſericordibus uberior inde creſcat cumulus meritorum, & maxime, quia prædictus Fridericus ad id, ſicut Chriſtiani ceteri, dictante hoc natura cuilibet, tenebatur, propter quod non erat ad illud ſtipendio conducendus, te hujusmodi juramento, & homagio de fratrum noſtrorum conſilio denuntiamus auctoritate præſentium non teneri: ita quod hac occaſione nihil in te, vel tuos ſucceſſores, aut regnum poſſit ab aliquo ullo unquam tempore vendicari. Datum Lugduni XII. Calend. Septembris. anno III.*

Increbreſcit de Tartaris rumor. Hinc Papa Legatos ad Tartarorum Chamum mittit.

Ex quo, quam inane ſit Pariſii commentum, quod ſupra jam ex temporis, & locorum habitu refelleram, ſatis, ut opinor, perſpicuum fit. Innocentius vero, cum rumorem, qui altero abhinc anno de Tartarorum reditu ſpargebatur, per intervalla rurſum percrebreſcere audiret, conſilium cœpit primo obtutu quidem arduum, ſed laude prorſus dignum, ac exitu non plane infelix. Occurrebat animo, ſi Tartarorum gentem ad Chriſtiana ſacra traduceret, & immenſam ad Eccleſiam acceſſionem ſe facturum, & barbaros religionis ritu emollitos ab injuria in Europæas ditiones decepa abſtracturum. Itaque Joannem de Plano Carpio Nuncium Apoſtolicum in Aſiam cum litteris legat, adjectis ex Minoritarum ordine viris, ſcientia, & probitate conſpicuis, qui, ſi ſpes & locus ſineret, ſpargendæ inter Tartaros Chriſtianæ fidei initium facerent. Quo ſucceſſu res tentata ſit, deinceps, quantum cum annalibus noſtris congruet, memorabimus.

1246.

Novum inter Hungaros, & Auſtriacos bellum.

Bela cladem, quam ſuperiore anno Bohemiæ rex, ac Dux Carinthiæ a Friderico accepere, quia ſe auctore bellum uterque Auſtriis intuliſſet, reparandam hoc anno accepit. Conflato exercitu, cujus maximum robur ex Rhodiis Equitibus Fran-

gepano

o) RAYNALD. ad annum 1245.

n) Non quod mortuus eſſet, alioquin nihil a mortuo metuendum habuiſſet Bela, ſed crediderim quod communione omnium ſacrorum privatus fuerit.

gepano, Duce, & Cumanis conflatum fuit, ad Leitam flumen caſtra figit, finitimaſque Auſtriæ ditionis percurſat, ea ratione Fridericum ad pugnam provocaturus (*p*). Hic minime trepidus cum lectiſſimis militum copiis regi occurrit, neque pro Auſtria ſolum, ſed pro ea etiam Hungariæ parte, quam Bela ſtipulatione tunc, cum Tartarorum manus effugerat, Duci cedere coactus fuit, prælium conſerturus. Concurſum utrinque eſt, acri ac diuturno certamine fortuna in utramvis partem dubia, quoad Cumani Tartarorum morem in aſſiliendo, & cedendo imitati ſpeciem fugæ præbuiſſent, qua re animadverſa Auſtrii impreſſionem inſtaurant, noſtroſque ruptis ordinibus in fugam agunt. Fridericus obtento campo, ut victoriam penitus conficeret, paucis ſuorum comitatus fugientibus acriter inſiſtit; quem Cumanus miles in poſtremo fugientium agmine conſpicatus, tenſo poſt tergum arcu, ſagittaque caput equi, quo ferebatur, transberperans præcipitem egit; accurrit Frangepanus cum duobus loricatis equitibus, &, dum ſocii ceteros pugnando ſuſtinent, transacto per oculum gladio Fridericum obtruncat: corpus ægre ab Auſtriis inſtaurata denuo pugna noſtris ereptum eſt. Caſus Ducis totam Auſtriam, ſed inprimis Theodoram matrem graviſſimo luctu complevit, quam, ſicut famam, dum in curia Cetii montis eſſet, de filii nece accepit, adeo expaviſſe ferunt, ut ſepulto ad ſanctam Crucem Friderico, haud diu ſuperſtes eſſet, octavo poſt die funere quoque elata, & Neoburgi condita.

Hungari prælio inferiores.

Auſtriæ Dux occumbit.

Hæc ex Pernoldo illius ætatis ſcriptore deprompſimus: aliter contra Bonfinius rem narrat (*q*): *Bela* (inquit) *non injuriarum immemor inſignium, quas a Friderico perfido, Auſtriæ Duce præter æquum, & fas acceperat, ſuum exercitum, & auxiliares copias e Dalmatia adductas adverſus eum duxit, ut a Deorum, & hominum contemtore, cumulatas, ut par erat, pœnas exigeret. Obſedit igitur vehementer Auſtralem Neapolim, ut ad ſuccurrendum hoſtem adigeret. Pro mœnibus Urbis prælium initum, in quo cum tanta, quicunque ſuperfuerant, Ungari ferocia dimicarant, ut Alamannos graviſſima clade profligarint. Fridericus, ne impunitate ſcelerum elaberetur, cum Hungaro ſingulari certamine pugnans, transfoſſo ore proſtratus occubuit. Victor a rege honorificentiſſime donatus eſt, cujus adhuc donationis clariſſima exſtant privilegia. Poſt hæc victoria potitus Alamannica, direpta maxima Auſtriæ parte in Pannoniam redit, & ad pacandum regnum, legendasque reliquias animum advertit.* Hactenus illud: de cujus narratione, ut quisque volet, arbitretur: Mihi, quod prælium ad id tempus, quo Bela ex Dalmatia in Hungariam reverſus eſt, perperam affigat, bellum hujus anni cum iis, quæ poſtea geſta ſunt, manifeſto errore confudiſſe videtur: certe victum hoc anno ab Auſtriis Belam nec ipſe Thurocius, quem ceteroquin diligenter Bonfinius etiam in erroribus ſectari ſolet, diffitetur (*r*).

Bonfinii de hoc bello narratio erroribus referta.

Friderici cædes victoriæ inſtar Belæ fuit: credibile eſt, tres Hungariæ provincias, quas antea Duci ceſſerat, in jus Hungaricum rurſus aſſertas eſſe. Si conjecturæ locus ſit, Sopronienſem, Moſſonienſem, & Caſtriferrei Comitatus fuiſſe opinor, quos rex avelli a regno interea paſſus ſit, quoad damna, quæ Auſtriæ Dux ſibi

Cæſo Auſtriæ Duce Hungariæ pars, quam is tenuo-

p) Pernoldus ad an. 1246. „ Bela Rex „Ungariæ videns devictum regem Bohemiæ „fœderatum, cum grandi exercitu venit ad „fluvium Lytam, habens pro Ducibus ali„quos Equites Rhodios, & unum Frangipa„num, in agmine Cumanos plurimos, more „Tartarorum telis pugnantes. Occurrit Fri„dericus Dux lætus, & alacer cum electa „militia, & facta acerrima pugna hoſtes re„pulſi ſunt. Dux vero glorioſam victoriam „plenius conſummare volens incauto fervore „ante ſuos omnes perſecutus eſt fugitivos. „E quibus Cumanus unus telum poſt tergum „mittens eodem equum Ducis in capite per„cuſſit, ut ſtatim caderet. Dux proſtratus, „& vix duos comites habens, a revertentibus aliquibus cataphractis hoſtibus obru„tus, a Frangipano per oculum enſe perfoſ„ſus eſt, ſuique comites pariter occiſi an„tequam alii Auſtrales adveniſſent. Tunc „nova quidem pugna erat, & victoria in „eodem loco, ſed heu! Dux jam obierat, „magnopere luctu cadaver ejus reportare „oportuit --. Longo tempore alii alia de „interitu Ducis opinabantur, donec unus „captivorum hoſtium veritatem faſſus eſt. „Funus Ducis cum pompa -- apud S. Cru„cem propinquam ſepultum fuit. Domina „Theodora Duciſſa, quæ tunc in Curia Ka„lenperck erat, audita filii morte adeo ex„pavit, ut ad mortem infirmaretur, nec fu„neri adeſſe potuerit, quin ipſa quoque octa„va poſtea die mortua eſt, in Nevburch „ſepulta.„ Similia Chronicon Mellicenſe, Salisburgenſe & Neoburgenſe.

q) Dec. II. Lib. VIII.

r) Chronici Cap. LXXIV.

...rat, ad regem revolvitur.

Rex Epiſcopum Tranſilvanum privilegiis ornat.

ſibi illata prætexuit, ſarcirentur. His recuperatis inſtaurandæ Tranſilvaniæ animum intendit; quæ, ut Tartarorum injuriis, quam ceteræ ditiones, magis patebat, ita, poſtquam barbari Hungaria exceſſere, difficilius novis coloniis frequentabatur. Gallus, qui Tranſilvanienſis tum Epiſcopus fuit, viſo, non alia via jacturam hanc reparari poſſe, quam ſi prærogativis homines allicerentur, regem multis precibus exoravit, ut favore, quem in ceteros tam liberaliter effunderet, ſe, ſuosque itidem complecti vellet; præcipue, quod ex ea beneficentia ſpes eſſet, non ſolum rempublicam profanam, ſed ſacram quoque haud levia incrementa capturam. Facilem ſe rex præbuit, & qua eſſet in Epiſcopum voluntate, hujuſmodi diplomate teſtatus eſt (s).

Bela Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæque rex, Omnibus Chriſti fidelibus præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem, & omne bonum. Circumſpectio regum provida ex ſuſcepti tenetur regiminis officio, ut honeſtis ſuorum fidelium petitionibus conſenſum tribuat, & favorem. Proinde ad univerſorum notitiam præſentium, ac poſterorum harum ſerie volumus pervenire: quod accedens ad præſentiam noſtram Venerabilis Pater Gallus, Epiſcopus Tranſylvanus a nobis humiliter, ac devote poſtulavit, quod cum ſua diæceſis hoſtili perſecutione Tartarorum, ad tantam habitantium devenerit raritatem, quod a tempore perſecutionis uſque ad ſua tempora, nulli; vel pauci in Alba, quæ eſt ſedes Epiſcopatus ſui Cathedralis, & in aliis curtibus Pontificalibus . . habeantur inquilini; nec illic conveniant, niſi eos libertate uberioris gratiæ dignaremur prævenire. Nos igitur conſiderantes, quod ex incremento honoris Pontificalis ſimul & regia dignitatis ſuſcipiat incrementum; ut eadem Eccleſia in priſtinum ſtatum poſſit reformari, ex indulgentia regiæ benignitatis talem gratiam ei duximus faciendam: ut tam priores inquilini, ſi qui eſſent ſuperſtites, - - quam etiam hoſpites conditionis liberæ de novo convenientes, a judicio Wayvodæ pro tempore conſtituti, Comitum Parochialium, nec non & omnium aliorum Judicum penitus ſint exemti. Nec alicujus teneantur aſtare judicio, niſi ſui Epiſcopi, & Villici pro tempore exiſtentis. Et ſi Epiſcopus, vel Villicus in reddenda juſtitia negligentes fuerint; aut remiſſi, vel tam arduum eſſet negotium, quod ipſi juſtitiam facere non valerent, ipſa cauſa regiæ tantum Majeſtatis examini terminanda deferatur. Et ut noſtræ conceſſionis gratia perpetuæ firmitatis robur obtineat, præſentem paginam duplicis ſigilli noſtri munimine roboratam duximus concedendam. Datum anno Domini MCCXLVI. Secundo Non. Maji. Regni autem noſtri anno XI. Hæc in Hungaria hoc anno geſta.

Legati Pontificii ad Tartaros in Aſiam appellunt.

Joannes de Plano Carpio, quem ſupra ad Tartarorum gentem ab Innocentio miſſum narravimus, exantlatis moleſtiſſimæ viæ difficultationibus, ſalvus, ac incolumis cum ſociis ad barbaros appulit. Commodum electioni Imperatoris intervenerat, nam *Octoday*, ſub cujus imperio immaniſſima gens ex Aſia prorumpens Hungariam miſerum in modum afflixerat, veneno ſublatus vacuam, & turbis obnoxiam rempublicam reliquit. Libet ipſum nuncium, quid ea legatione confectum, quove ritu ea ſolennitas peracta ſit, narrantem inducere (t). „Anno (ſcribit) MCCXLVI. „Cuyne, qui & Gog Cham, id eſt, Imperator, vel rex, ſublimatus eſt in Tartarorum regno: omnes ſiquidem illorum barones congregati quamdam ſedem auream „in loci ſupra dicti medio poſuerunt, ſupra quam ipſum Gog ſedere fecerunt, coram eo gladium poſuerunt dicentes: Volumus, & rogamus, atque præcipimus, „ut domineris omnibus nobis: at ille dixit eis: ſi me vultis ſuper vos regnare, numquid parati eſtis unuſquisque, quod vobis præcepero, facere, quemcunque vocavero, venire, quocunque voluero mittere, pergere; quemcunque occidi præcepero, occidere? reſponderunt, utique. Ergo, inquit, oris mei ſermo de cetero „gladius meus erit, omneſque communiter ei conſenſerunt. Poſt hoc autem filtrum „quoddam in terra ſtatuerunt, ipſumque rurſus deſuper ſedere fecerunt dicentes: „Vide ſurſum, & agnoſce Deum, ac reſpice filtrum, in quo ſedes, deorſum. Si „bene regnum totum rexeris, ſi largus fueris, juſtitiamque ſervare dilexeris, ac „Principes tuos, unumquemque ſecundum dignitatem ſuam honoraveris, magnificus „regnabis, totuſque mundus tuæ ſubſternetur dominationi, & quidquid deſiderabit „cor tuum dabit Deus tibi: Si autem e contrario feceris, miſer & abjectus eris, adeoque pauper, ut nec tibi permittatur filtrum, in quo nunc ſedes. Hoc dicto

„iidem

s) Habetur inſertum in diplomate Stephani Belæ filii de anno 1272. ex Mſ. Husztiano.

t) Vincent. BELLOVAC. Spec Hiſt. Lib. XXXI. Cap. II.

Digitized by Google

1244.

„Iidem barones uxorem Gog cum ipſo ſuper filtrum ſedere fecerunt ſicque ambos ſe„dentes a terra ſurſum in aera levaverunt, atque Imperatorem, & Imperatricem „omnium Tartarorum voce publica, & clamoroſa proteſtati ſunt. Poſtea multitudi„nem infinitam auri, & argenti, & lapides pretioſos, ac quæcunque remanſerant „a Chayadacham coram Imperatore novo apportari fecerunt, eique dominium ſuper „omnia illa plenarium conceſſerunt; ipſe vero, prout ei placuit, unicuique Prin„cipum diſtribuit, ſibique reſiduum ſervari præcepit. „

Accepti ſunt ſatis liberaliter.

Accepti ſunt Legati pro barbarorum more ſatis liberaliter, & quamquam novus Imperator in religionem Chriſtianam egregie affectus eſſet, quippe qui per ſuorum ditiones ſacra religionis noſtræ exerceri libere, & impune ſineret, tamen ex ſecunda fortuna, qua Tartari quarto abhinc anno in Europa, ac præſertim Hungaria uſi ſunt, ad ſubjugandum orbem Chriſtianum incitatus, non perinde, ac ſperatum fuit, expectationi reſpondit. Etenim, ut laudatus ſupra Joannes porro ſcribit, *idem Cuyne Imperator de novo electus cum omnibus ſuis Principibus erexit vexillum contra Eccleſiam Dei, ac Romanum imperium, ac contra omnia regna Chriſtianorum, & populos occidentis, niſi fortaſſe, quod abſit, facerent ea, quæ mandabat Domino Papæ, atque potentibus, & omnibus Chriſtianorum populis, videlicet, ut ipſi ſubdantur eis, nam excepta Chriſtianitate nulla eſt terra in orbe, quam timeant, & idcirco contra nos ad pugnam ſe præparant. Hujus ſiquidem Imperatoris pater, ſcilicet Octoday, necatus fuerat veneno, & ob hoc a bellis quieverant tempore pauco. Intentio autem eorum, ut dictum eſt ſupra, eſt, ſibi totum ſubjicere mundum, ſicut a Chingiſcham habent mandatum, unde & ipſe Imperator in litteris ſuis ita ſcribit: DEI FORTITVDO, OMNIVM HOMINVM IMPERATOR. In ſubſcriptione quoque ſigilli ejus hoc eſt: DEVS IN COELO, ET CVYNE CHAM SVPER TERRAM DEI FORTITVDO OMNIVM HOMINVM.*

1247.

Non perinde alios Batbo barbarorum Dux accepit.

Hunc exitum legatio ad Septentrionales Tartaros ſuſcepta habuit. Alia, quam ad eoſdem, ſed Perſis finitimos, & ad Bathonem, ſupremum eorum ducem, Innocentius miſerat, haud perinde accepta fuit. Credo eundem Bathonem eſſe, qui Tartaris Hungariam vaſtantibus præerat. Quibus calamitatibus acti ſint, Simon ex Legatorum numero, ita memoriæ prodidit (u) *Anno Domini MCCXLVII. in die translationis B. Dominici primi patris Ordinis Prædicatorum, frater Aſcelinus a Domino Papa - - miſſus, cum ſociis ſuis pervenit in exercitum Tartatorum, & hoc in Perſide, ubi erat exercitus ille ſub Bayothnoy Principe. Quod audiens idem Princeps, in tentorio ſuo ſedens in veſtimento deaurato, ſuis quoque baronibus in ſericeis veſtibus pretioſis, ac deauratis circumſtantibus, miſit ad dictos fratres quoſdam ex eiſdem baronibus cum ſuo Ægyp, id eſt, principalia conſiliario, & interpretibus, qui præmiſſo ſalutationis eulogio dicunt eis: cujus nuncii eſtis? frater autem Aſcelinus, principalis Domini Papæ Nuncius reſpondit pro omnibus: ego ſum domini Papæ nuncius, qui apud Chriſtianos major dignitate omni homine reputantur, & ab eiſdem illi tanquam patri & domino reverentia exhibetur. In hoc verbo illi quam plurimum indignati dixerunt: quomodo ſuperbe loquentes dicitis, quod Papa dominus veſter ſit major omni homine? nunquid ſcit ille, quod Cham ſit DEI Filius, & quoniam Bayothnoy, & Batbo ſint Principes ejus, ſicque nomina eorum divulgantur, & multiplicantur ubique?* Atque cum Legatus reſpondiſſet, hæc omnino Pontificem ignoraſſe, nec dubitare ſe, quin is, ſi edoceretur, Principes hos magna honoris ſignificatione proſecuturus ſit; majorem in modum obteſtabatur, ut ſe ad Chanum, cujus cauſa veniſſet, adire ſinerent. At barbari faſtu pleni, *ſi vultis* (inquit) *Domini noſtri faciem videre, & ei Domini veſtri litteras præſentare, oportet, ut eum adoretis, tanquam filium Dei regnantem ſuper terram, trina prius ante ipſum facienda genuflexione: ſic enim præcepit nobis Cham regnans ſuper terram filius Dei, ut Principes ſuos Bayothnoy, & Batbo ab omnibus huc advenientibus faciamus, ſicut ſemetipſum adorari, quod & uſque nunc fecimus, & in perpetuum firmiter obſervare proponimus.*

Hæſere ad hæc nuncii, ignari quid illa cultus ſpecie Tartari poſtularent: animi dubios Guichardus Cremonenſis, vir religioſus, multæque cum Georgianorum, & Armenorum gente conſuetudinis in hunc modum edocuit: *de idololatria exhibenda Bayothnoy nullatenus formitetis, quia non hanc ſibi petit a vobis fieri, ſed in ſignum ſubje-*

u) Vincent. Bellovac. Spec. Hiſt. Lib. XXXI. cap. XL.

ctionis Domini Papæ, totiuſque Romanæ Eccleſiæ mandato Cham ſubjiciendæ, hanc ſibi, quam audiſtis, reverentiam omnibus ad ſe venientibus nuntiis conſuetam exhiberi. Id cum ſe iſti facturos negarent, malleque vitæ ſubire periculum, quam tam turpi ſervitute obſtringi, efferati barbari nuncios capitali ſententia perſtrinxere. Haud multo tamen poſt, ne jura gentium tam aperta violarent, data vitæ gratia, rurſum de dignitate, cujus nuncius ſupra meminiſſet, multa prius per fraudem percontati, quæſtionem in hæc verba obmovere: *qua fronte vos Chriſtiani omnes audetis dicere, quod Papa ſit omni homine major dignitate? quis enim unquam audivit, quod Papa veſter tot, & tanta regna ſibi aquiſierit, quod & quanta filius Dei Cham, Deo ſibi largiente, hæc acquiſivit? quis unquam tam longe lateque diffundi audivit nomen Papæ, ſicut & nomen Cham in orbe terrarum jam diffunditur, & dilatatur, ac timetur ubique? jam enim ab ortu ſolis uſque ad mare mediterraneum, & uſque ad Ponticum, Deo jubente, dominatur, & ubique in his terminis nomen ejus magnum, ac celebre in eis habitantibus timetur, & honoratur. Cham ergo major eſt Papa veſtro, & omni homine, potentia, gloria, ſibi a Deo datis, & aquiſitionis dignitate (x).*

Barbari de dignitate cum Chriſtianis concertant.

Vidit Aſcelinus barbarum in errore verſari, quem cum illi eximere nititur, dignitatis cælitus datæ rationes expromens, neque is pro ingenio ſuo intelligeret, tractationem omnem abrumpens nuncios cum his litteris ad Pontificem dimiſit. „Diſpotione divina ipſius Cham tranſmiſſum Bayothnoy verbum. Papa iſtud ſcias, „tui nuncii venerunt, & tuas litteras ad nos detulerunt. Tui nuncii magna verba „dixerunt: neſcimus; utrum injunxeris eis ita loqui, aut a ſemetipſis dixerunt, & „in litteris taliter ſcripſeras: Homines multos occiditis, interimitis, & perditis. „Præceptum Dei ſtabile, & ſtatutum ejus, qui totius faciem orbis continet, ad nos „ſic eſt: quicunque ſtatutum audierunt; ſuper propriam terram, aquam, & patrimonium ſedeant, & ei, qui faciem totius orbis continet, virtutem tradant: quicunque autem præceptum, & ſtatutum non audierint, ſed aliter fecerint, illi deleantur, & perdantur. Nunc ſuper hoc iſtud ſtatutum, & præceptum ad vos „tranſmittimus. Si vultis ſuper terram veſtram, aquam, & patrimonium ſedere, „oportet, ut tu Papa in propria perſona ad nos venias, & ad eum, qui faciem „totius terræ continet, accedas. Et ſi tu Dei præceptum ſtabile, & illius, qui faciem totius terræ continet, non audieris, illud nos neſcimus, Deus ſcit. Oportet, ut, antequam venias, nuncios præmittas, & nobis ſignifices, ſi venis, aut „non, ſi velis obiſcum componere, aut inimicus eſſe, & reſponſionem præcepti „cito ad nos tranſmittas. Iſtud præceptum per manus Aybeg, & Sargis miſimus „menſe Julii XX. die lunationis in territorio Stienscaſtri ſcripſimus (y).„

Legatos cum litteris ad Papam remittunt.

Hæc faſtu pleniſſimus barbarus: neque, quod de ſubjugando orbe Chriſtiano ferociter jactabat, de nihilo commentum fuiſſe, rumor, qui paullum poſt late per Europam vulgatus eſt, comprobavit, Ferebantur enim rurſus Tartari ex Aſia majoribus, quam antea, copiis erupturi: quod cum Bela Pontifici ſignificaret, is nullo ſive officii, ſive ſtudii genere prætermiſſo, pollicitus eſt, daturum ſe operam, ut, ubi uſus fuerit, cruce ſignatorum copias ad coercendam barbarorum vim, quantum ſatis eſſet, haberet. Simul Strigonienſi, & Colocenſi Archiepiſcopis per litteras mandavit, ut munitiſſima loca excitarent, in quibus, ſi hoſtis rurſum ingrueret, & tutum receptum habeant, & impetus barbarorum retundere poſſint. Ex quo morem manſiſſe puto, ut arces, quibus Hungaria fere abundat, arduis, & acceſſu difficillimis locis noſtri conderent, quod Strigonienſem, ac D. Martini Pannoniæ montem fruſtra Tartaris tentatum uſu comperiſſent. Collaudato deinde Regis ſtudio, quo in hæreticos Boſnenſes hactenus uſus erat, Epiſcopatum illius regionis Colocenſi obnoxium fecit, ſimulque ad Mariam Reginam ſcripſit, conatum illius, quem reducendo ad Eccleſiam Vatacio Græcorum regi impenderat, miris laudibus extollens (z), *exultantes* (inquit) *accepimus, & referimus gloriantes, quod pro tuis inſiſtis viribus, & laboras, ut ad ſinum Matris Eccleſiæ redeat Vatacius, & gens ejus. Ex quo tanto tibi majores actiones referimus gratiarum, quanto magis id ad laudem cedit, & gloriam JEſu Chriſti, exaltationem contingit, & commodum ſponſæ ſuæ, noſtram, &* tuam

Rurſus in Hungariam ſe irrupturos minantur.

x) Idem ibid.

y) Apud Vincent. Bellovac. loc. cit.

z) Raynald. ad. an. 1247.

tuam utilitatem reſpicit pariter, & honorem. Ut igitur chariſſima in Chriſto filia effectus hujuſmodi negotii facilius ſubſequatur, excellentiam tuam requirimus, & rogamus, quatenus aliquos nuncios, viros providos, & diſcretos ad præfatum Vatacium non differas deſtinare, quorum diligentia, ſtudio, & ſolicitudinis induſtria prædictus Vatacius ad unitatem Matris Eccleſiæ revertatur. Nos enim ob tui gratiam, & amorem, quidquid cum honore Dei, & Eccleſiæ, ac ſalute ipſius animæ fieri poterit, ſcire te volumus, nos facturos. Datum Lugduni III. Calend. Februarii. Quamquam pientiſſimæ reginæ ſtudium fruſtra fuiſſe exitus oſtendit: Vatacius enim, qui alias quoque pro commodorum, & temporis ratione reditum ad Eccleſiam ſimulabat, detracta larva propoſiti ſui tenax in errore perſtitit.

Auſtria turbis inteſtinis agitata.

Interea Friderico exſtincto Auſtria miris factionum ſtudiis miſcebatur. Cum enim improlis dux exceſſiſſet, Fridericus Imperator Auſtriæ jura ad ſe devoluta ratus, provinciam per Eberſteinium ſuo nomine adminiſtrari juſſit. Margaretha vero Henrici Romanorum olim regis conjux, Duciſque ſoror non nullum ad hæreditatem adeundam titulum, a fratris obitu, adipiſci videbatur. Innocentius autem, ut ſcribit Pernoldus (*a*), *cum noviſſet eam in monaſterio habitare, ac putaret, poſſe eidem conſuetudine monaſterii in mentem venire cœlibatum perpetuum, vel profeſſionem ordinis, hortatus eſt illam, ut pro bono Eccleſiæ, in periculoſo ejuſdem moderno ſtatu cum fratre Marchionis Miſnenſis, Wilhelmi regis nepote nuptias faceret, ut hic per eam jus aquireret in Auſtriam, & ſic Wilhelmus rex potentior fieret. Sed noluit Marchio; timens inanem ſpem, cum videret, omnes vicinos Principes, Bavarum, Ungarum, Bohemum, Carinthum pro Auſtria, & Styria contendere.*

Id cum parum ex ſententis procedere videret Pontifex, Wilhelmum Romanorum regem litteris hortatus eſt, ut Belæ in aſſerenda Auſtria, vel Styria conſilio, re, & viribus adjutor eſſet, maluit enim in hujus, quam alterius cujuſvis; qui Friderico, ſacris omnibus interdicto, ſtudebant, poteſtatem, ſi armis jus dirimendum eſſet, nobiliſſimam Provinciam devolvi. Ad hæc Margaretha juſſu Pontificis in Auſtriam delata, quod ſpes eſſet, ejus opera Auſtrales ad Eccleſiæ obſequium reducendi, Vienna per Eberſteinium excluſa, Hamburgum finitimum Hungariæ Oppidum, conceſſit. Quam haud multo poſt tempore Gertrudis cæſi Friderici filia, mortuo Uladislao marito, conſequuta, ſedem Medlingi poſuit: quæ, ut juvenis erat, & nuptiarum, ac dominationis appetentiſſima, haud levem ad Auſtralium turbas acceſſionem deinceps fecit (*b*). Bela, cum inteſtinis diſcordiis provinciam laborare videret, tempore ac Ottonis Bavari, qui ſupra Anaſum arma circumferebat, exemplo uſus, inferiorem quoque Auſtriam, ac Styriam hoſtilem in modum percurſabat. 1248.

Hungarorum incurſionibus patet.

Qua re Provincialium animos a Bela avertit.

Sed præter vaſtitatem nullum operæ precium relatum eſt, magiſque Auſtralium iras in ſe commovit, quam favorem, qui quamquam regi in principio ſtudere nonnihil videbantur, tamen poſtea, quam vi, & bello provinciam illum obtinere velle comperiſſent, vehementer ab ejus tyrannide abhorrebant. Neque Friderici res in Auſtria ſatis ſecundæ fuere: cujus Præfectus Eberſteinius, ubi fruſtra omnia ad conciliandos ſeditioſorum animos tentaſſet, ad Imperatorem Veronam abiit, maximam nobiliſſimorum virorum turbam ſecum trahens, miſeris modis ab irato Friderico accipiendam, niſi Saliſburgenſis Archi-Epiſcopus cognito mature dolo pleroſque in libertatem aſſeruiſſet. Itaque magna Procerum pars Friderico haud ſatis fidentes, inter Gertrudem, cujus ſupra meminimus, & Hermanum Marchionem Badenſem, nuptias conciliant, rati eo conjugio factiones ſublatum iri: ſed quod alii Margarethæ, tanquam ſeniori, ſtuderent, commutata ſolum, non exſtincta partium ſtudia ſunt; Bela interim ſeu connivente, ſeu novis ſupplementis ad inferendum validius bellum intento.

Spalatenſis Archi-Epiſcopus obit.

Sub hæc affertur regi ex Dalmatia, Ugrinum Spalatenſem Archi-Epiſcopum eadem, qua pallium ab Innocentio acceperat, die exſtinctum eſſe. Magnæ fuit, cum viveret, apud Belam gratiæ, & auctoritatis: ab Ugrino patruo, quem in pugna, cum Tartaris inita, fortiter dimicantem obiiſſe narravimus, Pariſios miſſus, ut ſacris diſciplinis animum excoleret: unde poſt duodecim annos redux, Caſmenſis primum Præpoſitus, tum ad Spalatenſem cathedram Regis beneficio evectus eſt.

a) Pernoldus in Chron. ad an. 1247. *b*) Idem ibid.

1248. Eruditum, ac divinis ſcientiis apprime inſtitutum fuiſſe multi perhibent, moribus tamen, quam ea dignitas poſtularit, minus caſtigatis Thomas Archidiaconus ea ætate vivens ita expingit (*c*).

Ejus virtutes, & vitia.

„ Fuit autem utraque prædItus dignitate, Archi-Epiſcopatus, & Comitatus;
„ nec his contentus ad altiora ſemper, & ditiora toto mentis deſiderio anhelabat. Erat
„ autem ſanguinis Nobilitate turgidus, juvenili calore pompoſus, ſtaturæ proceritas,
„ & faciei venuſtas, quibus ceteros præcellebat, non permittebant eum mediocria de
„ ſe ſentire, ſecularibus quidem negotiis totus intentus, Eccleſiaſtica, velut ſuper-
„ flua, quædam, & minoris curæ indigentia ſegniter procurabat, ita demum omni
„ ſtudio mundanæ deditus cenedoxæ, non ſapientum, non religioſorum appetebat
„ conſortia, ſed armatorum circa ſe catervas habere gaudebat. Verum cum pro mi-
„ litaribus ſtipendiis domeſticæ ſibi non ſufficerent facultatea, tendebat manum ad
„ aliena, & illicita, cupiens in victu, veſtitu, & multitudine clientelæ Ungarico-
„ rum Prælatorum ſe copiis coæquare; ſic autem tam clericis, quam laicis, atque
„ monaſteriis durus exactor, & onoroſus dominator erat. Tentavit autem omnia
„ jura Canonicorum ſubtrahere, totaſque quatuor decimales portiones ad uſum pro-
„ prium retorquere; ſed obſiſtente Archidiacono cum ceteris, non valuit, niſi por-
„ tionem pauperum duntaxat, contra prædeceſſorum ſuorum conſuetudinem uſurpa-
„ re. Et quia non permittebatur de rebus Eccleſiæ ſuam ex toto explere cupidinem,
„ nulla charitatis connexio eorum animos in conſenſum mutuum conſtringebat, ſed
„ dira diſcordiæ peſtis eos ſæpius in contentionum ſcandala concitabat. Laici vero ni-
„ hilominus de ipſo ſua ſpe fuerunt fruſtrati: nam cum putarent, eum contra inimi-
„ cos civitatis fortem, ac bellacem futurum Principem, e contrario mitem, & paca-
„ tum ſe gerens cum eis, omnem auſteritatis ſuæ regiorem in cives ſuos exercere vo-
„ lebat, erat autem bonis turbulentus, & minax, pravis vero munificus, & amicus.
„ Ita quidem contigit, ut omnibus gravis, & intolerabilis videretur, ob quam cau-
„ ſam ipſe ſemper contra cives & cives contra ipſum malevolentiæ ſuſpiciones gere-
„ bant. „ Hæc tamen mira doloris conteſtatione in mortis aditu Ugrinum retractaſſe

1249. idem Archidiaconus memorat.

Bela Auſtriam populatur.

Auſtria, quam priore anno turbis agitatam memoravimus, nihilo magis hoc anno quietem adepta eſt. Fridericus reverſo Veronam Eberſteinio, Ottonem Bavarum Auſtriæ, Meinhardum vero Goritienſem Comitem Stiriæ præfecerat, neutri tamen ſatis ſeu virium, ſeu animi etiam fuit vim Hungarorum, qui in utramque provinciam irruperant, reſrenandi. Ferunt ea procurſione tot hominum millia in captivitatem a noſtris abducta eſſe, ut frequentiſſima ceteroquin provincia, quæ ſecundum Cetios montes ad Stiriam tenditur, vaſtiſſima redderetur (*d*). Eccleſias quoque, poſthabita ſacrorum locorum reverentia, theſauris ſpoliatas eorum temporum Chronographi narrant: quæ ego non tam voluntati regis, quem alioquin probum, & minime ferocem fuiſſe conſtet, quam Cumanorum, quos in exercitu ductabat, rapacitati adſcribenda puto. Auſtrales, ut hoſtem ab ſuis ditionibus deinceps abſterrerent, viciſſim in Hungariam procurrerunt, ſed præterquam, quod importuno tem-

1250. pore expetitio nullo fructu ſuſcepta ſit, tantum abeſt, ut Hungaros a vi inferenda repreſſerint, ut adeo ad bellum priore acrius prolicerent. Anno enim hunc conſequente majoribus, quam antea copiis in Auſtriam effuſi quidquid ad Anaſum fluvium porrigitur, cædibus ac incendiis corrupere, munitionibus, quas occuparant, ad fundum convulſis. Neque Hermannus Badenſis, qui ducta Gertrude, Auſtriam jure uxorio adminiſtrabat, ad propulſandum bellum ſatis a milite camparatus erat; & paullum poſt fato functus, rurſum noſtris procurrendi cauſam præbuit: qui ut celerrime Auſtriam, Stiriamque pervagati ſunt, ita præter combuſtum Cellæ marianæ clauſtrum, nulla re egregie patrata domum rediere (*e*).

Rurſus ſpolia ex ea agit.

Margareta Wilhelmi Hollandiæ.

Hermanno defuncto Gertrudis, cum Friderico filiolo ob tumultus, qui alter ex altero in dies naſcebatur, in Miſniam ad Conſtantiam amitam conceſſit, Agnetem, filiam poſthumam iſthic enixa. Provinciæ orbitas, & Friderici Imperatoris mors,

c) Hiſt. Salonit. Cap. XLVII. Similia Chronicon Pontificale Salonitanum, & Spalatenſe apud FARLATI Tom. I. Illyrici ſacri-

d) PERNOLDVS in Chronico ad an. 1249. Et Chronicon SALISBVRG.

e) Idem PERNOLDVS ad annum 1250.

1250.

mors, Menſe Decembri conſecuta, Pontificem perpulerant, ut Margaretæ Auſtriæ, ad quam jus hæreditarium pertinebat, rurſum auctor eſſet, connubii cum Florentio Hollandiæ comite, & Wilhelmi Romanorum Regis fratre ineundi, hujus enim partes adverſus Conradum, defuncti Imperatoris filium, Innocentius aperte tuebatur. Verum Margareta minus, quam Pontifex ſperarit, morigeram ſe præbuit, ſive ab eo matrimonio per ſeſe abhorreret, ſive ſpes non fuerit, Auſtrales, quod Hollandiæ Comes exterus, & longinquo terrarum ſpacio divulſus, itaque ad defendendam provinciam minus idoneus videretur, conſenſuros (*f*).

Comitis nuptias reſpuit.

1251.

Itaque repudiato Florentio, Auſtrales, ne provincia diutius capite deſtitueretur, Viennam comitia indicunt. Conſultatum diu eſt ancipiti ſententia, quod, ut affectu in quemvis Provinciales ferrentur, ita judicia quoque ſua pro partium ſtudio conformarent. Proinde ſolutus haud multo poſt ſine fructu conventus eſt: Principes tamen viri, quos patriæ charitas tangebat, in oppido *Triewenſee* juxta Tulnam clam coeuntes, re deliberata, nuncios in Miſniam mittendos cenſuere ad conſtantiam, ut alterutrum filiorum Auſtriis, & Stiriis indulgeret, qui pro Margareta rerum in utraque provincia potiretur. Lecti ſunt Abbas Scotorum, Ditmarus Præpoſitus Clauſtro Neoburgenſis, de Habapach, & Liechrenſtein Dynaſtarum potentiſſimi, qui legatione fungerentur. In Bohemiam delatos Wenceslaus rex, non ignarus, cujus cauſa in Miſniam contenderent, liberaliſſime accepit, magnoque verborum lenocinio, & exquiſita humanitatis ſignificatione excultos periclitatur, num eos Commutata ſententia faciles in Ottocarum, filium ſuum, habiturus eſſet. Abhorrebant primum plerique ab eo conſilio, at poſtea, ubi Bohemus auro, ac muneribus rem cæpiſſet agere, redituros ſe polliciti ſunt, ut alios in ſuam quoque ſententiam pertraherent. Ceterum id ſibi ad rem feliciter gerendam opus maxime videri, ut Ottocarus Margaretæ nuptias ambiat, his conciliatis non modo ſuffragiis, ſed juro prӕterea Auſtriam cum Stiria adepturum (*g*).

Auſtrii Ducem ex Miſnia advocare conſtituunt.

Sed a Bohemorum rege, auro, & muneribus corrupti.

His in hunc modum conſtitutis Legati revertuntur, & celebrato ex Auſtriis, ac Stiriis conventu, quid egiſſent, exponunt: hortantur Margaretam, ut reipublicæ cauſa Ottocarum, nuptias per Oratores ambiturum, ne repellat; ceteris Bohemi potentiam ampliſſimis verbis declarant, quod, ut tum tempora erant, omnium maxime idoneus futurus ſit, qui Auſtriam adverſus Hungaros viriliter tueri poſſit. Hæc ut in medium propoſita ſunt, varios animorum motus concitabant. Ac Margareta quidem, quæ anui, quam viduæ proximior erat, agebat enim annum ſeptimum ſupra quadrageſimum, nec tam ſe, quam provincias illis nuptiis ambiri conſpicata, tum religione etiam ob cognationis vinculum tacta, ab matrimonio vehementer abhorruit. Neque Stiriis Ottocarus placuit, magiſque in Stephanum Belæ filium, quam in Bohemum votis ſuis ferebantur. Miſerant in eum finem ad Belam Ditmarum Weiſſeneckium, cui rex muneribus, ac pollicitis onerato gratam ſibi Stirorum voluntatem eſſe ſignificabat, daturumque operam, ut eos ſpei, quam de ſe, ac filio ſuo conceperant, nunquam pœniteat. Auſtrales, qui Stirorum ſeceſſionem inpatienter ferebant, tanto magis Wencealaum per litteras, & nuncios urgere, ut primo quovis tempore Ottocarum in Auſtriam mitteret, adduntque, non abs re futurum, ſi oſtentato armorum metu ceteros, qui nutabant, in ſuas partes pelliceret. Tam adverſæ, & diſtractæ Provincialium voluntates non modo inteſtinum, ſed externum quoque bellum minabantur. Acceſſit Gertrudis quoque ambitus: quæ, ut primum, quid ageretur, intellexiſſet, continuo ex Miſnia in Auſtriam advolat, ſpe ducta, futurum, ut pleroſque in partes Friderici filii ſui muliebribus blanditiis, & precibus aducat (*h*).

Ottocarum ejus filium in conventu proponunt: in quem, præter Margaretam, plerique conſpiraut.

Stirii contra Stephanum Belæ filium depoſcunt.

Turbis his interceſſit armatus Ottocarus, quem pater ingenti conflato exercitu in Auſtriam Provincialium precibus perſuaſus miſerat: finitimis Bohemiæ locis oſtentato armorum metu facile occupatis Viennæ copias admovet, urbemque diſtributis inter cives theſauris, nullamque pactionem detrectans, brevi tempore per deditionem ingreditur. Tum de conciliando cum Margareta matrimonio actum, cui tamen prudens femina, quod nihil boni ex eo conjugio ſperaret, diu, acriter

Ottocaro in Auſtriam veniente Gertrudis jura provinciæ in Belam transfert.

f) Idem ad eundem annum.

g) Pernoldus in Chronico ad annum 1251.

h) Idem ibid.

que obſtitit, Gertrudis contra viri, quam ceteroquin decori ratio ſineret, appetentior, poſtquam ſpe provinciæ ad filium ſuum traducendæ excidiſſet, ad Belam confugit, eique jus omne, quod in Auſtriam haberet, ſponte ceſſit. Rex ratam Gertrudis voluntatem habens viciſſim mulierem ſibi obſtrinxit, eique Romanum, Danielis Ruſſiæ Regis filium matrimonio juncturum ſpopondit (*i*).

Hinc bellum inter Hungaros, & Ottocarum exortum.

Abhinc, quod bellum neceſſarium inſtare videretur, neque enim Ottocarus aliter, quam armis exigi Auſtria potuit, ſummos ad id conficiendum apparatus fieri imperavit. Maxima exercitus pars ex Cumanis conflata eſt, & in Auſtriam procurſum. Dimicatum deinde inter æmulos utrinque fuiſſe Pernoldus quidem memorat, ſed quo eventu, non item: Crediderim æquo ſatis marte manus conſertas eſſe, quod & Ottocarus Viennam in ſequentem etiam annum retinuit, & Hungari rurſus bellum Auſtriis, ac Bohemis obmoverent (*k*).

Stephanus Sclavoniæ Banus res Dalmaticas inſtaurat.

Quo minus rem in Auſtria rex hoc anno ad finem adducere potuerit, res, quæ ex Dalmatia parum proſperæ afferebantur, obſtabant. Comites Caciclorum opibus, ac multorum clientelis potentiſſimi ex Almiſo, loco, ut alias narratum eſt, ſitu, & natura ſupra ceteros munito, Dalmatinos, ac Tragurinos præcipue infeſtabant, quos cum Stephanus Banus ab finitimorum injuriis ſatis tueri nequiret, metuſque eſſet, ne ex privatis altercationibus apertum bellum naſceretur, novis ex Hungaria ſupplementis adjuvandus erat: quibus obtentis facile Almiſanos repreſſit, & urbis in mente *Jablanich*, quod refrenandis adverſariorum incurſionibus mire opportunus eſſet, regis auctoritate fundamenta jecit. Ad quam frequentandam cum ingens, præcipue Arbenſium, concurſatio fieret, ut molitionem leviore temporis, & ſumtuum compendio ad faſtigium adduceret, Arbenſes, qui nomeo ſuum inter cives profiteri vellent, ampliſſimis privilegiis in hanc ſententiam ornavit (*l*).

Novamque urbem a fundo educit.

„ Nos Stephanus Banus totius Sclavoniæ, volumus ſcire univerſos, quod
„ nos conſiderata fortitudine montis Jablanicæ, & inſpecta utilitate ejuſdem, collo-
„ care volumus novam civitatem, ad honorem Domini regis Hungariæ ſuper eodem.
„ Populi autem Arbenſis inſulæ miſſis ſolennibus nunciis ſuis, videlicet judice Andrea
„ de Cotopagna, & Domigna Gambetta, a nobis locum in eadem civitate Jablani-
„ chii, qui ex ipſis ſe ibi collocare voluerunt, clare poſtularunt promittentes: quod
„ in ipſum, & in ipſam civitatem populos congregarent, ut utilem facerent illum
„ locum amœnum cum noſtro adjutorio ad commodum Domini regis, & honorem.
„ Quorum condignas petitiones admittentes nos, locum eis, qui ex ipſis illuc conve-
„ niunt, ibi moraturi, duximus concedendum, ita videlicet, quod unum Caſtellum
„ in vertice ipſius montis omni expenſa noſtra pro Domino rege ædificetur, circum-
„ quaque autem pro utilitate populi ibi commorantis eaodem libertatem, qua utun-
„ tur Tragurienſes, & Sibenicenſes, & aliæ civitates regis in maritimis juxta mare
„ conſtitutæ. Hoc autem expreſſe conſtituimus, quod Comitem ſibi habeant eligere
„ de regno Domini regis, & de fidelibus ejus, quemcunque voluerint, judices vero,
„ & conſiliarios eligant ex populis Arbenſibus in eadem civitate commorantibus. Si
„ autem iidem populi Arbenſes illum locum Jablanich, utilem, & amœnum, ac ſo-
„ rum in eodem facere potuerint cum noſtro adjutario, ut promiſerunt, quarta pars
„ totius lucri, & tributi, quæ pro Domino rege, & pro Domino Bano, tam de
„ foro, quam aliunde in eadem civitate exiguntur ad uſum populorum Arbenſium,
„ cum tota familia domus ſuæ, ad honorem Regis in eadem civitate commorantium
„ miniſtretur, tres vero partes ad uſum regis, & Bani recipiantur. Si quis ex po-
„ pulis Arbenſibus cauſa negotiationis per regnum Domini Regis ire voluerit, libe-
„ ram eundi, & redeundi facultatem habeant, nullus quidem præſumat illum impe-
„ dire, vel aliquatenus moleſtare. Sin autem illum contingat in regno regis amittere
„ bona ſua, nos puro corde, & vera fide conabimur requirere ablata fideliter, una
„ cum eodem. Adverſarii quippe, & inimici Arbenſium, morari in eadem civitate
„ volentes non ſuſcipiantur ullo modo. Mercatores autem Arbenſes in eadem civi-
„ tate Jablanich nullum tributum ſolvere teneantur. Terras autem ad Jablanich per-
„ tinentes - - habitatoribus - - relinquimus pacifice poſſidendas. - - Ut autem hu-
„ jus

i) Pernoldvs in Chronico ad an. cit.
k) Idem ibid.
l) Lvcivs Lib. IV. Cap. IX.

„jus ordinationis ſeries - - ſalva conſiſtat, præſentem paginam noſtram munimine
„ſigilli noſtri conceſſimus, quam illuſtris D. rex Hungariæ, ſuis regalibus litteris,
„ſi ad ipſum pervenerint, ſi hæc præmiſſa provide ordinata eſſe ſibi dignoſcentur.
„Datum in Breſan anno Domini MCCLI.„

Bela non modo ratam Stephani voluntatem habuit, ſed ipſe quoque, ut videtur, ante menſem Decembrem in Dalmatiam profectus, res in Comitatu Brebenienſi non nihil turbatas præſentia ſua reſtituit, utque futuris caveret, nobiliſſimæ Subichiorum familiæ Comitatum dono dedit, partim ob egregia in reges Hungariæ merita, partim, quod ſe, dum Tartaros fugiens in Dalmatiam pervenit, fortunis, ac facultatibus liberaliter adjuviſſent. Exſtant regia litteræ, quæ, & cauſam donationis, & laudes Comitum Breberienſium ad poſterorum memoriam io hæc verba complectuntur (*m*).

Bela in Dalmatiam profectus bene de ſe meritos præmiis afficit.

In nomine ſanctæ Trinitatis, & individuæ unitatis. Amen.

„Bela Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Lodo-
„meriæ, Cumaoiæque rex in perpetuum. Regum celſitudo regit, & ſublimiori de-
„betur dignitati, ut intuitus ſui oculos tanto jucundius in ſuos fideles injiciant, quan-
„to ipſa fidelitas, per quam regum, regnorumque omnium potentia roboratur, ce-
„teria virtutibus poſitis eſt merito præferenda, & amplioribua meritis attollenda, præ-
„ſertim cum hominibus infectis corruptela ſeculi ſeneſcentis, quo rarior reperitur,
„eo carior ſit habenda, & ardentius amplectenda. Hac igitur conſideratione inducti,
„tenore præſentium ſcire volumus univerſos, quod cum fideles noſtri, Stipcho Co-
„mes & Jacou. filii Comitis Stephani, Gregorius, & Daniel Comes, filii Bribignæ
„Comitis, & Obrad, nec non & nepotes ejus, filii videlicet Comitis Budislavi, No-
„biles de Breberio, a primævis ipſorum temporibus paternis veſtigiis inhærentes,
„tam grata ſemper fidelitatis obſequia, & ubique attollenda coram noſtræ Majeſta-
„tis oculis ſtudioſius impendiſſent, ut expugnatis, & effugatis Damaldo, & Boy-
„zin, ac cognatis eorundem, qui a fidelitate debita aberrarant, contra multos etiam
„alios adverſus regiam Majeſtatem reſultantes, in prælio navali, & terreſtri ſæpe,
„ac ſæpiſſime - - & laudabilem victoriam obtinuiſſent, & triumphum per omne ſpa-
„tium temporis, in omni ſervitio ooſtro immobiles perſiiterint: ad hæc, cum tem-
„pus perſecutionis Tartarorum, qualitas temporis, & negotii ad partes maritimas
„nos expuliſſet - - noſque fideles noſtri, & devoti ſedulo receptantes, univerſa,
„quæ habebant, ad noſtrum expoſuerunt præceptum, & mandatum, ſuas perſonas
„contra inſultus Tartaricos, & alios diverſos fortunæ caſus multipliciter exponendo,
„quoſdam, qui io ipſo eventu ſe erigere, & extollere contra nos intendebant, com-
„mendabiliter repreſſerunt. Nos igitur, quibus ex officio regiæ dignitatis incumbit,
„metiri merita ſiogulorum & ſingulis - - - devota eximia bonorum actuum proroga-
„tionem memoriter retinentes, comitatum Breberienſem, cum omnibus utilitatibus,
„ac pertinentiis ſuis, a progenitoribus noſtris eis liberaliter datum, collatum, ac
„inclytæ recordationis patris noſtri privilegio roboratum, quod tamen caſu dicitur
„amiſſum, plene, & pacifice eiadem duximus confirmandum, ut tam ipſi, quam
„ipſorum hæredes, hæredumque ſucceſſores in perpetuum poſſideant pleno jure. In
„cujus confirmationis, & collationis memoriam, & perpetuam firmitatem præſentes
„conceſſimus noſtras, impreſſione aureæ bullæ noſtræ roboratas. Datum per ma-
„nus Venerabilis patris Benedicti Archi-Epiſcopi Colocenſis, Aulæ noſtræ Cance-
„larii, Reverendo Stephano Archi-Epiſcopo Strigonienſi, Raſcho Cenad - - - ,
„Ultrăſilvano, Zaland Veſprimieoſi, Goymone Vacienſi, Philippo Zagrabienſi,
„Jacobo Agrienſi, Achille Quinque Eccleſienſi, Archidapifero Jaurienſi, Vincen-
„tio Varadienſi Epiſcopia Eccleſias ſalubriter gubernantibus. Magnificis - - - Præ-
„poſito Albenſi aulæ noſtræ vice Cancellario, Rolando Palatino, & Comite Poſo-
„nienſi, Stephano Bano totius Sclavoniæ, Chach Magiſtro Tavernicorum noſtro-
„rum, & Comite ſuper (*n*). Laurentio Vayvoda Ultraſilvano, Comite de Dolcon,

m) Idem ibid.

n) Manca in hoc diplomate plura loca ſunt, ut

„Paulo Judice curiæ noſtræ, & Comite Zaladienſi, Dionyſio Zougveran, Stenico „Sumugienſi, Nicolao Magiſtro Dapiſerorum noſtrorum, Bagon Magiſtro Pincer„narum noſtrorum, & Comite de Bacca, Emoys Mareſcalo, Benedicto Maurinen„ſi, Nicolao ſerrei Caſtri, Dominico Zavanienſi, Hon Varoſdienſi, & aliis quam „plurimis Magiſtratus, & Comitatus tenentibus--. Anno Domini MCCLI. Regni au„tem noſtri ſextodecimo.

Apud Pontifi-cem ſuſpi-cionem conſuetu-dinis cum Cumanis mulierculis habitæ incurrit.

Ceterum rex laudum encomia, quæ ſibi eatenus comparaverat, parum decora Cumanarum mulierum conſuetudine temeravit. Ea re non modo Mariæ Conjugis, lectiſſimæ feminæ animum ſibi inſenſum reddidit, ſed Stephani quoque filii ac Procerum odia conflavit. Quæ ut ne in bellum inteſtinum erumperent, Stephanus de Vancſa Archi-Epiſcopus Strigonienſis arrepto Romam itinere, Innocentium rem omnem edocuit, obteſtatus, ut malum, ne porro ſerpat, in principio opprimeret. Pontifex, quia Belam præ ceteris ſingulari amore complexus erat, datis litteris regem nullo pene negotio in viam revocavit, reconciliato quoque filio, cui Laureti & Converſani Comitatum; cum tractu Terlizenſi, ac Solitano, in Diæceſi Pennenſi ſito, donum dedit. Hæc ex vide Bzovii retulimus, alioquin nemo ſcriptorum eſt, qui Belam ei vitio deditum fuiſſe perhibeat (o). Neque Archi-Epiſcopus indonatus abierat, quem Cardinalitia dignitate ornatum a Strigonienſi ſede ad Prænestinam, traduxit. Quæ res, ut mox narraturi ſumus, non nullas poſtea turbas concitavit.

Strigonienſi Archiepiſcopo ad ſedem Præneſtinam traducto Colocenſem ſubrogari petit.

Bela enim, cognito Stephanum ad Præneſtinam Cathedram evectum fuiſſe, Benedictum ex Colocenſi Archi-Epiſcopo non modo ſus auctoritate, ſed aliorum quoque conſenſione Strigonienſem eſſe juſſit: qua in re cum difficiliorem, quam putarat, Innocentium habuiſſet, hac epiſtola Papam convenit (p).

Sanctiſſimo in Chriſto Patri Domino I. Divina providentia ſacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici B. Dei gratia rex Hungariæ filialem in omnibus reverentiam debitam, ac devotam. Non adjicientes Paternitatem veſtram pluribus occupatam, diutius detinere, ecce breviter, & laicaliter, & tamen veraciſſime coram Deo dicimus, quod ſi vultis ſalvare Eccleſiam Strigonienſem, & exaltare Colocenſem, & univerſis regni noſtri Eccleſiis providere, poſtulationem de perſona Venerabilis Patris B. Archi-Epiſcopi Colocenſis, Aulæ noſtræ Cancellarii, viri utique omni bonitate præclari, & experti, ad Eccleſiam Strigonienſem factam, pro qua vobis ſemel, & ſecundo ſupplicavimus, & nuncium omni devotione, & affectione pariter cum devotis veſtris filiis, noſtris, & toto regno noſtro, inſtantiſſime ſupplicamus, & in ſignum ſpecialis dilectionis affectuoſiſſime poſtulamus. Admittere dignemini Pater ſanctiſſime; certo certius tenentes, quod per ſolam ipſius providentiam eminentem dicta Strigonienſis Eccleſia in ſpiritualibus, & temporalibus reformari poterit, & reformata ſalubriter gubernari. Hoc quoque in verbo veritatis, teſte Deo, dicimus, & adjicimus in cautelam, quod nec nos, nec Capitulum Strigonienſe, nec Barones, nec ceteri homines regni noſtri in aliquem alium conſentimus, etſi quiſpiam, quantacunque dignitate præfulgens, etiam ſi Angelus aliud ſuggeſſerit, nullo modo credatis. Exaudite Pater benigniſſime tot vota ſupplicantium, & ſalvate totam Eccleſiam Hungaricam, dando tam nobile ſpeculum, & exemplar, & nos exinde una cum noſtris ad univerſa beneplacita veſtra amplius conſtringetis devotiores reddendo de devotis. Ecce uno corde, & puro, una voce, & veraci ſalutem noſtram, & noſtorum attendentes in hac parte, vos clamamus cum ſumma fiducia pie Pater! cetera nuncii, quos paternaliter expedite. Datum in Zamar X. idus Octobris (q).

Nihil tamen impetrat, & cur.

Fruſtra tamen regis preces hos anno fuiſſe eventus docuit. Stephanus enim ad Præneſtinam infulam traductus, ſive cæli inclementia valetudini illius gravior, ſive Strigonienſe beneficium recens adepto pinquius eſſet, Pontificem crebris precibus pulſabat, ut ſibi bona ejus venia ad Strigonienſem Eccleſiam redire liceret, de quo ad ſequentem annum narrandi locus erit.

Per

nt hunc quoque eſſe puto & ſubſtituendum *Suprunienſi*, nam id quoque in antiquis diplomatibus legitur. Jaurinenſem arbitror fuiſſe Artolphum, quem alii Arcolphum malunt dicere: nam hic in bulla area, qua Bela Præpoſituram Thuroczienſem fundat, legitur an. 1252.

o) Bzovius in annal. Eccleſiaſt. ad annum 1251. Num. VII.

p) Peterfy Tom. I. Concil. Hungar. pag. 70.

q) Errorne ſit, an modus dies numerandi veteridus uſitatus hæreo: nam hodie quidem idus hoc numero non cenſentur. Neque ſatis forte tuta lectio eſt, *Zamor*, cui *Zamar* non auſim etiam ſubſtituere.

Per hæc Velaſcus ab Innocentio Nuntii auctoritate fultus, ac in Auſtriam delatus, cognationis vinculum, quo ſe Margareta illigatam aſſerebat, ſuſtulit. Eo ſublato partim boni publici cauſa, partim procerum hortatibus perſuaſa nuptias cum Ottocaro Haimburgi IV. Idus Aprilis celebravit, virumque juris hæreditarii fecit participem. Quo exemplo Gertrudis quoque allecta, haud multo poſt tempore Romanum Ruſſiæ ducem, agente Bela, virum accepit, cum quo Judenburgum abiens, ſpem ſolam abſtulit, ſe, quamprimum rex Auſtriam in ditionem redegiſſet, poſſeſſionem Provinciæ adituram (r).

Nuptiæ inter Margaretam Auſtriacam & Ottocarum Pontificis opera conciliantur.

A nuptiarum apparatu ad bellum prorſus ſanguinarium itum eſt. Bela, poſtquam Stiriam pene omnem diſtriburis pecuniis filio ſuo conciliaſſet, Auſtriam quoque Ottocaro aut eripere, aut minus tutam reddere conſtituerat. Eam ob rem Cumanos in Moraviam incurrere jubet, ipſe cum præcipuo exercitus robore Auſtriæ infuſus vaſtitatem latiſſime circumtulit. Nuſpiam ad manus hoſtem veniſſe comperio; ſive Ottocarus novis amoribus indulgeret, ſive tantas vires in promtu non habuerit, ut diviſis bifariam copiis, Belæ in Auſtria, in Moravia vero Cumanis reſiſteret. Ceterum fere inutile bellum fuiſſe videri poteſt, neque enim id, cujus cauſa cæptum eſt, noſtri obtinuere, nec quidquam gloriæ, præter rapinas, & ſpolia, relatum (s).

Hungari Auſtriam & Moraviam infeſtant.

Reverſus in Hungariam Bela, arduo rurſus negotio, quod illi cum Pontifice obortum eſt, implicatur. Innocentius enim, quod Stephano de Vancsa majorem in modum ſtuderet, neque crebras illius preces, quibus ſe in priſtinam ſedem reſtitui orabat, fruſtraneas eſſe cuperet, Benedictum Colocenſem ad Strigonienſem Cathedram, regis, regnique ſuffragiis poſtulatum, confirmare dedita opera diſtulit. Quæ procraſtinatio cum & Eccleſiæ nocumentum allatura, neque ſatis ad regis dignitatem accommodata videretur, alias ad Pontificem litteras, eaſque, quam priores fuerint, liberiores exaravit (t).

Rex iterum pro Colocenſi Archi-Epiſcopo apud Pontificem inſtat.

„Sanctiſſimo in Chriſto patri, Domino I. Divina providentia Sacro-Sanctæ
„Eccleſiæ Summo Pontifici, Bela Dei gratia rex Hungariæ devotam obedientiam cum
„reverentia filiali.

„Fervor devotionis continuæ, quo Sacro-Sanctam Romanam Eccleſiam,
„Matrem noſtram ſumus ex intimis amplexati, affectus etiam ipſius, quo nos hactenus
„in omni requiſitione noſtra ſavorabiliter proſequens maternaliter exaudivit, mirari nos
„cogunt Pater ſancte, quis falſis, & iniquis perſuaſionibus aures veſtræ ſanctitatis adeo
„perpulſavit, ut erga nos veſtræ benignitatis animum immutaret, & non ſolum re-
„pulſam, quam nunquam ſeoſimus uſque modo, in noſtris petitionibus juſtiſſimis &
„honeſtis, per vos immerito pateremur, ſed & exſpectantibus conſolationem, gra-
„vamina; læta ſperantibus triſtia provenirent? Ecce etenim pro admittenda poſtula-
„tione Canonica, conſona, & concordi, & quaſi per inſpirationem communiter ab
„omnibus de perſona venerabilis patris B. Archiepiſcopi Colocenſis Aulæ noſtræ
„Cancellarii in Strigonienſem metropolim celebrata, una cum Eccleſia poſtulante,
„totiuſque regni clero, ac populo, quorum omnium utilitati publicæ in ipſius trans-
„latione ſalubriter conſulitur, affectuoſiſſime nuper ſupplicantes non ſumus apud ve-
„ſtram immenſam pietatem, qua ſingulis, & univerſis affluere conſueviſtis, quod
„non ſine dolore dicimus, exauditi; quamquam conſilium, & aſſenſus Domini S. Car-
„dinalis Epiſcopi Præneſtini, ſicut per veſtras litteras receperat in mandatis, vel,
„ut verius fateamur, veſtræ ſanctitatis authoritas, cum is, cujus authoritate fit, fa-
„cere intelligatur, grande nobis ſupplicantibus adminiculum, imo potius felicem
„effectum præſtitiſſe debuerint in hac parte. Confuſione quippe, & rubore affici-
„mur, quod tam legitime, ac ſolenniter facto negotio, conſenſum regium ſicut de
„jure decuit, adhibentes repellimur ut indigni, & ad fontem pietatis accurrentes,
„nec guttam valuimus reportare: præſertim cum non ſolum ob poſtulantium vota
„concurrentia, ſed & poſtulati merita, quibus idem multipliciter effulgens, ſe Deo
„& hominibus reddidit gratioſum, conſenſus noſter debitus fuerit, & merito appro-
„bandus. Cum enim Strigonienſis Antiſtes ſit primus inter Eccleſiaſticos, & ſecu-

r) Parnoldus in Chronico ad an. 1252.
s) Idem ibid.
t) Peterfy Tom. I. Concil. Hungar. pag. 71.

„ larea Principes, qui nobis conſilio, & auxilio in omnibua arduis, & ſecretis regni noſtri
„ negotiis debet aſſiſtere, cujus etiam præſentia carere non poſſumus vix in brevita-
„ te, merito aſſumi debuit in dictam Eccleſiam, qui omnibus amabilis pro ſua reve-
„ rentia habitus, ac omnibus approbari meruerit ex condigno.

„ Talis autem eſt ille venerabilis pater, de quo nunc eſt nobis ſermo, & ideo
„ non in privato, ſed in publico, non in angulo, ſed in tecto utique eſt collocan-
„ dus ut tamquam lucerna, ſuper candelabrum poſita, cunctis luceat in exemplum, &
„ ex ſuæ bonitatis affluentia locupletentur largius univerſi. In Eccleſia enim Strigo-
„ nienſi idem conſtitutus, tanquam in medio ſtans, omnem ſuam communicat utili-
„ tatem publice circumquaque. Præjudicium quoque ex translatione ipſius nec Co-
„ locenſi Eccleſiæ, nec cuiquam alii generatur, cum & dictæ Eccleſiæ Colocenſis,
„ & quibuslibet aliis idem in Archiepiſcopum Strigonienſem aſſumptus, poſſit utilius
„ conſulere, efficacius proſpicere, ac propenſius providere. Nec iſtud tanquam
„ novum his attentatur temporibus, ſed etiam in tranſactione hujuſmodi translatio
„ celebrata reperitur, & pariter approbata, nec ſine cauſa, cum utilitas publica pri-
„ vatæ ſit merito præferenda. Memoratus etiam Dominus S. Cardinalis, cum de
„ gremio fuerit Eccleſiæ Hungaricæ, & earum ſtatum ad plenum agnoverit, nullate-
„ nus ex certa ſcientia conſenſiſſet, taliter poſtulationem eam dicens, & faciens ap-
„ probando, cui & conſilio affuit, & poſtmodum reddendis Deo laudibus interfuit,
„ & ore proprio orationem conſuetam in talibus dixit, ſi exinde cuiquam fieri præ-
„ judicium inſpexiſſet, vel aliqualiter crediſſet.

„ Ad hoc, cum de mandato veſtro infra certos dies ad electionem, ſeu po-
„ ſtulationem faciendam Canonici Strigonienſes proceſſerint, & auctoritate veſtra do-
„ minus S. Cardinalis, ſicut in veſtro mandato continebatur, quamquam nobis irre-
„ quiſitis eandem approbavit, patet evidenter, quod poſtulato jus exſtitit aquiſitum.
„ Conſequens ergo eſt, quod ſine præjudicio, & confuſione poſtulati, & pariter
„ poſtulantium, ut ſalva reverentia veſtræ paternitatis loquamur, tam legitime fa-
„ ctum non debuit, vel potuit, immutari. Quia etſi ex plenitudine poteſtatis omnia
„ poſſitis, poteſtati tamen veſtræ renunciaſſe videmini in hac parte; ſicut & ipſe
„ Deus, cujus vices geritis in terria, non omnia facit potentia ordinata, ſeu condi-
„ tionata, licet poſſit omnia potentia abſoluta. Hoc igitur tandum poſſe debetis, ut
„ fiducia filiali diximus, quod de jure poteſtis. Non enim debet inde injuriarum na-
„ ſci occaſio, unde jura prodierunt.

„ Supplicamus itaque, & rogamus humiliter, ac devote ſanctitatis veſtræ cle-
„ mentiam, quatenus dignemini reducere ad memoriam, qualiter ſancti progenitores
„ noſtri, una nobiſcum, vel potius nos cum ipſis, & poſt ipſos elaboravimus in plan-
„ tatione, & ampliatione fidei Catholicæ, ſicut manifeſtum eſt de ſolicitudine noſtra,
„ ac diligentia in converſione Cumanorum nuper ad fidem revocatorum, & venien-
„ tium omni die, nec non in revocatione Ruthenorum ad obedientiam Sedis Apo-
„ ſtolicæ, quorum nuntii vel jam acceſſerunt, vel ſunt ad vos in proximo reveren-
„ ter acceſſuri, & recogitantes, qualiter in obedientia prompta, reverentia humili,
„ honorifica, & munifica receptione Legatorum, & aliorum nuntiorum Sedis Apo-
„ ſtolicæ inter omnes reges, & Principes Catholicos Sedem Apoſtolicam dilexerimus.
„ Et nos ab expectatione noſtra, & petitione juſtiſſima Pater ſanctiſſime non confun-
„ datis, quin potius ut nos, & Principes regni noſtri promptos ad omne beneplaci-
„ tum veſtrum faciatis, merito promptiores poſtulationem tam legitime factam, cum
„ omni integritate jurium Archiepiſcopalium paternaliter admittatis. Alioquin non
„ ſolum noſtræ, ſed etiam videremini in hac parte Divinæ reſiſtere voluntati, quia
„ omnis Clerus, Princeps, & populus, tam panperes, quam divites a majori uſque ad mi-
„ norem petunt, & deſiderant venerabilem Patrem noſtrum Benedictum in Patrem,
„ & Paſtorem Eccleſiæ Strigonienſis promoveri, & ut laicaliter, ſeu vulgariter loqua-
„ mur, populi eſt vox Dei, & ſama vulgi ſpeciem obtinet prophetiæ, Datum in inſu-
„ la leporum quinto idus Maji, anno MCCLII. (u) „

Magnæ

u) Eſt ea inſula Budenſibus thermis medio Danubio oppoſita, una olim, nunc gemina, quæ S. Mariæ, aut S. Margarethæ etiam nomine non nullis appellatur.

Magnæ prorſus gratiæ, & auctoritatis Benedictum fuiſſe oportuit, quem tam crebro, inſigniqne laudum encomio ornare perexerit. Neque tamen his quoque litteris Bela apud Innocentium quidquam profecit, quod is prius, quam epiſtola ſibi redderetur, Stephano ad Strigonienſem ſedem redeundi veniam fecit, ea tamen conditione, ut, ſi intra conſtitutum tempus poſſeſſionem non adierit, Præneſtem ingratiis ſuis reverri cogeretur. Neve ullus propterea moleſtiam illi crearet, datis litteris in hunc modum cavit (*x*).

Irrito tamen ſucceſſu, quod Papa Præneſtino veniam fecerit ad priſtinam ſedem revertendi.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei Epiſcopo Præneſtino.

„Etſi erga Eccleſias ſingulas ex Apoſtolatus officio illam præcipue adhibea-
„ mus ſolicitudinem, ut ad earum regimen paſtores diſcreti, & vigiles aſſumantur,
„ circa Romanam tamen Eccleſiam in aſſumendis ad eam perſonis utilibus, & diligen
„ tiores nos eſſe convenit, quo eadem diſpoſitione divina magiſtra, & regula cæte-
„ rarum præcelſior eſſe dignoſcitur univerſis. Sane vacante olim Præneſtinenſi Ec-
„ cleſia nos perſonam idoneam pro ipſius gubernatione conſideratione ſedula perqui-
„ rentes, te tandem, tunc Strigonienſem Archi-Epiſcopum inter ceteros, virtu-
„ tum tuarum ſuadentibus meritis præeligentes, & advocantes, velut ex nimia pro-
„ bitate famoſum ad ipſius Eccleſiæ Romanæ collegium dictæ Præneſtinenſis Eccleſiæ
„ de fratrum noſtrorum conſilio in Epiſcopum præfecimus, & potiorum te ad illam
„ de Strigonienſi Eccleſia transferendo. Demum ipſius Eccleſiæ Præneſtinæ ſuſcepto
„ regimine, metuens poſtmodum aëris intemperiem inexperti, & nonnulla impedi-
„ menta, multaſque neceſſitates exponens, propter quæ tuæ non expediebat perſo-
„ næ in Italicis partibus commorari, cum inſtantia petiiſti, ſibi ſuper hoc circumſpe-
„ ctione Apoſtolica provideri.

Ut ex litteris ad eum ſcriptis liquet.

„Licet autem nobis, & eisdem fratribus tua plurimum ſit cara præſentia, nec
„ ea multa utilitate perſpecta, quam ex ipſa prædicta Romana conſequebatur Eccle-
„ ſia, ullatenus carere vellemus, præfato tamen, quod ſi velle habemus te nobis
„ adeſſe, ut abeſſe hujuſmodi aſſiſtentia ſibi non poſſit, nec ob id perſonam tuam pe-
„ riculis ſubeſſe contingat, ſuis poſtulationibus conſideratis attente præmiſſis benigne
„ concurrente aſſenſu, licentiam tibi, quamquam inviti, concedimus ad præfatam
„ Strigonienſem Eccleſiam redeundi, & te ipſi Eccleſiæ in Archi-Epiſcopum, &
„ paſtorem præficimus de fratrum eorundem conſilio, & plenitudine poteſtatis.
„ Verum indemnitati memoratæ Præneſtinæ Eccleſiæ nos convenit præcavere, deli-
„ beratione cum fratribus ipſis perhibita, ſic te volente, ac perente, duximus pro-
„ videndum, ut quam cito uſque ad feſtum omnium ſanctorum proxime venturum
„ prædictæ Strigonienſi Eccleſiæ poſſeſſionem habueris, præfata Præneſtina Eccleſia, &
„ Cardinalatus tui dignitas ſtatim vacent, quod uſque tunc poſſeſſionem hujusmodi
„ non obtinueris, & poſt feſtum ipſum, vel etiam ante poſſeſſione ipſa non habita
„ reverti ad Apoſtolicam ſedem elegeris, redire tibi liceat, cedendo eidem Strigonienſi
„ Eccleſiæ in manibus alicujus Prælatorum regni Ungariæ, quem elegeris, recipientis
„ ceſſionem hujuſmodi vice noſtra, Capitulo Strigonienſi prius, quam de regno ipſo
„ diſcedas, libera conceſſa licentia, ſibi de paſtore idoneo providendi, ita tamen,
„ quod infra feſtum Nativitatis Dominicæ proxime futurum ad noſtram præſentiam
„ ſis reverſus. Sive autem in Ungariæ remanere partibus potius acceptaveris, ſive
„ non, dummodo ad nos infra prædictum nativitatis feſtum reverſus non fueris, nihil-
„ ominus utroque caſu vacent Eccleſia Præneſtina, & dignitas memorata. Datum
„ Aſiſii VII. idus Junii, anno X.„

Tum, ne quid moræ, aut religionis etiam Strigonienſe ſacerdotum Collegium obmoveret, biduo poſt ad Canonicos ejuſdem argumenti litteras dedit (*y*). Olim (inquit) *fama nominis Venerabilis fratris noſtri, Epiſcopi Præneſtini ad aures noſtras crebra fide dignorum inſinuatione perlata, ipſum propter hoc ad Romanam Eccleſiam non indigne providimus evocandum: & quamvis ad ipſam accedens, honorabilem locum exigentibus ſuis meritis ſortitus fuerit in eadem, eo tandem aſſerente propter inſueti aeris intemperiem, tum ob hoc, tum etiam propter alia, quæ in Ungariæ partibus ſolicitudini ſuæ im-*

Similes quoque ad Capitulum Strigonienſe exaravit.

x) Ughelli Tom. I. Ital. ſacræ pag. 209. y) Idem ibid.

1252.

minere proponit, licentiam redeundi ad partes eaſdem, natalis ſoli eum ad hoc attrahente dulcedine, a nobis, & fratribus noſtris non abſque importuna inſtantia poſtulavit. Verumlicet ſua petitio in hac parte gravis, & moleſta nobis non modicum videatur, maxime cum nos, & patres prædicti ſua grata, & votiva præſentia defraudemur inviti, ſuis tamen deſideriis ſuper hoc, urgente nos ad id ſuorum impreſſione precaminum, aquieſcere cupientes, Archi-Epiſcopatum Strigonienſis Eccleſiæ de fratrum noſtrorum conſilio, ſibi de ſpeciali gratia duximus conferendum: ſpe nobis propoſita, quod auctore illo, qui dictas virtutes præmia tribuit, & gratiam gratiæ ſuperaddit, dicta Eccleſia per diligentiæ ſuæ ſtudium, ſicut hactenus, ſic & in poſterum, grata in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Ipſum ergo ad eandem Eccleſiam curam ejus acturum, cum plenitudine noſtræ gratiæ remittentes, univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus eundem recipientes hilariter, & honeſte tractantes, ſibi, tanquam patri, & paſtori animarum veſtrarum plene, ac humiliter intendatis, & exhibeatis obedientiam, & reverentiam debitam, & devotam, ejus ſalubria monita, & mandata ſuſcipiendo devote, ac irrefragabiliter obſervando - - Datum Aſſiſii V. idus Junii anno X. In eandem ſententiam regi quoque ſcripſit, ſive ignarus, qnid Bela interim Benedicti cauſa moliretur, ſeu Stephano magis, quam illi ſtuderet. Quem exitum lis acceperit, ſuo loco, cum uſus erit, referemus.

1253.

Recrudeſcit bellum cum Ottocaro.

Elapſa hieme rurſus bellum cum Ottocaro recruduit; Bela diviſo bifariam exercitu partem in Moraviam, partem in Auſtriam duci imperat, nonnullos in Sueriam jubet incurrere, qui Philippo Saliaburgenſi Archi-Epiſcopo aut profligato, aut ejecto, quod reliquum erat, facile occuparunt. Bavari facta ad Occidentem impreſſione noſtris ab Oriente prona omnia fecere, quod Auſtrales diviſis copiis inferiores, neque illis ſatis reſiſtere, nec Hungaros repellere poſſent. Moravia autem miſerrimum in modum ab Cumanis habita incendiis, ac cædibus complebatur (z): templa, rapto ſacrorum apparatu, paſſim ſolo ſtrata, aur profanata, hominum ingens multitudo in captivitatem abſtracta; ſupereſtque hodie etiam barbarorum memoria, haud procul Oslovanienſi cænobio, inſigne templum, in quo plurima Cumanorum ſepulcra, & ſaxa litteris illorum inciſa ſpectantur (a). Wenceslaus ne, ſi hoſtia ex Moravia in Bohemiam ſe effunderet, imparatus eſſet, Pragam novis mœnibus cingit, omniaque ad coercendam Cumanorum vim ſolerter apparat. Tum reverſis Cumanis, quo illatas injurias ulciſceretur, Hungariam Moraviæ finitimam viciſſim percurſat, & ingenti edita clade revertitur. Graviter id Bela tulit, apparebatque reges non armis ſolum, ſed odiis quoque certaturos. Innocentius his compertis, ut malo caveret, diſſentientes conciliare ſtuduit, Bohemum præſertim interminatione ſacrorum, niſi diſcordiis modum, redintegrata cum Hungaris amicitia, poneret, graviter commonefaciens.

Graves Propterea litteras ad Bohemum Pontifex ſcribit.

Accepimus, inquit, *veridica relatione multorum, quod inter te, & Premislaum natum tuum Ducem Auſtriæ, ex parte una, & Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum, Regem Ungariæ illuſtrem ex altera, adeo ſcintilla diſcordiæ, ſufflante inimico humani generis, eſſet ſuccenſa, ut quos antea familiaris decorabat dilectio, & familiaritas confovebat alterna, tempeſtatis exagitet ſpiritus, & in profundum voragö jurgiorum abſorbeat, dum ad non neceſſaria bella, ſed pernicioſa prorſus inſurgitis, & ad invicem dimicatis, ſicque fit, quod vobis regna veſtra prædantibus, & depopulantibus circumpoſitas regiones, terra remaneat habitatoribus, proh dolor! deſolata. Quia vero noſtræ ſolicitudinis intereſt, ut nos, qui diſponente Domino univerſali regimini præſidemus, ex officio noſtro, pro eo maxime, quod Eccleſiæ, quæ inde conſueverunt nunc lædi, nunc deſtrui, præſerventur, & Chriſtianus populus taliter non perdatur, tantis occuramus periculis, remediis opportunis, Celſitudinem tuam rogamus, monemus, & hortamur, atque in remiſſionem tuorum peccatorum imponimus, quatenus ab his guerris omnino deſiſtens, cum prædicto rege ſic ad pacem, & concordiam pro Apoſtolicæ ſedis, & noſtra reverentia, ſine dilatione, ac difficultate qualibet revertaris, quod exinde apud Deum, & homines valeas non immerito commendari. Nos enim dilectum filium, fratrem Velaſcum, pœnitentiarium noſtrum ad partes illas, ad reformanda inter vos pacis fœdera deſtinamus, dantes ei cogendi contradictores, -'- per excommunicationis in perſonas, & terras ipſorum interdicti ſententias plenariam*

z) PERNOLDUS in Chron. ad annum 1253.

a) Bohuslaus BALBIN. Epit. Bohem. rerum Lib. III. cap. XIV.

nariam poteſtatem. Non obſtantibus, ſi vobis ab Apoſtolica ſede conceſſum ſit, ut in vos, 1253.
ſeu terras veſtras non poſſint hujuſmodi ſententiæ promulgari. Datum Aſſiſii Kalendis Julii, anno XI. (*b*).

Retulit Pontifex optatum ſolicitudinis ſuæ fructum, cum utrinque ab armis *Ottocarus*
primum ceſſatum eſſet, ac poſtea, ubi Wenceslaus Ottocari pater Septembri menſe *inducias*
extremum diem obiiſſet, induciæ quoque confectæ. Atque iſtia, quoad pax ſolen- *paciſcitur,*
ni fœdere confieret, cautum fuit, ut Ottocarus Ducis Stiriæ titulo deinceps abſtine- *& Stiria*
ret (*c*). De Auſtria poſtquam induciarum tempus elapſum fuerit, quid e re com- *abſtinet.*
muni eſſet, viſuros. Quam cum in poteſtate Ottocari futuram non obſcuris indiciis
Romanus comperiſſet, neque ſpem adeundæ provinciæ ſibi ullam ſupereſſe, Gertru-
dem, quam hanc potiſſimum ob cauſam uxorem duxerat, gravidam parum huma-
nus, gratuſque hoſpes deſeruit.

Hæc inter Velaſcus, quem Pontifex ad conciliandos reges Legatum miſerat, 1254.
eo rem ſuo ſtudio adduxit, ut ſequente annó inter Belam, & Ottocarum pax inito *Quæ, con-*
fœdere confirmaretur. Conventum in has conditiones eſt, ut Auſtria Ottocaro, *fecta pace,*
Stiria autem, qua mons *Semering*, limitem efficit, Belæ cederet (*d*). Abbinc amici- *penitus in*
tia inter Hungaros, & Bohemos redintegrata: quamquam Ottocarum non ſerio ad *Hungaro-*
pacem animum adjeciſſe deinceps conſtabit. *rum jus transit.*

Stiria in provinciam redacta, & Benedicto, de quo rex ſæpius apud Ponti- *Eamque*
ficem egerat, in Strigonienſi ſede confirmato, Bela Stephanum filium, regem inau- *Stephano*
gurari juſſerat, ſimulque Stiriæ præficit. Ex quo Stephanum regis junioris, & Ducis *filio regen-*
Stiriæ titulo, uſum fuiſſe ex diplomatibus compertum eſt (*e*): quamquam omnis *dam Bela*
reipublicæ ratio per Stephanum Sclavoniæ Banum *Capitanei* titulo adminiſtraretur (*f*). *concedit.*
Serius poſtea Ducem quoque Tranſilvaniæ, ac Cumanorum dominum (*g*) in publi-
cis litteris nuncupatum lego: unde morem deinceps manaſſe arbitror, ut, qui Cuma-
nis præfecti eſſent, Judices appellarentur, quam dignitatem Palatini Comites hodie
etiam uſurpant. Ceterum, quia Stephani Sclavoniæ Bani opera in maritimis Dalma-
tiæ locis perneceſſaria erat, rerum ſummam Judici ex Proceribus electo, fere in
Stiria concredere moris fuit (*h*).

Eeee Verum

b) RAYNALD. ad annum 1253.

c) Liquat id ax diplomatibus Ottocari apud Cl. PEZIUM. Cod. Diplom. Parte II. Io eo, quod nonis Martii ſignatum aſt, boc titulo utitur; *Nos Ottocarus Dei gratia Dominus regni Bohemiæ, Dux Auſtriæ & Styriæ, Marchio Moraviæ.* Aliud vero XII. Kalend. Octobr. hunc titulum præfert; *Ottocarus Dei gratia Dux Auſtriæ, & Marchio Moraviæ.* Utrumque aſt anni 1253.

d) Chronic. MELLIC. ad an. 1254. „Inter ipſum regem, & Ottocarum poſt multas, & graves bellorum tempeſtates amicabilis compoſitio interceſſit tali pacto; quod partem Styriæ, videlicet a monte, qui dicitur Semtririch (hodie Semering) donec per montana in Agmund (hodie Admuod) veniatur, relinquat regis dominio, & hoc ſecundum quod, aquæ pluviales diſtinguunt decurrentes." Similia Perooldus, & Stero coævi in ſuis Chrooicis ad euodem annum.

e) Exſtat lo Diplomatario Stiriæ intar Seizenſia Num XVII. in quo hoſpitale in Zerewalda Seizenſi cœnobio donat, cujus initium hujuſmodi eſt: *Stephanus Dei gratia rex primogenitus illuſtris regis Hungariæ, & Dux Stiriæ omnibus præſens ſcriptum inſpecturis --. Datum anno Domini MCCLIX.*

f) Fidem facit diploma inter Zeizenſia Num. XVIII. *Nos Stephanus Banus, Dux totius Sclavoniæ, ac Capitaneus Stiriæ univerſis Chriſti fidelibus* -- in quo villas duas adjudicat Cartuſiæ in Seiz contra dominum Vienionem, militem de Sybel. *Datum apud Gretz MCCLIV. Quarto idus Septembris.*

g) Patet id ex diplomate, quo patris ſui donationem, Gallo Epiſcopo Traoſilvanienſi factam, confirmat. Ejus initium tale eſt. *Stephanus Dei gratia junior rex Hungariæ, Dux Tranſilvaniæ, Dominus Cumanorum &c. Datum per manus Magiſtri Benedicti, Præpoſiti Orodienſis aulæ noſtræ vice Cancellarii anno Domini MCCLXXIII.* In Anno tamen puto errorem cubare, ut poſtea patebit. Exſtant item Capituli Varadienſis relatoriæ Statutionem quarundam terrarum continentes in hunc tenorem. *Excellentiſſimo Domino ſuo Stephano, Dei gratia juniori regi Hungariæ, Duci Tranſilvaniæ, Domino Cumanorum, Capitulum Eccleſiæ Waradienſis incolumitatem, & Orationes in Domino aſſiduas ac devotas --.*

h) Diploma intar Teutonica Num. V. ita habet: *Nos Gotfridus Judex Provincialis, & Fridericus junior de Petave, regio mandato Marſchalus Stiriæ -- ad præceptum illuſtris Domini noſtri regis Hungariæ, & mandatum, inclyti Bani, Capitanei Stiriæ ad inſtantiam querulosam -- Datum in Gratz in octava Epiphaniæ anno gratiæ MCCLV.*

1254.

Verum ut annus hic facta novæ provinciæ ad Hungariam eceſſione regi lætus fuit, ita exitus ob triſtem de Innocentii obitu nuncium, qui VII. idus Decembris deceſſerat, haud ſane jucundus contigit; quod in eo Pontificem rerum ſuarum, & Hungariæ in primis ſtudioſiſſimum amiſiſſet. Suffectus eſt illi decimo poſt mortem, ac octavo die Alexander hujus nominis IV., ex oſtienſi Epiſcopo ad eam dignitatem mira omnium voluntatum conſenſione evectus.

1255.

Rex profligato bello novam Budam condit.

Profligato feliciter bello Auſtrieco, ut regnum adverſus hoſtium injurias communiret, ad Butam, quod locus ad arcendem vim ſitu opportunus eſſet, in colle ædificandam enimum adjecit. Exciterat iſthic ante Tartarorum irruptionem caſtellum tumultuario opere communitum Præpoſitus veteris Budæ, ex quo caſtrum Budenſe, novum item montem Peſthienſem, interdum ejuſdem nominis arcem in regum litteris nuncupatem reperio; neque cum vetere Buda, cujus tenuia hodie veſtigie ſuperſunt, locus conſundendus, quod tamen a pleriſque ſactum video, qui res ad hanc urbem attinentes, novæ Budæ plerumque ſolent tribuere. Urbis incunebule eb omnibus, quod ſciam, ipſoque Timone, ejuſmodi rerum ceteroquin curioſiſſimo, ad annum MCCLXVII. figuntur. Sed errorem hunc ex regio diplomate detexit vir eorum, qui res patrias litteris illuſtrarunt, facile doctiſſimus *Nicolaus Schmitt*, cum tredecim annorum ſpatio nobiliſſimæ urbisortum præcipi oportere oſtendit (*i*). Cauſem, qua ed eam deſtinationem rex permotus ſit, in hæc verba reddit: *Cum igitur nos poſt vaſtitatem, quam culpis exigentibus regno Hungariæ invexit feritas Tartarorum, reformationem, reparationem, ſoliditatem, ac corroborationem ipſius regni, ex debito ſolicitudinis regiæ efficaciter curraſſemus apponere curas noſtras inter alia caſtra defenſione regni congrua, in monto Peſthienſi caſtrum quoddam exſtrui fecimus refertum multitudine hominum numeroſa - -* (*k*). Igitur locum ad urbis normam primus omnium Bele cœpit conſtruere, multis poſtea regibus cum ob ſalubre cælum, tum ſitus, ac deliciarum elegantiem frequentetum. Præpoſiti tamen veteris Budæ juribus obnoxium fuiſſe, quoad Ludovicus I. mutue pactotum conventione ſibi urbem vindicaſſet, in loco, quantum ad enneles attinebit, ex pactionum tabulis docebimus.

Abhinc in Dalmatiam cure Bela convertit. Imperata profectione magno procerum comitatu ſtipatus recta in Croetiam retendit: hinc, poſtquam regni illius res in ordinem redegiſſet, ed maritimas ditiones deletus, hoſpitium ſibi epud Eccleſiam D. Petri, quæ inter Spalatum, & Tregurium ſita eſt, epperari jubet, ut pronior populo, ſi quid vellet, ed ſe aditus pateret. Quo cum ingens certatim affluentium multitudo concurreret, jus omnibus publice tanta æquitate pronunciaſſe fertur, ut nemo fuerit, qui non lætus collaudato regis judicio abſceſſiſſet. Conſcenſa deinde nevi Spalatum provehitur, incredibili civium gaudio ſalutatus, qui regem majore nunc pompa, quam, cum Tartarorum manus nuper effugerat, in urbem venire læti intuerentur. Acceptos magna benevolentiæ ſignificatione cives leviter perſtrinxit, quod Rogerium, hominem exterum, ſe imprudente ad ſedem Spalatenſem promoviſſent, illiſque facti rationem poſtea reddentibus nullo negotio gratiam impetitur, jurejurando tamen prius obſtrictis, ſe deinceps citra regis veniam nihil ſimile auſuros. Rogerium tamen, & comiter habuit, & crebrius poſtea ad Hungariam inviſentem beneficiis quoque, ac honoribus excoluit. Atque hic ille Rogerius eſt, qui in Varadienſe Sacerdotum Collegium cooptatus, dum Tartari eam plagam latiſſime popularentur, in eorum menus inciderat, ac triſtia illa tempora rerum geſtarum luculentiſſimus teſtis miſerabili carmine, ex quo narrationem noſtram prompſimus, deſcripſit. Propitio tamen Deo ex captivitate tum, cum in Aſiam redire barbari meditarentur, elapſus, Romamque veniens Joannis Toletani Cardinalis conſuetudine tamdiu uſus eſt, quoad ejus opere ed Archiepiſcopetum Spaletenſem cleri, & populi ſuffragio promoveretur (*l*).

In Dalmatiam profectus Spalatenſes, quod ſe inſcio Archi-Epiſcopum elegiſſent, perſtringit. Ratam tamen electionem habet.

Segniam urbem Comitibus

Bela Spaleto Segniam promovens, cum iſthic Comites Veglienſes officii cauſa obvios haberet, memor, qua fide, & conſtantie edverſum ſe fuiſſent, cum ex Hungaria

i) In vitis Epiſcoporum Arienſium pag. 147.

k) Signatum eſt Diploma anno Domini MCCLV. octavo Kalendas Auguſti, regni autem anno vigeſimo.

l) Thomas ARCHIDIAC. Hiſt. Salonit, Cap. L.

garia in Dalmatiam ſecuritatis cauſa confugeret, optime de ſe, & republica meritis urbem Segniam liberaliſſime donum dedit, ut que perpetuum munificentiæ ſuæ exſtaret teſtimonium, litteris publicis poſterorum memoriæ in hunc modum con ſignavit.

Veglienſibus ob præſtitam olim fidem donum dat.

Bela Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæque rex omnibus Chriſti fidelibus præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in eo, per quem reges regnant, & Principes terrarum Regibus ſubjecti. Convenit omnium nationum, & linguarum ſibi devote obſequentium taliter providere, ut alii ſupervenientes eorum exempla imitari, ad fidelitatis opera ardentius & ferventius evocentur. Adductis deinde cauſis, cur Deus Tartarorum gentem regno immiſiſſet, nominatim, quorum præcipue opera calamitati ſubtractus fuiſſet, ita memorat. *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione, & nobis fontem animæ aperire dignatus eſt, & ad conſolandum nos, Fridericum, & Bartholomæum, illuſtres, & ſtrenuos viros, nobiles de Vegla, quaſi de cælo projecit, qui nobis in omni eorum parentela adhærentes, inter promiſcuos actus fideliter exhibuerunt famulatus, & non modicam eorum pecuniam, quæ ultra viginti millia marcarum tranſcendit, in ciphis aureis, & argenteis, & cum aliis rebus pretioſis, nobis de bonis eorum præſentaverunt, & præſentando donaverunt; recompenſantes eorum ſervitia, & dona, de conſilio Dominæ Mariæ, chariſſimæ conſortis noſtræ, & Baronum noſtrorum fidelium, quandam civitatem noſtram circa litus maris exiſtentem, Segniam vocatam, cum omnibus ſuis utilitatibus, & pertinentiis univerſis, ſimul cum tributo, ſeu teloneo, & aliis circumſtantiis, & in eadem libertate, ſicut nobis ſervire conſueverat, dedimus, donavimus, & contulimus ipſi Friderico, & Bartholomæo, in filiis filiorum perpetuo, & irrevocabiliter poſſidendam, hoc etiam ſpecificando, quod, ſi quis hærede careret, hæres alterius finaliter valeat poſſidere. Ut igitur hujus noſtræ collationis ſeries propter firmitate ſolidetur, præſentes eiſdem conceſſimus, duplicis ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum per manus diſcreti viri Franquerii, electi Arbenſis, Aulæ noſtræ vice Cancellarii, dilecti, & fidelis noſtri, anno Domini MCCLV. (m) regni autem noſtri XX. (n).* Quamquam haud multo poſt inſigni hac donatione a Venetis privatos fuiſſe Veglienſes nonnulli perhibent, ac quinquennio elapſo reſtitutos: quod quem in modum evenire potuerit, niſi Veneti ea urbe armis potiti ſint, non intelligo.

Donationis litteræ.

Cum tam liberalis Bela in ſuos eſſe pergit, haud minori beneficentiæ encomio Cunegundis ejus filia, Boleslao Duci Cracovienſi, & Sandomerienſi nupta, inclaruit, dum virum conſilio ſuo flecteret, ut Cracovienſe Sacerdotum Collegium inſigni donativo exornaret. Utrique ad id faciendum auctor Salomea virgo & vidua fuit; quæ abhinc, quam Colomanus Belæ frater Claſmæ tumulatus eſſet, in Poloniam abierat. Non erit ab inſtituto noſtro alienum, ſi litteras publicas, etſi ad exteros fere attinent, tamen quod agentibus Cunegunde & Salomea confectæ ſint, multaque ad illuſtrandam regum Hungariæ genealogiam continent, annalibus inſeramus (o).

Cunegundis filia patris munificentiam imitatur.

„In nomine Domini amen. Quoniam, ut ait, auctoritas omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur, ne mortalium geſta celebri, & perpetua ſemper „digna memoria temporum decurſu queant in dubium adduci, & eorundem mutabilitate ambiguitatis diſcrimen inpoſterum aliquatenus poſſint pati, operæ pretium „eſt, ea, quæ hujuſcemodi ſunt, teſtimonio, & expreſſione teſtium perennari. Hinc „eſt, quod nos Boleslaus Dei gratia Cracoviæ, & Sandomeriæ Dux per oppoſitum „gerere nos volentes, Boleslao quondam Polonorum regi, reo mortis, & ſanguinis præclari martiris, & pontificis Stanislai, & animadvertentes, quomodo mirabilis in ſuis Deus ſanctis, miris virtutum prodigiis dignatus eſt eundem mirificare plusquam admirabiliter ſanctum ſuum, & ideo cupientes ipſum honorare in terris, quem „Deus glorificavit in cælis, pro remedio felicis animæ patris noſtri claræ memoriæ, „Cracoviæ, & Sandomeriæ ducis Leztconis, & incolumitate generoſæ noſtræ geni-

m) Exemplar. habet annum MCCLX. Sed corrigendus eſt ex anno regiminis vigeſimo. Cæpit autem Bela anoo MCCXXXVI. itaque XX. regni annus incidit in anoum MCCLV.

n) Lucius lib. IV. Cap. VIII.

o) Raynald. ad annum 1255.

1255. „tricis Ducíſſæ Grimzlavæ, & noſtra, & ingenue Conſortis noſtræ Cunegundis „præcordialis, filiæ regis inclyti Ungarorum, intuitu beneficiorum, & ſervitiorum, „quæ nobis Venerabilis in Chriſto pater, Dominus Praodotha Epiſcopus, & Capi„tulum Cracovienſe impenderunt, & ſunt in futurum auctore Domino præſtituri, „omnea villas Capituli Cracovienſis Eccleſiæ,, cui memoratus ſanctus, dum adhuc „vita ipſe potiretur præſenti, præſedit in eadem Pontificali officio dignitate functus, „interventu Venerabilis ſponſæ Chriſti germanæ ſororis, videlicet Salomeæ, quon„dam Galatiæ reginæ, plena in perpetuum gaudere concedimus libertate: idem ex „noſtra devotione rationis arbitrio decernentes, ut omnes liberi homines Capituli „ſupradicti prædictarum coloni, & inhabitatores villarum, eam libertatem habeant, „quæ aſcriptitiis ſacræ Cracovienſis ſedis inducta eſſe dignoſcitur, ab antiquo, & per „nos poſtmodum roborata - - . Datum in Cracou per manus fratris Bartholomæi „ordinis Minorum mediatoris inter nos ex una parte, & Capitulum Cracovienſe ex „altera parte, anno ab Incarnatione Domini MCCLV. Indictione XIII. XV. Kal. „Junii, & poſtmodum confirmatum, & publicatum in Colloquio habito apud Ba-
1257. „ſonam eodem anno Domini nonia Septembris.„

Stirii novas res in Hungaros moliuntur.

Hæc apud exteros quidem, ſed Hungarorum ſtudio, acta ſunt: in Stiria novis fere turbis datum initium. Philippus Bernardi Carinthiæ Ducis filius cum ex Præpoſito Viſſehradienſi ad Salisburgenſem ſedem communi omoium voluntate promotus eſſet, neque tamen a Pontifice confirmaretur, quin Ulricum Seccovienſem Epiſcopum, cui Stephanus Stiriæ Dux impenſe ſtudebat, præferri ſibi videret, armis retinere, quod aliorum favore non potuit, nitebatur. Acceptis haud multo poſt ab Ottocaro Bohemo ſuppetiis, Stiriam infectis ſignis percurſabat, ſimulque Ottocarum, ut in Henricum Bavariæ Ducem, Salisburgenſibua faventem, bellum inferret, permovit. Qui cum prius ad paſſavium conſtitiſſet, quam Bajoarii arma apparari ab illo ſcirent, populationem ad Landishutum impune circumſerebat. Hic hominem & belli cauſa, & fortuna deſtituit. Ludovicus enim Palatinus, Bavariæ Ducis frater cum florentiſſimo exercitu in ſuppetias accurrens, Bohemum ita terruit, ut congredi veritus prætenta religione in ſequentem diem inducias impetrarit. Sed is, quid pactus eſſet, immemor, nocte concubia cum primoribus fugam Muldorſium init, & exercitum partim Oeni aquis hauſtum, partim inſequentium Bavarorum vir-
1258. tute mutilatum ægre in Auſtriam reduxit (*p*).

Ottocarus miſſis clam militibus eos in propoſito confirmat.

Inde ad conciliandos ſibi Stirorum animos converſus, conſpirantium in Hungaros ſtudia, ne pacem violaſſe videretur, miſſis clam militibus, ac opibua etiam adjutum ibat. Conſpirationis initium a Siſrido Merenbergenſi cœpiſſe ferunt, qui, cum apud nobiles potentia & auctoritate valeret, facile pleroſqua io ſuas partes pertraxit, inſolentiam, & ſuperbam Hungarorum dominationem rebellioni prætexens. Stephanus Sclavoni Banus, quem pro Stephano Belæ filio provinciam curaſſe memoravimus, cum primum, quid Stiri molirentur, comperit, oe malum ipſa mora augeretur, collectis celeriter militibus, Siſridum in caſtro Merenberg, obſidet, ratus, eo capto turbas ab ipſo radice exciſum iri. Sed factionum ſtudia jam ita late per Stiriam vulgata erant, ut Nobiles plerique, ac in primis Hartnidus Petovienſium Comea laboranti Siſrido in ſuppetias accurrerent, peneque Stephanum, qui balnei gratia Marburgum conceſſerat, interciperent, niſi is cognito periculo Dravum aſpectante hoſte trajiciens evaſiſſet. Ad Belam, & Stephanum reges delatus, quo loco res Stirenſes eſſeot, prolixe edocet: auctorem turbarum Pettovienſem Comtem videri, qui occultis Bohemotum auxiliis fretus tyrannidem palam affectet, niſi mature caveretur, de provincia, quæ tanto ære, & ſanguine ſtetiſſet, actum fore. Rex ea perfidia vehementer irritatua, collecto exercitu cum filio, & Bano in Stiriam movet, ac Petovium acri obſidione circumdat; neque Hartnidus caſtrum ſegnius ſuorum virtute deſeodebat, & regum iram, & Provincialium inconſtantiam veritus (*q*).

Rex cum filio in refractarios movet.

Intervenerat obſidioni Ulricus, quem Philippo in Salisburgenſi ſede ſubrogatum narravimus, & in cujus clientela Petovlum fuit, afferens ab Alexandro Pa-

pa

p) PERNOLDVS in Chronico ad annum 1157.

q) OTTOCARVS ab Horneck in Chronico rhytmico.

pa litteras, quibus Belam orabat, ut Ulrico adverſus Philippum auxilio eſſet. Rex
in obſequio Eccleſiæ, & Pontificis ſe futurum quidem reſpondit, fieri tamen ſalva
auctoritate non poſſe, ut injurias, cædesque, quas Petovienſes ſuis intuliſſent, im-
punitas relinqueret: id ſe Archi-Epiſcopi precibus daturum, ne excidium oppidi
fieret, cujus ceteroqulo ne veſtigium quidem relinquere io aoimo conſtitutum ha-
buerit. Ulricus, poſtquam Regem in ſenteotia perſtare vidit, magiſque in Peto-
vienſes ira commotum, quam ut a propoſito facile avelli poſſet, id agere cæpit, ut
conſtituto utrioque colloquio pax, & amicitia redintegraretur. Bela, ne nihil Ar-
chi-Epiſcopo tribueret, haud invitus colloquium admiſit, modo iis conditionibus
res tranſigi poſſit, quibus & honori ſuo conſultum eſſet, & refractarii non impune
fidem ſe violaſſe ſentirent. Acta res eſt citra altercationem, itaque conventum, ut
decreta injuriarum oblivione, Petovium pro tribus marcarum millibus pacto pigno-
ratitio Hungaris traderetur, cautum tamen ab rege de oppido reſtitueodo, quam-
primum pignus dilutum eſſet. Confectis ea de re tabulis, & jurejurando firmatis, Et Salisburgenſis Archi-Epiſcopi opera in gratiam recipit.
Stephanus Dux Stiriæ ſedem in oppido cum uxore fixit, & Bano in Sclavoniam re-
miſſo rempublicam per ſe adminiſtrandam ſuſcepit (r). Uxor Stephano fuit Eliſa-
betha, ut Ladislaus filius in diplomate teſtatur (ſ), Zemomisli Maſoviæ Ducis fi-
lia, aut, ut continuator Coſmæ Pragenſis ſcribit, multoque certius eſt, Cumana (t),
quam oonoulli, oeſcio tamen qua auctoritate, Fenvenam nuncupant (u). Quo ta-
men tempore nuptiæ conciliatæ fuerint, in taotis tenebris, difficile eſt conſtituere.

1259. Confecto cum Petovieoſibus fœdere, ut pacatam Stiriam Stephanus deinceps obtineret, Nobilium animos, quos Sclavoniæ Banus ſeveritate ſua abalienarat, conciliare ſibi, ac Hungaris ſtudebat, beneficentia, ac amoris teſtificatione io bene meritos promiſcue effuſus, & publicis quoque litteris ſæpe teſtatus. Cujuſmodi ſunt, quas Cartuſianis in Seizenſi Cænobio dederat, muoificentiæ regiæ ſingulares prorſus teſtes. Libet has, quoniam res Stirenſes illorum temporum illuſtrant, in lucem educere (x). Quos Stephanus beneficiis devincire ſtudet.

Stephanus DEI gratia rex, primogenitus illuſtris regis Hungariæ, & Dux Stiriæ, omnibus præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in omnium Salvatore. Divina potentia in humanis licet rebus ludere conſueverit, piis tamen actibus non illudere, ſed arridere, tanquam cooperatrix domeſtica, & factrix ter optima invenitur. Ob hoc pios pie eligens cooperatores, mundi principatus, magiſtratuſque hominum, ipſis, quos dignos viderit, liberaliter donare conſuevit. Nos igitur ad principatum Stiriæ Ducatus divina gratia prælectus, dignum judicamus, ut quævis noſtra in memoriam poſterorum digne vertatur actio, præſentiumque cognitioni perfectius innoteſcat; quod domum hoſpitalis in Zerewalde, quam pro recreatione debilium, conſolatione infirmorum, receptione quoque quorumvis viatorum per Dominum Ottocarum Marchionem Stiriæ, Duceſque ejusdem terræ anteceſſores, ſic fundatam invenimus, cui cuncta bona placent, non ſolum in bonam, ſed & in meliorem duximus dignum conditionem commutare, non immutatis veteribus ex devotione inſtitutis inſtitutionibus, ſed novis divinitus inſpiratis actibus fiducialiter, & adauctis, locum ſine ordine ordini approbato commendando, religionem ſcilicet Eremitarum Ordinis Cartuſienſis S. Joannis Baptiſtæ vitam venerabilem & ſtatum profitentium, ad laudem, & honorem ſummi Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ inſtituendo, univerſaliter fratribus ibidem Deo famulantibus terram hactenus ab origine inſtitutionis poſſeſſam - - - - - donatione perpetua, regali clementia inducti libere donamus, ita, ut nulli officiali, ſeu alicui Caſtellano noſtræ dominationis in terra prædictorum fratrum aliquid nomine advocatiæ, vel alterius cujuſvis exactionis liceat auſu aliquo extorquere. Domini Ulrici Saltzburgenſis tunc Archi Epiſcopi petitione pro tam legitimo actu interpellante, favore quoque Nobilium terræ, & aſſenſu ibidem favorabilium accedente. Et ne nebuloſa intentio, ſubdola quoque inverſio, adverſatrix bonorum, noverca quoque juſtorum actuum, perſpicuum noſtræ munus donationis tam ſolemne, tamque præclarum, in religionis augmentum feliciter inductum, ob progenitorum noſtro-

r) Idem ibid.

ſ) Exſtant litteræ in Archivo Strigonienſi datæ anno 1285.

t) In Chrooico ad annum 1260.

u) Joao. Ludovicus GOTFRID. fol. 608.

x) Ex Archivo Seizenſis Cænobii Num. XVII.

rum, noſtramque ſalutem audeat auſu temerario irrumpere, & quacunque violare rebellione, auctoritate noſtra mille aureorum pœnam inſtituimus invaſoribus noſtræ ordinationis, & repugnatoribus: ita tamen, ut major pœna exceſſus maneat majores. Ad ſupra dictorum generalem obſervationem litteris præſentibus duplicis ſigilli noſtri munimen dignum duximus appendendum. Datum anno Domini MCCLIX.

Sed fruſtra: Hungari tota pene Stiria exiguntur.

Hæc in eum finem a nobis adducta, ut eorum animis opinionem eximeremus, qui Stephanum crudeliſſimam in Stiros dominationem exercuiſſe in litteras retulerunt. Quin ut animos Provincialium penitus pacaret, ipſa hieme comitia Petovium indixit, de rebus, quæ ambiguæ eſſent, nondumque ad liquidum definitæ, bona eorum gratia acturus. Verum repente, incertum quo auctore, rumor per provinciam increbuit, inermes ad conventum ne adirent, paratos eſſe carceres & vincula in caſtro Plintenburg, ad quod comitiorum ſpecie deducendi eſſent. Ea fama mirum in modum animi Stirenſium exacerbati, & communi omnium voluntate decretum, ut injuriæ novæ intentatio armis repelleretur. Neque opere ipſo, quam voluntate ſegniores fuere: collecto milite, & agreſtium turmis, quamquam hiems aſperior ingruerat, Hungaros aggreſſi tota pene Stiria exiguot, Petovio, quod abeunte commodum in Hungariam Stephano, Banus præſidio militari tenuerat, in noſtrorum poteſtate relicto, etſi id haud multo poſt, quod tuendo illi non ſatis virium adeſſet, hoſtibus deſtituere opus fuerit (y).

Noſtris in Dalmatia magnopere occupatis.

Cum hæc apud Stiros fortuna parum ſecunda geruntur, non minus turbandæ reipublicæ periculum in Dalmatia ingruit. Almiſani, quos Pollizanos, & Caciclos itidem ſcriptores nominant, rurſum piratica Dalmaticas urbes, quæ Hungarico juri obnoxiæ erant, infeſtabant. Buteco maritimus Banus, ne quid abſente rege detrimenti Dalmatia pateretur, homines toties fœderum oblitos, & incurſionibus ſuis quoque moleſtos, in ordinem redigendos cenſuit. At cum pauciores ſub ſignis copias haberet, quam ad refrænandos piratas ſatis eſſent, magna enim pars adverſum Stiros educta fuit, armorum ſocietatem cum Comite Veglienſi, tum civibus Spalatinis, ac Tragurienſibus iniit, ut communibus viribus communem omnium hoſtem illatis ſignis aggrederentur. Pactorum conditiones jurejurando utrinque firmatæ, & litteris publicis hunc in modum vulgatæ ſunt (z). *In Chriſti nomine amen. Anno ejusdem MCCLIX. Indictione II. die Mercurii decima tertia exeunte Martii regnante Domino Bela D. G. Sereniſſimo rege Hungariæ, & temporibus etiam Domini Rogerii, Venerabilis ArchiEpiſcopi Spalatenſis, & exiſtente Nobili viro Domino Widone, Veglienſi Comite, Vinodolii, & Modoruſiæ ejusdem Civitatis Poteſtate. Cum prædictus Dominus Wido Comes Poteſtas, una cum judicibus, Conſiliariis, & communitate Spalatenſi, & ſimiliter cum judicibus, Conſiliariis, & communitate Tragurienſi, in guerra maxima pro honore Coronæ regiæ, & fidelitate obſervanda permanerent cum infidelibus Pollizanis dictæ Coronæ, Comes Butteco, Dei, & regia gratia maritimus Banus promiſit, & firmavit ſacramento, & ſe voluntate propria obligavit, in eadem guerra juxta dictum Poteſtatem, & communitates prædictas eſſe & perſeverare contra prædictos infideles, & eisdem infidelibus vivam guerram facere, remoto omni ingenio, atque fraude, nec treugam, vel pacem aliquam faciat cum infidelibus antedictis niſi voluntate, conſenſu, & conſilio prædicti Domini Poteſtatis, & ſuper memoratarum communitatum; etſi contra prædicta fuerit, vel venerit, occulte, vel palam, notam infidelitatis regiæ Majeſtatis incurſurum ſe confitetur, promittens etiam, & ſe obligans, facere omnes fideles Coronæ ſibi ſubditos intrare in guerram prædictam, etſi aliquis de fidelibus Domini regis, ſibi ſubditus, intrare nollet, contra ipſum, vel ipſos, erit viribus, atque poſſe, & ſimiliter ex adverſo prædictus Dominus Poteſtas, una cum judicibus Conſiliariis, & Communitatibus prædictarum Civitatum promiſerunt, & ſe obligaverunt, ſub eodem modo, atque forma, & ſub pœna infidelitatis, in dicta guerra permanere totis viribus, atque poſſe, nec treugam, vel pacem facere abſque conſilio, & conſenſu dicti Comitis Butbeconis, nec in dicta guerra aliquo modo relinquere prædictum Comitem Butbeconem. Et hæc omnia fuerunt coram fratre Sebaſtiano, Priore fratrum Prædicatorum de Spaleto, & fratre Geſſæ, & aliorum fratrum aſſir-*

y) PERNOLDVS in Chonico ad annum 1259. Et HORNECKIVS in Chron. Rhytmico Germanico.

z) LVCIVS Lib. IV. Cap. IX.

affirmata, ut neutra pars a prædicto pacto, ipſorum teſtimonio, exire non auderet, & ad majorem firmitatem hujus contractus, & pacti, litteras præſentes per alfabetum diviſas ejuſdem tenoris, quarum una ſervabitur penes Comitem Butbeconem, alia penes Comitem Spalatenſem, tertia penes Comitem Tragurienſem, ſigillis pendentibus prædictorum | fratrum Prædicatorum, Comitis Butbeconis, & dicti Domini Poteſtatis, & Civitatum prædictarum communiri.

In eundem modum Spalatenſes litem, quæ ſibi cum Siciliæ regno interceſſerat, compoſuere. Cum enim Siciliæ incolis piratica quoque infeſti alias fuiſſent, icto adverſum Almiſanos fœdere, metus non de nihilo fuit, ſi hi illorum amicitiæ ſe permiſerint, ſuas res utrinque in arctum redigendas. Itaque Legatos ad regem miſere, qui impetrata veterum injuriarum oblivione, amicitiam, ac fœdera offerent, polliciti, hæc bona ab ſe fide deinceps ſervatum iri. Manfredus, quem Fridericus Imperator ex illegitimo thoro ſuſceptum, regem Siciliæ dederat, faciles Legatis aures præbuit, ac præſtita jurisjurandi fide, non ſolum in amicitiam Spalatenſes recepit, ſed ut eodem pene jure, quo ſui uterentur, mercatus rationem inſtituere illis integrum eſſet, litterarum auctoritate cavit (a). *Manfredus DEI gratia rex Siciliæ. Notum facimus univerſis præſentibus, & futuris, quod, licet totius Dalmatiæ homines dati in ſenſum reprobum, & in actum perverſum, olim contra divæ memoriæ Dominum patrem noſtrum, & fideles noſtros multa enormia commiſerint, & intulerint damna plurima, piraticam exercendo, & homines regni noſtri Siciliæ ſpecialiter offendendo, quoniam tamen Syndici univerſitatis Spaleti, fideles noſtri, venientes ad præſentiam noſtram ſolemniter promiſerunt, & tam pro parte eorum, quam aliorum Civium dictæ terræ ſuper Sancta Dei evangelia juraverunt, quod contra regnicolas regni noſtri piraticam nullatenus exercebunt, nec alias eos nitentur offendere, vel offendent, de plenitudine gratiæ noſtræ ipſis concedimus, & licentiam favorabiliter indulgemus, ut in dictum regnum noſtrum Siciliæ cum navibus ſuis, ſub noſtræ ſecuritatis tutela, ſalvi veniant, & ſecuri, mandantes, & diſtricte præcipientes, omnibus fidelibus noſtris, ut nullus omnino ſit, qui auctoritate propria eos in eundo, morando, & redeundo per regnum, in perſonis, mercimoniis, & aliis rebus ſuis offendere, vel moleſtare, ſeu impedire præſumat, dum in fidelitate noſtra conſtantes permaneant, & devote conſiſtant, & de extractis licite vectigal debitum curiæ noſtræ exſolvant, & in regno ea conditione eſſe debeant, in qua alii fideles imperii, & ipſi tempore felicis memoriæ Domini patris noſtri, & uſque nunc, eſſe conſueverunt. Ad hujus autem gratiæ memoriam, & ſtabilem firmitatem, præſens ſcriptum exinde fieri fecimus, & ſigillo Majeſtatis noſtræ muniri. Datum apud Ortam per manus Gualterii de Orta, regnorum Jeruſalem, & Siciliæ Cancellario. Anno Dominicæ Incarnationis MCCLIX menſe Martii, ſecunda Indictione.*

Spalatenſes cum Siciliæ rege inſcio Bela fœdus ictiunt.

Interea Stiri, qui exactis provincia Hungaris non impune id ſibi abiturum providebant, ne vindictæ hoſtium temere objicerentur, miſſis Viennam Legatis Ottocaro Stiriam fidemque offerunt, ſi modo polliceretur, juribus patriæ, & conſvetudinibus cautum iri. Non fuit Bohemo ingrata oratio; ſed is, quod non ita pridem pactis conventis fœdus cum Bela iciſſet, rem ab iis fieri, quam ab ſe probari malebat. Ne tamen finitimos in extremo periculo turpiter videretur deſeruiſſe, in Stiriam ad provinciales, ſed inermis, ſe contulit, ratus, ab Hungaris ſic rem accipiendam: ut conciliare potius diſſidentes, quam a fide avocare voluerit. Patuit tamen in exitu Ottocarum non modo apertis ſtudiis provinciæ inhiaſſe, ſed defectionis quoque e primordio non penitus fuiſſe imprudentem.

Stirii Ottocaro ſe dedunt.

Rex comperta Stirorum defectione ſummos apparatus ad coercendos refractarios fecerat, tuliſſetque aliquod operæ precium, niſi rumore commotus, qui Tartaros rurſum regno ingruere ferebat, aliorſum curas, & ſtudium convertere opus habuiſſet. Neque inanem fuiſſe famam mox compertum eſt. Barbari majore, quam antea numero, ad Hungariæ, & Tranſilvaniæ limites conſtiterant, pari, qua olim, populatione in Chriſtianorum provincias irrupturi. Placuit tamen Hungarorum animos legatione prius pertentare, quam vim adornarent. Adfuere haud multo poſt Legati, qui, ut coram rege dicendi veniam nacti ſunt, in hunc modum verba fecere:

Belæ adverſus eundem apparatus bellicus.

A Tartarorum nunciis

a) Idem ibid.

interturbatur, fœdera, & nuptias regias ambientium.

cere. Miſſos ſe ab Chano ſuo, ut cum rege fœderis, & amicitiæ vinculum conciliarent: fœderis fructum fore ampliſſimum, ex orbe Chriſtianorum, ſociis armis ſubjugato. Non huc ſe conſilii quidem adductum, quaſi aut opis, aut auxiliorum egeret, ſatis enim ſibi eſſe virium, ſed ut victoriæ gloriam, & commoda cum fœderato partiretur. Bona hæc fide agi vel ex eo capite intellecturum regem, quod pactorum fœdera coojugii vinculo roborari Tartarorum exercitus cuperet: eam ſe potiſſimum ob cauſam oratores venire, ut rex filio ſuo Chani filiam uxorem acciperet, aut viciſſim filiam ſuam illius gnato conjugem deſpondeat. Quod ſi conciliatis nuptiis; copias itidem ſuas Chano velit conjungere, quintam ſpoliorum, quæ adipiſcerentur, partem in ejus arbitrio futuram. Sin contra amicitiam detrectaret, bellum pro foribus eſſe ſciret, & cladibus, & ærumnis moleſtius, quam prius fuiſſet.

Conſultus a rege Pontifex.

Bela dimiſſis Tartarorum Legatis, formidine immioentis mali, majorem in modum territus, Oratores ad Alexandrum cum litteris citatiſſimo itinere abire jubet, Papamque edocere, quanto in diſcrimine non modo Hungaria, ſed ceteræ etiam Europæ partes verſentur, niſi communi periculo communibus itidem viribus reſiſteretur. Queſtus præterea eſt, Hungariam Gregorii IX. deſidia olim barbarorum injuriis expoſitam fuiſſe, id ne rurſum fiat, Pontificis maxime omnium intereſſe: ſe quidem, ſi oblata a barbaris fœdera admittat, ſuo regno facile proſpecturum: finitimis vero Principibus, ut ſuo damno caveat, nulla religinne obſtringi, quod ſe olim eidem hoſti prorſus illiberaliter proſtituiſſent. Alexander haud minus eo periculo, quam rex, perculſus, neque res ſuas eo loco eſſe videns, ut Hungaris ſuccurreret, quod unum poterat, Belam, ne fœderi Tartarorum conſentiret, ſpemque in Numinis auxilio, ac benevolentia reponeret, graviter adhortatus eſt. Digna ſunt litteræ, quamvis prolixiores ſint, quæ locum in patriis annalibus obtineant (*b*).

REGI HVNGARIAE. ILLVSTRI.

In hunc modum Belæ reſcripſit.

Cum inter alia regna mundi, quæ fidei obediunt Chriſtianæ, regnum tuum ſincere in Deum, & Sanctam ejus Eccleſiam devotione claruerit, ſicut laudabilium operum teſtimonia libro illabilis commendata memoriæ manifeſtant, quibus utique progenitorum tuorum, & tua tempora in monumentum ſeculorum ſuccedentium decorantur, neſcimus, quæ ratio cogitationi tuæ ſuadere potuerit, maternum Apoſtolicæ Sedis affectum, quo in ipſius viſceribus ſpecialiter contineris, unquam in tuis neceſſitatibus voluntarie tepuiſſe. Præterea illo pupugit querela cor noſtrum, quam litterarum tuarum, & porrectarum nobis per dilectum filium Magiſtrum Paulum, Præpoſitum Eccleſiæ Capellanum noſtrum, nuncium tuum, virum utique litteratum, providum, & prudentem, ex parte tua petitionum præfatio continebat, licet credamus eam non ex jactura læſi animi, ſed ex libertate filialis confidentiæ proceſſiſſe.

Habebat namque præfationis continentia memoratæ, quod licet olim regno tuo ſæva Tartarorum rabie laceſſito, tu, ut populi tui reliquiæ ſalvæ forent, a felicis recordationis Gregorio Papa, prædeceſſore noſtro, contra eosdem Tartaros per Venerabilem fratrem noſtrum, ſcilicet tunc Vacienſem, nunc Præneſtinum Epiſcopum (c), auxilium poſtulathe, idem prædeceſſor, quaſi tuæ, ac patrum tuorum claræ devotionis oblitus; ſtragi populi tui etiam verbo, compati noluit, nedum facto; quod credibile ſibi videri non debuit de patre, pleno viſceribus pietatis, maxime, cum compertæ tibi tunc veritatis teſtimonium refragetur. Et quamvis poſt obitum ejus Apoſtolica ſede vacante, S. R. E. Cardinales tibi conſolatoria, ut dicis, promiſſa transmiſerint, quod eadem ſedes, poſtquam ei foret divinitus de Chriſtiani populi paſtore proviſum, ad profligandas de tuis finibus nationes infeſtas opportunam ſollicitudinem adhiberet, tibi tamen etiam poſtquam Deus Eccleſiam ſuam de ſummo Pontifice ordinavit, ex ſpe data res aliqua non provenit, quin potius inde addita eſt afflictis afflictio, & mæſtitia luctuoſis, unde relevationis conſolatio ſperabatur. Poſtulans ergo tibi contra ingruentes eorundem Tartarorum inſultus nunc ſaltem Eccleſiæ conſiliis, & auxiliis ſubveniri, expreſſiſti, ſicut placuit, quod ipſa in priori diſcrimine te deſeruit, & contemſit.

Si

b) RAYNALDVS ad annum 1259.

c) Stephanus de Vancia, quem ex Strigonienſi ſede ad Præneſtinam, & Cardinalitiam dignitatem traductum eſſe ſupra memoravimus.

Digitized by Google

Si profecto non dijudicans caſus, & tempora cenſes indignum, quod prædicta ſedes tibi tunc pro voto non affuit, & exinde dignam tibi exiſtimas murmuris proveniſſe materiam, pone quæſumus ante oculos tuos, & attende propenſius, quibus tunc temporis Eccleſia verſabatur adverſitatum fluctibus, & quibus difficultatum implicationibus tenebatur, quoniam iis perpenſis, eam., ut credimus, a vinculo improperii hujus in judicio regiæ conſiderationis abſolves, & non ei, ſed malitiæ temporum, & malignitati turbantium pacem ejus, quid quid circa ſubventionem tuam olim omiſſum quereris, conſenties imputandum. Mundus certe univerſus agnovit, & tu egregia univerſitatis ejus portio non potes non ſenſiſſe cum mundo, quod ea tempeſtate, qua Eccleſiaſticæ ſubventionis imploraſti ſuffragium, Fridericus quondam Imperator acerrima in ſedem Apoſtolicam tyrannide ſæviebat, eam omnibus potentiæ ſuæ viribus perſequendo, intendens, ut oppreſſa illa, & filiis ejus nomini ſuo absque ullo protectionis obſtaculo ſubjugatis, ipſe ſingulariter, veluti immane deſolationis idolum præ cæteris coleretur.

Pro ſua igitur, filiorum libertate tuenda, tantis jam eadem Eccleſia erat fatigata diſpendiis, tantis debitorum oneribus, quæ neceſſario ſubierat, premebatur, quod inter anguſtias ſuas in alienum præſidium reſpirare non poterat, & ad ipſorum, aliorumque debitorum reliquias, quæ adhuc ſolvendæ ſuperſunt, facultates ejus uſque modo ſufficere nequiverunt. Nihilominus autem in tam vehementi procella, quæ multipliciter eandem concutiebat Eccleſiam, memoratus prædeceſſor, dum pro communi ſalute decertans erat, potius filiorum adjuvandus ſuffragiis, quam in aliorum præſidium advocandus, cauſæ tuæ omnino non defuit, ſed adeſſe ſtuduit paternæ compoſitionis affectu, ſicut expoſita ſibi tuæ conditionis flagitabat neceſſitas, & infauſti temporis qualitas permittebat. Porro cum poſtquam ſponſum ſecundum cor ſuum eidem Eccleſiæ, quæ diu vidua fuerat, miſeratio divina providit, a regno tuo, illo volente, qui habens in ſua poteſtate ventos, & maria, tranquillum de tempeſtate producit, gladius Tartaricus abſceſſiſſet, ſi neceſſitate ſpectante ſperata de prædictorum Cardinalium pollicitationibus ſubventio non proceſſit, notari de defectu fidei promiſſa non impleta non poſſunt, quæ fuerant in ſublatæ jam neceſſitatis duntaxat titulo perſolvenda.

Adjeciſti præterea, quod, cum ad reſiſtendum tantis hoſtibus non tibi ſufficiant vires tuæ, ſi dictæ ſedis auxilio modo finaliter deſtitui te contingat, cogeris, licet invitus, & dolens, cum illis pacis, & unionis fœdera copulare, ad quæ ipſorum monitis, & precibus pluries invitaris. Offerunt enim tibi, ſicut tuæ narrationis ſeries continebat, ut ſecundum opinionem tuam vel filio tuo filia Principis Tartarorum, vel filio ejus filia tua matrimonio conjungatur. Venire tamen in fœdere pacis debet expreſſa conditio, ut filius tunc cum quarta populi tui parte præcedat eosdem Tartaros ad exterminium populi Chriſtiani, habiturus jure belli quintam de ſpoliis, & bonis, quæ ſubactis, vel deletis Chriſtianis invaſerint, portionem: addito, quod ab ipſorum tributo, vel cenſu habearis immunis, & illa multitudo non introeat fines tuos, ſed & nunciorum comitiva, quos tibi ab eis aliquando negotiorum exigentia ſuaſerit deſtinari, centenarium numerum non excedat.

Præter alia, quæ aſſeruiſti, ſilenda potius, quam dicenda; nimirum ſi contra prædictæ gentis impetus nec de cœlo, unde ſolet interdum pauciſſimis in bello fidei, atque juſtitiæ contra plurimos provenire victoria, nec de terra, in qua illud eſt omnibus tecum commune diſcrimen, aliquod tibi confideres, quod abſit, auxilium affuturum, abhorrere tamen deberet Chriſtianiſſimus Princeps etiam regna quælibet mundi, etiam denique vitam propriam, & ſuorum, regnis temporalibus præferendam, ſibi tam deteſtabilibus, tamque probroſis compendiis præſervare. Sanari quippe nonnunquam piguit viros fortes, cum ſuaderentur eis turpia remedia medicinæ, ſatius judicantes fortiter mori, quam vivere criminoſe: & generoſis animis aliquando dignius viſum fuit, triſti affici exilio, quam regna cum pudore, ac ſcelere poſſidere, quia nil prodeſt homini, lucrari mundum cum animæ propriæ detrimento. Abſit igitur a te fili Chariſſime, ut pro quocunqe temporalis fortunæ, vel ſalutis vitando periculo ea unquam infamiæ nube obſcurari conſentias Claritatis tuæ titulos, aut eo maculari perpetuæ ignominiæ opprobrio Celſitudinem regni tui, quod abruptus a corpore fidelium, & fœdo fœdere infidelibus nationibus copulatus fias, de propugnatore Chriſtiani nominis, fidelium impugnator. Vide quanti odii tibi præpares materiam, ſi adverſus domeſticos fidei, quam profeſſus es, in arcum peſſimum, quod dictu eſt horribile, verteris, & per te ad impugnandos alios Principes, & populos Chriſtianos barbaris nationibus aditus panderetur.

Sed eſto, quod ad evadendum quæcunque diſcrimina poſſet abſque pudore confuſionis admitti remedium hujuſmodi pactionum, credendum eſt tamen, illud non ſalutem tuam vel regni tui, ſed periculum continere. Potes enim argumentis evidentibus didiciſſe, quod prædicti Tartari per inſidioſas pactionum tendiculas plures gentes ſeduxerint in laqueos inexplicabilis captionis, illo prærogativæ privilegio apud eos gaudere non poteris, ut tibi promiſſorum, conventorumque ſuorum ſervent conſtantiam, quam aliis non obſervant. Certo nempe fidei vinculo teneri nequeunt, cum veram fidem non habeant infideles, quia nec ipſi religionis noſtræ Sacramentis judicant pondus auctoritatis ineſſe, nec Sacramentis gentilium indubitatam fidem homo adhibet Chriſtianus.

Matrimonii quoque nexus, nec Chriſtiano paganum, nec Chriſtianum pagano conjungit, quia etiam inter ipſos paganos, etſi verum ſit, tamen propter defectum fidei non eſt ratum, & inſeparabile apud eos Matrimonii Sacramentum (d). *Si ergo, quod abſit, filium, vel filiam tuam contingat gentilis connubii contagio maculari, ex hoc utique facto, quod nec juris effectum, ſed ſolum Creatoris tui contumeliam continebit, fœderi pacis, aut pactionibus mediis nihil proveniet firmitatis: & ſic, cum nonniſi in Domino lex Chriſtiana permittat nubere Chriſtiano, filius, vel filia tua, cum infideli uxore, vel viro execrabilium nuptiarum infame, ac captioſum contubernium ſortiretur, & peribit, proh dolor! in obſcœno adulterini thori volutabro lugenda eo tempore ſoboles Principis Chriſtiani.*

Execrare ergo Chriſte Domini quæcunque, ubi ad improperium Chriſti tui a perfidis Chriſtiani nominis hoſtibus proponuntur; & ſtans in juſtitia, quæ roborat thronos regum; inimicorum impetum non ita formides, quin Dei timorem eorum metui anteponas, & fortitudini hominum judices divinam potentiam præferendam. Non enim credere debes, te inter ceteros Chriſtianos reges in hoc diſcrimine cæleſtibus auxiliis, Eccleſiæ ſuffragiis, aliorumque Orthodoxorum Principum, & fidelium populorum viribus deſerendum, cum non in te ſolum, ſed in univerſum genus humanum propter peccata plurimorum imminens tribulationis judicium excitetur. Scis enim o piiſſime Rex! quia Deus, etſi miſerator ſit, atque miſericors, eſt tamen fortis, & potens, diſſimulans interdum miſericorditer, ſicut clemens, peccata hominum propter pœnitentiam fructuoſam, interdum potenter viſitans, ſicut juſtus, animadverſione vindictæ, ne ſemper dicat in corde ſuo inſipiens: Non eſt DEus. Ad hoc enim immittuntur, juſta Dei permittente judicio, hoſtilitates, & fames, peſtes, & clades, ad hoc gens in gentem, & regnum concitatur in regnum, ad hoc ſeditiones, & bella civilia commoventur. Hæc utique mala quid aliud ſunt, niſi quædam ſtipendia peccatorum præcurrentia finale judicium, & miniſtrantia impiis primum guſtum damnationis æternæ; piis vero ſignificationem præſtantia, ut fugiant a facie arcus extremum, æternumque periculum comminantis?

Quid mirum fili! ſi tribulationum gravium increbreſcunt ærumnæ cum refrigeſcente charitate iniquitas invaleſcat? Ecce jam in cælum aſcendunt, & commovent clamoribus zelum ejus hominum impietas erga Deum, indevotio erga ſancta, inobedientia erga Patres, infidelitas erga Dominos, inhumanitas erga proximos, & erga impotentiores tyrannica oppreſſio fortiorum, qui volunt legem injuſtitiæ fortitudinem ſuam eſſe. Priſcorum Principum pia in ſacras ædes largitio fit jam præda ſacrilega tyrannorum, patrum elemoſynæ plerumque in filiorum crimina convertuntur, & in augmentum vitiorum omnium: ſub tributo, & ſervitute redigitur templum Dei, & ſancta Eccleſia, liberæ matris, quæ ſurſum eſt, filia nonnunquam exuitur dotalis privilegio libertatis.

Propterea magnifice Princeps, ſi vis, ut nulla tibi nocere poſſit adverſitas, fac, ut nulla tibi, vel Chriſtianiſſimo regno tuo iniquitas dominetur. Clareat ſemper ibi ſincera devotio circa divini cultus honorem: integra ſit divinorum eminitas miniſtrorum, eorumque vota ſinantur fieri libera, ut poſſint eſſe Canonica in ſpiritualibus gubernaculis ordinandis, ac exinde juſtitia, & judicium fiant per omnia correctio ſedis tuæ. Sic enim ſubtus pedes tuos corruerent inimici, ſic ipſa creatura pro te contra inſenſatos aperte pugnabit, ſic Eccleſiæ ſubſidia, fideliumque juvamina contra hoſtes quoslibet tecum cum Dei auxilio prævalebunt. Quod ſi etiam juſtus ſis, & ut juſtificeris adhuc, nihilominus aliquid pro fidei, libertatiſque juſtitia voluerit te conſilium Dei pati, id erit tibi non ad confuſionem, ſed gloriam; non ad damnationis judicium, ſed ad beatificationis indicium, non ad damnorum incommodum, ſed ad

cumu-

d) Hæc latius ſumenda ſunt: Conjugium enim inter infideles ad ſacramenti dignitatem non aſſurgit.

cumulum præmiorum, quia hoc præcipuum donum Dei eſt beatificans hominem, cui datur, ut in eum credamus, & pro ipſo etiam patiamur.

Sane petitiones tuas, quas præfatus Nuncius ex parte tua nobis obtulit, audivimus aure benevola, & quas pro tempore, & loco potuimus, ad exauditionis effectum duximus affectu benignitatis ſolitæ admittendas. Non tamen ferat indigne ſublimitatis regiæ altitudo, ſi de mille balliſtariorum ſubſidio, quod a nobis inter cetera poſtulaſti, non eſt tibi eo, quo requiſiſti, ordine ſatisfactum, quia multo majus auxilium ex iis, quæ nunc tibi a Sede Apoſtolica conceduntur, credimus proventurum. Romanam ſiquidem Eccleſiam tot premunt arduæ occupationis molimina, totque gravant ſarcinæ debitorum, quod æquanimiter aſſequi debet, ſi, cum non poſſit commode, ad alia onera non aſſurgit. Acceptum quoque pietati regiæ forte decet, quod a neceſſitate præſtandi quintam proventuum Templarios, & alios religioſos milites, quibus a prædictis Tartaris, & aliis etiam infidelibus per diſcrimen in partibus transmarinis, & fratres Ciſtercienſis Ordinis, qui piis votis, & devotis orationibus Deum propitium aſſidue tibi reddent, eſſe volumus in genere factæ tibi a nobis conceſſionis exceptos: quos nihilominus, ut in imminentis neceſſitatis articulo circa defenſionem regni tui, quæ ſuam continet, regiis laboribus adeſſe procurent, exhortationibus, & mandatis Apoſtolicis excitamus. Si autem tibi neceſſitas, quam vereris, evenerit, Apoſtolica ſedes tam invocando in tuum auxilium Principes, & populos chriſtianos, quam alia non negliget pro te ſalutaria contra Dei hoſtes, & tuos conſilia cogitare.

Non inſuper illa ſuggeſtio debet movere cor tuum, quæ ſenſibus regiæ ſerenitatis immittitur, videlicet, quod prædicta ſedes maxime in extraneorum proviſionibus nimium gravaverit Eccleſias regni tui, propter quod, ne id de cetero fieret, ſupplicaſti; licet vix regnum ſit aliud in orbe terrarum, cui minus competat hujuſmodi querela, quam tuo. Eccleſias igitur ipſas gravaſſe non credimus, cum maturitas dictæ ſedis tantam hactenus modeſtiam obſervaverit, & deinceps ibi, & alibi obſervare proponat in beneficiis concedendis, ut exinde nulla cuiquam juſtæ murmurationis materia relinquatur. Quamvis nemo ſibi poſſit hanc operum ſuorum gloriam vendicare, ut iis aliquid homines voluntarie fingere, vel ingenioſe adinvenire non poſſint, quod oblocutionis habeat calumniam, vel querelæ. Datum Anagniæ II. idus Octobris, anno V.

Tartaris Hungaria excedentibus.

Hactenus Alexandri litteræ: ex quibus, quid Bela a Pontifice petierit, impetraritve, nullo negotio intelligitur. Tartari tamen, ſive non imparatum regem viderent, ſeu, ut Longinus, & Cromerus ſcribunt (e), a Caſimiro Cujaviæ duce legationibus crebro invitarentur, traducto in Poloniam furore, Hungaros metu abſolverunt, haud multo poſt iterum redituri.

1260.

Exercitum adverſus Ottocarum Hungari educunt.

Bela periculo etenus liber ad recuperandam ſequente anno Stiriam animum, curaſque convertit. Ottocarus enim non ſolum ſubſidiis per Hradekios miſſis aperte Stirorum partes amplexus erat, ſed publicis quoque litteris auctoritatem Ducatus ſibi vendicabat (f). Primum omnium tentare provinciales placuit, utrum oſtentato armorum metu ad obedientiam revocari poſſent: Sed cum id (g) parum ex ſententia caderet, ut belli molem in Ottocarum rex traduceret, concors omnium opinio fuit. Itaque collecto maximam partem ex Cumanis exercitu, ad Moravam amnem, haud longo inde ſpacio, quo is ad Divinium oppidum danubio illabitur, caſtra figit. *Caſtris ad Moravam amnem locatis.* Ferunt regias copias ex centum, & XL. millibus conflatas fuiſſe: ſed hi non videre, quem in modum ex vaſtata a Tartaris Hungaria tam ingens militum numerus, abhinc, quam illi ex vaſtiſſimo regno exceſſere, confici potuerit. Danielem tamen Ruſſorum regem, qui Conſtantiam Belæ filiam in conjugio (h) habuit, Boleslaum Cracovienſem, & Leskonem Luſaciæ duces ſuppetias Hungaris veniſſe, in comperto eſt.

Stephanus regis filius Moraviam percurſat, &

Ottocarus, qui hac parte bellum minime exſpectabat, neque copias in promtu habuit, quas objiceret, neque, quod in Stiria, Auſtria, ac Bohemia ſparſæ fuerint, tempori adeſſe poterant, ut adeo, niſi noſtri neſcio qua oſcitantia ad Moravam fluvium otioſi adhæſiſſent, præclarum aliquid patrari, & bellum in ipſo primordio

e) Longinus Hiſt. Polon Lib. VII. Cromerus rerum Polonic. Lib IX.

f) Extat diploma in Tabulario Runenſi Num. XXIII. cum ejuſmodi titulo. *Ottocarus D. G. Dominus regni Bohemiæ, Dux Auſtriæ, & Stiriæ, ac Marchio Moraviæ -- Datum in Grez anno Dom. MCC. LX.*

g) Pernoldus in Chronico ad an. 1260.

h) Longinus in hiſt. Polon. & Bolland. ad diem 28. Januarii.

ſecundo prælio confligit.

dio profligari potuerit. Stephanus tam turpe otium averſatus, aſcitis non paucis Hungarorum, ac Cumanorum, fluvium trajicit, plagamque omnem, ne hoſtibus deinceps uſui, aut commodo eſſet, latiſſima populatione corrumpit: tum, comperto haud procul arce Lawa locum ab Ottocaro deſignatum eſſe, ubi exercitus conflueret, expectarique in dies auxiliarios, quos Marchio Brandeburgicus, Dux Opolienſium, Salisburgenſis, & Olomucenſis Epiſcopi adducerent, quique jam adeſſent, metu hoſtium ſolutos, negligentius excubias agere, Bohemos in inſidias pellicere conſtituit. Itaque noctem totam citatis itineribus Lawam properat: ſub diluculum maxima ſuorum parte in proximo ſaltu occultata; perpaucos, ut in Bohemorum caſtra impetum facerent, aperto campo progredi jubet; ſique, ut futurum providerat, ad manus conferendas Bohemi proſilirent, dedita opera gradum pedetentim primum referrent, tum, ubi ſilvam attigerint, in effuſam fugam ſeſe darent. Neque fraus, quamquam aperta eſſet, ſucceſſu caruit: Bohemi, ut Cumanos concitatiſſimo curſu impetum in caſtra facere viderunt, metu primum conſternati, quod, quos longo ſatis ab ſe intervallo remotos exiſtimabant, nunc jugulo imminere conſpicarentur, tum viſo paucos admodum eſſe, converſo in temeritatem metu caſtris effunduntur *Hradekiis* ducibus, collatiſque ſignis prælio initium faciunt. Iſti, ut imperatum erat, neque abnuere pugnam, neque, quod numero inferiores eſſent, auſi conſiſtere, lento gradu prælium per intervalla inſtaurantes ad ſilvam receſſere; quam ubi attigiſſent, palantium inſtar in fugam effuſi, incautos ad exitium præcipitarunt. Stephanus enim ex inſidiis erumpens in nil tale opinanres impetum facit, præſenteque periculo attonitos ad internecionem delet. Cæſorum quingenti fuiſſe perhibentur, inter quos *Hradekii* duces & manu, & conſilio promti: quamquam eo prælio nihil ad ſummam belli confectum eſſe, eventu ipſo poſtea confirmatum eſt (*i*).

Inter hæc Ottocarus Caſtra Hungaris in Auſtria opponit.

Interea Ottocarus confluentibus ſenſim auxiliariis haud imparem ſe hoſti videns, caſtra trans Moravam fluvium, loco opportuno, & Hamburgo urbe duobus ſtadiis diſſito, noſtrorum caſtris opponit. Præter Bohemos, quorum ſeptem millia cataphractorum equitum, & præcipuum militiæ robur fuere, non temnendo numero in exercitu cenſuit, Moravos, Sileſitas, Auſtrios, Saxones, Styros, Brandeburgicos, ac Carentanos, Ducum ſuorum, qui aderant, auſpicio, & virtute ad pugnandum magis avidos, quam promtos. Diu mutuo in conſpectu hoſtes ſolo fluvio diremti ſtetere, alter alterius ſeu potentiam, ſeu artes veriti. Actum quoque

Dumque de induciis agitur, Cumani tranſvadato amne prælio initium faciunt.

inter armorum ſtrepitus de induciis fuit, cumque ante diem D. Margaretæ ſacrum, induciarum tabulæ, ultro citroque ad confirmandum mittuntur, Cumani reperto vado concubia nocte cum Stephano fluvium trajiciunt, primoque die, coordinata in ſemicirculum acie, caſtris Bohemicis appropinquant. Ottocaro vix tantum otii fuit, ut educto ex caſtris milite, ordines conſtitueritt: ex re tamen conſilium captans, qua parte leviſſimum equitatum conſpicatus eſt, cum loricatis vehementiſſimo impetu in adverſam aciem fertur, facileque armorum pondere turbatis, aut protritis ordinibus Cumanos in fugam agit, ceteri, quod totum exercitum inclinare putarent, errore capti, vadum retentant, dumque confertiſſimi fluvium moliuntur tranſmittere, niſu, & aquarum mole, pluviis enim repente exauctior amnis ibat, viciſſim impliciti, magnam partem aquis ſorbentur, caſtris in hoſtium poteſtate deſtitutis.

Hungari divinitus metu perculſi vincuntur.

Ferunt ingentis molis aquilam cum vexillo D. Wenceslai ſub prælii exordium, in aere aſpectabilem ſe præbuiſſe, quo portento noſtri territi in apertam fugam divinitus præcipitati fuerint (*k*). Bela viſo ſuorum damno haud ſatis iræ, & potentiæ victoris fiſus, magnis itineribus in Hungariam revertitur, animum, quoniam irato cælo bellum cœptum videretur, ad pacis conſilia non invitis Proceribus traducens. Itaque corrigendum eſt Chronicon Elwangenſe, quod regem cum Stephano filio non modo profligatum, ſed captum quoque adnotavit (*l*). Neque illi ſatis recte exiſtimant, qui Belam ab infelici prælio Hamburgum confugiſſe ſcribunt (*m*), quod & Da-

nubius

i) Continuator Coſmæ Pragenſis in Chronico ad annum 1260.

k) Continuat. Coſmæ. Prægenſ. in Chronico ad laudatum annum.

l) Apud FREHERVM pag. 679.

m) Auctor Ducum Stiriæ, cum quo BELIVS quoque Tom. I. Notitiæ, Hungar. in Comit. Poſon. Part. Spec. Membro I. Sect. I. §. IX. pag. 117. ſentit.

nubius difficilem fugam rediddiſſet, & urbem eam ab Ottocari milite ante initum prælium occupatam fuiſſe mox memoraturi ſimus.

Ottocarus contra, ne noſtris colligendi ſpacium eſſet, trajecto Morava Poſonium uſque populationibus omnia involvit. Hic Legatos a Bela accipit, qui pacem, ſi honeſtis conditionibus poſſet confieri, offerrent. Non abhorruit Bohemus, & Marchioni Brandeburgico, tum Carinthiæ Duci arbitrarias partes committit: ex Hungaris (*n*) Rolandus Palatinus diribitoris jura ab rege obtinuit. Conventum eſt in has conditiones: Primum Stiria in Ottocari poteſtate eſto, neque Hungarus ſibi jus poſtliminii vendicet: Tum Bela junior regis filius Ottoois Brandeburgici filiam, Ottocari ex ſorore neptem, uxoris loco habeat. Tabulæ jure jurando firmatæ, & non modo a Bela & Stephaoo Regibus, ſed ab regina quoque Maria, & Bela filio conſignatæ. Quas haud multo poſt, ne qua violandæ fidei occaſio daretur, Ottocarus ad Alexandrum Papam per Legatos miſerat, quibus alias quoque litteras, ubi initium, modum, & exitum geſti belli prolixe deſcribit, in hunc modum adjunxit (*o*).

Bohemi ad Poſonium penetrant.

Pax novo matrimonio conficitur.

„Sanctiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino Alexandro Dei gratia ſacro-ſanctæ „Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici Ottocarus eadem gratia Dominus Regni Bohemiæ, „Dux Auſtriæ, & Stiriæ, & Marchio Moraviæ - -. Quia pium Paſtorem ſuarum a „lupis liberatio ovium delectat, ac benignum patrem jucundum reddit cum ſalute proſperitas filiorum, ejus belli, quod adverſus Belam, & natum ejuſdem Stephanum „Hungariæ reges illuſtres, & Danielem Ruſſiæ Regem, & filios ejus, & ceteros „Ruthenorum, ac Tartaros, qui eidem in auxilium venerant, & Boleslaum Cracovienſem, & Leſtconem juvenem Luſiciæ Duces, & innumeram multitudinem in„humanorum hominum Cumanorum, Hungarorum, & diverſorum Sclavorum, Sicu„lorum quoque, & Walachorum Bezzerminorum, Hiſmahelitarum, Schiſmaticorum „etiam, ut pote, Græcorum, Bulgarorum, Ruſcienſium, & Boſnenſium hæreti„corum, auctore Domino geſſimus, & victoriæ nobis datæ cælitus, & poſt victoriam „inter nos ex parte una, & dictos reges ex altera, concordiæ reformatæ proceſſum „oon abs re paternitati tuæ duximus prævia veritate præſentibus declarandum.

Ottocari ad Papam litteræ, quibus victoriam a ſe ex Hungaris relatam ſcribit.

„Sane cum ad flumen, qui Morava dicitur, circa locum a caſtro, & op„pido Haimburck, duobus milliaribus diſtantem, Hungariæ, ac Auſtriæ confinia ibi „terminantem cum noſtris exercitibus veniſſemus, dictos reges, & exercitus eorun„dem illic caſtra metatos in oppoſita parte ripæ invenimus ex adverſo. Sicque fa„ctum eſt, ut noſtra, & adverſariorum caſtra ſolus duntaxat divideret fluvius me„moratus. Cumque ſic loci poſitio ſe haberet, ut ad adverſarios ſine irremediabili „noſtrorum jactura votivum non poſſemus conſequi acceſſum, & pro reformanda „inter nos, & eoſdem reges pace, fuiſſet utrinque aliquoties multipliciter attenta„tum, ipſis vero regibus de die in diem, de hora in horam ſuas in diverſas varian„tibus voluntates, non reſtaret aliquis paci locus, haud dubium ad inſtar Pharaonis „corda illorum induraote Domino ultionum, noviſſime unius duorum parti adverſæ „obtulimus optionem, ut videlicet, vel illa nobis cederet, quatenus ad eandem ge„rendi belli cauſa tranſire poſſemus, vel nos id parti adverſæ concederemus. E qui„bus disjunctæ partibus, alteram pars adverſa elegit, ut videlicet nos cederemus, & „noſtra ceſſione eiſdem locum tranſeundi daremus, & ut id poſſe fieri videretur quo„vis impedimento ceſſante dicti reges, & eorum Bani, & Comites treugas conſtitu„tas, & ſuis juramentis firmatas per totum diem Beatæ Margarethæ feſtum proxime „præcedentem (*p*), & medietatem ipſius feſti diei nobis mediantibus idoneis nunciis „remiſerunt. Verum hi iidem ſua pacta, & juramenta ſoliti violare, per vada in„venta, & ſibi aptata olim, noctu ad noſtram partem cum omni ſuo exercitu tran„ſierunt: & cum diceretur pax, & ſecuritas, ſubita inennarrabili multitudine contra

n) Joxcelinus quidem ad hunc annum locat Palatinum Thomam; Ottocarus autem diſerte exprimit Rolandum. Utri fides! opinor ſic poſſe conciliari ſi Rolandum Belæ, Thomam Stephani Palatinum fuiſſe dicamus, nam hic quoque, ut mox patebit, ſuum ſeorſim Palatinum habuit.

o) Balbinus Miſcell. Hiſt. Bohem. Dec. I. Lib. VI. Ex Mſ. Codice Capitulari S. Eccleſ. Pragenſis. Habet eaſdem litteras in Chronico Continuator Coſmæ Pragenſis, ſed non integras.

p) Balbini exemplar babet *producentem* Contin. Coſmæ Prag. *præcedentem*, & rectius.

„nos improviſos apparuerunt, in campo, & cum in ſpe treugarum vix decima pars „noſtri exercitus (q) penes nos pro noſtræ perſonæ cuſtodia remanſiſſet, eo quod „plures de noſtris tranſito danubio oppidum Haimburk intrarant (r), alii vero cum „curribus deſcenderant ad ſtationes, & loca caſtrorum, hoſtes noſtri fraude pleni „in modum ſemicirculi per ordinatas acies nos cingentes, niſi Dominus adjuviſſet, „nos vivos forſitan deglutiſſent.

„Igitur in tam inenarrabili neceſſitatis articulo conſtituti, attendentes poteſta„tem eſſe cæleſtem, & quoniam non multitudine exercitus, ſed de cælo victoria „datur, munere magni Dei totam in adjutorio altiſſimi ſpem ponentes, noſtros adju„tores, commilitones primitus adhortati, in plurimos adverſariorum cuneos, data „nobis de cælo fiducia, irruimus confidenter. Quos Dominus per manus noſtras, „& noſtrorum, immo ſuorum militum exterruit, & proſtravit, & in fugam con„vertit, ita, ut fugientibus cum impetu, & ſeſe invicem comprimentibus, dictus „fluvius Morawa juxta ſui præſagi nominis ethymologiam, tanquam mare rubrum „Ægyptiis, multo cæſorum ſanguine, rubricatus factus ſit, in ſe ſubmerſis, & in„tereuntibus mortis via. Siquidem in eodem fluvio fugientium a facie Dei pecca„torum tanta periit multitudo, quod per cadavera hominum, & equorum (s), qua„ſi per factos pontes, nonnulli ex noſtris adverſariorum caſtra intrarent, & occu„pantes currus, tentoria, & expenſas quoque, precioſa ſpolia acceperunt.

„Quamvis igitur poſt triumphum divinitus nobis datum, quemadmodum „communiter videbatur, regnum Hungariæ noſtræ ditioni potuerimus ſubjugare, & „idem in perpetuam premere ſervitutem, advertentes tamen, quod melius ſit, bo„num vicinum habere concordem, quam ſuperare, & exterminare rebellem, pen„ſantes etiam, quoniam Imperator Conſtantinus ait, crebro ſvaviores fiunt amicitiæ „poſt inimicitiarum cauſas ad concordiam reſtitutæ, cum Principibus, & proximis „alti ſanguinis noſtri, dictis ſcilicet Hungarorum regibus, & domina regina, & ju„vene rege Bela, ſecundum oblatam nobis a magno Comite Rulando in Poſonio for„mam, maluimus pacis fœdera reformare, quam vaſtando, & debilitando magnum Hun„gariæ regnum, ad idem, & noſtri terras dominii Tartaris aditum reaperire. Prænotatæ „itaque compoſitionis formam prædictorum regum, reginæ, & ducis Belæ ſigillis ſigna„tam veſtro Apoſtolatui tranſmittentes ſuppliciter petimus, eandem a ſede Apoſtolica „confirmari, &, ut operæ precium eſt, Apoſtolico in ævum patrocinio communiri.

„Itaque talis, ac tanta victoria digne ſoli Deo, & ſanctis ejus eſt cum condi„gnis gratiarum actionibus, & laudibus aſcribenda. Quod etiam ex quibuſdam reve„lationibus comprobatur. Siquidem a multis fertur, quod quidam viri, qui a tergo ad „cuſtodiam exercitus fuerant deputati, imminente prælio referunt ſe vidiſſe, quam„dam avem, in lineamentis ad modum aquilæ figuratam, ſed in colore nive candidiorem, „habentem aureum caput, & collum, vexillum Beati Wenceslai, quondam Ducis, ſemper „vero proni Bohemorum inclyti martyris, inſeparabiliter proſequentem, quæ paſſim viſa „eſt eiſdem creſcere, quoadusque ad pugnam procedentem univerſum corpore, & plumis „cooperuit exercitum Chriſtianum. Eodem etiam die vir nobilis, & devotus omnimo„dis fide dignus, Joannes Miles filius Svoislai, cum in domo propria ægrotaret, cir„ca horam tertiam vidit in extaſi, ſe quaſi in campo certaminis cum exercitu ſuo „conſtitutum, quem cum cerneret eſſe modicum, & inordinatum, ſimul vidit, pa„tronos Bohemiæ glorioſos ad quemdam campum lucidum tali ordine procedentes. „Primum conſpicit procedentem ſanctum Venceslaum lorica indutum, habentem „galeam ſuam in capite geſtantem, gladium ſuum in vagina, auro, & gemmis orna„ta ſub aſcella ſiniſtra, in dextra vero manu proprium vexillum præferentem. Quem „immediate ſanctus Adalbertus, veluti vir magnus, & robuſtus, decenter ornatus „Pontificalibus ſequebatur. Poſt hæc vidit Beatum Procopium, quaſi Abbatem cum „ſuo baculo Paſtorali, ſanctum Pontificem e veſtigio comitantem, noviſſime cernit

„ſequi

q) Id reor exauctum eſt; alioquin graviter in militiæ leges peccaſſet, ſi præſente hoſte potiſſimam exercitus partem alıorſum miſiſſet, neque occupando illi oppido opus erat tot copiis.

r) Itaque Bela, ut alias notavi, Haimburgum non confugit, ſed Poſonium.

s) Ferunt XIV. millia partim cæſa, partim fluvio hauſta fuiſſe.

„ſequi quinque fratres Martyres, quaſi propriis tunicis veſtitos. Ac idem miles au„divit, ſanctum Wenceslaum prædictis gloriæ ſuæ conſortibus ſic clara voce dicen„tem: Debilis eſt noſter exercitus, ad Dei potentiam tendamus. Quo dicto vexil„lum ſuum contra hoſtes extendit: qui ſtatim in fugam univerſaliter viſi ſunt „converti.

„Hæc cum ab ægrotante audiſſent, qui adſtabant, dixerunt: hoc ægri vi„ſum aliud nihil ſignificare, quam quod D. Deus regi ipſorum victoriam dederit de „ſuis inimicis. Quæ hoc loco veſtræ ſanctitati ſcribo, omnia veriſſima ſunt, & ſine „omni dubio acceptanda. Itaque prætereundum non eſſe judicavi, quin veſtræ ſan„ctitati, tanquam religionis Chriſtianæ apici ſignificarem, propter ſingulare ſolatium „ut Dei Domini noſtri gloria per hoc miraculum amplificetur. Datum Pragæ VIII. „Octobris, anno MCCLX.„

Hæc Ottocarus ad Alexandrum: quibus, quod addam nihil habeo, niſi forte non nulla ex gloriæ ſtudio magis aucta eſſe, quam ut facile credi poſſint. Certe Tartaros, quod rex ait, a Bela in armorum ſocietatem contra Bohemum adductos fuiſſe, res, quas ad priorem annum narravimus, ſatis probabiliter refellunt. Ceterum facile mihi perſuadeo, regem non aliam ob cauſam tam duras pacis conditiones amplexum fuiſſe, quam, quod metus de irrupturis ex Polonia in Hungariam Tartaris, non de nihilo eſſet.

1261.

Pax ſuperiore anno inita Viennæ confirmatur.

Bela ſplendidiſſimo apparatu urbem ingreditur.

Pax ſuperiore anno tabulis utrinque firmata, in principio ſequentis novo rurſum, ſolennique voluntatum conſenſu Viennæ Auſtriorum renovata eſt. Placuit Regibus, in ea urbe conventum celebrare, ut, quæ non expedita ſatis hactenus eſſent, utriusque arbitrio complanarentur. Bela, quo ſplendorem dignitatis regiæ tueretur, præter Stephanum, ac Belam filios, tum Ruſſiæ, ac Serviæ reges, quinquaginta Ducum, ac optimatum corona ſtipatus Viennæ adfuit (*t*). Neque minus Ottocari in exquirenda pompa ſtudium exſtitit, qui, ne Hungaro inferior videretur, præter Bohemiæ, ac Moraviæ Proceres, Auſtriæ quoque nobiliſſimos adeſſe voluit, ut, cum ad eam diem feudorum profeſſionem facerent, partem quoque non minimam ad ſplendorem publicum conferrent. Rei ſumma, quam palam profiteri libuit, pacta nuper fœdera, & nuptiæ cum Bela juniore erant: clam vero conſultationum caput in eo vertebatur: ut Cunegundis Belæ regis ex filia neptis, Ottocaro uxor traderetur: Margaretam enim, quam Auſtriæ cauſa duxit, ob ſterilitatem jam faſtidierat, treſque extra legitimum thorum liberos ſuſtulit. Bela, ſi modo Pontifex invitus non eſſet, facile Ottocari deſiderio aſſenſus, mutuoque affinitatis vinculo amicitiam redintegrari paſſus eſt.

Et neptem ſuam Ottocaro clam conjugem pollicetur.

In Hungariam ob metum Tartarorum clam omnibus contendit.

Sed cum hæc plaudente Vienna inter publicas lætitiæ teſtificationes aguntur, Bela cum ſuis clanculum ex urbe diſcedens Poſonium præter omnium expectationem ſe confert, indeque per litteras ſponſam Belæ filio petit, diſerte profeſſus, velle ſe, ut nuptiarum apparatus, dum ex uſu fuerit, in Hungaria celebrentur. Perculit Ottocarum intempeſtivus regis abitus, facileque futurum erat, ut ſponſam negatum iret, niſi ſpe Margaretæ ab ſe averruncandæ, & Cunegundis potiundæ ductus, animum ad ſaniora conſilia flexiſſet. Cauſam, cur rex inſalutatis omnibus Vienna diſceſſiſſet, ſcriptores Germani magis hariolantur, quam conjectant: quidam enim de fide Ottocari dubitaſſe Belam, alii apparatum, quem Bohemus ad ſplendorem conciliandum exhibuerat, tanquam inſidias veritum fuiſſe memorant. Mihi veriſſimillimum eſt, per nuncios admonitum eſſe, Tartaros rurſum regno imminere, in quos ut arma, & militem expediret, nihil moræ interponendum ratus, domum revolavit (*u*).

Barbaroſque ingenti cæde profligat.

Et adfuere haud multo poſt barbari, vaſtata Polonia, ingenti cum exercitu in Hungariam effuſi. Occurrit Bela prius, quam hoſtis in mediterranea Hungariæ divagatus difficiliorem belli fortunam redderet; & quamquam numero eſſet inferior, cælo tamen, ac Numini confiſus prælii copiam offert, collatiſque ſignis tanta virtute dimicat, ut cæſis quinquaginta duobus millibus, caſtriſque barbarorum direptis, tru-

t) Haselbachius, & Arenpekius apud Cl. Hantallerum in faſtis Campililienſibus ad annum 1261.

u) Pernoldus in Chronico ad citatum annum.

culentam gentem toto regno exigeret. Victoriæ nuncius brevi per Europam vulgatus omnes, Alexandrum inprimis Pontificem incredibili lætitia affecit; qui indicto Romam Concilio huc ſtudium omne conferebar, ut collatis in commune ſententiis, ac opibus, modus ratioque in promtu eſſet, qua periculo, quod ab immani Tartarorum geote Europæis identidem ingrueret, caveretur. Sed hæc conantem mors Viterbii VIII. Calendas Junii intercepit, Urbano itidem IV. in Sedem Romanam evecto.

Ottocarus repudiata Margareta Auſtriaca Belæ neptim ſibi conjungit. Hæc inter Ottocarus repudiata Margareta, ac Crembſii res ſuas ſibi habere juſſa, Octobri menſe Poſonium appellit, ut deſponſam Cunegundem matrimonii vinculo ſibi copularet. Celebratis regio apparatu nuptiis, uxorem rex Pragam reduxit, ubi ſolenni pompa diademate inaugurata reginæ oomen, ac dignitatem accepit (x). Aut connivente, aut imprudente Roma patratum fuiſſe conjugium poſterius patuit, dum divortii cauſas Pontifex ab Ottocaro repoſceret. Erat Cunegundis Radislai Haliciæ Ducis gnata, quam ex Anna Belæ regis filia ſuſtulit, ut ſuo loco *Ex qua regis filia Cunegundis prognata fuerit.* ex Ottocari litteris oſtenſuri ſumus, in quibus Annam diſerte ſocrum ſuam nuncupat. Neque audiendi ſunt ſcriptores Bohemi, qui Cunegundem ex Roſislao Bulgariæ, aut Ruſſiæ rege natam fuiſſe perhibent, niſi Ruſſiæ nomine, Haliciam, quæ Ruſſiæ olim pars ſuir, intelligant, aut Machovienſem Ducatum, cui Radislaum præfuiſſe, ex Belæ litteris alias oſtendimus, pro Bulgaria acceptum velint. Atque Cunegundem hanc, cupio, ne lector ſibi e memoria ſinat elabi, ut, quo jure Wenceslaus Bo-
1262. hemus poſtea ad coronam Hungariæ eluctatus ſit, in promtu habeat.

Bela cum Stephano filio diſſidet. Pacato Bohemo, & Tartaris ex regno feliciter ejectis, pacis ſtudia ſenſim reflorere in Hungaria cœperant, cum repente obortis inter Belam, & Stephanum filium diſſidiis, periculum ioteſtini belli ſubnatum eſt. Neque diſcordias, oeque harum cauſas noſtri ſcriptores memoriæ prodidere, ut adeo, quid patrem cum filio *Diſſenſionis cauſæ.* tam graviter commiſerit, difficile ſit divinare. Si tamen coojecturæ locus ſit, credibile eſt, Stephanum, ubi ex pactis cum Ottocaro fœderibus, Stiriæ ducatu deceſſit, eam jacturam attributa Hungariæ portione, ſibi a patre ſarciri petiiſſe; quod cum Bela negaret, quippe, qui in Traoſilvaniæ ducatu, & Cumanorum ditions ſatis opum ad tuendam dignitatem filio eſſe rebatur, veriſimile eſt, Stephanum, & repulſa, & juvenili animo calentem, huc temeritatis adductum, ut patri primum minus obedieotem ſe præſtaret, tum etiam adverſaretur. Neque deerant homines, qui, *Dumque armis mutuo decernere conſtituunt, filius patri conciliatur.* ut venalem animum ex commodorum, & lucri ſpe circumferunt, ita per ſeſe diſſentieotes, calumniis ultro citroque diditis, magis magiſque concitarent, ut adeo haud multo poſt tempore collecto utrinque exercitu filius adverſum patrem in armis ſtaret. Propitio tamen Numine factum, ut prius, quam ſigna collata eſſent, Stephanus poſita ferocia patrio arbitrio ſe permiſerit. Id quem in modum evenerit, Maria regina *Quemadmodum ex reginæ litteris conſicitur.* ſcriptis ad Generalem Ordinis Prædicatorum litteris io hæc verba docet (y). *Reverendis in Chriſto fratribus, Generali Ordinis Prædicatorum, & Definitoribus Capituli Generalis, Maria Dei gratia Hungariæ regina, Syriæ Duciſſa (z) & Chriſti famula amoris vinculum, & devotam reverentiam. Etſi plurima miracula, atque prodigia, quæ per felicis memoriæ Fratris Johannis Epiſcopi Boſſinenſis, Generalis Ordinis veſtri, merita, ab hominibus, vulgo facta, commemorantur, ego ſigillatim deſcribere non valeo; unum tamen, quod ejuſdem meritis in me factum eſt, nolo cum reliquis ſilentio præterire. Sciatis igitur, quod cum perfidorum ſubditorum ſuaſione inter dilectiſſimum mihi Belam, regem Hungariæ, Dominumque meum ex una parte, & Chariſſimum filium noſtrum, regem Stephanum ex alia, magna eſſet coorta diſcordia, ita, ut ad manus conſerendas diſpoſiti ex utraque parte exercitus jam eſſent e regione conſtituti; ego, utpote Mater, utrinque afflicta, & maximo metu perculſa, dicti Fratris Johannis opem imploravi. Qui eadem ipſa nocte, cum alio bonæ memoriæ Fratre Gerardo, Priore ejuſdem Ordinis, mihi apparuit; cumque in tanta anguſtia, ut mibi prænominatum filium meum redderent, vehementer orarem, ipſe*

F. Johan-

x) Continuator Coſmæ Prag. in Chronico ad annum 1261.

y) Sigismundus Ferrarius de rebus Hungariæ Provinciæ ordinis Prædicatorum Part. II. Lib. I. Cap. VIII.

z) Forte rectius *Styriæ* legeretur, alioquin quid Mariæ cum Syria fuerit, non intelligo: niſi Theodorus Laſcaris ejus pater, jus adhuc ſibi arrogaſſet.

F. Johannes, impreſſo ſuper me ſigno crucis dixit: en tibi filium tuum, ut optas, reſtitui- 1262.
mus. Itaque tunc ex ſomno excitata, quantum mea fragilitas tulit, JEſu Chriſto, Do-
mino noſtro, & glorioſæ Virgini, ut par erat, gratias egi. Die vero illuteſcente, per-
venit ad me curſor cum litteris regis Hungariæ, Domini mei, quibus ſignificabat, regem
Stephanum, filium meum ſe omnino patri dedidiſſe, paratum efficere, quidquid illi collibuiſſet.
Placuit ergo meis hiſce litteris, hujus viri ſanctiſſimi merita veſtræ devotioni ſignificare: vi-
ciſſim veſtram ſanctitatem rogans, ut aliorum miraculorum, quæ ſcitis illum patraſſe, me
etiam certiorem reddatis.

Hoc modo poſitis armis Stephanus patri conciliatus eſt: Conciliationi locus Poſonium delectum, ubi tabulis jurejurando firmatis amicitia in ſolidum reſtituta fuit. Cujuſmodi tabulæ hæ fuerint incompertum eſt, & grandi hiſtoriæ detrimento intercidiſſe juxta cum aliis dolemus. Perſimiles tamen iis fuiſſe, quas eodem anno Decembri menſe Stephanus vulgavit, facile adducor, ut credam, quaſque, quod res ſingulares prorſus & patriis ſcriptoribus aut præteritas, aut ignotas complectuntur, annalibus, neque aliorum puto ingratiis, inſerendas arbitratus ſum (a). *Mutuis pactis amicitiam, & pacem ſtabiliunt.*

„ Nos Stephanus Dei gratia Junior rex Hungariæ, Dux Tranſylvanus, Do-
„ minus Cumanorum, ſignificamus omnibus præſentium per tenorem, quod ad ha- *Pactorum tabula.*
„ bendam, redintegrandam, & conſervandam, nuper in Poſonio habitam anno Do-
„ mini MCCLXII. Kalend. - - - inter Dominum regem, Chariſſimum Patrem noſtrum,
„ & Nos, pacis & concordiæ unionem, mediantibus venerabilibus Patribus, Phi-
„ lippo Dei grana Strigonienſi, aulæ Chariſſimi Patris noſtri Cancellario, & Smarag-
„ do Colocenſi, Aulæ noſtræ Cancellario, Archi-Epiſcopis, Philippo Epiſcopo Va-
„ cienſi, Aulæ Chariſſimæ Conſortis noſtræ Cancellario, Joanne Præpoſito Orodienſi,
„ Electo Sirmienſi, Magiſtro Præpoſito Scybinienſi (b), Aulæ noſtræ vice Cancel-
„ lario, cum conſenſu, beneplacito, voluntate, & approbatione univerſorum Baro-
„ num, & Nobilium noſtrorum, nec non requiſito Principum Cumanorum conſilio,
„ & habito aſſenſu, ſalvo juramento, & in ſuo robore perdurante, quod tunc apud
„ Poſonium ſuper obſervatione pacis, conventionis, & concordiæ inter Dominum
„ Chariſſimum Patrem noſtrum, & nos habitæ præſtitimus, & modo, ut omnia,
„ & ſingula capitula, quæ in litteris ſuper præfata conventione, concordia, & unio-
„ ne confectis, & noſtrn duplici ſigillo roboratis inſeruntur, & continentur, per nos
„ obſerventur, ſacro-ſanctis Dei Evangeliis, vivifico Dominicæ Crucis lignn, &
„ multorum ſanctorum Dei reliquiis coram pnſitis, & tactis, corporaliter juramus,
„ ſine omni coactione, neceſſitate, & cohortatione, ſed ſpontanea, & libera vo-
„ luntate confitentes, proteſtantes, vocantes, & clamantes, nos eſſe contentos,
„ quietos, & bene pacatos iis, quæ Chariſſimus pater noſter, illuſtris rex Hun-
„ gariæ, nuper in compoſitione inter ipſum, & nos in Poſonio habita, in ducatu,
„ terris, caſtris, villis, reditibus nobis dedit, conceſſit, & aſſignavit, quoaduſque
„ vixerit ipſe Chariſſimus Pater noſter, promittentes nihil amplius ab ipſo petere,
„ requirere, vel exigere, ſub jurejurando, quod præſtitimus, & præſtamus tactis
„ corporaliter ſacro-ſanctis Evangeliis, & vivifico Crucis Dominicæ ligno, & pro-
„ mittimus, contra ipſius Coronam, vel regni ſui, vel Chariſſimi fratis noſtri Belæ
„ Ducis ducatus, & jurium utriuſque imminutionem, læſionem, præjudicium, ſeu
„ gravamen nihil cogitare, attemptare, agere, vel aggredi, palam vel o culte,
„ fraude, vel ingenio, vel aliqua machinatione, per nos, vel noſtros Barones, No-
„ biles regnicolas, vel Cumanos, nec non extraneos reges, Duces, Ruthenos,
„ vel Polonos, vel cujuſcunque exteræ nationis homines, ſed potius promittimus
„ eidem Chariſſimo Patri noſtro aſſiſtere, auxiliari, & eſſe præſidio contra omnes,
„ qui in eum inſurgerent, & ejuſdem Majeſtatem offendere mnlirentur, ipſius re-
„ gnum vel regni terminos turbare, & moleſtare volentes pro viribus expugnando.

„ Univerſis etiam innoteſcimus per præſentes, quod nos Caſtrum Fylek cum
„ pertinentiis ſuia bona voluntate, & gratanti animo receperimus a Chariſſimo Patre
„ noſtro, pro Caſtro, quod idem nobis promiſerat, & ad dandum ſe obligaverat per
„ ſuas litteras in compoſitione, ſeu concordia Poſonii habita, unde traditione, &

a) Belius Tom. I. Notit. Hung. pag. 118. b) Legendum puto *Cybinienſi.*

„aſſignatione, caſtri prædicti nobis jam facta, ipſum ab obligatione tradendi caſtri
„profitemur, & dicimus expeditum, & litteras, quibus ad dandum Caſtrum nobis
„ſe obligaverat, reſtituere promittimus, & reſignare, quæ ſi reſtitutæ non eſſent,
„vel reſtitui non poſſent, caſſæ, & irritæ, & omni robore vacuæ habeantur; &
„ubicunque, & quandocunque exhibitæ, & oſtenſæ fuerint, nullius ſint momenti.
„Item promiſimus, & promittimus, quod omnibus Baronibus ſervientibus Chariſ-
„ſimi Patris noſtri occaſione guerræ caſualiter habitæ, & exortæ, poſt pacem in-
„ter ipſum Chariſſimum Patrem noſtrum, & nos apud Poſonium initam, & firmatam,
„univerſis ſpoliatis reſtituemus, & reſtitui faciemus, omnia bona mobilia, & immo-
„bilia, vel ſe moventia, quæ ab eiſdem per nos, vel noſtros, prætextu præfatæ
„diſcordiæ ſunt ablata, Prencellino, & Francone duntaxat exceptis, quos in com-
„poſitione apud Poſonium habita, per Herrandum Magiſtrum Agazonum Chariſſi-
„mi Patris noſtri, Comitem Trenchinienſem, & Magiſtrum Ladislaum, archidiaco-
„num Hunthenſem, Strigonienſem Canonicum, familiarem Clericum præfati geni-
„toris noſtri ab hujuſmodi reſtitutione ſecluſos, ſicut poſſumus, recordamur, de
„quibus nihilominus taliter duximus ſtatuendum, ut, ſi prædicti Herrandus Comes,
„& Magiſter Ladislaus, tractatores tunc pacis juraverint, ſe non excluſiſſe prædi-
„ctos Prencellinum, & Franconem, vel non admiſiſſe excluſionem eorum a commu-
„ni ſpoliatorum reſtitutione, ex tunc ipſi, ſicut & ceteri, reſtitutionis beneficio ex-
„cludentur. Pouſam autem, generum ejuſdem Franconis ſine difficultate qualibet
„reſtituendum judicamus, fiet autem reſtitutio eorum, qui in reſtitutionis cauſa
„erunt, per Venerabiles patres Philippum, Dei gratia Strigonienſem; Aulæ ſimili-
„ter patris noſtri Cancellarium, & Smaragdum Colocenſem, Aulæ noſtræ Cancel-
„larium Archi-Epiſcopos: Ita quod ſi prædicti Venerabiles patres ambo his exſe-
„quendis non poſſent pariter convenire, ex tunc Archi-Epiſcopus Strigonienſis in
„ſua provincia, adjuncto ſibi uno Barone noſtro, & alio Barone Domini Chariſſimi
„patris noſtri, prædictæ reſtitutionis articulum exſequantur. Pro eo etiam, quod
„Chariſſimus Pater noſter promiſit, non ſollicitare Cumanos noſtros, allicere, ro-
„gare, & rogari facere, ad ſe venire, nec ultro venientes recipere, vel tenere:
„repromittimus ſibi Teuthonicos, Sclavos ad ducatum Sclavoniæ pertinentes, &
„Bohemos, quos in præſentiarum habet, vel habuerit in futurum non ſollicitare,
„allicere, rogare, vel rogari facere, ut ad nos veniant, quin imo, ſi ultro veni-
„rent, non recipiemus eos, nec admittemus, vel tenebimus aliqua ratione.

„Promittimus etiam ſub præſtiti jurisjurandi religione, nos medietate ſa-
„lium terreſtrium, & aquaticorum eſſe contentos, alia medietate tam terreſtrium,
„quam aquaticorum ſalium, Patri noſtro Chariſſimo ſecundum conventionis apud
„Poſonium inter ipſum, & nos habitæ tenorem, jure integro remanente. In qua
„medietate utrorumque ſalium officiali noſtro in medietate noſtra, quantum ad offi-
„cium ſalium pertinet, utetur, & fruetur per omnia, quo jure & populi, qui ſalis
„foſſores vocantur, pro medietate ſpectabunt ad ſuum officialem, & pro medietate
„alia ad noſtrum, utrique tamen ſuis ſumptibus conducent ſalium inciſores, & per
„omnia paris erunt jurisdictionis, curribus, ſeu emptoribus ſalium inter eos æquali-
„ter dividendis, &, ſi aliqua eſſent, quæ ad prædictorum Officialium ſuper ſalibus
„terreſtribus, & aquaticis Officium ſpectarent, licet præſentibus inſerta non habean-
„tur, nihil alterutrius noſtrum Officialis, alterius Officiali plus, vel minus habere
„debebit, ſed per omnia æquabuntur, & nos Officialem, vel Officiales, quem,
„vel quos Chariſſimus Pater noſter in ſalibus aquaticis, & terreſtribus pro ſua me-
„dietate ſtatuerit, non inquietabimus, moleſtabimus, vel turbabimus, nec inquie-
„tari, moleſtari, vel turbari ab aliquo alio, vel aliis permittemus, ſed potius ei,
„vel eis favorem patris noſtri intuitu impendemus (c).

Item promittimus, quod, ſi Comes Palatinus noſter, ſive Judex Curiæ no-
„ſtræ Baronibus, ſeu Servientibus Chariſſimi patris noſtri in cauſis poſſeſſionum, &
„aliis conquerentur ex cauſa probabili ſe gravari, nos ad inſinuationem, & requiſi-
„tionem Venerabilis Patris Smaragdi Archi-Epiſcopi Colocenſis perſonaliter prædi-
„dicto-

c) Ex quo non vana forte conjectura fit, eam quoque Hungariæ partem, in qua Sal
Stephanum non modo Tranſilvaniam, ſed coquitur, obtinuiſſe.

„dictorum Judicum ſententias, & proceſſus audire, & emendare tenebimur, juxta „modum præſtiti ſuper hoc ſpecialiter Sacramenti: Præſtito etiam promittimus jura„mento, quod omnes Principes, Barones, ſeu quilibet ſervientes Chariſſimi Pa„tris noſtri in portione regni nobis aſſignata, domicilia, & poſſeſſiones obtinentes, „in eundo ad ea, & morando in eis, ac redeundo ad memoratum Chariſſimum Pa„trem noſtrum, in pace tranquilla, quiete pacifica, & ſecuritate gaudeant inconcuſ„ſa, eo prætextu, vel occaſione, quod Chariſſimo Patri noſtro adhæſerunt, vel „qui in futurum adhæſerint, cum adhærendi ei, & ſequendi eum univerſi regnico„læ juxta ordinationem factam, largam licentiam, & liberam habeant facultatem, „nullum metum, nullam omnino formidinem babituri, ſed in perſonis, poſſeſſioni„bus, familiis, terris, & territoriis, ac bonis omnibus indiſtincte plena pace gau„deant ſecuritate pacifica jocundentur.

„Promittimus etiam tactis Evangeliis, & ſanctorum reliquiis, quod Eccle„ſiarum, Baronum ſervientium, ſeu nobilium in portione regni nobis aſſignata, jura, „libertates, emunitates, ſtatus, & privilegia conſervabimus, &, quantum in nobis „eſt, faciemus, & conſervare curabimus, cum effectu ſecundum continentiam, & „tenorem litterarum noſtrarum, ſuper hujuſmodi ordinationibus confectarum, qua„rum mentionem fecimus in præmiſſis. Item tactis ſacroſanctis, & coram nobis po„ſitis reliquiis promittimus, quod ſuper attendendis, & obſervandis omnibus, & „ſingulis, quæ præmiſimus, & inferius inſerentur, & ſpecialiter ſuper reformandis, „reſtaurandis, defendendis, & conſervandis deperditis, depreſſis, & ſuppreſſis per „injuriam Eccleſiarum ſervientium, ſeu nobilium in portione regni nobis aſſignata, „venerabiles Patres Strigonienſis, & Colocenſis Archiepiſcopi, quorum juriſdictionem „in hac parte in nos voluntarii, & idonei prorogamus, per cenſuram eccleſiaſticam „nos valeant, & debeant coercere, non obſtante privilegio, ſi quod nobis a Sede „Apoſtolica eſſet indultum, cui in his renunciamus, ne abſque mandato Sedis Apo„ſtolicæ ſpeciali excommunicari, vel interdici poſſimus per ordinarium, vel ordina„rios noſtros, ſeu litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de indulto „hujuſmodi mentionem. Accedentibus etiam omnium Baronum noſtrorum conſilio, „& conſenſu conſentimus, & ſub jurisjurandi religione compromittimus, ut ſi contra „compoſitionem, & ordinationem præſentibus interſertam, nos vel prædictus pater „noſter chariſſimus, guerram vel exercitum movere voluerimus, nos, vel ipſum, „qui temerator, & transgreſſor præſentis compoſitionis, & pacificæ ordinationis fue„rit, dicti venerabiles Patres Strigonienſis, & Colocenſis Archiepiſcopi, quorum ju„risdictionem in nos, & chariſſimus pater noſter in hoc negotio, præſentium teſti„monio prorogamus, ſubjiciendi nos, & terram noſtram interdicto, & excommu„nicandi nos, & noſtros, ſi neceſſe fuerit, habeant facultatem: ſed ne alterutri „noſtrum per malitioſam confictionem, vel calumnioſam adinventionem, præter „culpam falſo, & inique aliquid impingatur, dicti Venerabiles Patres de emergen„tibus ab alterutro noſtrum injuriis, primum de plano, & ſine ſtrepitu judiciorum „cognoſcent, & tunc demum, ſi paternaliter admonendo injuriantem, & injurio„ſum guerræ incitatorem, Nos, vel ipſum Chariſſimum patrem noſtrum compeſcere „nequiverint, in eum, quem hujuſmodi temerationis, vel tranſgreſſionis ſciverint „eſſe reum, præſcriptam cenſuræ Eccleſiaſticæ proferant ultionem.

„Interpoſito etiam conſimili promittimus Sacramento, quod ſi in ſubſidium „Michaelis Ducis, chariſſimi fratris noſtri exercitum aliquem mittere nos contingat, „non mittemus, nec ipſum exercitum procedere patiemur per terram chariſſimi pa„tris noſtri, nec in poſſeſſionibus Baronum, ſive ſervientium ejuſdem chariſſimi pa„tris noſtri, quas iidem in portione nobis aſſignata habent, & poſſident, exercitum, „quem miſimus, deſcenſum aliquem facere, & aliquod aliud ſpolium, vel gravamen „inferre aliquatenus patiemur. Item promittimus bona fide, quod Caſtra, quæ „Barones ſervientes·ter - - les chariſſimi patris noſtri in portione regni nobis aſſi„gnata, vel ubicunque obtinent, obſideri, vel capi per nos, vel noſtros, vel quos„libet alios non procurabimus, machinatione aliqua publica, vel occulta, nec

d) Exemplar habet: *reſituere*, Belius & recte ſubſtituit: *reſiſtere*.

1262.

„etiam hujuſmodi inſidias, vel captiooes fieri patiemur ab illis, quibus reſiſtere (d)
„potuerit poſſe noſtrum.

„Volumus etiam, & promittimus non inviti, oec uti litteris chariſſimi patris
„noſtri, quibus, & quocunque tempore, & ſuper quibuſcuoque articulis impetratis,
„vel confirmationibus, ſi quæ ſuper eiſdem litteris a Sede Apoſtolica per quemcum-
„que quocunque ingenio ſunt obtentæ, quæ de facto, vel de jure patri noſtro cha-
„riſſimo præjudicarent, vel præjudicare poſſent, renunciantes omnibus exceptioni-
„bus juris, & facti, quæ nobis ex illis litteris competerent, vel competere unquam
„poſſent, ſed eas rumpere, & caſſare promittimus bona fide, &, ſi alibi præter
„conſcientiam noſtram latenter eſſent repoſitæ, nullius penitus ſint momenti, ſed
„hæ ſolæ litteræ noſtræ, & aliæ priores apud Poſonium confectæ, de quibus jam
„pluries io præmiſſis mentionem fecimus, quas etiam in præſentibus litteris confir-
„mamus, perpetui roboris obtineant firmitatem.

„Ultimo autem filiali recognitione compuncti, & ammoniti promittimus cha-
„riſſimo patri noſtro filialem reverentiam, & honorem cum omni devotione, & ſin-
„ceritate, cupientes ipſius benedictione, & dilectione deſideratiſſimis, omni tem-
„pore perpotiri. Et hæc omnia ſingula præmiſſa conſervabimus, ſic nos Deus ad-
„juvet, & hæc ſancta Dei Evangelia, & hoc coram poſitum, & corporaliter per
„nos tactum vivificum Dominicæ crucis lignum. Datum anno Domini MCCLXII.
„Nono idus Decembris (e)

Hactenus tabulæ conciliati inter patrem, ac filium fœderis, quas ad normam Poſonienſium fere confectas eſſe ex eo liquet, quod Stephanus ad illarum fidem præſentes quoque maximam partem exigi voluerit. In quibus illud memoria, & admiratione prorſus dignum, Stephanum, vivo etiamnum patre, non modo Palatinum, ſed ceteros quoque regni Magiſtratus ſeorſim habuiſſe, quod ut ſine exemplo hactenus fuiſſe reor, ita nuſquam deinceps uſurpatum lego. Michaelem, cujus nemo Scriptorum noſtrorum hactenus meminit, Belæ itidem filium fuiſſe magis perſpicuum eſt, quam ut dubitari poſſit: cui vero Ducatui, ut litteræ pactorum habent, præfectus fuerit, non ita pronum eſt conjicere: ſi enim Bela natu ſecundus Sclavoniam Ducis nomine obtinuit, quod extra controverſiam eſt, Stephanus autem præter Tranſilvanos, & Cumanos, eam quoque Hungariæ partem, quæ cis, & trans Tibiſcum porrigitur, a patre poſt redintegratam amicitiam donum accepit, cujus provinciæ Dux Michael eſſe potuerit, non intelligo: niſi forte Boſniam, aut Serviam hac prærogativa regendam a patre adeptus eſſet, quod ea ratione Stephanus fratri ſuppetias ferre potuerit, quin per patris ditiones copias traducere
1263. opus eſſet, ut ſe facturum jure jurando ſpopondit.

Nova conventione partim illuſtrantur, partim confirmantur.

Ceterum pacta conventa, quæ hoc anno coaluerant, ſequente rurſum mutua conſenſione firmata reperio, ſive neceſſum eſſet, quæ obſcura erant illuſtrari, ſeu obortis difficultatibus novas conditiones prioribus adjiciendas uterque e quiete publica futurum exiſtimabat. Atque has quidem cauſas ſubeſſe ipſum diploma, quod priori adnectendum putavi, ſatis aperte innuit (f).

„Nos Stephanus Dei gratia junior rex Hungarorum, Dux Tranſilvanus,
„Dominus Cumanorum, ſignificamus univerſis præſentium per tenorem, quod ha-
„bitis, & ordinatis nuper in Puruſzlo inter nos, & Chariſſimum patrem noſtrum, Re-
„gem Hungariæ, ſuper pacis, & concordiæ unione, habita deliberatione hos arti-
„culos ſuperaddendos, & declarandos decrevimus, ut habita, & ordinata inter nos
„habere valeant perpetui roboris firmitatem. Volumus enim, quod littera habita,
„& ordinata per venerabiles patres, Philippum Dei gratia Strigonienſem, Aulæ Cha-
„riſſimi patris noſtri Cancellarium, & Smaragdum Colocenſem Aulæ noſtræ Cancella-
„rium, Archi Epiſcopos, uſque feſtum S. Jacobi Apoſtoli, nobis, & Chariſſimo
„patre noſtro pariter procurantibus per ſedem Apoſtolicam confirmetur. Ita ſcili-
„cet, quod per dictos Venerabiles Patres, pars, quæ pacem præſumpſerit violare,
„quod abſit, ad obſervationem pacis per cenſuram Eccleſiaſticam compellatur, &
„ſub jurisjurandi religione compromittimus, ut, ſi contra compoſitionem, vel or-
„dinatio-

e) Datæ ſunt litteræ in *Poroszló*, ut ex alio diplomate anni ſequentis certum fiet.

f) Belivs Tom. I. Notit. Hungar. p. 128.

„ditionis habitam apud Poſonium, & in Puruſzlo, ſicut in prioribus litteris hinc
„inde conſcriptis continetur, attentaverimus, & ſi temeratores, & tranſgreſſores
„compoſitionis, & pacificæ ordinationis inter nos factæ reperti fuerimus, cum Ba-
„ronibus noſtris, ſcilicet cum venerabili patre Smaragdo Dei gratia Colocenſis Eccle-
„ſiæ Archi Epiſcopo, Aulæ noſtræ Cancellario, Dionyſio Palatino Comite Baka-
„chienſi (g), Laurentio Magiſtro Tavernicorum noſtrorum, Bano de Zeurino,
„Ladislao [illegible] Tranſilvano, Comite de Zounuch, Magiſtro Bacs Judice Cu-
„riæ noſtræ, Comite Sumurienſi, Stephano Magiſtro Dapiferorum noſtrorum, Do-
„minico Magiſtro Pincernarum noſtrorum, vel cum his, qui in locum eorundem
„impoſiti ſucceſſerint onere, & honore. Et e converſo, ſi Chariſſimus pater
„noſter compoſitionem, & ordinationem habitam inter nos infregerit, ſeu viola-
„verit, cum Baronibus ſuis majoribus, & præſentibus, vel, qui in locum ſucceſ-
„ſerint eorundem, per dictos venerabiles Patres, Strigonienſem, & Colocenſem
„Archi Epiſcopos excommunicationis ſententia inodentur. Et ſuper hoc iidem Ve-
„nerabiles patres Archi Epiſcopi tenentur dare litteras ſuas, quod quilibet ipſorum a
„violatore pacis habitæ, & ordinatæ ſe transferre debeat ad pacis, & ordinationis
„habitæ ſervatorem in eundem pacis violatorem interdicti ſententiam proferendo.
„Et hoc idem noſtri Barones, & Chariſſimi patris noſtri ſupradicti regis Barones fa-
„cere teneantur, obligantes ſe litteris ſuis ſub forma emiſſi, & præſtiti ſacramenti. „

„ Item ſpoliatis de conſenſu, & voluntate Chariſſimi patris noſtri regis tem-
„pore guerræ, vel poſt guerram, debeat reſtitutionis beneficium impertiri, & ad hoc
„e converſo nos præſentibus obligamus. Qui autem ſine conſenſu, & voluntate
„Chariſſimi patris noſtri, & noſtra, ſpolia commiſerunt, de bonis eorundem, poſſeſ-
„ſionibus, & perſonis condigna ſatisfactio debeat procurari. Præterea oblocutorum,
„& delatorum verba non audiemus, nec ipſis fidem volumus adhibere, ſed oblo-
„quentes, & oblocutorum verba patri noſtro regi curabimus nunciare. Volentes,
„ut Chariſſimus pater noſter, ſicut promiſit, nobis illud idem facere teneatur. Vo-
„lumus etiam, quod neuter noſtrum ad Barones, vel ad liberas villas exiſtentes
„ſub alterius poteſtate, aſſaturas, vel ſcutellas, aut aliquas munificentias, ratione
„quæſtus mittere teneatur. Item volumus, quod litteræ comminatoriæ omnino ceſ-
„ſent, nec deſtructiones, & ſpolia Baronum, vel ſervientium alterutrius noſtrum
„ulterius fieri debeant, nec etiam deſcenſus ſuper prædiis Nobilium violenti. Item
„ſi aliqua furta, & latrocinia, ſeu nocumenta committendo, & deſtructiones in re-
„gno faciendo, de territoriis Chariſſimi patris noſtri regia ad nos ſe transferrent, &
„hoc liquido pateret ipſi patri noſtro, & in fide ſua nobis per ſuas litteras diceret,
„& oſtenderet, eſſe reos, juxta meritum culpæ tenemur ſatisfacere de eisdem. Et
„e converſo Chariſſimus pater noſter ſatisfaciet de nocivis modo, & ordine prætaxa-
„to. De manifeſtis autem furibus, & latronibus ſatisfactio fieri debeat, prout di-
„ctaverit ordo juris.

„Et hæc omnia, & ſingula præmiſſorum conſervabimus, ſic nos Deus adju-
„vet, & hæc ſancta Dei evangelia, & hoc coram poſitum, & corporaliter per nos
„tactum vivificum Dominicæ crucis lignum. Adjicimus inſuper, ut omnes illos, qui
„Chariſſimo patri noſtro regi adhæſerunt, amicitia, conſilio, auxilio, obſequiis, &
„favore, non perſequemur, nec contra eos, vel terras ipſorum noſtrum exercitum
„tranſmittemus. Volentes, ut pater noſter Chariſſimus illos, qui nobis conſangui-
„nitate, affinitate, & familiaritate conjuncti, ſive ſint reges, ſive Duces, ſeu etiam
„Marchiones, adſtiterunt, & aſſiſtere voluerunt, non perſequatur, nec exercitum
„mittat contra eos; & hoc capitulum, ſeu articulum hunc, ſicut nos ſub jurisjuran-
„di religione promittimus, ſimiliter volumus, ut ſuper ipſo capitulo Chariſſimus pa-
„ter noſter corporaliter præbeat ſacramentum, quod nec per ſe, nec per ſuum
„exercitum eos attentet offendere, vel in aliquo moleſtare. Barones, & qui ſibi
„adhæſerunt, nos diligemus, ut ipſe illos, qui ex regni noſtri Baronibus nobis ad-
„hæſerunt, non perſequi, ſed diligere teneatur, juxta formam præſtiti ſacramenti.

g) Legendum ſuſpicor *Bachienſi*, cum enim Comites fere nomina ſua primitus a Comitatibus ſortiti fuerint, illius autem nominis nullum exſtitiſſe ſciam, ab hodierno Comitatu Bach, forte rectius ſubſtituetur *Bachienſi*.

„etiam hujuſmodi inſidias, vel captiones fieri patiemur ab illis, quibus reſiſtere (d) „potuerit poſſe noſtrum.

„Volumus etiam, & promittimus non inviti, nec uti litteris chariſſimi patris „noſtri, quibus, & quocunque tempore, & ſuper quibuſcunque articulis impetratis, „vel confirmationibus, ſi quæ ſoper eiſdem litteris a Sede Apoſtolica per quemcun„que quocunque ingenio ſunt obtentæ, quæ de facto, vel de jure patri noſtro cha„riſſimo præjudicarent, vel præjudicare poſſent, renunciantes omnibus exceptioni„bus juris, & facti, quæ nobis ex illis litteris competerent, vel competere unquam „poſſent, ſed eas rumpere, & caſſare promittimus bona fide, &, ſi alibi præter „conſcientiam noſtram latenter eſſent repoſitæ, nullius penitus ſint momenti, ſed „hæ ſolæ litteræ noſtræ, & aliæ priores apud Poſonium confectæ, de quibus jam „pluries in præmiſſis mentionem fecimus, quas etiam in præſentibus litteris confir„mamus, perpetui roboris obtineant firmitatem.

„Ultimo autem filiali recognitione compuncti, & ammoniti promittimus cha„riſſimo patri noſtro filialem reverentiam, & honorem cum omni devotione, & ſin„ceritate, cupientes ipſius benedictione, & dilectione deſideratiſſimis, omni tem„pore perpotiri. Et hæc omnia ſingula præmiſſa conſervabimus, ſic nos Deus ad„juvet, & hæc ſancta Dei Evangelia, & hoc coram poſitum, & corporaliter per „nos tactum vivificum Dominicæ crucis lignum. Datum anno Domini MCCLXII. „Nono idus Decembris (e)

Hactenus tabulæ conciliati inter patrem, ac filium fœderis, quas ad normam Poſonienſium fere confectas eſſe ex eo liquet, quod Stephanus ad illarum fidem præſentes quoque maximam partem exigi voluerit. In quibus illud memoria, & admiratione prorſus dignum, Stephanum, vivo etiamnum patre, non modo Palatinum, ſed ceteros quoque regni Magiſtratus ſeorſim habuiſſe, quod ut ſine exemplo hactenus fuiſſe reor, ita nuſquam deinceps uſurpatum lego. Michaelem, cujus nemo Scriptorum noſtrorum hactenus meminit, Belæ itidem filium fuiſſe magis perſpicuum eſt, quam ut dubitari poſſit: cui vero Ducatui, ut litteræ pactorum habent, præfectus fuerit, non ita pronum eſt conjicere: ſi enim Bela natu ſecundus Sclavoniam Ducis nomine obtinuit, quod extra controverſiam eſt, Stephanus autem præter Tranſilvanos, & Cumanos, eam quoque Hungariæ partem, quæ cis, & trans Tibiſcum porrigitur, a patre poſt redintegratam amicitiam donum accepit, cujus provinciæ Dux Michael eſſe potuerit, non intelligo: niſi forte Boſniam, aut Serviam hac prærogativa regendam a patre adeptus eſſet, quod ea ratione Stephanus fratri ſuppetias ferre potuerit, quin per patris ditiones copias traducere
1263. opus eſſet, ut ſe facturum jure jurando ſpopondit.

Nova conventione partim illuſtrantur, partim confirmantur. Ceterum pacta conventa, quæ hoc anno coaluerant, ſequente rurſum mutua conſenſione firmata reperio, ſive neceſſum eſſet, quæ obſcura erant illuſtrari, ſeu obortis difficultatibus novas conditiones prioribus adjiciendas uterque e quiete publica futurum exiſtimabat. Atque has quidem cauſas ſubeſſe ipſum diploma, quod priori adnectendum putavi, ſatis aperte innuit (f).

„Nos Stephanus Dei gratia junior rex Hungarorum, Dux Tranſilvanus, „Dominus Cumanorum, ſignificamus univerſis præſentium per tenorem, quod ha„bitis, & ordinatis nuper in Puruſzlo inter nos, & Chariſſimum patrem noſtrum, Re„gem Hungariæ, ſuper pacis, & concordiæ unione, habita deliberatione hos arti„culos ſuperaddendos, & declarandos decrevimus, ut habita, & ordinata inter nos „habere valeant perpetui roboris firmitatem. Volumus enim, quod littera habita, „& ordinata per venerabiles patres, Philippum Dei gratia Strigonienſem, Aulæ Cha„riſſimi patris noſtri Cancellarium, & Smaragdum Colocenſem Aulæ noſtræ Cancella„rium, Archi Epiſcopos, uſque feſtum S. Jacobi Apoſtoli, nobis, & Chariſſimo „patre noſtro pariter procurantibus per ſedem Apoſtolicam confirmetur. Ita ſcili„cet, quod per dictos Venerabiles Patres, pars, quæ pacem præſumpſerit violare, „quod abſit, ad obſervationem pacis per cenſuram Eccleſiaſticam compellatur, & „ſub jurisjurandi religione compromittimus, ut, ſi contra compoſitionem, vel or„dinatio-

e) Datæ ſunt litteræ in *Poroszló*, ut ex alio diplomate anni ſequentis certum fiet.

f) Belius Tom. I. Notit. Hungar. p. 121.

„dinationem habitam apud Poſonium, & in Puruſzlo, ſicut in prioribus litteris hinc
„inde confectis continetur, attentaverimus, & ſi temeratores, & tranſgreſſores
„compoſitionis, & pacificæ ordinationis inter nos factæ reperti fuerimus, cum Ba-
„ronibus noſtris, ſcilicet cum venerabili patre Smaragdo Dei gratia Colocenſis Eccle-
„ſiæ Archi Epiſcopo, Aulæ noſtræ Cancellario, Dionyſio Palatino Comite Baka-
„chienſi (g), Laurentio Magiſtro Tavernicorum noſtrorum, Bano de Zeurino,
„Ladislao Vaiwoda Tranſilvano, Comite de Zounuch, Magiſtro Bacs Judice Cu-
„riæ noſtræ, Comite Sumurienſi, Stephano Magiſtro Dapiferorum noſtrorum, Do-
„minico Magiſtro Pincernarum noſtrorum, vel cum his, qui in locum eorundem
„impoſiti, ſucceſſerint onere, & honore. Et e converſo, ſi Chariſſimus pater
„noſter compoſitionem, & ordinationem habitam inter nos infregerit, ſeu viola-
„verit, cum Baronibus ſuis majoribus, & præſentibus, vel, qui in locum ſucceſ-
„ſerint eorundem, per dictos venerabiles Patres, Strigonienſem, & Colocenſem
„Archi Epiſcopos excommunicationis ſententia inodentur. Et ſuper hoc iidem Ve-
„nerabiles patres Archi Epiſcopi tenentur dare litteras ſuas, quod quilibet ipſorum a
„violatore pacis habitæ, & ordinatæ ſe transferre debeat ad pacis, & ordinationis
„habitæ ſervatorem in eundem pacis violatorem interdicti ſententiam proferendo.
„Et hoc idem noſtri Barones, & Chariſſimi patris noſtri ſupradicti regis Barones fa-
„cere teneantur, obligantes ſe litteris ſuis ſub forma emiſſi, & præſtiti ſacramenti.„

„Item ſpoliatis de conſenſu, & voluntate Chariſſimi patris noſtri regis tem-
„pore guerræ, vel poſt guerram, debeat reſtitutionis beneficium impertiri, & ad hoc
„e converſo nos præſentibus obligamus. Qui autem ſine conſenſu, & voluntate
„Chariſſimi patris noſtri, & noſtra, ſpolia commiſerunt, de bonis eorundem, poſſeſ-
„ſionibus, & perſonis condigna ſatisfactio debeat procurari. Præterea oblocutorum,
„& delatorum verba non audiemus, nec ipſis fidem volumus adhibere, ſed oblo-
„quentes, & oblocutorum verba patri noſtro regi curabimus nunciare. Volentes,
„ut Chariſſimus pater noſter, ſicut promiſit, nobis illud idem facere teneatur. Vo-
„lumus etiam, quod neuter noſtrum ad Barones, vel ad liberas villas exiſtentes
„ſub alterius poteſtate, aſſaturas, vel ſcutellas, aut aliquas munificentias, ratione
„quæſtus mittere teneatur. Item volumus, quod litteræ comminatoriæ omnino ceſ-
„ſent, nec deſtructiones, & ſpolia Baronum, vel ſervientium alterutrius noſtrum
„ulterius fieri debeant, nec etiam deſcenſus ſuper prædiis Nobilium violenti. Item
„ſi aliqua furta, & latrocinia, ſeu nocumenta committendo, & deſtructiones in re-
„gno faciendo, de territoriis Chariſſimi patris noſtri regis ad nos ſe transferrent, &
„hoc liquido pateret ipſi patri noſtro, & in fide ſua nobis per ſuas litteras diceret,
„& oſtenderet, eſſe reos, juxta meritum culpæ tenemur ſatisfacere de eisdem. Et
„e converſo Chariſſimus pater noſter ſatisfaciet de nocivis modo, & ordine prætaxa-
„to. De manifeſtis autem furibus, & latronibus ſatisfactio fieri debeat, prout di-
„ctaverit ordo juris.

„Et hæc omnia, & ſingula præmiſſorum conſervabimus, ſic nos Deus adju-
„vet, & hæc ſancta Dei evangelia, & hoc coram poſitum, & corporaliter per nos
„tactum vivificum Dominicæ crucis lignum. Adjicimus inſuper, ut omnes illos, qui
„Chariſſimo patri noſtro regi adhæſerunt, amicitia, conſilio, auxilio, obſequiis, &
„favore, non perſequemur, nec contra eos, vel terras ipſorum noſtrum exercitum
„tranſmittemus. Volentes, ut pater noſter Chariſſimus illos, qui nobis conſangui-
„nitate, affinitate, & familiaritate conjuncti, ſive ſint reges, ſive Duces, ſeu etiam
„Marchiones, adſtiterunt, & aſſiſtere voluerunt, non perſequatur, nec exercitum
„mittat contra eos; & hoc capitulum, ſeu articulum hunc, ſicut nos ſub jurisjuran-
„di religione promittimus, ſimiliter volumus, ut ſuper ipſo capitulo Chariſſimus pa-
„ter noſter corporaliter præbeat ſacramentum, quod nec per ſe, nec per ſuum
„exercitum eos attentet offendere, vel in aliquo moleſtare. Barones, & qui ſibi
„adhæſerunt, nos diligemus, ut ipſe illos, qui ex regni noſtri Baronibus nobis ad-
„hæſerunt, non perſequi, ſed diligere teneatur, juxta formam præſtiti ſacramenti.

g) Legendum ſuſpicor *Bachienſi*, cum enim Comites fere nomina ſua primitus a Comitatibus ſortiti fuerint, illius autem nominis nullum exſtitiſſe ſciam, ab hodierno Comitatu Bach, forte rectius ſubſtituetur *Bachienſi*.

1263. „ Datum prope monaſterium Zokol in Inventione ſanctæ Crucis, anno Domini

1264. „ MCCLXIII.

Rurſum Tartari eandem ob cauſam nuncios ad Belam mittunt.

Atque hunc in modum lis inter patrem, & filium compoſita eſt, etſi haud multo poſt tempore, ut memorabimus, rurſus ſuſcitata, graves in regno turbas datura fuerit, niſi Urbanus auctoritate ſua diſſentientium animos coercuiſſet. Hæc inter rurſum a Tartaris Legati adſunt, qui affinitatem regis conciliato utrinque connubio, ut olim, expetebant, illud diſertis verbis comminati, niſi liber per Hungariam commeatus daretur, quo reliquas Chriſtiani orbis provincias ſub jugum mittant, vaſtitatem, ac cædes regno tam ſingulares illaturos, ut regem aſpernati fœderis pœnitudo ſubiret. Hungari, quamquam minas has non magnopere vererentur, partim enim nuperna victoria, ex barbaris relata, partim juſto exercitu, quem in promtu habuere, audentiores erant, tamen ne quid temere rex in tam gravi re conſtitueret, ad Urbanum continuo, quid barbari peterent, perſcripſere: reſpondit ſine mora Pontifex, & graviter regem cohortatus eſt, ne tam iniqua fœdera ſibique parum glorioſa, amplecteretur (*b*).

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO BELAE, ILLVSTRI REGI HVNGARIAE.

Dehortatur eum Pontifex ab ineundo cum iis fœdere.

Per facti evidentiam tibi, & univerſitati fidelium de regno Ungariæ in perpetuum deplorandum agnoſcitur, qualiter damnabilis feritas Tartarorum ſuam potentiam ad Chriſtianæ religionis exterminium experitur. Digne igitur non ſolum admiratione concuti, ſed debemus etiam ſtupore perfundi, dum per aliquos fide dignos corde tamen anxios, & oculis lacrymoſis nobis aſſeritur, quod tibi a Tartarorum ipſorum calliditate ſubdola, per quosdam fallaces ipſorum nuncios, vel potius exploratores peſtiferos ſuadetur, ut tu, & Chariſſimus in Chriſto filius noſter, Stephanus rex, primogenitus tuus eis adſtringi parentelæ vinculo, vel uniri quocunque amicabili fœdere ſtudeatis; quaſi te, ac primogenitum ipſum, & alias prædicti regni perſonas inclinatas, & diſcretas, ita fore ſimplices arbitrentur, ut nolitis jugiter habere præ oculis, qualiter item jam dicto regno facta per ipſos olim fuerit effuſio ſanguinis innocentis.

Ha Deus! quæ conventio lucis ad tenebras, vel quid ad plebem Catholicam, & devotam cum infidelium communione perfida, ſeu damnatorum hominum participatione doloſa! vel quid etiam lupos rapaces, & perditionis, ac diſperſionis ſemper avidos, cum paſtoris æterni contumelia, & agni cæleſtis offenſa ovium gregi mitiſſimo applicari, vel columbas colubris counire? Ha Deus! quod ad gentem impiam, & ſancti ſui nominis notitia penitus alienam, & ad hoc intendere, ut redemptos glorioſo pretio tui ſanguinis ſub quadam conſanguinitatis, vel affinitatis aut confœderationis amictu poſſint ſuæ perfidiæ contagio maculare, ac in illam per conſequens devenire potentiam, ut de Ungariæ partibus, & locis conterminis deleatur omnino tuæ reverentia Majeſtatis. Sit igitur in odium tibi, fili Chariſſime! temporibus audiviſſe præteritis, vel in diebus audire futuris, quod gens tam ſpurcida, tam profana tecum, vel cum eodem primogenito, aut cum aliquibus perſonis eximiis regni tui commune quid habeat, niſi forte, quod veniat ad regis æterni cultum beatiſſimum, ſi tamen hoc ei ſit deſuper conceſſum; vel quod opportuno loco, & tempore ſe videat ſub vexillo tuæ celſitudinis, favente virtutis Divinæ ſubſidio, ruinam irreparabilem incurriſſe.

Ecce fili Chariſſime! noſtrum ſuper præmiſſis affectum ſub quodam verborum compendio diſtricte, ac plenarie audiviſti. Attentius itaque, & vigili ſedulitate conſpicuus habearis, ut, ſi a modo tibi, vel eidem primogenito, aut quibuſcunque aliis præfati regni potentibus verbum de tam indigna, & iniqua materia proponatur, illud tam cito per tuas literas, & nuncios ſpeciales ducas in notitiam ſedis Apoſtolicæ, ut ſuper hoc ab ipſa tibi decens, & ſalubre poſſit conſilium provenire: alias autem cor noſtrum profundi doloris pungeretur aculeo, nec poſſemus conniventibus tranſire oculis, aut ſine debitæ ſtudio ultionis, ſi, quod abſit, tua ſublimitas propriæ voluntatis arbitrio, vel pernicioſo alicujus inſtinctu ſeducta faceret, aut permitteret aliquid in hac parte fieri, quod divinæ, ac noſtræ poſſet voluntati oppoſitum exiſtimari, ſeu prædicti regni tranquillitati contrarium, aut redundans in Catholicæ fidei detrimentum. Datum apud urbem veterem V. Kalend. Februarii, anno III.

Bela

b) Raynald. ad annum 1264.

Bela partim his litteris, partim inſolentia barbarorum, ad vim repellendam animatus copias cum Stephano conjungit, prælio conſerturus, ſi illius copiam hoſtis faceret. Sed Tartari viſo armorum apparatu, & cladis supernæ memores, ex Hungariæ limitibus ſine maleficio abſceſſerunt. Eo periculo libera Hungaria mox graviori involvitur. Stephanus rupta iterum amicitia vim, & arma in patrem parabat: in cauſa quosdam Hungariæ Præſules fuiſſe perhibent, qui intempeſtivo calumniandi ſtudio utrumque ſic concitarint, ut Bela de Livonibus, Stephanus de Cumania in auxilium advocandis cogitarent. Pontifex, ubi de diſſenſionum auctoribus comperit, Prædicatorum Provinciali partes impoſuit, ut Apoſtolica auctoritate in ejuſmodi perniciosos homines graviter animadverteret, ſimul ArchiEpiſcopum Strigonienſem, & Veſprimienſem Epiſcopum per litteras adhortatus eſt, ut illi in tam arduo negotio adjutores eſſent, patremque filio conciliare ſtuderent. Et ne quidquam, quod ad ſopiendas turbas valeret, prætermiſiſſe videretur, partim precibus, partim minis apud Belam egit, ne ad tam violenta conſilia adverſus filium ſe deduci pateretur, id, quod ſe Eccleſiæ intuitu ab ejus animo ceteroquin non malo obtenturum his litteris ſignificabat (*i*).

Diſſidia inter patrem & filium recrudeſcunt

BELAE ILLVSTRI REGI HVNGARIAE.

Nimis aliquando nobis fuit horridum audire diſcrimina illata regno Ungariæ a feritate damnabili Tartarorum: horribilius quidem, & amarius eſt cordi noſtro illa percipere ad quæ humani generis inimicus te, & Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Stephanum regem, primogenitum tuum dicitur inſtigare. Sane triſtes audivimus, & referimus cum dolore, quod inter te, ac eundem primogenitum materia diſſenſionis exorta, ipſe contra te Cumanorum, tuque contra eum paganorum de Livonia, & aliorum infidelium vicinorum auxilium intenditis invocare; ac hoſtilem congreſſum ad invicem experiri; de quo non ſolum prædicto regno, ſed etiam multitudini fidelium, manentium in locis conterminis, grave in perſonis, & rebus poſſet periculum imminere.

Papa in conciliando utroque paternum ſtudium.

Quia vero nihil magis noſtris incumbit affectibus, quam quod univerſi Chriſti fideles ad obtinenda tranſitoriæ pacis gaudia, & conſequenda quietis æternæ præmia, favente regis æterni clementia diſponamus, celſitudinem tuam affectione paterna requirimus, & per Dei miſericordiam obſecramus, ac etiam nihilominus ſub excommunicationis pœna tibi diſtrictius inhibemus, quod ad tam crudele propoſitum exſequendum aliquo modo non procedas, ſed ad hoc tui dirigas virtutem animi, & acumen convertas ingenii, ut tu, & idem primogenitus in tranquillo, & ſuavi regimine fidelium, veſtro dominio ſubditorum, ſitis unanimes, & alios bonis operibus in conſpectu Dei, & hominum relucentes, divitias, & theſauros veſtros, quos in veſtram, & regni præfati effundi perniciem inconſulte ſuggerit impetus voluntatis, in pietatis opera converſuri, ſcilicet in ſubſidium terræ ſanctæ, vel in conſolationis abundantiam Eccleſiis, monaſteriis, & aliis piis regni prædicti locis, deſtructis per Tartaros, opportunam, ſeu neceſſariam orphanis pupillis, & viduis, aliiſque pauperibus, & egenis. Hæc etenim ſancta operum effuſio erit vobis in aquiſitionem perpetuam clari nominis vel potius ad gloriæ meritum, quo civium glorioſa fruitur acies æternorum. Hæc etiam bonorum beata diſperſio aliorum excellentiæ Principum erit in ſalutiferæ largitatis exemplum.

Tu igitur fili Chariſſime! infuſam cordi noſtro triſtitiam de illa intentione peſſima, quam tu, & idem primogenitus ad inſtinctum tenebrarum principis damnabiliter concepiſtis, feſtinus nobis convertas in jubilum, & toti Cæleſti Curiæ in ſolemnia gaudiorum, pro firmo ducens, quod ſi tu, & idem primogenitus noſtri deſiderii pietatem promptis affectibus ad effectum in hac parte duxeritis, nos ſemper vobis in Domino gratioſos, & affabiles ſentietis: alias autem veſtro commodo, & honori graviter derogaſſe dolebitis, ſi, quod a nobis tam pie, tam affectuoſe depoſcitur, in negligentiam tranſeat, vel contemtibiliter omittatur. Datum apud Urbem veterem IV. Nonas Febuarii, anno III.

Ad vim tamen, & bellum apertum diſſidia non veniſſe eum ex ſcriptorum, tum Pontificis quoque, qui rem vix impunitam permiſiſſet, ſilentio facile videor mihi poſſe conficere. Cauſam diſſenſionis novæ Urbanus non obſcure in Stephanum rejicit, qui ſpecie pactorum, quæ nuper cum patre pepigerat, fundos jure dotalitio

Cauſa diſſidii non obſcure in Stephanum rejicit.

i) Raynald. ad annum 1264.

... citur, qui matrem ſuam dotalitio jure ſpoliare voluerit.

ad reginam pertinentes, matri per ſummam injuriam eripere voluerit. Itaque per litteras graviter admonitum, quæ mala fide retineret, ut reſtituat, objecta cenſurarum religione hortatus eſt (*k*). *Non attendens* (inquit) *quod res inter alios acta alteri præjudicare non debet prætextu cujuſquam compoſitionis, quæ ſine ipſius reginæ aſſenſu inter te, & regem eundem, patrem tuum olim interveniſſe dicitur* (*m*), *quaſdam villas, & terras* Biſtichæ, Zoloſum, & Querali (*n*) *vulgariter nuncupatas, quas & ceteræ reginæ Hungariæ, quæ præceſſerunt eandem a tempore, cujus memoria non exiſtit, tenuerunt, pacifice, & quiete, contra juſtitiam occupaſti, & occupatas detines in ejuſdem reginæ præjudicium, & gravamen. Quare ipſe rex prædictus* (Bela) *per eundem nuncium inſtanter poſtulari fecit a nobis, ut prædictæ reginæ ſuper hoc faceremus juſtitiæ plenitudinem exhiberi. Nos itaque conſiderantes attente, quod ex occupatione, & detentione injuſta villarum, & terrarum hujuſmodi non modicum tuæ famæ deperit, & ſaluti, maxime cum dictorum regis, & reginæ ſublimitas, ſicut audivimus, ſit exinde turbata graviter, & offenſa, magnitudinem tuam rogandam attente duximus, & monendam, quatenus provide conſiderans, & diligenter attendens, quod cum regis æterni benignitas jam terras, & bona plurima tuæ ſubjecerit poteſtati, & de ipſius clementia ſpes firma geratur, quod perſonam tuam adhuc multipliciter exaltabit, te ad materna jura, vel ad quorumcunque bona fidelium, qui omnium de regno Ungariæ propulſare teneris injurias, non decet illicite aliquatenus inhiare, ſupra dictas terras, & villas, ei pro Apoſtolicæ ſedis, & noſtra reverentia, prompta liberalitate reſtituas; dictorumque regis, & reginæ placare animum, nec non benedictionem ipſorum aſſiduam promereri per exhibitionem filialis reverentiæ non poſtponas. Datum apud urbem veterem XVII. Kalend. Auguſti, anno III.*

Ejuſdem argumenti litteras dederat quoque ad Archi-Epiſcopum Strigonienſem, tum Jaurinenſem, & Veſprimienſem Epiſcopos, graviter præcipiens, ut Stephanum captatis temporibus officii admonerent, darentque ſedulo operam, ut erepta matri jura in integrum reſtitueret, detrectantem pœnarum comminatione ex ritu Eccleſiæ terrerent. Credibile eſt Stephanum, qui non tam ſuapte ingenio, quam aliorum conſiliis regi adverſatus ſit, in gratiam cum patre rediiſſe.

Belæ junioris nuptiæ Poſonii celebratæ ſummo Principum accurſu.

Ceterum annus hic lætiore, quam initia ſe dederint, exitu terminatus eſt. Ottocarus Bohemiæ rex memor pactorum, quibus neptem ſuam Belæ juniori deſponderat, Marchionem Brandeburgicum puellæ patrem impenſe orabat, ut filiam quanto poſſet apparatu ſponſo in Hungariam tranſmitteret, ne aut novæ iſthinc lites orirentur, aut fœdera non bona ab ſe fide ſervari Bela queri poſſet. Non abnuit Marchio, & filiam cum Matre Pragam adducens, Ottocarum ſplendidiſſima Procerum corona ſtipatum in Hungariam comitatur. Ubi Poſonium ventum eſt, fixis extra pomœrium tentoriis, quæ caſtrorum ſpeciem referrent, ſponſa, Pragenſi, Olomucenſi, & Brandeburgenſi Epiſcopis creditur, quoad Bela cum ſuis condicto tempori adeſſet. Neque is, ut ſcribit (*n*) Continuator Coſmæ Pragenſis, nuptiarum, quod ſuſpicor, teſtis, diu moratus *venit -- portans aureas murenulas juxta tempora dependentes paucis comitantibus, videre ſponſam filii ſui ad tentoria regis Bohemiæ, & ordinat dotem propter nuptias. Quo recedente filius ſuus Bela, ſpecioſus forma præ filiis plurium, auditis Miſſarum ſolemniis, capiti puellæ, matrimonaliter ſibi traditæ, coronam auream ſuperponit, quam quidam ſuorum Nobilium, evaginato gladio, & vibrato de capite ſponſæ abſtrahit juxta ritum ſuæ gentis* (*o*). *Deinde navigio ducit ad propria non ſine maximo parentum ejulatu. Eodem die rex Bohemiæ in quodam tentorio, novo admodum Eccleſiæ præparato, & diverſis pannis quaſi de lateribus tecto, fecit milites IIII. Marchiones, & quintum Ducem Poloniæ, præter alios Comites, & Nobiles nobiliter decoratos, cum quibus exercens ludos militares, & diverſos, ponit ad menſam Ungariæ regem ſeniorem in thabernaculis ad hoc ſumtuoſe præparatis, cum diverſis Principibus gratioſe miniſtrans, & hobunde tertio Non. Octobris.* Ita celebratis magno ſplendore nuptiis, & redintegrata amicitia utrin-

k) Raynald. ad annum 1264.

l) Ex hoc maxime adducor, ut credam nova poſt Poſonienſem pacem diffidia oborta eſſe.

m) Hæreo an genuina ſi Lectio: Forte rectius, *Biſtrica*, & *Király* legeretur.

n) In Chronico ad annum 1264.

o) Hujus ritus nemo, quod ſciam, alter mentionem facit. Quando cœperit, aut deſierit perinde obſcurum. Quid ſi inde mos ad reges traductus poſtea eſt, qui rite coronati conſcenſo colle evaginatum gladium in quatuor orbis partes vibrare ſolent.

utrinque diſceſſum eſt; quam vivo quidem Bela inviolatam duraſſe, poſtea autem rerum potente Stephano novis belli turbis interceptam, cum locus nos monuerit, memorabimus. 1264.

Vix menſis a nuptiarum apparatu elapſus fuit, cum nuncius ex urbe affertur, Urbanum Papam, VI. Nonas Octobris rebus humanis exemtum eſſe. Ea res tranquillitati Hungariæ non nihil obturbatura metuebatur, quod pactionum tabulis, quas anno priore inter Belam, ac Stephanum coaluiſſe narratum eſt, nondum Pontificia auctoritate confirmatis, haud ſatis ſtabilita, & tuta utrinque videretur. Cum enim non pater modo, ſed filius quoque confectis nuper ſœderibus robur a ſede Apoſtolica adjici percuperent, facile periculum erat, ne obortis utrinque ſuſpicionibus, quibus abhinc, quam Stephanus patris arbitrio ſe permiſit, ſæpe agebantur, pax jam ſemel interrupta in belli civilis molitiones deſineret. 1265.

Rex Clementi novo Pontifici obtentam dignitatem humaniſſimis litteris gratulatur.

Cautum tamen periculo eſt ſequente anno, dum Clemens IV. mira omnium conſenſione nonis Februarii Urbano ſucceſſit. Eo nuncio Bela magnopere lætus, Ladislaum Strigonienſem Archidiaconum, & aulæ ſuæ apocriſiarium ad Pontificem cum litteris mittit, quibus & de recens obtenta dignitate Clementi gratulatus eſt, & majorem in modum obteſtatus, ut pacta ſœdera, quæ nuper inter ſe, & filium pacta fuiſſent, ſuo judicio, & auctoritate rata habere vellet. Litteræ omni officiorum genere, & ſingulari in Pontificem obſervantia refertæ hujuſmodi ſunt (*p*).

„Sanctiſſimo patri, ac Domino, Domino Clementi, divina providentia „ſacro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici, Bela Dei gratia Hungariæ, Dal„matiæ, Chrovatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæque rex, „devotus ipſius filius, devota pedum oſcula beatorum.

„Ex ineffabili, & immenſo æternæ beatitudinis ſonte miſericordiæ abundans „fluvius terris illapſus creditur, dum veſtram beatitudinem pater miſericordiarum „Eccleſiæ, pretioſo ſuo plantatæ ſanguine præfecit, ut juxta principis Apoſtolorum „prædeceſſoris veſtri, cujus fidem obtinetis, & locum, auctoritate paſcatis gregem „Domini immarceſcibili pro corona. Sane audito eo, quod perſonam veſtram, cu„jus jam dudum præconia de cultu juſtitiæ, de zelo fidei, & de miſericordiæ leni„tate per plurimorum, reſpuendum mendacia, relationem veridicam, noſtræ ſe „mentiæ obtutibus præſentarant, divina providentia ſacræ urbi, & orbi pariter præ„feciſſet, effecti ſumus in virtutum Domino hilares, & jucundi; ſperantes ſacro-ſan„ctam matrem noſtram, beatitudini veſtræ commiſſam, veſtra nos reſpiciente gratia, „conſolationis uberibus recreare, remotis paternaliter his, qui juſtis noſtris deſide„riis forſitan ſe opponunt. Cum enim vergente in ſenium ſeculo humana natura, „quanto per proceſſum temporum a perenni fonte creationis ſuæ fit remotior, tanto „fit proclivior ad ſiniſtra, extinguitur in pleriſque devotio, delitеſcit ſinceritas, & „fidelitas terreno Domino debita diſſolvitur, quæ ſola dat fidei ſervandæ ad Deum „evidens argumentum, quibus utique corruptelæ ſubjectis veſana lingua interdum „in ipſorum dominorum depreſſionem falſa confingere non formidat. Et ob hoc de„cebat, ut talis orbi daretur divinitus Pontifex, qui aboleret illicita, protervas lin„guas compeſceret, dilataret funiculos fidei, & zelum juſtitiæ ampliaret, per quem „devotorum intenderetur devotio, & iniquitas repreſſionem reciperet correctivam.

„Proinde cum & Apoſtolica benignitas, & innata beatitudinis veſtræ nobi„litas nobis ſuggerant, ut in noſtris ad vos agendis, qui eſtis Petri ſucceſſor, & „Vicarius JEſu Chriſti, debeamus recurrere cum fiducia filiali, non credentes in „noſtris juſtis deſideriis nos perpeſſuros repulſam, tot præſertim in vobis virtutum „ſublimitati veſtræ cohærentium concurrentibus radiis, ſeu ſulgore, duximus ad ve„ſtram felicitatem, dilectum, & fidelem Clericum noſtrum, Magiſtrum Ladislaum, „Capellanum veſtrum, Archidiaconum S. Euſtachii in Eccleſia Strigonienſi, fami„liarem, notarium, & apocriſiarium aulæ noſtræ, ut noſtram devotionem ſanctitati „veſtræ humiliter repræſentet, & mentis noſtræ beatitudini veſtræ ſecreta detegat, „& arcana - - - (*q*). Ad hæc compoſitionem, & ordinationem inter nos, & filium

p) Raynald. ad an. 1265.

q) Dolemus hæc a Raynaldo omiſſa eſſe, ex quibus forte multa, quæ ad concitatas inter patrem, & filium turbas pertinent, illuſtrari poſſent.

„noſtrum regem Stephanum mediantibus Venerabilibus patribus Strigonienſi, & Co„locenſi Archi-Epiſcopis factas, nominatim a beatitudine veſtra petimus confirma„ri. Datum apud Phyzegni (r) anno Domini MCCLXV. quinto Kalend. Aprilis." Dubium non eſt, Pontificem pro ſua in regem liberalitate, tam exquiſitis officiis reſpondiſſe, firmaſſeque fœderum pactiones, ut patri, quoad vixit, cum filio quam optime conveniret: nihil enim uſpiam turbarum deinceps concitatum reperio.

Increbreſcente de Tartaris rumore.

Verum improviſus rurſum Hungariam rumor Tartarorum cauſa pervaſit, qui relatis ex Saracenorum gente trophæis ſuperbi novis procurſionibus in priſtinam calamitatem Hungariam redacturi ferebantur. Neque tamen Bela animos demiſit, ſed vinci poſſe barbaros jam alias edoctus copias ad vim, ſi quæ ingrueret, propulſandam comparabat. Habuit & conſilii & operis adjutorem Clementem Papam, qui, ut primum certos de periculo nuncios accepit, utrumque Hungariæ Archi-Epiſcopum ad vulgandum Crucis ſignum admonuit, & ex quibus provinciis auxiliares copias concirent, ſingillatim in hæc verba ſcripſit (s).

Clemens --- Strigonienſi, & Colocenſi Archi-Epiſcopis.

Pontifex utrique Hungariæ Archi-epiſcopo poteſtatem facit crucis ſignum prædicandi.

In generalem mundi notitiam jam devenit, quod Tartarorum gens efferа de terra finibus impetuoſe progrediens urbes munitiſſimas, & diverſas ſibi ſubjugaſſe dignoſcitur regiones. Et quia permittente Domino, non ſolum de potentibus plurimis, ſed de famoſis regibus triumphavit, direptis in prædam illorum divitiis, & bonis deſiderabilibus aſportatis, nullam deinceps arbitratur invenire potentiam, quæ ſibi reſiſtere valeat ſuper terram. Fortuna ſiquidem in ſui execrabilis proſecutione propoſiti ei olim taliter blandiente, hujuſmodi gens perfida in ſuperbiam magis, ac magis ſemper erigitur, & in ſuis vanitatibus fortius roboratur, dum id ſuis viribus præſumit adſcribere, quod propter peccata populi ſibi ad victoriam cernitur accidiſſe. Quamvis itaque ipſius perſecutio nationis perverſæ gravis ſit nimium, & infeſta Chriſticolis, tamen fidelibus de regno Ungariæ, ac Poloniæ, & conterminis partibus tanto magis occurrit horribilis, & timenda, quanto fideles ipſi ſunt inter alios ei proximi, & illius incurſum, ac ſævitiam, peccatis exigentibus, quandoque gravius ſunt percuſſi.

Porro ſicut Chariſſimus in Chriſto filius noſter, Bela Ungariæ rex illuſtris nobis expoſuit per nuncium ſpecialem, nuper ad ipſum relatu fide digno pervenit, quod Tartari memorati aſſociatis ſibi quibuſdam aliis paganis eis adhærentibus, & diverſis ſuis exercitibus congregatis, in terras Chriſtianorum, prædicti regni, & Poloniæ conterminas, in brevi proponunt inſultum facere, illaſque ſibi more ſolito ſubjugare, proceſſuri, quod abſit, ulterius niſi eis viriliter reſiſtatur. Propter quod idem rex velut Princeps Catholicus, & in conſervatione fidei, ac fidelium ſtudioſus, eis in præfati regni confinio, ne in confuſionem Chriſtiani populi poſſint ulterius proficiſci, prævio divinæ virtutis auxilio proponit & obviare viriliter, & repugnare potenter. Quia vero ſubſidium Chriſti fidelium ad hoc ei eſſe dignoſcitur plurimum opportunum, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus in Ungaria, Bohemia, Polonia, Stiria, Auſtria, Carinthia, & Marchionatu Brandeburgenſi per vos, & alios ad hoc idoneos contra dictorum ſævitiam, & aliorum populorum eis adhærentium, auctoritate noſtra verbum Crucis cum omni diligentia prædicetis ---. Datum Peruſii VII. Kal. Julii, anno primo. Hæc Clemenſ. Verum barbari cognito in comparandis armis ac milite regie ſtudio, Hungaria abſtinuere, mutuiſque factionbus colliſi, ut potentiam, ſic metum quoque diminuerunt.

Maria regina Belam filium in Dalmatiam adducit.

Rex eo periculo liber, Belam juniorem Sclavoniæ antea Ducem, ut ſuam, & novæ conjugis dignitatem tueretur, Dalmatiæ quoque eadem poteſtate præfecit. Filium ad adeundam novæ præfecturæ poſſeſſionem Maria regina ingenti Procerum, ac militum cum Hungarorum, tum Cumanorum caterva in Dalmatiam deduxit. Ut Tininum ventum eſt, & cauſa, cur cum filio adeſſet, concitis provinciarum optimatibus, declarata, intervenit forte fortuna quiddam, quod tametſi imprudentibus omnibus patratum ſit, vehementer tamen reginæ animum exacerbavit. Rem ita eveniſſe ferunt. Præſidiarii Cliſſienſes ſive militari licentia acti, ſeu fame ſtimulati

demen-

r) Quis locus hic fuerit, aut num hodie axſtet, ignoro.

s) Raynald. ad an. 1265.

demeſſas Spalatenſium fruges immodice diripiebant, quod cum ad urbem nunciaretur, coorti inter ſe audaciores juvenes, urbeque egreſſi facto in præſidiarios impetu rixam auſpicantur: ſed cæſis tumultuarie duobus Hungaris, rixoſum agmen atrocitate facinoris territum ſponte paullum poſt dilapſum eſt. Ut cædis indicium ad reginam allatum fuit, graviter factum tulit, palam queſta, Majeſtatem regiam eo facinora a Spalatenſibus temeratam eſſe, ſimul Tinino abiens irarum plena ad Cliſſiæ caſtrum ſe confert. Cives commotum reginæ animum veriti, ne quid gravioris periculi ingrueret, continuo Legatos Cliſſiam mittunt, qui reginam omni ſtudio orarent, *ut non indignatione commota, ſed placata, & pacifica ad fideles ſuos accedere dignaretur, cum facinus illud non ex deliberatione communi, ſed caſu contingente perpetratum fuiſſet, nec ad eorum culpam referendum erat, qui pro defenſione rerum ſuarum exierant, ſed ad illorum potius nequitiam imputandam, qui aliena diripere ſatagebant* (t). Verum illa Legatorum orationi parum tribuens, eos re infecta abire jubet: Neque felicior conatus Rogerii Spalatenſium Archiepiſcopi fuit, in quem, niſi ab amicis de periculo edoctus matura fuga evaſiſſet, gravius animadvertere regina conſtituit, quod auctorem turbarum fuiſſe ſibi perſuaderet. Gemina repulſa nihil animis fracti Spalatini, religioſos viros, quibus Mariam multum tribuere norant, eum muneribus, & crebro mittunt, rati, his interpellatoribus muliebres iras facile ſedatum iri. Fruſtra tamen omnia fuere: quin eo impotentiæ delapſam ferunt, ut Spalatenſium agros tota late vicinia per ſuos vaſtari juberet. Cives hæc quidem impune ferre, ne tamen urbs diſcrimini objiceretur, pro mænibus diligenter excubabant, certi vim, ſi appararetur, vi repellere. Regina, quamquam pia ceteroquin, ſed ex Græcorum ingenio implacabilis femina, dum vindictam non perinde, ac optarat, videret ſibi e ſententia cadere, ad dolos converſa vultum hilarem induit, nunciiſque fidem facit, pænitere ſe damnorum, quæ commoto animo ſuos urbi inferre juſſiſſet; itaque velle ſe oblitteratis injuriis amicitiam cum Spalatinis colere. In eum finem quatuor ex Hungariæ optimatibus, & triginta fere milites Legatis comites addit, ut ſuo nomine pacem cum civibus conficerent; re autem ipſa, ut exquiſitum vindictæ genus in Spalatenſes exercerent. Clam enim ad ſe accerſitos jubet, darent operam, ut primores civium ex urbe colloquii ſpecie excirent, & excitos caperent: ſin autem, certe gladiis interimere niterentur. Legati fraudis ignari ut in urbem reverſi ſunt, mira omnes lætitia ob placatam reginam affecere, tum nobiliores hortari, ut Hungaris honoris cauſa ex urbe obviam prodirent, viſuros, & bona fide, & honeſtis pactis fœdus ſancitum iri.

Spalatenſes miris odiis exercet.

Sed vix Spalato egreſſi de pace agere cœperant, cum Hungari facto in nil tale veritos impetu, quinque ex nobiliſſimis civibus comprehendunt, læſiſque, aut fugatis aliis ad reginam adducunt. Illa ob ſucceſſum doli femineum in morem læta, captos primum Cliſſiæ, tum Tinini in obſcurum carcerem compingi imperat, attonita ad inſolitum facinus urbe, & pleriſque calamitatem civium commiſeratis. Ipſe rex, ubi patratæ rei nuncium accepiſſet, forti Spalatenſium indoluit, miſitque duos ex Ordine Minorum viros graves, qui conjugem in Hungariam revocarent. Haud multo poſt, reginam Legati a Spalatenſibus conſequuti ſunt, qui Belam ad æquitatem flecterent. Miſſi fuere Thomas Archidiaconus, ex quo hanc narrationem depromſimus, & Marinus cognomento Bonajuncta: qui, poſtquam data loquendi copia civium cauſam breviter, & nervoſe coram explanaſſent, *regina, quæ ſe ſpoponderat pro captivorum liberatione apud Majeſtatem regiam intercedere, cum effectu cœpit Spalatenſes accuſare de multis. Rex autem nimis credulus verbis uxoris ſuæ, reſpondit, quod non aquieſceret petitioni Spalatenſium, niſi darentur ei viginti ſex obſides de melioribus civitatis: Archidiaconus autem allegans tenorem privilegii, quod ab antiquis regibus civitas obtinuerat, de obſidibus dandis conſentire nullatenus voluerunt, & ſic infecto negotio ad propria ſunt reverſi* (u). Atque id unum ex Belæ geſtis rebus comperio, quo præter modum uxorius, æquitatis rationes prætergreſſus fuerit. Quamquam facti haud multo poſt tempore pænitens, Rolandum Banum in Dalmatiam miſerat, qui complana-

Et apud Regem in ſuſpicionem adducit.

t) Thomas Archidiac. Hiſt. Salonit. cap. LI.

u) Idem ibid.

tis civium animis pacem redintegraret, id tamen diſerte cavens, non receptum iri cives in gratiam, niſi duodecim ex urbe obſides regi ſe miſſuros pollicerentur.

Qui datis obſidibus regem, ac reginam placant.

Id quamquam durum pleriſque viſum ſit, tamen, quoniam pax aliter confieri non poterat, duodecim pueros, nobiliſſimis parentibus ortos, ſequente anno, cum rex Bihacſium in Croatiam cum regina appuliſſet, obſides miſere. Bela Spalatenſes, quod morem imperio ſuo geſſiſſent, comiter habuit, Maria autem cum innocentia, tum liberali puerorum vultu delectata, recepit non admiſſuram ſe, ut quidquam gravius in cives ſtatueretur; paullumque poſt carcere dimiſſos in Dalmatiam redire paſſa eſt (x).

Bela Zagrabienſem Epiſcopum propter obſcuros natales vexat.

Dum in Sclavonia, & Croatia rex cum regina verſaretur, Timotheum Epiſcopum, quem antea quoque divexarat, haud multo benignius habuit. Erat Timotheus Philippo defuncto in Zagrabienſi ſede ſuffectus, & ab Urbano confirmatus, quem tamen Bela, quod obſcuro, ac humili loco natus eſſet, neſcio quorum conſiliis perſuaſus, Eccleſiæ poſſeſſionem inire non patiebatur. Tulit id Clemens graviter, & Timothei cauſam per litteras tuendam accepit, in hæc verba ad Belam ſcribens (y).

Regi Ungariæ illuſtri.

Cujus cauſam Pontifex per litteras agit.

Rerum providus omnium ordinator, omnes homines lege propagando communi ex ſimilibus naſci ſeminibus, eodem cælo contegi, ſimilique gaudere ſpiraculo voluit, nudos in mundum ingredi, & nudos egredi, pari ratione decrevit; non a ſervo diſtinguens liberum, non ab egeno divitem, non a rege plebejum in omnibus ſupradictis: ſed in terra multiplicatis hominibus, & eorum nonnullis voluntatis indomitæ motus agiles, & effrænes libertati propriæ relinquentibus, aliis autem ſaniore conſilio rationis imperio, ſuaſque ſubdentibus voluntates, iſtos illis merito præfici ſola perſuaſit honeſtas; & neceſſitas cauſæ publicæ contulit anteferri, ut qui ſuis damnabantur animis, expugnatoribus urbium meliores, exercerent in alios principatum, & repreſſis improborum exceſſibus, ſocietatis humanæ fœdera ſub jucundæ tranquillitatis præſidio tuerentur. Non abnuimus fili Chariſſime, quin alicubi Domino permittente poteſtatis uſurpata præſumptio thronum aliquibus dederit principalem; ſed illa, quam præmiſimus, recta fuit occaſio, imo cauſa rectiſſima, quos natura pares produxerat, ſublimitatis faſtigio, & ſubjectionis obſequio diſcernendi, quæ diverſitas ſtatuum nihil habuit adverſum, ſi ſubjectus ſe meritis imparem, & prælatus natura ſe confitetur, & agnoſcit æqualem. Sic igitur ſucceſſivis temporibus propagata prælatio, ſplendore morum a patribus aquiſita, populorum populari aſſenſu, quem annoſa conſuetudo firmavit, in poſteros derivata, nobilitati laudabilem, & ab omnibus honorandam dedit originem, & eo prædotavit effectu, ut ex nobilibus naſcantur nobiles, & quod natura neſcierat, uſus hominum humano generi non mediocriter utile ſuperaddit. Quæ res divinæ gratiæ non præſcribit, quin parvis, & magnis, ſervis, & liberis pro ſuæ beneplacito voluntatis illabens nunc hos, nunc illos erigat, vel dejiciat, juxta ſui diſpoſitionem arbitrii, qui non fallitur, licet ejus arcana ratio nequeat ab hominibus comprehendi. - -

Fruſtra certas de conditione perſonæ, cui ſuam Dominus infundere poteſt gratiam, & infundit cum ſibi placuerit, quia non eſt perſonarum acceptor: ſed nec ei poſſet obeſſe originalis ſervitus, etſi de ipſa conſtaret, quam dignitas Epiſcopalis abſorbuit, & eliſit. Nec injuriam lateri tuo faciet pauper aſſidens a dextris, vel ſiniſtris, ſi non aſſidentis originem, ſed ſacerdotii dignitatem attenderis: ſi reminiſci volueris ſummi regis, qui commenſales, & ſocios, operiſque ſui vicarios, &, quod eſt amplius, coheredes in regno habere voluit pauperes piſcatores. Demum ſi ad tui culminis gloriam tuæ providentiæ direxeris aciem, quis, quæſumus, honor eſt tibi, excellentiæ tantæ, regem adverſus pauperem dimicare, ſtipulam ſiccam perſequi, & contra virum ſimplicem potentiam tuam oſtendere? Leones ſcimus contra vermiculos non armari, aquilas ad paſſeres non volare, & tu vir, atque Princeps magnificus tanta ſudabis inſtantia ad unius dejectionem Epiſcopi tui?

Quod objicis, date per omnia, quod ſit verum, imputare non potes, cum ſe ipſum non fecerit, nec parentes eligere ſibi nobiles potuit, nec peccavit, ſi illos habuit, quos Dominus ei dedit. - - Scire te volumus, quod illius inhærentes veſtigiis, quantum ſcimus, & poſſu-

x) RAYNALD. ad annum 1266.

y) Idem ibid.

poſſumus, qui defendens Chriſtos ſuos non reliquit eis nocere hominem, imo corripuit reges 1266.
pro eiſdem, omittere non poterimus, quin cauſam pauperis, qui relictus eſt Domino, proſe-
quamur. - - Datum Peruſii XII. Kal. Februarii.

His alias quoque litteras Clemens edjecit ed Stephanum, & Belam junio-
rem, quibus pacis leges Poſonii, ec in *Poroszló* ſancitas euctoritate ſua confirmari ſi-
gnificat, monetque; ut exſtinctis penitus diſſenſionibus patri morem gererent. Rex
monitis Papæ delinitus Timotheum non modo jure ſuo in Epiſcopatu frui libenter paſ-
ſus eſt, ſed multis præterea donis, & benevolentiæ ſignificatione excoluit.

Et regem firmatis pactorum tabulis placat.

Per idem tempus Bulgari vaſtata Servia, &, quæ cis Drevum eſt, Hunga-
ria, Jaurinum uſque procurrentes, urbem eam, quod præſidio deſtituta eſſet, cœ-
pere. Occurrit pro abſente patre Stephanus, victoſque prælio non ſolum regno cum
clade exegit, ſed ad obſequium etiam Hungariæ adduxit, unde Bulgarici nomen
Stephano inditum, quo titulo in litteris quoque publicis poſtea uſum fuiſſe con-
ſtat (z). Ex quo facile arguas, Bonfinium, ceteroſque domeſticos ſcriptores bel-
lum Bulgaricum male ad initia Stephani collocare, quod vivo patre confectum eſſe
perſpicuum eſt. Quamquam opinor non totam Bulgariam, ſed illius partem dumta-
xat in ditionem redactam, quod penes Swetislaum Bulgarorum Imperatorem ſerius
poſtea iſthic rerum ſummam fuiſſe ex publici inſtrumenti fide palam facturi ſimus.

Stephanus profligatis Bulgaris cognomentum Bulgarici obtinet.

Sub hæc Salomea Colomani Haliciæ regis, ac Belæ fratris conjux extremum
diem obiit. A mariti fato, ut elias narratum eſt, in Poloniam conceſſit, ac D. Cla- 1268.
re inſtitutum amplexa, duobus & triginta annis in ſumma euſteritate exactis, ſancti-
moniæ cum vixit ſama, eb obitu autem prodigiis inclaruit (*a*). Haud multo poſt
Clemens quoque Pontifex ultime Decembris rebus humanis exemtus eſt, ab cujus
exceſſu tres propemodum annos Romene ſedes vacabat (*b*). Hos altero abhinc 1270.
anno Bela quoque conſecutus ingenti Hungariæ luctu IV. idus Julii (*c*) in inſula
Leporum vitam cum morte commutarat, poſtquam annos regiminis triginta quinque
ſingulari cum laude compleſſet. Ex quo Bonfinium, ceteroſque domeſticos ſcripto-
res eberraſſe conſtat, qui vitam regis ad annum abhinc quintum citra omnem veriſi-
militudinem produxere. Funus ultima voluntate Strigonium delatum, ec in Eccle-
ſia Fratrum Minorum honorificentiſſimis exequiis conditum eſt: quod cum Philippus
Archi-Epiſcopus Strigonienſis exhumari, & ad Baſilicam Cathedralem præter fas
auferri juſſiſſet, delata ad ſummum Pontificem cauſa, priſtino ſepulcro ut cum hono-
re reſtitueret, imperatum fuit. Cui, ubi haud multo poſt tempore Mariæ quoque
Conjux, & Bela filius illati eſſent, hanc epigraphen ad poſterorum memoriam inci-
dere (*d*).

Bela ingenti Hungariæ luctu diem extremum obit.

Strigonii conditur.

Aſpice rem charam, tres cingunt Virginis aram,
Rex, Dux, Regina, quibus aſſint gaudia trina,
Dum licuit, tua dum viguit, rex Bela poteſtas,
Fraus latuit, pax firma fuit, regnavit honeſtas.

Quamquem, quæ de pace hoc loco dicuntur, conſtet non ſatis rite cum re-
bus geſtis congruere, qui externis, inteſtiniſque bellis crebro, & moleſte implici-
tus fuerit; tamen cetera, quibus ornatur, laudum encomia optimo jure illi tribui in
comperto eſt. Etenim ſi cui alteri regum, juvat uti encomio elegantis, ac politi
ſcriptoris (*e*), „Belæ certe IV. ſtatuam erigat Hungaria, & illam auream, perenne
„grati enimi monumentum. Perierat, ſi regem emiſiſſet Belam. Evaſtat illam fere
„triennio Tartarus, inque ſolitudinem redigit; reparat Bela, & novam de integro con-
„dit Hungariam. Suum in locum ſecra reponit, & profana, de utriſque longe pul-
„cherrime meritus rex: quin & Chriſtiana depulit regno arma. Auxit etiam popu-

Ejus encomium.

 „lo,

a) Timon in Epit. Chronol.
a) Longin. Hiſt. Polon. Lib. VII.
b) Ptolemoeus Luc. hiſt. Eccleſ Lib. 22.
c) Thurocz. habet *Nonis Maji.* Chron. Budenſe contra, *anno MCCLXX. quinto nonas Maji.*
d) Thurocz. Chron. cap. LXXVI. Conſentiunt vero in anno mortis Stern, Erphesfordensis Monachus, Sifridus, Chronicon MS. Claravallenſe in Auſtria, Longinus, aliique.

e) P. Ladislaus Thuroczy e S. J. in regibus Hungariæ p. 126.

„lo, & provincia Cumanorum. Vivit, ac moritur ſecundus undique Hungariæ fundator. Rex integerrimus juxta ac æquiſſimus, pater, frater, avus, ac patruus „plurium ſanctarum mulierum (*f*).

STEPHANVS V.

Stephanus a patris obitu conciliatis cum Polono fœderibus.

Stephanus, qui patri defuncto ſucceſſerat, regni initia a pietate auſpicatus eſt, cum ad luſtranda B. Stanislai Cracovienſis Epiſcopi limina in Poloniam concederet, ut Longinus, ſcriptor Polonus, memorat. (g) Ego, quamquam iter hoc pietatis cauſa ſuſcetum minime refrager, tamen haud imperite fortaſſis opinor, ad conciliandam quoque pacem adornatum. Ut enim ingenti pompa Stephanus a Boleslao Leviro acceptus eſt, continuo a ſoluta religione innovandis fœderibus initium factum. Hærebat Stephano Stiria nullo pene ſanguine amiſſa, neque cladis ad Moravam amnem acceptæ memoria penitus oblitterata erat: his de cauſis cum bellum adverſus Ottocarum appararet, Boleslaum in communionem armorum adſciſcere placuit. Neque is, quod Oppaviam nuper Bohemus ſibi per injuriam

f) Similia Stero habet. Libet ſeriem, & numerum prolium, de quibus dubium non ſit, attexere.

Bela iv. uxor Maria Theodori Laſcaris filia.

I. Stephanvs v. Ux. Eliſabetha, aut, ut aliis placet, Anna, genere Cumana. De prolibus ex hoc conjugio natis, poſtea dicendi locus erit.

II. Bela. Dalmat. Croat. Sclavon. Dux. Ux. Ottonis Brandeburgici Marchionis filia, Ottocari Bohemiæ regis neptis. Habueritne ex hac liberos, incertum eſt.

III. Michael, cujus Stephanus in litteris pactorum Poſonii initorum mentionem facit. Cælebsne, an Conjux fuerit, nuſpiam reperi.

IV. Cvnegvndis, aliis Kniga, Boleslao Pudico Cracovienſi, & Saudomirienſi Duci nupta.

V. Margareta, & Catharina in Dalmatia tempore irruptionis Tartarorum defunctæ.

VI. Margareta alia, Monialis S. Dominici, in inſula Leporum: ſanctimoniæ fama illuſtris.

VII. Elisabetha Henrico Bavariæ Duci nupta. Ex hoc conjugio ſequentes liberi procreati.

1. Henricus, aliis Joannes. 2. Ludovicus. 3. Stephanus. 4. Eliſabetha. 5. Catharina. 6. Otto, qui poſtea ad regnum Hungariæ evocatus fuit.

VIII. Anna Radislao, ut ſuſpicor, Haliciæ Duci collocata: ex qua Cunegundis genita, quam Ottocarus Bohemiæ rex uxorem accepit, repudiata Margareta Auſtriaca. Ex hac Cunegunde prodiere liberi.

1. Agnes Rudolfo Auſtriaco deſponſa. 2. Kunhuta, ſeu Cunegundis primum ordinis S. Claræ, tum per diſpenſationem Pontificiam Moſcoviæ Ducis uxor: eo defuncto inſtitutum S. Benedicti amplexa. 3. Wenceslaus. Qui ad regnum capeſſendum ab Hungaris invitatus, in ſui loco filium ſubſtituit.

IX. Agatha Conrado Maſſoviæ, & Cujaviæ Duci collocata, ut auctores ſunt Heningus, & Theodor. Raynaldus in animabus Illuſtr. De qua tamen vehementer dubito, quod Bzovius ex Pontificiis litteris eliciat Agnetem fuiſſe dictam, & habuiſſe filios Belam & Michaelem: quamquam hos quoque cum duobus Belæ IV. filiis ejuſdem nominis confuſos eſſe probabile ſit. De quo tamen, niſi Pontificiæ litteræ dubium tollant, nihil certi ſtatui poteſt.

X. Constantia. Leoni Ruſſiæ Duci nupta. Ex hac ſi Longino & Bollando fides, Leo & Romanus filii procreati.

XI. Jolesta, aliis Helena, Bollando auctore, Boleslai Pii Majoris Poloniæ Ducis uxor, quem Stephanus in litteris pacis cum Ottocaro initæ ad an. 1271. generum vocat, ſed id patet late accipiendum eſſe, & Progenerum dici debere.

XII. Sabina Comitis Palatini Moys conjux, ut ex quibuſdam diplomatibus Belæ iv. P. Ladislaus Thuroczius eruit. Cetera, quæ de prolibus Belæ regis circumferuntur, fere incerta ſunt, neque auctore coævo, nec fida publicorum inſtrumentorum nituntur.

riam eripuiſſet, gravate conſenſit, communes amicos, hoſteſque cum Hungaris ſe habiturum pollicitus.

Ictis fœderibus in Hungariam reverſus Stephanus opportunam auſpicando bello occaſionem nactus eſt. Aberat commodum Ottocarus, in Carinthia adverſus Philippum Salisburgenſem, qui provinciam ſibi armis aſſerere nitebatur, occupatus, quem cum per Stiriam in Auſtriam reditum apparare intellexiſſet, conflato ex Hungaris, & Cumanis exercitu, redeuntem per inſidias ad montem *Simeringum* occupare conſtituit, ſpe ductus, aut vivum in poteſtatem redactum, aut conſerto prælio profligatum iri. Verum Ottocarus, poſtquam Judenburgi de inſidiis per Neoſtadienſes cives edoctus fuiſſet, converſo itinere, qua parte minime putabatur, Auſtriam ſuperiorem ad Campililium incolumis tenuit (*h*). Stephanus ea re mirum in modum irritatus, quid quid inter Neoſtadium, & Viennam porrigitur, immani populatione percurſat, ſpoliisque onuſtus, ac magnum captivorum numerum ducens in Hungariam redit (*i*).

In Ottocarum movet.

Ut regni limites attigit, affertur illi nuncius Margaretam ſororem in inſula leporum obiiſſe. Erat Margareta a teneris inſtitutum D. Dominici inter Sanctimoniales profeſſa, virgo magnarum virtutum, & caſtimoniæ laude inſignis. Nuptias, quas Poloniæ Dux, tum Bohemiæ, ac Siciliæ reges certatim ambiebant, exaggerato animo repudiarat, cumque oratores importunis precibus virgini moleſti eſſent, diſerteque affirmarent, Pontificem, modo ne abnuat, ipſam eo voto liberaturum, reſpondit, ſe, ſi Pontifex huc conſilii ſe adduci pateretur, citra moram nares præciſuram, quo intempeſtivos hominum amores ſuo ſanguine exſtingueret. Haud multo poſt mortem tempore, cum ſepulcrale ſaxum ad reponendum marmor amoveretur, incredibilem fragantiam corpus exhalare compertum eſt, prodigiiſque illuſtratum (*k*).

Margaretæ ſororis mors, & ſanctimonia.

Reſarſit virginis jacturam Eliſabeta Stephani filia, quæ in eodem cœnobio, quod domicilium id temporis jure ex reginis conſtatum dici potuit, ſe penitus Deo dicarat. Ratam filiæ voluntatem rex habuit, & dotem, quam, ſi nupſiſſet, Eliſabethæ daturus erat, monaſterio donum dedit. Exſtant ea de re confectæ litteræ, quas, quia certam aditi a Stephano regni epocham ſtatuunt, quantum ad illuſtrandos annales neceſſe eſt, in medium proferre libuit (*l*).

Regis in filiam liberalitas.

Stephanus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque rex, univerſis Chriſti fidelibus præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in ſalutis largitore. Ut donationes perpetua ſoliditate ſolidentur, nec per quempiam ſucceſſorem poſſint revocari, vel irritari, litterarum ſolent teſtimonio communiri. Juſtius autem videtur, & dignius, quod maxime inconcuſſum permaneat, quod regia munificentia ſalutis cauſa duxit largiendum. Proinde ad univerſorum notitiam tenore præſentium volumus pervenire, quod nos pia, ac ſalubri conſideratione inducti, terras - - - cum - - inſula, pro qua quæſtionem moverat Laurentius Palatinus, filius Keme, quam, inveſtigata profundius veritate, comperimus pertinere ad magnam inſulam regiæ Majeſtatis, quas terras Lorandus, filius Marci de noſtra olim collatione, qui commiſſa infidelitate de noſtro aufugerat regno, - - - dedimus, donamus, & contulimus Monaſterio S. Mariæ de inſula leporum, ubi filia noſtra Chariſſima (m), ac aliæ ſorores, ordinis Prædicatorum Deo jugiter famulantes commorantur, perpetuo, & irrevocabiliter poſſidendas - - -. Item in Comitatu - - terram - - ſimiliter donavimus, dedimus, & contulimus monaſterio ſupra dicto, perpetuo,

Diplomate confirmata; ex quo certus aditi regni annus eruitur.

&

g) Longinus Hiſt. Polon. Lib. VII.

h) Chronicon Clauſtro Neoburg. ad an. 1270. Idem Hagenus in Chron. vernaculo. *Dornach chomen mer Zeitungen chunig Ottakern, wie die Ungern in Oeſterich ſein gezogen. Der Chunig kam gen Judenburch: den entpoten die Newnſteter, das Chunig Stepfan von Ungern bey dem Semerink auf ihn wortet. Darum Chunig Otoker wayt fur Lienveld gen Mawrkerch.* - -

i) Chron. Clauſt. Neoburg. ad eundem annum.

k) Surius Tom. VII. die 15. Junii.

l) Ex MC. P. Heveneſſy e S. J.

m) Quamquam nomen diſerte non exprimat, colligitur tamen ex diplom. Ladiſlai, Stephani hujus filii, de an. MCCLXXX. ubi inter cetera ſic ait: *Ad univerſorum notitiam tenore præſentium volumus pervenire, quod Domina Eliſabeth chariſſima ſoror noſtra* - - Et infra: *ipſi Dominæ Eliſabeth, ceteriſque ſororibus in inſula virginis glorioſæ commorantibus.* - - Quo loco inſula leporum dicitur B. Virginis, poſtea quoque inſula Margaretæ dicta.

1270.

& irrevocabiliter poſſidendas. In cujus rei memoriam, & perpetuam firmitatem præſentes dedimus litteras duplicis ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum per manus Magiſtri (n) *Benedicti, Præpoſiti Eccleſiæ Orodienſis, aulæ noſtræ vice Cancellarii, dilecti, & fidelis noſtri. Anno Domini MCCLXX. Regni autem noſtri anno primo.* Ex quibus ſcriptorum noſtrorum error facile refelli poteſt, qui Belæ IV. ætatem ad annum MCCLXXV, plerumque adducunt, cum tamen Stephanum jam biennio antea defunctum pro ex-

1271. plorato habeatur.

Inſtaurato in Ottocarum bello.

Bellum, quod ſuperiore anno in Ottocarum cœptum erat, majoribus viribus, hoc anno reſumtum eſt, undequaque felix, ſi exitus principio reſpondiſſet. Prius quam arma expediret Stephanus, quo Ottocari vires diſtraherentur, cum Philippo electo quondam Salisburgenſi in has conditiones fœdus pepigerat: Archi Epiſcopus Carinthiam invaderet, daturum ſe ſuppetias bonam Cumanorum partem, quorum opera pro ſuo arbitratu uti poſſet: ipſe Moraviam ſibi deſignabat, in quam, cum primum Bohemus Carinthiæ auxilio properaret, incurſurus erat. Hæc non imprudente prorſus Ottocaro geſta; qui, quo animo Stephanus in ſe eſſet, quamquam ex populata priore anno Auſtria non obſcure conjiceret, tamen minime providebat, bello initium in Carinthia futurum. Itaque, ut primum iſthic Philippum arma circumferre comperit, properatis itineribus per Stiriam in Salisburgenſem movet. Abhinc Stephanus nihil moræ interponendum ratus, cum exercitu, ut conventum erat, Moraviam infeſtis ſignis ingreditur, & cædibus ac incendiis per totam late provinciam graſſatus, bene longo tempore conſedit, quo aut Bohemos petere, aut Ottocarum ex Carinthia in Moraviam reflectere poſſet (*o*).

Bohemus Hungariam infeſtat.

Hæc inter Ottocarus ejecto e Carinthia Philippo in Auſtriam redierat, auditoque, quam acerbe Hungari in Moravia graſſarentur, Stephanum per nuncios orat, ut fœderum memor ab injuriis abſtineret, alioquin, ſi porro ſuis infeſtus eſſe pergeret, armis obtenturum, quod per amicitiam impetrare nequiviſſet. Sed hæc cum fruſtra eſſent, contractis, quanta celeritate potuit, ex Auſtria, Bohemia, ac Brandeburgia copiis ſecundo Danubio, omiſſa præter omnium opinionem Moravia, in Hungariam devectus ad Poſonium infeſtis ſignis conſtitit. Urbs continuo obſeſſa, & verberatis aliquot dies mænibus nocturno tempore capta miſerum in modum conflagravit, *ita quod Cives* (ut ſcribit Chronicon Leobienſe) *& uxores, ac filiæ earum, & aliæ mulieres vix acceptis palliis, quædam camiſiis, aliæ vero peplis, vel quidquid præ manibus invenire poterant, quædam vero nihil, omnes ſic ad domum fratrum Minorum confugerunt, & nudæ ſuper ſtramine tota die ſederunt* (*p*). Tum ad oppugnandam arcem, in quam theſauros Belam condidiſſe intellexerat, converſus, dejectis brevi per aſſultum præſidiariis loco & theſauris potitur. Inde cum victore exercitu porro progreſſus, Fanum S. Gregorii, Baſinium, Biberſburgam, & Tyrnaviam uno impetu capit, & relecto celeriter itinere, trajectoque Danubio Ovarinum ſub ſuam poteſtatem redigit, uno victoriæ impetu, & calore Jaurinum delatus: ubi, aut a ſocru femineis lamentis exoratus, ne vaſtationem porro inferret, aut, quod Bonfinius ſcribit (*q*), a Stephano repreſſus eſt (*r*). Quamquam Chronographus temporibus illis ſuppar (*ſ*), mutato non nihil ordine, poſtquam, qua ratione Jaurinum verſus contende-

Hujus victoriæ, & progreſſionei.

rit

n) Eſt mihi ad manum diploma in MSS. Huſztianis, per eundem vice Cancellarium emiſſum, cujus initium: *Stephanus Dei gratia junior rex Hungariæ, Dux Tranſylvaniæ, Dominus Cumanorum -- datum -- anno Domini MCCLXXIII.* Sed error manifeſtus in anno eſt. Credo doctum ceteroquin virum, numerum V. oſcitantia aliqua in X. commutaſſe, alioquin legendum eſt, MCCLXVIII. quo anno junior rex Hungariæ vivo Bela fuit.

o) HANTALLERVS in faſtis Campililienſ. Parte II. pag. 1055.

p) Apud Cl. PEZIVM Tom. I. ſcript. rer. Auſtr.

q) Dec. II. Lib. VII.

r) STERO in annal. ad annum 1271. „Otakerus rex Bohemiæ congregato valido exercitu „infra octavam Paſchæ invaſit Ungariam, & „devictis munitiſſimis caſtris videlicet Preſ„burg, & Altenberch, & Tyrnau, & caſtro „S. Georgii & aliis pluribus munitionibus cap„tis & devictis, circa feſtum Pentecoſtes pro„pter conſumptionem victualium reverti cogi„tur in Boemiam --- Tandem circa ſolſliti„um æſtivale per Epiſcopos, & religioſos vi„ros Deum timentes ad inopinatam & ſubitam „pacis concordiam redierunt.

ſ) Inter MSS. Chronica Zwetlenſia, quod ad annum 1330. pertingit. Itaque auctor illius partim Synchronus, partim ſuppar cenſeri poteſt.

rit memoraſſet, rem his verbis exſequitur: *Epiſcopum etiam Gerrimum in proprio caſtro ceperunt, & civitatem potenti manu obtinuerunt, ipſum quoque Epiſcopum in vinculis ſuis diu captivum detinuerunt. Non multo poſt Nitrienſem Epiſcopatum deſtruxerunt, & combuſſerunt: viros & mulieres, qui ad Eccleſiam confugerant, trucidabant, pueros autem in cunis jacentes, Bohemi per pedes arripiebant, & eos ad columnas lapideas Eccleſiæ collidebant.*

Sed id utcunque ſit, jacturæ acceptæ, illatæque utrumque regem ad pacis conſilium amplectendum brevi compulere. Ferunt in inſula, quæ infra Poſonium medio Danubio ampliſſime porrigitur, conſtitutum fuiſſe colloquio diem (*t*), ubi Procerum Hungarorum, ac Bohemorum opera de fœderum conditionibus tranſactum ſit, quibus confectis bona utrinque fide, & redintegrata amicitia Stephanus Poſonium, Ottocarus Pragam conceſſere. Tabulas tamen aliquanto ſerius poſtea vulgatas conſtat. Et Ottocari quidem hujus modi fuere (*u*).

De pace ineunda utrinque agitur.

Ottogarus Dei gratia rex Bohemiæ, Dux Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, Marchioque Moraviæ, Dominus Carnioliæ, Marchiæ, Ægræ, & portus Naonis, univerſis præſentium notitiam habituris ſalutem in ſalutis auctore. Noverint univerſi, quod poſt longa guerrarum diſcrimina, quæ inter Dominum Stephanum regem Hungariæ illuſtrem, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, & Bulgariæ, Ducem Sclavoniæ, chariſſimum cognatum noſtrum ex una parte, & nos ex altera ſulcitata fuerant, ſuggerendo humani generis inimico, cum nos pro votivæ pacis puritate reformanda dilectos fideles noſtros, Dominos Brunonem venerabilem Epiſcopum Olomucenſem, fratrem Hartpinum, Miniſtrum ordinis fratrum Minorum per Auſtriam, Hertlibum Camerarium, Buchulchonem Marſchalum, Nezan, Izlonem, Pincernam Moraviæ, Barones regni noſtri miſiſſemus, dato eiſdem pleno, ſufficienti, & Legati mandato, ut convenientes cum Prælatis, & Baronibus regni Hungariæ Domino Paulo venerabili Epiſcopo Veſprimienſi, Ægidio ſummo Camererio, Rolando Bano, & Magiſtro Benedicto, Præpoſito Orodienſi, vice Cancellario, a prædicto rege Hungariæ ſimiliter cum pleno mandato deſtinatis, tractare, ordinare, & diffinire poſſent omnia ad reformationem pacis facientia, quæ nos ipſi, ſi præſentialiter cum ipſo rege Hungariæ conveniſſemus, ordinare, & definire poſſemus, pro noſtri quiete animi, & noſtrorum tranquillitate ſubjectorum. Iidem Barones noſtri conſiderantes cum prædictis Baronibus Hungariæ, ordinaverint, & aſſumpſerunt juxta mandati traditi ſibi formam, ut de cetero perpetua pax inter regem Hungariæ, ac nos debeat obſervari, nec eidem regi, vel ſuis turbationes, vel moleſtias inferremus, vel inferri per noſtros pateremur, includentes eidem paci, & eadem volentes, regnum noſtrum Bohemiæ, terraſque noſtras, Auſtriam, Styriam, Carinthiam, Moraviam, Carnioliam, Marchiam, Ægram, & portum Naonis cum omnibus attinentiis eorundem, ſecundum ſigna, diſtinctiones, & metas antiquas, prout etiam progenitores noſtri, reges Bohemiæ, & Marchiones Moraviæ, nec non Anteceſſores noſtri, Duces Auſtriæ, Styriæ, & Carinthiæ, Domini Carnioliæ, Marchiæ, Ægræ, & portus Naonis uſque tempus vitæ Domini Belæ inclytæ recordationis patris dicti Domini Stephani regis Hungariæ poſſederunt, & tenuerunt. Verum ſi termini hinc inde fuiſſent avulſi, vel mutati, venerabiles patres, Dominus Archi Epiſcopus Strigonienſis, & Epiſcopus Olomucenſis, Deum, & juſtitiam habentes præ oculis, ſuper ipſis terminis, & limitibus cognoſcent, & id, quod legitime definiverint, per cenſuram Eccleſiaſticam partes faciant obſervare; hoc adjecto; ut occaſione terminorum, ſeu limitum, de quibus dicti Archi Epiſcopus, & Epiſcopus cognoſcent, pacis puritas inter regem Hungariæ, & nos non turbabitur, nec nos cum eodem rege relabemur in guerrarum diſcrimina recidiva.

His conditionibus tandem conciliata: primum, ut perpetua ſit.

Pace igitur hujuſmodi inter ipſum regem, & nos reformata, & cautionibus tam litterarum, quam juris jurandi religione firmata, & eodem robore ſubſiſtere valeat firmiori, infra terminum inter illuſtrem regem Hungariæ, & nos ſtatuendum, ſeu moderandum pro pacis multiplici firmitate eidem regi Hungariæ dari procurabimus, & faciemus litteras Magnificorum virorum, Domini Henrici Miſnenſis, & Domini Othonis Brandeburgenſis inclytorum

Deinde fidejuſſores utrinque conſtituantur.

t) Chron. MS. Claravall. ad annum 1270. „Hoc anno Otakerus rex Bohemiæ & dux Auſtriæ colloquium in inſula ſita infra Preſpurch „-- cum Ungarorum rege Stephano celebravit, „ibidem perpetuam pacis concordiam, & ſinceram amicitiam ſigillis, & privilegiis ſub forma juramenti coram Epiſcopis, Prælatis, Baronibus ex utraque parte aſſiſtentibus confirmantes.

u) RAYNALD ad an. 1271. & Bohus. Balb. Miſcell. Dec. I. Lib. VIII. pag. 17.

rum Marchionum cognatorum, & amicorum noſtrorum præſenti paci ex parte noſtra incluſorum: ſuper eo, quod iidem paci, conventioni, ſeu compoſitioni, nunc factis per nos, & Barones adhibebunt conſenſum, conniventiam, & apitulationem commodam, inviolabiliter obſervandis, eo expreſſum cauto, tam in litteris Marchionis Henrici Miſenenſis, quam Domini Othonis, Marchionis Brandeburgenſis prædictorum, ut, ſi nos pacem contingat, quod abſit, infringere, vel turbare, ex tunc iidem Marchiones nobis non aſſiſtent auxilio, conſilio, vel favore, ſed ſe a nobis penitus ſeparabunt, rex autem Hungariæ ſub eadem, ſeu conſimili forma nobis dari faciet litteras magnifici Domini Caroli, illuſtris regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, & Comitis Folcalquerii, nec non litteras Domini Henrici inclyti Ducis Bavariæ, & amicorum ſuorum ſub ea forma, ut ſi rex Hungariæ aliquid contra pacem fecerit, vel attentaverit, violando, ſeu infringendo eandem, ex tunc iidem rex, & Dux a ſocietate, & amicitia regis Hungariæ ſe penitus retrahentes, eidem contra nos non impertientur conſilium, auxilium, & favorem, & hoc expreſſum continebitur in eorundem regis, & ducis patentibus litteris, ſigillis eorum authenticis pendentibus conſignatis, quæ ut dictum eſt, infra terminum per Dominum regem Hungariæ, & nos moderandum nobis debent ſimiliter aſſignari.

Lites oborituras arbitri cognoſcant, ſi graviores ſint.

Promittimus, & aſſumimus, ut ſi aliqua temporum proceſſibus ſucceſſivis contingeret ſuboriri hinc inde, quæ turbare poſſent pacis, & concordiæ unionem, pace eadem nunc facta in ſuo robore permanente, ſuper gravioribus, quæ ex parte omnium noſtrorum contra homines regis Hungariæ attentata fuerint, ſive facta, Epiſcopus Olomucenſis tam ex ordinaria juris dictione, quam ex ipſius juriſdictionis in eos, qui eidem Epiſcopo ſubjecti non ſunt, prorogatione nunc facta, cognoſcet, &, quæ judiciaria maturitate ſervata, invenerit perperam attentata, ſeu facta in præjudicium regis Hungariæ, & hominum ſuorum, prolata definitiva ſententia reformabit, poſtquam de cauſæ meritis cognoverit, ut eſt juris; & quod definiverit, per cenſuram Eccleſiaſticam faciet obſervari, cum ipſius regis Hungariæ, & noſtri Barones ordinaverint juxta traditam ſibi formam, & ipſe rex Hungariæ, ac nos aſſumpſerimus, approbaverimus, & emologaverimus præmiſſa omnia & ſingula ſpontanea voluntate.

Si vero aliqua graviora per homines regis Hungariæ, vel Barones ejuſdem attentata fuerint, ſive facta, per quæ nobis, & hominibus regni, terrarumque noſtrarum poſſet præjudicium generari, ſuper iis venerabiles patres, Dominus Philippus Strigonienſis Archi Epiſcopus ex ordinaria juriſdictione, quam omnes Barones, & homines regni Hungariæ in ſe prorogaverunt, cognoſcet juxta formam articuli proxime expreſſi, & quod diffinierit, executioni mandabit, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam diſtrictius compeſcendo. Et in hujuſmodi cognitionibus cauſarum procedent iidem Archi Epiſcopus, & Epiſcopus, Deum & juſtitiam habentes præ oculis, poſtpoſitis gratia, timore, odio, & favore. Iidem quoque Archi Epiſcopus, & Epiſcopus in perſonam regis Hungariæ, atque noſtram ſinguli ſingillatim promulgandi excommunicationis ſententiam, plenam habeant facultatem, cum ipſe, & nos in præmiſſis ſubjecerimus perſonas noſtras juriſdictionibus eorundem.

Sin minores, ſingillatim Judices dentur, qui pronuncient.

In minoribus vero cauſis, quæ hinc inde inter ipſius regis & noſtros homines emerſerint circa confinia Moraviæ duo ex parte ipſius regis Hungariæ, videlicet Comes Poſonienſis, & Comes Nitrienſis, ex parte noſtra Camerarius Moraviæ, & Purchgravius de Brunove: circa confinia Auſtriæ ex parte regis Hungariæ Comites Supronienſis, & Muſunienſis, ex parte noſtra Caſtelanus de Haſelove, & Caſtelanus novæ Civitatis, judices provinciales: circa confinia Styriæ; ex parte regis Hungariæ Comites caſtri ferrei, & de Zala, ex parte noſtra Capitaneus, & Notarius Styriæ: circa confinia Carinthiæ, Carnioliæ, Marchiæ, ex parte regis Hungariæ Banus totius Sclavoniæ, ex parte noſtra Capitaneus Carinthiæ, & Carnioliæ deputabuntur; qui querelantibus hinc inde juſtitiæ facient complementum, & id quod fecerint, tam ipſius regis Hungariæ, quam noſtra auctoritate facient obſervari. Quod ſi aliqui ex ipſis fuerint defuncti, ſucceſſores ipſorum dignitatis hæreditarii, vel per alterutrum regem ſubſtituti, fungentur vice, & partibus eorundem.

Pœna in fœderum violatores ſtatutæ.

Item ſi inter amicos regis Hungariæ, & noſtros aliqua fuerit diſcordia ſuſcitata, pro cauſa hujuſmodi contra pacem promittimus non venire, ſed diſcordantes ſtudebimus, ſi poterimus ad pacem, & concordiam revocare, alioquin cauſa inter ipſos diſcordantes exorta, Archi Epiſcoporum, & Epiſcoporum judicio, vel ordinationi relinquetur; quam ipſi recipient, & eidem parebunt, ſeu ſtabunt. Quod ſi amici noſtri hæc renuerint adimplere, nullum conſilium,

lium, & auxilium eiſdem impendemus contra regem Hungariæ ſupra dictum. Si vero, quod abſit, rex Hungariæ pacis violator ex quavis cauſa, propria, vel amicorum ſuorum, & hominum regni ſui inventus fuerit, vel turbator, ipſo facto incidet in ſententiam excommunicationis, quam ex nunc venerabiles patres Archi Epicopi Strigonienſis, & Colocenſis, eorumque ſuffraganei Epiſcopi Hungariæ tulerint in ſcriptis ſolenniter; & quod eadem ſententia teneat, & aſtringat violatorem pacis, & concordiæ, cum effectu ipſe rex Hungariæ ſubjecit ſe juriſdictioni ipſorum Archi Epiſcoporum, & Epiſcoporum non obſtantibus aliquibus litteris, indulgentiis, ſeu privilegiis a ſede Apoſtolica impetratis, vel in poſterum impetrandis.

Præterea, ut multiplicatus funiculus pacem faciat pleniorem; venerabiles patres, Salzburgenſis, Patavienſis, Friſingenſis, Ratisbonenſis, Pragenſis, Olomucenſis, & Seccovienſis Epiſcopi, regni, terrarumque noſtrarum juraverunt, quantum in eis eſt, pacem præſentem inter ipſum regem, & nos ordinatam tenere, ac ſervare, & nos inducere juxta promiſſionis a ſe factæ formam, ad eandem mutuo obſervandam, & tenendum ea, quæ in præſentiarum promiſimus, & promittimus, ſpopondimus, & ſpondemus, ſicut in ipſorum litteris plenius continetur. Promiſerunt etiam per idem juramentum, & promittunt, quod ſi nos, quod abſit, pacem infringere contingeret, vel ea, quæ in præſens placitum ſunt deducta, violare; iidem, Salzburgenſis electus Eccleſiæ, & Epiſcopi nominati, regnique noſtri Barones nos deſerent, & regi Hungariæ adhærebunt ex debito præſtiti juramenti. Verum ſi regem Hungariæ pacem, vel ea, quæ in placitum devenerunt, infringere contigerit, vel turbare, Archi Epiſcopi, & Epiſcopi regni ſui, & Barones, ac Comites iidem juxta formam præſentis compoſitionis, & ordinationis eum deſerent, & nobis adhærebunt ſimiliter ex debito præſtiti juramenti, ſicut in ipſorum patentibus litteris continetur. Item electus Salzeburgenſis, & Venerabiles patres, Patavienſis, Friſingenſis, Ratisbonenſis, Pragenſis, Olomucenſis, Seccovienſis Epiſcopi, de noſtra, & Baronum noſtrorum voluntate ex nunc ſententiam excommunicationis promulgarunt, quam ſi nos, quod abſit, pacem tranſgredi contigerit, ipſo facto incurremus, & nihilominus iidem, electus, & Epiſcopi totum regnum, terraſque noſtras Eccleſiaſtico ſubjicient in ſuis diœceſibus interdicto, non obſtantibus litteris, ſeu indulgentiis impetratis, vel in poſterum impetrandis. Archi Epiſcopus etiam Strigonienſis, qui ordinarius regis Hungariæ exiſtit, & Archi Epiſcopus Colocenſis, ipſius Cancellarius, ac ſuffraganei, ac eorundem Prælati regni Hungariæ conſimilem excommunicationis ſententiam in ſcriptis ſolemniter tulerunt, quam ipſe rex Hungariæ ipſo facto incurret, ſi tranſgreſſor pacis exiſteret, vel turbator. Et ſi in hac parte Archi Epiſcopi, & Epiſcopi prædicti tam regnorum regni Hungariæ, quam regni noſtri, & terrarum noſtrarum negligentes in exſequendis præmiſſis exſtiterint, vel remiſſi, punientur a Dominis Cardinalibus, quorum juriſdictioni ſe in hac parte ſubjecerunt, tamquam juramenti præſtiti tranſgreſſores.

Stephanus renuntiat juribus in Ducatum Styriæ, & Carinthiæ

Inſuper Dominus Stephanus rex Hungariæ renunciavit omni juri, & actioni, quod, & quæ ſibi videbuntur competere, ſeu etiam competebant, in Ducatibus Styriæ, Carinthiæ, & Dominio Carnioliæ, Marchiæ, nullam de cetero, ſuo, vel hæredum ſuorum nomine contra nos, & hæredes noſtros ſuper illis moturus materiam quæſtionis. Renunciavit etiam rex Stephanus Hungariæ ſæpe dictus, juri, & actioni ſibi, & ſuis hæredibus competentibus de inſigniis regalibus, corona videlicet, gladio, monili, ſella, ſcutellis, & aliis clenodiis, ac theſauro delatis per Dominam Annam ſocrum noſtram in regnum Bohemiæ (x).

Fœderum utrinque ſocii.

Item prædictæ ordinationi, & paci includi volumus, & includimus, excellentes dominos, & illuſtres, regem Hiſpaniæ, regem Angliæ, Dominum Richardum, fratrem regis Angliæ, electum in Imperatorem Romanorum, cum filiis eorundem; venerabiles patres, dominos Archi Epiſcopum Moguntinum, cum ſuis ſuffraganeis, Archi Epiſcopum Magdeburgenſem cum ſuis ſuffraganeis; Archi Epiſcopum Salzburgenſem cum ſuis ſuffraganeis; Dominum Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, dominum Henricum Miſenenſem, Dominum Ducem Saxoniæ cum fratribus, & filiis ſuis, Ducem Brunſwicenſem, & fratrem ſuum, Dominum Ducem Brabantiæ, Dominum Ducem de Lympurch, Dominum Albertum Landgravium Turingiæ, Dominum Theodoricum Marchionem de Landſperg, Dominum Othonem Marchionem de Brandburg cum fratribus ſuis, chariſſimis avunculis noſtris, filiolis, Domini Joannis Marchionis, videlicet Dominum Joannem Marchionem Brandburgenſem cum fratribus, & filiis ſuis, Dominum Woleslaum Ducem Sileſiæ cum pueris ſuis, Dominum Henricum filium Ducis Henrici de Wratislavia, Dominum

x) Hinc patet Bohemos ſcriptores, & Belium, ut alias notavi, non recte ſentire, dum Conſtantiam Ottocari ſocrum fuiſſe ſcribunt.

num Lezkonem, & fratrem ejus, Ducem Cujaviæ, alioſque fideles, fautores, & familiares noſtros cum filiis omnibus, terris, regnis, Ducatibus, juribus ac poſſeſſionibus eorundem.

Conventiones Romano judicio confirmandas eſſe.

Inſuper promiſimus, & promittimus juxta ipſorum Baronum noſtrorum ordinationem, quod a Dominis Cardinalibus, vacante nunc ſede Apoſtolica, obtinebimus tranſmiſſis noſtris nunciis confirmationem pacis nunc factæ: hoc adjecto, quod ipſius regis Hungariæ, & noſtri nuncii circa feſtum S. Michaelis nunc venturum iter arripient, & in feſto omnium ſanctorum proxime ſubſequenti ſe dominorum Cardinalium conſpectui præſentabunt, & confirmationem noſtris ſumtibus, & expenſis obtentam faciemus ipſi regi Hungariæ aſſignari.

Item etiam rex per ſuos proprios nuncios impetrabit conſimiles confirmationis litteras ſuis expenſis, & ſumtibus nobis dandas. Creato vero Papa confirmationem eandem ſub ſimili viciſſitudine alterutri noſtrum dandam faciemus largiente Domino impetrari; damna autem illata, hinc inde compenſatione mutua ſunt ſublata juxta ordinationem ſæpius memoratam. Ut igitur præmiſſa, & ſingula inviolabiliter obſerventur, nec ſucceſſivorum temporum mutatione infringi valeant, vel aliqualiter vacillare, juravimus, & juramus tactis corporaliter ſacro ſanctis Evangeliis, multorum ſanctorum reliquiis, & vivificæ Crucis ligno: adjicientes, ut transgreſſor præmiſſorum præter infamiæ notam, quam transgreſſione juramenti incurret, divinæ acrimoniam ſentiat ultionis, & cum Chore, Dathan, & Abiron recipiat portionem, Dei omnipotentis, & glorioſiſſimæ Virginis, & ſanctorum omnium ſuffragiis deſtitutus. In cujus rei teſtimonium ad perpetuam memoriam, ac munimen præſentes conceſſimus litteras duplicis ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum, & actum Pragæ, anno Domini MCCLXXI. coronationis noſtræ anno X. ſecundo Idus Julii.

Stephanus viciſſim pacis tabulas conficit.

Hactenus Ottocari litteræ, quæ & geſti belli annum, & pacis condiciones utrinque ſancitas magno hiſtoriæ patriæ commodo complectuntur. In eandem fere ſententiam Stephanus tabulas confecit, regna omnia, ac provincias, quæ ſibi obnoxiæ erant ſolenni verborum forma fœderibus inſerens (y). „Includentes, (inquit) „eidem paci, & eadem vallantes regna noſtra, videlicet Hungariam Dalmatiam, „Croatiam, Ramam, Serviam, Galliciam, Lodomeriam, Comaniam, Bulgariam, „totumque Ducatum Sclavoniæ, cum omnibus attinentiis eorundem ſecundum ſigna, „diſtinctiones, & metas antiquas, prout etiam progenitores noſtri, & anteceſſores „reges Hungariæ uſque tempus vitæ Domini Belæ, glorioſæ memoriæ patris noſtri, poſſe„derunt, & tenuerunt. Verum ſi termini hinc inde fuiſſent avulſi, vel mutati, venerabiles „patres, Dominus Archi-Epiſcopus Strigonienſis, & Epiſcopus Olomucenſis, Deum, „& juſtitiam habentes præ oculis, ſuper ipſius terminis, & limitibus cognoſcent, „& id, quod legitime diffiniverunt, per cenſuram Eccleſiaſticam partes facient „obſervare - -. Item Archi-Epiſcopus Strigonienſis, qui ordinarius noſter exiſtit, „& Archi-Epiſcopus Colocenſis, aulæ noſtræ Cancellarius, & ſuffraganei eorun„dem, ex Baronum noſtrorum voluntate ex nunc ſententiam excommunicationis „promulgaverunt, quam ſi nos, quod abſit, pacem tranſgredi contigerit, ipſo fa„cto incurremus, & nihilominus iidem Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi totum regnum „noſtrum Eccleſiaſtico ſubjicient in ſuis Dioeceſibus interdicto, non obſtantibus lit„teris, ſeu indulgentiis impetratis, vel in poſterum impetrandis. Electus etiam „Salzburgenſis, & venerabiles patres, Patavienſis, Friſingenſis (z), & alii Præla„ti regni, & terrarum ſuarum conſimilem excommunicationis ſententiam in ſcriptis „ſolenniter tulerunt, quam ipſe rex Bohemiæ ipſo facto incurret, ſi tranſgreſſor pa„cis exſtiterit, vel turbator. Et ſi in hac parte Archi-Epiſcopi & Epiſcopi præ„dicti tam regnorum noſtrorum, quam ſuorum negligentes in exſequendis præmiſſis „exſtiterint, vel remiſſi, punientur a Dominis Cardinalibus, quorum juris dictioni „ſe in hac parte ſubjecerunt, tanquam juramenti præſtiti transgreſſores - - -.

„Item renuntiamus juri, & actioni, quod, & quæ videbantur nobis com„petere, ſeu etiam competebant in Ducatibus Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, & „Marchiæ, nullam de cetero vel hæredum noſtrorum nomine, contra ipſum regem, „& ſuos hæredes moturi materiam quæſtionis. Renuntiamus inſuper juri, & actioni „nobis, & noſtris hæredibus competentibus, de inſigniis regalibus, corona videli-

„cet,

y) RAYNALD. ad annum 1271.

z) Exemplar habet: *Wiſingenſis*, ſed ex litteris prioribus Ottocari liquet ſubſtituendum: *Friſingenſis*.

„cet, gladio, monili, ſella, ſcutellis, & aliis clenodiis, ac theſauro, delatis per „Dominam Annam in regnum Bohemorum (*a*). Item prædictæ ordinationi, & pa„ci includi volumus, & includimus excellentes Dominos, Philippum Francorum, „& Carolum Siciliæ reges illoſtres, Carolum juniorem primogenitum ipſius regis „Caroli, generum noſtrum, Michaelem Angelum Palæologum Imperatorem Græ„corum, Andronicum Juniorem Imperatorem Græcorum, generum noſtrum, Bouſ„laum Cracoviæ, & Lodomeriæ, Boislaum majoris Poloniæ, Henricum Bavariæ „inclytos Duces generos noſtros: Belam Ducem de Machow, & de Boſna, fratrem „noſtrum, Uroſium regem Serviæ, & Stephanum filium ejus, juniorem regem Ser„viæ generum noſtrum, Suetislaum Imperatorem Bulgarorum, & Leonem generum „noſtrum Ruthenorum Ducem, Mitislaum fratrem ejusdem, & Wezulem filium Wazulæ „duces Ruthenorum, aliosque fideles, fautores & familiares noſtros cum filiis omnibus, „terris, regnis, ducatibus, juribus, ac poſſeſſionibus eorundem. -- Datum, & actum „in caſtris apud Poſonium anno Domini MCCLXXI. regni noſtri anno ſecundo V. „Nonis Julii. „ Hunc in modum pax jure jurando utrinque firmata, &, quoad Stephanus vixit, nullis diſſenſionibus interrupta coaluit. Totne autem filiæ Stephano fuerint, quot generos in litteris exprimit, haud ſatis exactum eſſe puto. Etenim Cracovienſi, tum majoris Poloniæ, ac Bavariæ Ducibus, denique Leoni Rutheno ſorores Stephani collocatas fuiſſe conſtat, ut adeo progeneros dici oportuiſſe perſpicuum ſit. Stephanum autem Uroſii Serviæ regis filium inter generos locum habere, & ob ætatis, & temporum rationem facile patior, quæ vero filia, aut cujus nominis illi nuptui data ſit, prorſus incompertum eſt. Illud certum; Mariam anno priore Carolo Siciliæ regis filio traditam eſſe, ex qua Carolus Martellus ex hoc ejuſdem nominis Robertus poſtea ſublati, qui exſtincto Andrea III, perruptis obſtaculis Hungariæ poſſeſſionem adierat, ut, cum nos rerum ordo monuerit, referemus. 1272.

Ceterum Andronicum Michaelis Palæologi filium conſtat ex Pachymere, ſcriptore Græco, nondum Stephani generum fuiſſe, verum ambitam priore anno ſponſam, ſequente demum in manus Cæſari conveniſſe. Juvat rem, quemadmodum confecta ſit, ipſius verbis referre. „Quoniam vero (ſcribit) jam in virum adoleverat filius Imperato„ris Andronicus, quem is, ut primogenitum, ſibi principatus ſucceſſorem deſtina„bat, eique propterea idoneam jam nunc conjugem expediebat jungere, circumſpicie„bat Auguſtus, ubi ad id aptam inveniret. Ac ne talem in Italia quæreret, prohibebat „præſens ibi ſtatus rerum. Regnabat in Apulia, hoc eſt, in parte, Italiæ orientali „obverſa, imperio Carolus, palam, & irrevocabiliter Conſtantinopolitanis infen„ſus, ob ereptam Latinis urbem, ejectumque inde Balduinum, qui cum ipſi affini„tatis fœdus erat, Legatis Romanis, ſi forte in ulteriorem mitterentur Italiam, „filiæ cujuſdam illic imperitantium Auguſti filio poſcendæ, per -- infeſtos Romano „nomini terrarum, mariumque tractus, iter, ut neceſſarium, ita minime tutum fo„re. Jam enim Manfredo æmulo perculſo, abjectoque victor Carolus, frater regis „Franciæ ex Conto, qualis prius vocabatur, regium magnifice nomen aſſum„ſerat, ampla ea mercede ab Eccleſia remuneratus ob navatam ei fidelem, & feli„cem operam in Manfredi defectione ulciſcenda, ipſoque rebelli profligando. Hæc „reputatis Imperator animum, & ſpes vertit in Pannoniam, eoque Legatos decrevit „mittere. Rex ibi dominabatur partem Romani generis ex matre trahens, ſenioris „Laſcaris filia. Huic enim apud nos imperantis tres tantummodò filiæ fuerunt, qua„rum una regi nupta Pannoniæ, ipſius filii nunc regnantis genitrix exſtitit, altera „Joanni viro imperium a ſocero tranſmiſſum ſecum attulit, tertia denique Eudocia „magno apud urbem Domino elocata eſt. Ex prima ortus, qui nunc regnat in Pan„nonia, filius, & hæres regis patris, uxorem e Cumanis captivam olim, ſed inſignia, „ut ajunt, formæ merito e ſervitute in regnum evectam habuit, ex eaque genuit „filiam, quam ut Romano Laſcariæ gentis prænobilem ſanguine, dignam Imperator „duxit, quam filio, & deſignato ſucceſſori deſponderet ſuo. Legatos igitur ad illam „poſtulandam illuc deſtinans, idoneos ad tale negotium putavit, Expatriarcham „Germanum, ſimulque magnum Ducem Laſcarum, emeritæ jam licet, ac parum „aptæ

Filiam Græcorum Imp. filio natu maximo deſpondet.

a) Non alia inſignia regalia hæc fuiſſe ſuſpicior, quam quæ Radislaus Haliciæ Dux, & Annæ maritus a Bela IV. forte acceperit.

„ aptæ gerendis rebus ætatis virum. Sed illum eximie ad hanc quidem tractationem „ commendavit nomen, & conſanguinitas, quæ in regem Virginis poſcendæ patrem, „ auctoritatem ei quaſi avi tribuebat, utpote Germano Auguſti Laſcaris, genitoris „ ejus matris. Hi terreſtri itinere, quo deſtinabantur, perlati, negotio e ſententia „ confecto, brevi reduces filiam memorati regis ſponſam adducunt filio Imperatoris, „ jam & ipſi imperii participi. Virgini Auguſtus ſenior Annæ nomen impoſuit; tum „ illuſtri pompa, & magnificentia præcipua nuptias ejus cum filio ſuo celebravit apud „ magnum templum ſanctæ Divini verbi ſapientiæ, bene precante novis ſponſis Joſe„ pho Patriarcha: anno inde ſecuto die octava menſis Novembris, regie ambos ipſe „ pater, præſente, ac ſacris operante Patriarcha coronavit (*b*).

Hæc Pachymeres, qui, ut ipſe fatetur, eo tempore, cum nuptiæ Conſtantinopoli apparарentur, annum ætatis (*c*) trigeſimum Clero adſcriptus agebat, ad annum præſentem conſignavit: ex quo conjugem Stephani regis Cumanam fuiſſe, ut alias jam notaveram, exploratum eſt, de qua cujus generis fuerit, ſcriptores fere pleroſque hactenus dubitaſſe comperio: Eliſabetham autem dictam ex litteris filii Ladislai poſtea conſtabit.

Nuptiis non diu ſuperſtes immaturo fato exſtinguitur.

Nuptiis filiæ haud diu ſuperſtes Stephanus fuit, Auguſto menſe, ut ex tabulis Tragurinia veriſimiliter conjicio, fato defunctus (*d*), ac in Budenſi inſula in æde Divæ virginis, quam vivus ampliſſimis donativis auxit, ſepultus. Rex magnanimus, qui Bulgariæ titulum, & provinciam juribus Hungariæ inſeruit, &, ſi porro vitam adduxiſſet, citra dubium inter primos reges patratarum pro republica rerum memoria non infimo loco futurus. Filios reliquit Ladiſlaum, & Andream: illum juvenem admodum, hunc impuberem, quibus duos præterea, Salomonem, & alium Ladiſlaum adjicit *Simon de Keza* auctor coævus, quippe qui Chronicon ſuum Ladiſlao Chuno dedicavit (*e*). Filiarum contra ut nomina, ſic numerus fere incertus eſt (*f*).

LADIS-

b) Hiſt. Lib. IV. ex verſione P. Petri Possini e S. J. Tom. X. ſcript. Byzantin.

c) Ipſe cap. I. diſerte fatetur ſe, cum urbs ejectis Latinis per Græcos recuperata eſt, fuiſſe annorum XIX. capta autem eſt urbs anno Chr. MCCLXI. itaque anno MCCLXXII. egit annum XXX.

d) Apud Lucium Lib. IV. cap. IX. hæc habentur. *MCCLXXII. Die ultimo Auguſti ab hic in antea voluntate conſilii debet ſcribi*, *regno Ungariæ vacante.* Hoc anno defunctum eſſe Stephanum conſtat ex Sterone coævo, & chronica Auſtrali, maxime autem ex regni annis Ladiſlai, ut diplomata ſuo loco referenda teſtantur. Ceterum ineunte Junio adhuc in vivis fuiſſe conſtat ex litteris, quas hoc anno XVI. Julii, ſeu XVI. calend. Junii ſignavit, ut habet Hiſt. Zagrab. pag. 89. Magiſtratus tam Eccleſiaſtici, quam profani hi iſthic exprimuntur. *Philippus Strigon. Stephanus Colocenſ. & Cancellarius aulæ. Joannes Spalatenſ. Archiepiſcopi, Lampertus Agrienſis, Job Quinque Eccleſienſis, Brictius Chanadiens, Philippus Vacienſis, aulæ reginæ Cancellarius, Paulus Veſprimenſis, Timotheus Zagrabienſis, Lodomerius Varadienſis, Dionyſius Jaurinenſis, Petrus Tranſylvanienſis Epiſcopi. Moys Palatin. Comes Suprunienſis, Judex Cumanor. Nicolaus Judex Curiæ, Comes Simighienſ. Ægidius Tavernicus Comes Poſon. Joachimus Banus Sclavoniæ, Mathias Voivoda Tranſylvan. Laurentius Comes de Sabaka, Petrus Dapiferor. Albanus Agazon. Philippus Pincernar. Magiſtri. Paulus Comes Bachienſ. Gregorius Tavernicus reginæ, & Comes Caſtri ferrei, Poruch Banus, Comes Zaladienſ. Michael Comes Nitrienſ.*

e) Eſt mihi ad manum Mſ. apographum ſed in Latium traductum, cujus autographum habetur in Bibliotheca Kiſmartonienſi Celſiſſ. Principum Eſzterhazy.

f) Attexam Stephani liberos, qui extra controverſiam ſint.

STEPHANVS V. Ux. ELISABETHA Cumana.

I. LADISLAVS IV. cognomento Chunus, ſeu Cumanus.

II. Andreas. De quo nemo ſcriptorum domeſticorum memoriam facit. Illius poſtea ex auctoribus fide dignis mentio fiet.

III. SALOMON juxta Simonem de Keza; & alter Ladiſlaus. Ottocarus Horneck cap. 97. addit Cholmanum.

IV. ELISABETHA Monialis in inſula leporum, ut ex diplomate conſtat.

V. MARIA Carolo Siciliæ regis filio nupta.

VI. ANNA Andronico Michaelis Palæologi filio elocata, ut ex Pachymere auctore coævo certum eſt.

VII. GITELHA, aliis GITKETHA, aut Juditha ſecundum Dubravium Monialis S. Dominici. Hiſtoria autem Auſtralis habet, nuptam fuiſſe Zaviſcio Rorenſi. Nuptias conſcio Pontifice celebratas Balbinus docet.

VIII. Duarum, ſed ſine nomine Stero mentionem in chronico facit, quæ inſtitutum S. Dominici in inſula itidem leporum amplexæ ſint; fortaſſe tamen rectius id negari poſſet, cum alio loco conſobrinas Stephani regis vocet.

[illegible] IV. COGNOMENTO [illegible] HVNVS.

[illegible] obitu comitiis Albam indictis communi omnium [illegible]tus, ac ex ritu inauguratus continuo Dalmatinis, Tra[illegible] civibus, ne quid rerum novarum molirentur, [illegible]gni poſſeſſionem per litteras indicavit provinciarum [illegible] ſe coram fidei ſacramentum dicerent: „Ladislaus [illegible] Hungariæ fidelibus ſuis judicibus, Conſiliariis, [illegible] ſalutem, & gratiam. Veſtra noscat fidelitas, [illegible]emate inſigniti, & coronati gratiam per divinam, [illegible] circumquaque adjacentium ſunt nobiſcum in bo[illegible] firmiter præcipientes mandamus, quatenus circa [illegible] Banum dilectum contingunt, tali fidelitate pro[illegible]quamur. Sciatis enim, quod, quamvis ſimus ad [illegible] Domino propitio habemus poteſtatem, nobis in[illegible] Unde, ſi aliquid infidelitatis in corda veſtra aſcen[illegible] evadetis manus noſtras. Volumus igitur, quod [illegible], ſicut ad Dominum ſuum naturalem, feſtinanter, [illegible]n præſumant. Datum Albæ in quindenis S. Ste- *Et Ladislaus impubes adhuc ſuccedit.*

[illegible] Maximus, ad ſedem interea Romanam evectus, ut [illegible]um comperit, veritus, ne in tenera adoleſcentia [illegible]m ageretur, litteras ad eum dedit, & paterni amo[illegible]tionibus refertas (*b*). *Quem Pont. ſaluberrimis præceptis inſtituit.*

[illegible] *REGI VNGARIAE ILLVSTRI.*

[illegible] chariſſime, unde humiliato apud Deum ſpiritu, & corde contri[illegible]tionis, & confeſſionis erumpas, ut exultes in ipſo, & ejus circa [illegible] fatearis. Ipſe namque tibi donavit tantis oriri natalibus, im[illegible]itiis, & primogenituræ jura concedens regiæ prædeſtinavit ex[illegible]rem. Ipſe, claræ memoriæ patre tuo de hac luce ſubtracto, te [illegible]ibus conſtitutum ad paterni ſolii culmen ſecundum omnipotentiam [illegible]it. Quid igitur retribues Domino pro tantis, quæ tuæ tribuit ju[illegible] ſi paternis aurem inclines affatibus, ſi pio patri de tua ſalute ſo[illegible] ejus ſalutaribus monitis aquieſcas, regnum tuum ab ipſo, per quem da[illegible] Principibus, recognoſcens, ad eum, a quo bona cuncta procedunt, [illegible]bi collata beneficia referes, illi juventutis tuæ primitias offeres, ad [illegible] fortitudinem tuam cuſtodies, & reſidua vitæ tuæ tempora in continuatione [illegible] propoſiti, & piorum proſecutione operum devovebis, ſavendo Eccleſiis, [illegible] libertates, & jura, nec non & miniſtros Dei, perſonas Eccleſiaſticas con[illegible]ndo: hæc enim tibi annos vitæ producent, hæc dierum longitudinem miniſtra[illegible], hæc firmabunt procul dubio thronum tuum.

„His itaque ab annis teneris tuum animum imbue, iis in forma, talibus [illegible]ce, ut per conſuetudinem mores fiant, nec perverti poſſint amplius converſa [illegible]dammodo in naturam. Ad quod ſerenitatem regiam monemus, rogamus, & „hortamur in Domino, ſano nihilominus conſilio ſuadentes, quatenus & conſiliarios, & alios familiares tibi aſſumere ſtudeas, qui te in ſemita mandatorum domini „dirigant, non perverſis ſuggeſtionibus a via rectitudinis abſtrahant, nec exemplis „deteſtandis abducant: tuum ſtatum pacificum diligant, tuos ſubditos foveant, & „ſua lucra in alienis diſpendiis non venentur; qui erga tuam, & chariſſimæ in Chriſto

Oooo 2. „filiæ

a) Lucius Lib. 10. cap. IX.

b) Raynald. ad annum 1272.

„ filiæ noſtræ, reginæ Ungariæ illuſtris, conſortis tuæ, chariſſimi in Chriſto filii, Ca-
„ roli regis Siciliæ natæ, perſonas fidelitate, ac devotione debita polleant, ſincero
„ affectu ferveant, & conſilii maturitate clareſcant. Decet ſiquidem te, ac illos, qui
„ tuis commodis inhiant, qui tuis proſperis eventibus delectantur, circa tuam, &
„ ipſius reginæ cuſtodiam ſolerter intendere, ipſamque ob claram generis ſui proſa-
„ piam, ob ſingularem ſui generis claritatem, & tanti Principis, ſui genitoris obten-
„ tu, cujus virtus eminet, cujus probata ſtrenuitas evidentia probationis experimen-
„ talis elucet, juxta tantarum circumſtantiarum exigentiam ſingulari honore proſequi,
„ ut ejus regis animus tibi vinculo tantæ affinitatis aſtrictus, toti regno tuo, & ipſius
„ incolis perinde fortius aſtringatur.

Nos autem zelantes etiam temporaliter proſperum ſtatum tuum, ad ipſius
„ conſervationem, & promotionem in tuis opportunitatibus magnificentiæ regiæ prom-
„ titudinem Apoſtolici favoris offerimus, & ob hoc ipſam tam affectuoſis monitioni-
„ bus prævenimus, volentes, ut ad nos, ac tuam matrem, Eccleſiam Romanam
„ cum omni fidocia, & ſecuritate recurras, quæ tibi opportuna fuerint, cum abun-
„ dantia paternæ dulcedinis, quantum cum Deo poterimus, percepturus. Et ecce
„ ad tui favoris augmentum venerabilibos fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſco-
„ pis, ceteriſque Prælatis Eccleſiarum, nec non Comitibus, Baronibus, & aliis
„ Magnatibus regni tui, affectuoſas pro te litteras deſtinamus, ipſos ad exhibendum
„ tuæ celſitudini affectionis, & devotionis debitum, tibique conſtanter, & fideliter
„ conſilio, & auxilio in tuis commoditatibos aſſiſtendum, efficaciter, & multipliciter
„ cohortantes.„ Hæc Gregorius: neque tamen optimi Pontificis monita apud adoleſcentem valuere, ſive ſuopte ingenio ferocior eſſet, ſive pravis aliorum conſiliis in fœdiſſima vitia abreptus. Sed his commemorandis ſuus poſtea locus erit. Fueritne autem Siciliæ regis filia Ladislao jam tum matrimonio conjuncta, an ſponſa ſolum deſignata, quod rex in puerili ætate ſe conſtitutum ſcriptis ad Tragurinos litteris fateatur, ambiguus plane hæreo: illud ex Nicolai III. Pontificis epiſtola (*i*) extra controverſiam eſt, Eliſabetham, ſeu Iſabellam nuncupatam fuiſſe.

Ottocarus rurſus bellum Hungariæ infert.

Sub hæc bellum inter Ladislaum, & Ottocarum haud levi de cauſa exortum eſt. Aegidius Comes Poſonienſis, Tavernicorum Magiſter, rerum novarum cupidus cum fratre Georgio in Auſtriam profugiens Ottocaro ſe permiſerat: acceptus eſt liberaliter, oppidiſque Laha, Neoburgo, Stockeravia, & Steina, tum mille annuorum redituum libris donatus, Poſonio, quod præſidio munitum Ottocarus in poteſtate habuit, præficitur. Eam munificentiam Henricus Ginſienſis Comes, vir ampliſſimarum opum, ferox, & in utramvis partem verſatilis, quia Stephano etiamnum vivo Ottocari partes ſequutus erat, ſuam injuriam interpretatus in Hungariam, & cum rege in gratiam rediit. Sed haud multo poſt obortis jurgiis Belam ducem Maſovienſem, & regis Bohemiæ conſobrinum, tanquam proditionem in Ladislaum regem moliretur, in inſula prope Budam obtruncat, itaque barbarus concidit, ut infectas tabo corporis reliquias a materteris colligi neceſſe eſſet, quo tumulo in ejuſdem inſulæ cœnobio conderentur (*k*).

Ottocarus cognita tam nefaria cæde, & Ægidii Poſonienſis Comitis perfidia, qui urbem cum caſtro nulla injuria provocatus Ladislao reddiderat, bellum in Hungaros decrevit. Sed iſti molitionem illius præveniendam rati, copias in Auſtriam, Styriam, Carinthiam, ac Moraviam immittunt, ut Bohemus ſua potius tueri, quam aliena invadere, cogeretur. Ottocarus nihil populatorum agminibus territus conflato ſexaginta millium exercitu recta in Hungariam bellum traducit: captiſque Poſonio, Nitria, ſancto Georgio, ac Tyrnavia, ultra Danubium populationem infert, ſubactiſque partim vi, partim deditione Sopronio, & Jaurino, pulcherrimum terræ illius tractum ferociſſimus victor corrumpit. Quo ſucceſſu res a noſtris geſta ſit, nihil memoriæ proditum eſt: illud compertum; Gregorium ſummum Pontificem, poſtquam rurſus inter Hungaros, ac Bohemos bellum recruduiſſe comperiſſet, Ottocarum propoſita pactorum religione, quam cum Stephano Ladislai patre jure jurando ſanxerat, ad ponenda primum arma, tum inſtaurandam amicitiam graviter cohortatum eſſe. In eum finem has ad Ottocarum litteras dedit (*l*).

Regi

i) Raynald. ad an. 1290. *k*) Stero in annal. Tom. II. Freheri. *l*) Raynald. ad an. 1272.

Regi Bohemiæ illuſtri.

„Paternum ad tuæ Celſitudinis incrementa amorem gerimus, dum te ad ea, „quæ ſaluti expediunt, & honori tuo congruunt, ſolicitis monitionibus invitamus. „Perſuaſiones itaque noſtras devota mente ſuſcipias, ad ea, quæ tibi benigne ſug„gerimus, apertos habiturus oculos, & aures illis adhibiturus intentas, ut in ratio„nis deducta ſecretum, & ipſius examinata ſcrutinio admittantur devotius, & preſ„ſius imprimantur admiſſa, & impreſſa fructificent, germinatura pacem, & produ„ctura quietem, præcideodo inimicitiarum cauſas, & amicitias augmentando. Noſti „fili chariſſime, quod poſt varia, & gravia guerrarum diſcrimina, quas inter te, & „claræ memoriæ Stephanum regem Ungariæ inimicus humani generis pacis impatiens „excitavit; poſt graves ex eis hinc inde perſonarum ſtrages, grandiaque rerum ſe„cuta diſpendia, diſpooente pacis auctore, inter te, ac regem eundem re„formata concordia, formata ſunt fœdera juramenti, & pœnarum adjectione con„firmationis noſtræ ad tuam, & ipſius inſtantiam, ac aliarum firmitatum robore con„firmata, quæ idem rex toto vitæ ſuæ tempore dicitur obſervaſſe.

Monetur propterea a Pont. per litteras.

„Cæterum memorato regi Chariſſimus in Chriſto filius Ladislaus, rex Unga„riæ, ut tua oovit ſublimitas, lo regno ſucceſſit, qui, cum ſit adhuc ætatis inno„centis, de nulla contra te poteſt offenſa notari, & cum ipſum filiis tuis uniat, ſicut „accepimus, ſanguinis onitas, contra eum nulla tibi de futuro veriſimilis poteſt „eſſe ſuſpicio, quam oaturalis potius non ſolum excludere debet animo conjunctio, „ſed & ſuſpicantium corda ponere in tranquillo. Ad obſervanda igitur illi cum me„morato genitore ipſius initia fœdera tanto efficacius tuam debet excellentiam horum „conſideratio invitare, quando judicium eſt de præterito certius, ea per ipſum ooo „eſſe hactenus violata, & de futuro veriſimilius credi poteſt, oec io poſterum vio„landa. Adjicit autem ad ſervandæ a te hujuſmodi obſervationis inſtantiam, quia „ſi quis in eodem genitore, vel ejus ſubditis forſan argui poſſit exceſſus, idem rex „Ladislaus ad emendatiooem cum debitæ ſatisſactionis promptitudine, juxta conven„tiones in fœderibus prædictis adjectas, dicitur eſſe votivus; & quia oec glorioſum „foret celſitudini regiæ, oec gloriæ regali magnificum, in pupillum inſurgere, aut „ætatem tam teneram impugnare.

„Ideoque ſerenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur in Domion „JEſu Chriſto, in remiſſiooem tibi peccaminum ſuadentes, quateous prædictas con„ventiones diligenter obſervans, ab omni memorati regis Ladislai, ſuorumque offen„ſa, & injuria ſtudeas penitus abſtinere, in hoc non ſolum ejuſdem regis Ladislai, & „chariſſimæ io Chriſto filiæ oostræ Iſabellæ conſortis ipſius, natæ chariſſimi in Chri„ſto filii noſtri, regis Siciliæ illuſtris, ætati deferens, ſed ad eundem regem Siciliæ, „virum excellentiæ tantæ, ac virtutis, cui celſitudini tuæ utile fore credimus io ſin„ceritate charitatis uniri, prout te decet, attendens, ooſtriſque monitionibus, quæ „honorem etiam tuum reſpiciunt, cum tuæ magnitudini coogruat, promiſſa ſerva„re, taliter aquieſcent, quoad ad tua commoda memorati regis Siciliæ animum at„trahas, & apud nos proinde augmentum tibi favoris aquiras.„ Credibile eſt Otto„carum his litteris pacatum, ab injuria deinceps abſtinuiſſe, ſic tamen, ut quæ per vim, aut deditionem loca cœpiſſet, in poteſtate retineret, quoniam hæc quarto poſtea anno ictis inter Rudolfum Imperatorem, & Ottocarum fœderibus Ladislao reſtituenda erant.

1273.

Hungari cladem reddunt.

Quamqoam Hungari ſequente anno, a quo Ladislaus regiminis annos in publicis litteris fere inire ſolet, cladem ipſa hieme ultum ibant; cum Februario ineunte Comanis in armorum ſocietatem adſcitis rurſum Auſtriæ, Stiriæ, ac Moraviæ inſuſi vaſtitatem latiſſime circumferrent (*m*). Quo minus vim propulſaret Ottocarus, cum ipſum ſupra modum ſæviens frigus, tum lites, quæ illi deinde cum Rudolfo Habſpurgico interceſſere, in cauſa erant. Etenim Rudolfus, poſtquam divinis æque, ac humanis ſuffragiis Imperium Germaniæ ſibi delatum fuiſſet, provincias, quas Bohemus cum Margareta Auſtriaca aquiſierat, illa autem repudiata per injuriam retinuit,

 ab

m) Stero in annalib.

1273. ab Ottocaro repetebat, quas cum ille ſe redditurum pernegaret, diſſidia primum, tum bellum obortum eſt, quo ſibi Ottocarus extremum, ut narrabimus, exitium conſcivit.

Cumani rem publicam ſua licentia turbant.

Neque optimo interea loco res in Hungaria fuere: adoleſcens rex, de quo ſpes magnas plerique conceperant, non obſcura futuræ ſævitiæ, & levitatis indicia dabat, Cumanis fere præ Hungaris addictus: tum ipſi Cumani; quorum & gratia, & auctoritaa magna eſſe apud Ladislaum cœperat, oon modo graſſari in vulgus nobilium, ſed vi illata captivos quoque, tamquam ex hoſtico, agere impune ſinebantur, ex qua conniveotia tum ipſi regno, tum Eccleſiæ etiam diſcrimen imminere Epiſcopus Olomucenſis ad Papam ita perſcripſerat (*n*). „Hæc vero ſunt pericula a „regno Hungariæ Chriſtianitati imminentia: primum, quod io ipſo regno Cumani „manutenentur, qui noo ſolum alieoigenis; ſed etiam ipſiua regni incolis atrociter „ſunt infeſti, & modo apud alios minus ſolito præliandi, infantibua, & ſenibus non „parcentes, juvenes, & juvenculas captivatos in ſui ritus malitiæ deducunt conſue„tudinem; ita quod potentiam ſuam taliter jam multiplicaverunt per eoſdem, quod „ipſi Hungariæ certum ex hoc imminet periculum, & jactura, & terris etiam con„vicinia - -. Item in eodem regno manifeſte hæretici, & ſchiſmatici confoventur, „terrarum profugi aliarum. Ecce ipſa (*mater*) regina Hungariæ eſt Cumana, pro„ximi parentes ejus gentiles ſunt, & fueruot, duæ filiæ regis Hungariæ, Ruthenis, „qui ſunt ſchiſmatici, deſponſatæ fuerunt, (*o*) ſoror juvenis hujus regis - - - eſt tra„dita Ecclaſiæ inimico (*p*), Rutheni ſunt ſchiſmatici, & Tartarorum oihilominus ſer„vitores, Lithuani, & Prutheni velut gentiles plures Epiſcopatus Poloniæ jam pe„nitus deleverunt: iſti ſunt parietea proximi nobis, in quibus cum ardeat, rem no„ſtram agi ſine dubio jam videmus.„ Hæc Oiomucenſis Epiſcopus: quæ quamquam non nihil exaggerata ſint, Gregorium tamen Pontificem Hungariæ cauſa multis nominibus ſoiicitum reddidere. Itaque Carolum Siciliæ regem majorem in modum orabat, ut genero ſuo conſiliia, atque ope adeſſe vellet, ne aut novo cum Bohemis exorto bello, aut Cumanorum licentia regnum quidquam detrimenti acciperet. „Regiæ ſerenitati ita ſcribit Pontifex ad Carolum, „paterno ſuademus affectu, „quateous iia, quæ in dictis continebantur litteris, debita meditarionē penſatis pe„riculis, quæ de guerra inter memoratum regem, & chariſſimum in Chriſto filium „noſtrum, illuſtrem regem Ungariæ, generum tuum poſſum inſurgere, niſi ejus „obſtetur in tiis, quantum tibi facultas aderit, ſolerter attendas, cum ſit cautius
1274. „tempora prævenire diſcriminum, quam eorum inſtantia exſpectare (*q*).

Quo loco res Dalmatiæ interea fuerint.

Haud dubium eſt, Carolum pro virili elaboraſſe, ne Ladislai ætas quidquam periculi regno conficeret; cujus rei argumentum ſequente anno dedit, cum Almiſani piraticam rurſum exercentes Dalmatiam perturbarent, metuſque eſſet, non leva iſthinc reipublicæ exitium conſlatum iri. Invitatus enim a Spalatinis, & Sibenicenſibus adjicienda fœdera, non abnuit, confectiſque tabulis communem ſe piratarum cum iis hoſtem futurum ſpopondit: illud in primis cavens, ut Almiſanos terra, marique junctia viribus aggrederentur. Tabularum initium ejuſmodi eſt (*r*). *Anno ab incarnatione, MCCLXXIV. regnante illuſtriſſimo Domino noſtro Carolo rege Siciliæ, Ducatus Apuliæ, ac Principatus Capuæ, Almæ urbis ſenatore, Andegaviæ, Provinciæ, et Folcolquerii Comite, ac Romani imperii per ſanctam Romanam Eccleſiam in Tuſcia Generali Vicario.* - - Stipulatis deinde conditionibus, modoque, quo belli rationem adminiſtrari oporteret, in hunc modum juribus Ladislai cautum voluit. *Quod ſi aliqui ex Dalmaſibus velint venire ſponte ad habitandum cum familia ſua ad terras univerſitatum* - - (Spalati & Sibenici) *homines prædictarum univerſitatum poſſint ipſos recipere, dummodo non ſint contra voluntatem Domini regis Hungariæ, recepta tamen prius ab eis idonea & ſufficienti cautela, quod non offendent D. regem Siciliæ vel gentem ſuam, & quod facient guerram dictis Dalmaſibus, ita tamen, quod ſi per dictos, qui veniſſent ad habitandum ad dictas terras*

n) Raynald. ad ao. 1273.

o) Videntur hoc loco ii deſignari, quorum Stephanus in tabulis pactorum cum Ottocaro ſancitis meminit.

p) Fortaſſe Annam intelligit Andronico Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris filio ouptam.

q) Raynald. ad annum 1273.

r) Lucius Lib. IV. cap. IX.

terras, aliquod damnum daretur ipſi Domino regi, vel genti ſuæ, ſeu alicui ſic per piratas, 1274.
dictæ univerſitates de dicto damno teneantur dicto Domino regi. Hoc pacto expreſſo, inter prædictas partes, quod dictæ univerſitates de dictis pactis non teneantur, ſi prædicta Domino regi Hungariæ diſplicerent, & quam cito per ipſum Dominum regem Hungariæ prædictis univerſitatibus conſtiterit, quod ei puncta diſpliceant, teneantur prodicte Domino regi Siciliæ diſtincte, prout ab eodem Domino rege Hungariæ præſenſerint, annuntiare, & ex tunc dictus Dominus rex Siciliæ dictis univerſitatibus de prædictis in nihilo ſit adſtrictus, ſed ipſo jure ſit ab omnibus prædictis obligationibus liberatus - - (s).

Habueritne hæc fœdera Ladiſlaus rata, an, quod ſe imprudente confecta 1275.
eſſent, repudiarit, nihil habeo, quod in utramvis partem affirmare poſſim: alioquin majoribus curis regem fuiſſe implicitum conſtat, quam ut Dalmatinis rebus tam minutim intenderet. Ottocarus enim, quod imperii Germaniæ provincias, ne pectitis quidem earum feudis, retineret, hoſtis imperii ab Rudolpho declaratus, cum videret, haud impune id ſibi abiturum, ad finitimos Principes, ac Ladiſlaum in primis communi fœdere ſibi conciliandum curas convertit; habuitque conſilii ſui adjutorem Henricum Bavariæ Ducem, qui Bohemi gratia non modo fratrem ſuum Ludovicum Comitem Palatinum bello appetierat, ſed Ladiſlaum præterea in illius partes pellicere nitebatur. Rudolfus poſtquam, quid Henricus moliretur, intellexiſſet, veritus, ne Bohemi Hungaris conjuncti difficiliores belli inſtantis rationes ſibi redderent, Bavaro graviter commonito ut a cœpto abſtineret, in hæc verba ſcripſit: *Cæterum cum rex Bohemorum manifeſtus ſit hoſtis imperii, & in proſcriptione regia perſeveret, tibi firmiter, & Imperialis gratiæ ſub obtentu præcipimus, quatenus ad concordandum N.* (Ladiſlaum regem Hungariæ) *cum ipſo N.* (Ottocaro) *te nullatenus intromittas, quia hujuſmodi concordia videtur in conſpirationem contra nos, & ſacrum Imperium manifeſtius aſpirare (t).*

Ladiſlaus ab Ottocaro in fœderum communionem vocatur.

Neque ſatis fuit Rudolfo Bavarum ab Ottocaro minis abſtrahere, ipſum præ- 1276.
terea Ladiſlaum in armorum communionem per oratores ſibi conjungere ſtuduit. Erat tum rex Albæ regni opinor cauſa, qui Legatos Imperatoris comiter acceptos, veterum injuriarum, quas Ottocarus avo, patrique intulerat, memor ſecuros de fœdere, & auxilariis reddidit. Conventum his pactis eſt: Sibi commune bellum cum Rudolfo adverſus Bohemum futurum, ſi is viciſſim, ubi periculum ingruerit, pro inita amicitia ſuppetias in hoſtes laturus eſſet (u); præſtito inſuper vadimonio, non coalituram cum Ottocaro pacem, niſi is urbes, quas nuper ab Hungaria evulſerat, reſtituiſſet (x). Quin litteras quoque ad Hungariæ Proceres dedit, in quibus non ſolum fidem, qua in Ladiſlaum regem ferrentur, collaudat, ſed oblatis etiam liberaliter favoribus, quos ab Romano Imperio cuperent, brevi ſe ex Ottocaro, ob injurias Hungariæ illatas, ultionem ſumturum in hæc verba pollicetur (y).

Item ab Rudolfo Cæſ. qui optimates propterea litteris convenit.

Quod illibatæ fidei veſtræ virorem, & decus potentiæ naturalis animi veſtri robore rutilantior puritatis ſcintilla reſplenduit, lucidis operum argumentis apparuit, & realibus claruit documentis; dum inclytos Ladiſlaum regem Hungariæ, & Andream ducem Sclavoniæ, filios noſtros chariſſimos, ſorte fatalitatis humanæ, paternis orbatos ſolatiis (quos ut carnem ex carne noſtra, & os velut ex oſſibus noſtris amplexu ſinuque paterno fovendos aſſumpſimus) gratis non definitis prævenire ſervitiis, & eiſdem, in ſuis & regni agendis, officioſis & indeſinentibus non ceſſatis amplexibus inhærere. Super quibus utique laudabilibus actibus veſtris, in quibus nimirum nobis velut in delectabili quadam refectione complacuit, redhibitionibus gratiarum ampliſſimis ſtudia veſtra proſequimur, & commendatione laudabili collaudamus. Volentes igitur erga vos propter hoc realiter potius, quam vocaliter, fluentibus abundare, pro munere petimus ſpeciali; quatenus, ſi quæ in regno Romano, vel nos, hujuſmodi prærogativæ refulgeant, quod ex his veſter animus oblectetur, a nobis eas cum obtinendi fiducia requiratis. Sic enim procul dubio nobis eſt cordi & curæ, illud magnificum, & famoſum Hungariæ regnum in antiquæ gloriæ faſcibus rediviva reformatione dirigere, ſicque ipſo illæſo perſecutores illius illidere feritatem, quod nulla prorſus perſonarum aut rerum diſpendia

evita-

s) Lucius Lib. IV. cap. IX.
t) Cl. Hergott ex Mſ. Codic. Epiſt. Rudolfinar. Volum. III Genealogiæ.
u) Simon de Keza in Chronico Mſ.
x) Chrocicon Australe ad an. 1276.
y) Hergott volum. III. Genealog. Diplom. geotis Habſpurgicæ Tom. II. Parte II. pag. 482.

Bellici inter Cæſarem & Bohemum apparatus

evitare proponimus, quid ad edomandam ejuſdem faſtuoſi ſuperbiam, ſub victricibus Aquilis, Duce domino exercituum, intendamus; ut diſcat amodo, poſito ſupercilio per ſe ipſum, quam ſit durum, quamque difficile, contra ſtimulum calcitrare.

Rudolfus contracto cum Hungaris fœdere bellum magno apparatu in Ottocarum moliebatur, Miſſoque Meinardo Tirolenſi ad Stiros, & Carinthios, qui utramque provinciam brevi tempore in Rudolfi fidem acceperat, ipſe magno Procerum comitatu Auſtriam petens Viennam, regionis caput, copiis ſuis obvallat. Præerat urbi cum magno Bohemorum præſidio Bruno Epiſcopus Olomucenſis, conſul autem Rudigerus Baltramenus Ottocaro præ cæteris ſtudens. Ut obſidio longius protracta eſt, cives, qui Rudolfum præ Ottocaro malebant, Conſulem tumultarie circumſtrepentes minis adigunt, ut ærumnis finem aliquando imponeret, niſi faciat, ſe, ut poſſent, ſibi conſulturos. Is veritus ne querelæ in ſeditionem erumperent, communicato cum Brunone conſilio, aliquot dierum inducias cum civibus paciſcitur, intra quos, niſi rex laboranti urbi ſuccurrat, deditio fieret. Ita ſopita eſt vulgi licentia, non exſtincta. Ubi enim induciarum tempus elapſum fuiſſet, neque auxilia ab Ottocaro mitterenrut, Vienna Rudolfi clementiæ, & fidei ſe permiſit, cujus exemplo ceteræ quoque urbes, ac univerſa pene Auſtria ſequuta, exercitum Imperatoris magno in dies confluentium militum numero auxere (z).

Confecta pace ſopiuntur.

Interea Ottocarus ingentes Bohemorum copias ſecum trahens contra Viennam ſolo danubia divulſus conſtitit: hic illum Bruno Epiſcopus convenerat, quid Vienna factum eſſet, narrat, pacemque, a qua Imperatot non abhorreret, ſi modo conditionibus, quæ ex imperii dignitate eſſent, confieri poſſet, multis rationibus ſuadere conatur. Ut primum pacis mentionem fieri Ottocarus accepit, Epiſcopum illiberaliter faceſſere juſſum, triduo audire noluit: Poſt, ubi Hungari, & Cumani in ſuppetias Rudolfo venire per certos nuncios afferebantur, veritus, ut par duobus hoſtibus eſſet, vocato ad ſe Brunoni poteſtatem facit, cum Cæſare de pace agendi, ne tamen auctoritatis regiæ immemor eſſet, graviter commonefecit. Cum diu res utrinque diſceptaretur, tandem his conditionibus tranſacta eſt: Ottocarus Auſtria, Stiria, Carinthia, aliiſque locis, quæ privata prius poteſtate ſibi aſſeruiſſet, cedat; ac in ejus verba jurans Bohemiam cum Moravia a Cæſare, & imperio recipiat: Urbes in Hungaria interceptas Ladislao reſtitueret, tum geminam ex auro coronam, ſceptra regia, aqualem item aureum, gemmis diſtinctum pretioſiſſimis, ceteraque, quæ ſocrus ejus in Bohemiam attuliſſet, bona fide redderet: his conditionibus ſi ſtaret, pacem habiturum, ſin renuat, bellum. Accepit pacta, quamquam magnis ingratiis, Ottocarus, & bello finis impoſitus (a).

Inſigne ſcriptorum de ea commentum.

Ferunt Bohemum id a Rodolfo in primis flagitaſſe, ut, quia in utriuſque exercitus conſpectu pudor vetabat, in Principum corona ſub tentorio Clientelari fide ſe illi obſtringere liceret. Quod cum Imperator non abnuiſſet quidem, hominis tamen arrogantiam comprimere ſtatuiſſet, tentorium ita coneinnari juſſit, ut adducto fune quatuor ejus latera, quoties collubitum eſſet, conciderent. Hic auguſtali ſolio ſubnixus, cum ad genua procumbentem Ottocarum habuit, dato ſigno funem adduci mandat, ſimulque collapſis tentorii lateribus, regem Bohemiæ ſibi adgeniculantem, utrique exercitui aſpectabilem præbuit, plaudentibus Germanis, Bohemis contra frementibus, & fraudem apertis indiciis execrantibus. Sed hæc fabula, ut & alterum commentum, quo Rudolfum Palatii olim apud Ottocarum Comitem, ac quod imperitiores addunt, ſtabulo præfectum fuiſſe ſibi nonnulli perſuadent, ab eruditis hodie paſſim exploditur, quod neque ea levitas prudentiſſimo ceteroquin Imperatori in re tam gravi ſatis rite congruat, neque ſcriptores Germani, aut Bohemi illorum temporum æquales illius meminerint, quorum prius tamen Rudolfo, poſtremum Ottocaro plauſibile fururum erat. Primus omnium Æneas Sylvius ducentis fere annis Rudolfo poſterior, populari rumore hæc ſe accepiſſe in litteras rerulit; ex quo, qui poſtea ſequuti ſunt, ſua itidem accepere. Unde mirari ſubit, Goldaſtum, ac Struvium (b), haud

z) Gerardus de Roo in Annal. Auſt. Lib. I. pag. 25. 26. &c.

a) Idem ibid.

b) GOLDAST. In Libro cui titulus: *Commentarius de regni Bohemiæ, incorporatarumque provinciarum juribus.* - - STRVVIVS autem in Corp. Hiſt. Germ Period. IX. Sect. I. §. XVII.

1277.

haud incelebres viros, tam facile induci potuiſſe, ut non modo his næniis commentarios ſuos inquinarent, ſed errorem longa auctorum ſerie fulcirent præterea, qui, ut Sylvio ætate inferiores ſunt, ita nec inter ſe, nec cum rebus narratis cohæreant. Certe continuator Coſmæ Pragenſis, & Stero, ſcriptores ſynchroni, ille Bohemus, hic Bavarus ne verbo quidem magici illius tentorii, aut ſtabuli etiam meminere (c). Hæc propterea, ut oſtenderem, rerum Germanicarum ſcriptoribus, dum modum in narrandis rebus Hungaricis excedunt, haud ſatis tuto fidem præſtari, qui in ſuis tam graviter non nunquam hallucioentur.

Ottocarus ictis fœderibus duodecimo Calendas Decembris diſſimulata ira in Moraviam abiit, Cæſar autem dimiſſo exercitu Viennam ingreſſus, provinciis in fidem acceptis Præfectos conſtituit, quoad aliud cum ſuo, tum Principium imperii decreto ſanciretur. Reducem Bohemum uxor, Cunegundis, non item, ut Bonfinius ſcribit, Margareta Auſtriaca dudum repudiata, neque, quod alii putant, Conſtantia ſocrus, illiberaliter accepit. Mulier ut imperioſa, ita ſupra feminam ferox, viro palam & crebro iogerebat non tanti fuiſſe, præter Bohemiam ac Moraviam, Saxoniam quoque, Miſoiam, & Sileſiam ſedibus ſuis excire, ut, ne tentata quidem pugna, pacem tam probroſam iniret. Si rerum, quas prius cum laude geſſiſſet, immemor virum ſe eſſe oblitus ſit, ſe, modo armorum uſus mulieri concederetur, facile recuperaturam, quæ is per ſocordiam amiſiſſet. Haud talem ſe recipere maritum, qualem in Auſtriam miſerat, quippe, qui antea a mari Baltico ad Adriaticum rerum potitus ſit, nunc intra anguſtos Bohemiæ, & Moraviæ ſaltus ſe includi pateretur. Non ferebat uxoris dicacitatem Ottocarus, ſive ſuapte ingenio arma præ pace cuperet, ſive ſero animum advertiſſet, in quam fortunam redactus fuerit, bellum in annum ſequentem decernit (d).

1278.

Recrudeſcit bellum: cui profligando Ladislaus ſuppetias venit.

Ne quid tamen præter jus, & æquitatem agere videretur, nuncios ad Rudolfum mittit, acta revocat, Auſtriam, ceteraſque provincias reſtitui ſibi jubet: ſimul Ruthenos, Polonos, Saxones, Turingos ac Miſnenſes ingenti congiario, & pollicitis in armorum ſocietatem pertrahit. Conflato ex his triginta millium exercitu, Auſtriæ ad propulſandam vim, quod nuperrime pax coaluiſſet, non ſatis comparatæ imminebat, Rudolfo in primis ad perfidiam hominis attonito. Haud tamen ſegnius propterea delectus ex Carinthia, Stiria, & Auſtria egit, Henrico Bavaro, Archi-Epiſcopo Salisburgenſi, Norimbergenſibus, ac Baſileenſibus quoque in belli commuoionem acceltis. Tum ſæderum, quæ cum Ladislao iciſſet præcipue memor, Hugonem a Taufers virum ſtrenuum, ac diſertum in Hungariam mittit, qui amicum regem periculi, & ſuppetiarum commoneſaceret. Ladislaus abrupta omni mora, viginti Cumanorum millia ad Moravam amnem ductabat; quæ cum Rudolfus appropinquare audiſſet, ipſe quoque ad Hamburgum trajecto cum copiis Danubio regi occurrit, eumque, quo firmiore vinculo ſibi jungeretur, in filium adoptans, communia ex utroque exercitu ad Laum Auſtriæ inferioris oppidum caſtra conflavit. Non longe iſthinc Ottocarus quoque caſtra opportuno loco habuit, pugnæ, prius quam auxiliatii majore numero ad hoſtem confluerent, cupidiſſimus, ſi illius copiam Rudolfus feciſſet, ſecundis tamen velitationibus ad pugnam a noſtris proluſum eſt. Erat inter utraque caſtra locus arundinibus conſitus, quem, quod paludoſum, ac impervium Bohemi rebantur, neque ſatis munitum, nec cuſtoditum deſtituerant. Eum Cumani per intervalla rimati nullo negotio vadabilem reperiunt, & ad primas vigilum ſtationes progreſſi initia velitatione Bohemorum caſtra metu implent, relatis magno numero ad Rudolfum hoſtium capitibus. Id cum ſæpius tentatum eſſet, ſpes erat non levis, ſi ſigna conſerrentur, victoriæ potiundæ (e).

Acre prælium inter Cæſarem, & Bohemum.

Itaque conſtituto ad prælium die, aciem in quatuor agmioa Rudolfus diſpeſcit: Primum, ac ſecundum ex Cumanis, & Hungaris conflatum eſt, ut ſagittis, & verſatili in omnem partem pugnandi ritu hoſtium ordines turbarent: his Renoldus Comes prælato regia vexillo ad ciendam pugnam præiverat: tertium Stiri, Carinthi, Suevi, Carnioli tenuere: quarto ex Auſtriis ut plurimum coacto Rudolfus præfuit; Capellarium, virum militiæ expertiſſimum cum ſubſidiariis cohortibus, qua parte

 maxi-

c) Fabulam hanc ſolidiſſime refutavit Eruditiſſ. Froelichius e S. J. in dialogo Viennæ 1755. edito.

d) Gerardus de Roo Annal. Auſtr. Lib. I. pag. 28.

e) Idem ibid.

maximum periculum ingruere viſurus eſſet, rem curare jubet. His ordinibus in hoſtem itum eſt. Ottocarus contra in ſex partes diviſo exercitu adverſus Rudolfum conſtitit: primum agmen ex Saxonibus, & octingentos gravis armituræ Bohemos equites, ipſe ductabat: in poſtremo Poloni cum Ruthenis erant: medium ſpacium reliqua quatuor agmina ex Miſnenſibus, Turingis, ac Moravis intercepera: Miloto Stirorum Præfecto, cujus fratrem paucos ante annos morti addixerat, data provincia, ut laborantibus pro loco, & tempore, ſuccurreret. (*f*) Prælio initium a Cumanis factum, qui, dum recta ſe in frontem hoſtium aſſulturos ſimularent, repente dextrorſum converſi ad Polonorum, & Ruthenorum agmen deſeruntur, primoque impetu in fugam conjiciunt; tum in Milotum, qui ſubſidiariis præerat, invecti aliquanto acrius prælium experti, ſtatariam pugnam præter morem ineunt, fortuna in utramvis partem ambigua (*g*). Hæc inter Ottocarus, quem pudor, & ira ex æquo agebant, præteritis Stiris, ac Carinthis in Rudolfi aciem ingenti animo, ac virtute fertur, perruptisque Auſtriorum ordinibus ad victoriam graſſari cœpit. Hic Cæſar capitale propemodum diſcrimen adierat: Turingus quidam proceri corporis, cum nobili Bohemo de Valdſtein precio ab Ottocaro in eam rem conducti, ut Imperatorem vivum, aut cæſum coram ſe deſtituerent, facta fero via cominus eluctantur, cæſoque dextrario Rudolfum urgent, qui, quamquam utrumque magna virtute proſtraſſet, ingruenti tamen novis viribus Ottocaro ſuccubiturus erat, niſi Capellanus cum lectiſſimo militum robore ſuppetias accurens, regem adeo in arctum redegiſſet, ut non de inferenda, ſed propulſanda vi cogitaret; ad extremum inclinata acie, Miloti opem alta voce inclamabat: verum Milotus, ſeu ut fratris mortem vindicaret, ſeu a Cumanis loco motus, deſtituto rege ex arena exceſſit. Tum fuga omnium exorta; Ottocarus cum paucis ſuorum fortiſſime pugnans captus, ac indignis primum modis habitus, multis deinde vulneribus confectus eſt (*h*). Bohemi cum auxiliariis effuſo curſu Moraviam petierant; Imperator obtenta victoria ſuos ab cæde & injuriis abſtinere juſſit. Hunc finem vitæ habuit Ottocarus, armorum gloria cum paucis conferendus, qui cum imperium in tot gentes prius habuerit, ſi perinde in feminam jus viri retinuiſſet, aut vivere diutius, aut pacatius e vita excedere potuerat.

Morte Ottocari dirimitur.

Error, & calumnia in Ladislaum.

Rudolfus triduum in loco pugnæ moratus, obortis inter Hungaros, & Germanos jurgiis, ne diſcordia in apertum bellum erumperet, Ladislaum cum magna gratiarum actione, & pollicitationibus ab ſe dimiſit. Neſcio unde Bonfinius, ceterique hauſerint, Ottocarum cum Ladislao, adoleſcentiam vixdum egreſſo, in medio pugnæ calore ſingulare certamen iniſſe, illumque ab hoc incredibili virtute necatum, cum Simon de Keza illius temporis, ut alias memoravi, ſcriptor, monomachiæ hujus ne verbo meminerit. Neque Germanis ſcriptoribus ſatis tuta fides, qui regem tam imbellem nobis expingunt, ut eum, quo eventu prælium dirimendum eſſet, ex colle pugnam ſpectaſſe perhibeant,

Rudolfi litteris refellitur.

Sed hanc hallucinationem ipſe Rudolfus in epiſtola ad Archiepiſcopum Salisburgenſem data aperte refellit. *Scias itaque* (ſic iſthic ſcribit Imperator) *quod nos feria quinta proxima poſt feſtum Bartholomæi Apoſtoli eo loco locavimus caſtra noſtra, quo a tentoriis - - regis Boëmiæ vix ad ſpatium dimidii milliaris Teutonici diſtabamus. Mane vero ſextæ feriæ ſubſequentis, una cum dilecto filio noſtro rege Hungariæ procedentes, cuneos acierum noſtrarum adjunximus hoſtium ſtationi, ſicque hora diei quaſi ſexta inter nos gravis pugna committitur - -.* (*i*). Pugnæ autem eventum ad Nicolaum Pontificem in hæc verba perſcripſit (*k*): *Intimandum fore credimus Apoſtolicæ ſanctitati, quis eventus finiverit litem illam, qua quondam illuſtris rex Boëmiæ infatigabilis reipublicæ fatigator, noſtræque ſalutis, & vitæ notorius perſecutor, ſe adverſum nos, & Romanum Imperium improvide elevavit, poſt præſtita nobis & ab ipſo male contemta fidelitatis, & homagii ſacramenta. Dictus ſiquidem rex in feſto Pentecoſtes proxime præterito, contra terras imperii caſtra quædam, & oppida hoſtiliter expugnavit. Tot, & tantis damnoſis injuriis, & probroſis contumeliis, & contemtibus nos impellens, quod ad ſtatum reipublicæ defendendum, cujus*

f) Gerardus de Roo lib. I. pag. 30. Mſ. Chron. ZWETLENSE.

g) Simon de KEZA in Mſ. Chron.

h) Mſ. Chron. ZWETLENSE.

i) Cl. HEROOTT. Volum. III. Genealog.

k) HANSIZIVS Archiepiſcop. Salisburg. pag. 388.

jus idem rex pene ſuffoderat fundamenta, oportuerit ſaltem ſero gladii uſus nobis a Deo commiſſi educere poteſtatem. Sic itaque in craſtino beati Bartholomæi feſto, nos & filius noſter Ladiſlaus rex Hungariæ eo loco locavimus caſtra noſtra, ubi ab exercitu regis Boëmiæ vix ad milliare Teutonicum diſtabamus. Mane vero ſextæ feriæ ſubſequentis, æterni Dei auxilio invocato præceſſimus, ſignisque belligeris elevatis eo pervenimus, ubi Rex Boëmiæ diſpoſitis aciebus finem prælii exſpectabat. Illic milites utriusque, dum ſigna hinc inde proſpiciunt, fero impetu glomerantur in unum, illic de virium paritate inter nos ſtrictis enſibus diſputatur. Tantus quoque inerat parti utrilibet triumphandi affectus, ut morte victoriam comparare, & vincere moriendo, rem dignam, & debitam quilibet æſtimaret. Illic milites ſtrenui equorum ungulis ſubſternuntur, illic tanto ſanguine humano terra perfunditur, ut nedum pugnantibus, ſed pugnæ duritiem intuentibus vitæ tædium eſſe poſſet. Tandem vero militia noſtra, non ſua, omnipotentis Dei virtute prævalens, milites regis Boëmiæ in vicinum amnem impulit, ubi fere omnes aut gladio interemti, aut flumine ſuffocati, aut capti ab hoſtibus defecerunt, ſicque fugæ præſidium paucis profuit: nam fere omnes apud nos capti, aut mortui remanſerunt. Licet autem rex prædictus militum ſuorum agmina diſſipata videret, ſeque fere ab omnibus derelictum, adhuc tamen victricibus ſignis noſtris cedere noluit, ſed more, & animo gygantæo virtute mirabili ſe defendit, donec quidam ex noſtris militibus ipſum mortaliter vulneratum una cum dextrario dejecerunt. Tunc demum ille rex magnificus cum victoria vitam perdidit ---. Hæc Rudolfus: Stiruſne, an Auſtrius fuerit, qui regem interfecerit, ſcriptores diſceptant; ſed tanti non eſt, de regis ab omnibus fere deſtituti, & tot vulneribus in pugnæ loco confecti gloria contendere.

Ladislaus cum victore exercitu, ſpoliiſque dives, nam præter Nicolaum (*l*) Ottocari ex illegitimo thoro filium, magnam quoque ex nobiliſſimis Bohemorum copiam ducebat, in Hungariam reverſus, actis Deo gratiis, ve illa & ſcuta, quæ hoſtibus noſtri eripuerunt, in parietibus Albenſis templi, quo victoriæ monumentum exſtaret, appendit (*m*): tum diem, quo Ottocarus cæſus eſt, inter feriatos cenſeri, annuaque memoria coli imperavit. Ita rem narrat ſcriptor Germanus, neque, ſi Ladiſlai ætatem ſpectemus, prorſus a juvenili ingenio abhorrentem (*n*).

Rex ſpoliis dives in Hungariam revertit.

Ceterum Ladislaus armorum gloriam, quam ſibi eatenus comparaverat, turpi vitæ licentia brevi poſt obſcuravit. In amores Cumanorum mulierum promiſcue effuſus legitimam uxorem repudiavit, ſive averſatus feminam nobilem, vultuque liberalem, ſive Cumanis id agentibus, ut regem his lenociniis irretitum in ſuo arbitratu haberent. Certe gentis illius Principes, ut primum machinationes ſuas apud Ladislaum valere conſpicati ſunt, non ſolum ingenti faſtu Hungaros deſpicere, ſed latrociniis etiam infeſtare cœperant. Hinc mutua animorum inter profanos diſſenſio, quæ ubi ad Eccleſiaſticos etiam pertinuit, regnum non levi periculo objiciebatur. Etenim cum Philippo Archi-Epiſcopo Strigonienſi defuncto ſedes in annum ſextum vacaſſet, neque ſacerdotibus illius collegii de ſubſtituendo novo Præſule ſatis conveniret, Nicolaus III. Pontifex Varadienſem Epiſcopum magnæ virtutis, & multiplicis doctrinæ virum ad eam Cathedram evexit, ſcriptis in eum finem ad Ladislaum litteris, in quibus haud obſcure minatus eſt, ſe, ſi deinceps turbæ in ſuffragiorum delectu orirentur, jus præficiendi Archi-Epiſcopum ſibi ſervare velle. Mox diſſenſionis contagio ad Veſprimienſes quoque traducta eſt, qui exauctorato Petro Epi-

Repudiata uxore in vagos amores effuſus.

l) Simon de KEZA in Chron. MS. *Filius vero ejus* (Ottocari) *Dux Nicolaus in Hungariam deducitur captivatus, cum aliis captivis, Baronibus, Comitibus, & militibus ſine numero, mortuorum autem numerum in præfato prælio potuiſſet æſtimare ſola divina ſapientia ---. Hæc eſt enim Ladislai regis victoria primitiva, quam divina clementia ei tribuit in ætate adoleſcentiæ conſtituto. In quo quidem exercitu ipſo die Comes Renaldus -- Banerium* . vexillum) *regis tenuit viriliter & potenter --- adſtantes Domino regi fratres ejuſdem Andreas, Salomon, & Ladislaus, & alii -- ſicut ſtellæ Cœli abſque numero.*

m) Idem ibid. *Ut igitur in memoriam redeat regis Ladislai tam glorioſa, triumphalisque victoria, in opprobrium, ſempiternumque dedecus. Boemorum Polonorum, Moravorumque ſcuta, & vexilla in Albenſi Eccleſia, ſede regni, ac ſolii, in pariete ſuſpenſa in æternum perſeverant.*

n) Chron. MS. Zwetlenſe. *Rex autem Hungariæ cum ſuis reverſus ad propria, per totum regnum ſuum mandavit, diem occiſionis regis Bohemiæ ſolenniter celebrari, nec quidpiam operis faciendi illa die, niſi choreas ducere.*

1278.

Epiſcopo, Nicolaum Tranſilvaniæ Præpoſitum ſubſtituere. Malum latius vulgatum cum Nicolaus pro ſuo in Eccleſiam ſtudio ſublatum vellet, Philippum Epiſcopum Firmanum Legati dignitate ornatum in Hungariam deſtinat, prius tamen quid fieri vellet, & qua in re maxime peccaretur, per litteras edocet (o).

Nicolaus Philippo Epiſcopo Firmano Apoſtolicæ ſedis Legato.

Ea de cauſa Legatus Pontificius in Hungariam miſſus.

Nobilis regni Ungariæ neceſſitatès, Apoſtolicæ ſedi frequenter expoſitas, præcordialiter intuemur, auditas recolimus, & non ſine cordis amaritudine ſæpius contemplamur. Condolemus enim tumultu oſis motibus, & ſeditioſis tumultibus illius, qui vel per diſſidia ſimultatum alterutrum diſſident, vel congreſſus mutuos, & bella plus quam civilia immaniter colliduntur. Ex quibus inter alia, dono pacis mortalibus cunctis accomodo, libello dato repudii graviter ſolium regale deprimitur, ejuſque depreſſo regimine non ſolum in regno ipſo vaſtantur bona fidelium, ſed jura Eccleſiarum, & aliorum piorum locorum in direptionem veniunt, & libertas Eccleſiaſtica damnabiliter canculcatur: animarum quoque, ſubſequuntur deploranda pericula, nefanda perſonarum excidia, & alia fere innumera detrimenta ---- Nos itaque tam ingenti, & periculoſa neceſſitate præmiſſorum attente penſata, te, de cujus claris meritis, & probata induſtria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad regnum ipſum, tibi legationis officio plene commiſſo; in eodem regno, ac Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Lodomeriæ, Galatiæ, & Cumaniæ partibus illi conterminis, ut in eis evellas, deſtruas, diſſipes, & diſperdas, ædifices, & plantes in nomine Domini, ſicut videris expedire, de fratrum noſtrorum conſilio, velut pacis angelum deſtinamus: injuncto tibi nihilominus, ut in regno ipſo inter eundem regem, & regni perſonas, nec non tam ibidem, quam in provinciis memoratis inter Eccleſiaſticos, & mundanos viros, & univerſos alios, cujuſcunque conditionis, præeminentiæ, ſive ſtatus agere ſtudeas, & tractare, quæ ad cultum Dei, Apoſtolicæ ſedis honorem obſervantiam Canonicæ ſanctionis, redintegrationem Eccleſiaſticæ libertatis, robur ſtatus regni, honeſtatiſque cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, ac animarum ſalutem, & tranquillitatem corporum pertinebunt.

Et ut circa legationis officium, quod in eodem regno Ungariæ tibi duximus committendum, eo poſſis proſperari facilius, quo ſolicitis legatorum, qui miſſi de latere mare tranſeunt, adornatus inſigniis, perſonam noſtram quodammodo præſentabis, de ſpeciali gratia Apoſtolica tibi auctoritatem concedimus, quod eiſdem inſigniis infra prædictum Ungariæ regnum dumtaxat, & terras dominio ejuſdem regis ſubjectas uti libere valeas, prædictæ legationis

1279. *officium proſequendo --- Datum Viterbii X. Kal. Octob. anno primo.*

Cujus opera ad frugem reducitur.

Firmanus, ut primum in Hungariam appulit, ſic perturbatas regni fere totius res reperit, ut tum primum, quam difficilem provinciam io ſe ſuſcepiſſet, intelligeret. Ab regis exemplo dum omnia in pejus defluxiſſe videret, hunc primum aggredi ſtatuit, quo ad frugem adducto, reliqua per ſe ſe prona erant. Itaque precibus ante omnia cum eo agere, proponere injurias lectiſſimæ Conjugi illatas, fœdum amorem, quo Cumanis mulieribus deditus eſſet, exaggerare, damna, quibus non modo Eccleſia, ſed profana etiam reſpublica in dies objiceretur, ob oculos ponere, orare denique neu ſe perditum iret, reflecteret animum ad præclara Majorum facinora, ſpes, quas de ſe toti Europæ pulcherrimas feciſſet, nefando cum barbaris commercio, ut ne fruſtrari vellet, denique in omnem partem verſare juveniles Regis ignes, ſi qua parte potis eſſet, errantem in viam revocare. Accedebat Præſulum, & Optimatum Hungariæ crebra adhortatio, qui Cumanorum inſolentiam, niſi rex mature caveret, toti regno periculoſam fore liquidiſſimis rationibus comonſtrabant. Mitior ad hæc conſilia Ladiſlaus perſuaderi ſe tandem paſſus eſt, ac pollicitus morem ſe geſturum in omnibus, quæ illi e republica eſſe arbitrarentur, quoque fidem ſuam magis obſtringeret, publicis litteris, quæ facturum ſe receperat, vulgavit.

Idque publicis litteris Rex confirmat.

„Ladiſlaus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Ga„litiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque rex, omnibus Chriſti fidelibus præſen„tes inſpecturis ſalutem in auctore ſalutis.„

„Di-

o) RAYNALD. ad annum 1278.

„Divinæ viſitationis effectum, quo nos Dominus, verus oriens, viſitavit
„ex alto, quo ſanctæ matris Eccleſiæ viſceribus aduniamur, lumine Catholicæ fidei
„illuſtrati, in progenitore noſtro ſancto rege Stephano, ſacro ſanctam Romanam
„Eccleſiam recognoſcimus, ut debemus. In ipſo enim orthodoxæ fidei divina af-
„flante clementia ſacrum redolevit unguentum, in ipſo alluvione cæleſtis gratiæ pul-
„lulante una cum reliquis ſereniſſimis regibus Hungariæ claro germine deſcendenti-
„bus, ab eadem regni gubernaculum ſuſcepimus, & coronam. Et ut principatum
„fidei in ſacro ſancta Romana Eccleſia conſiſtere, eandem Chriſti thalamum, & Tri-
„nitatis hoſpitium luculentius demonſtraret, non a ſe, vel ab alio, ſed ab eadem
„Romana Eccleſia, matre omnium, & Magiſtra, regni diadema revelatione divina
„meruit obtinere, ut ab ea, quaſi quodam capite principali, dona ſua in omne
„corpus diffunderet lux divina, & exortem miniſterii ſe intelligeret eſſe divini, qui a
„Petri ſodalitate recederet deviando. Et quis nihil eſt, quod lumine clariore præ-
„fulgeat, quam in Principe recta fides; cupientes toto mentis anniſu tentoria fi-
„dei Dominicæ ampliare, ejusdem ſanctiſſimi regis Stephani progenitoris noſtri ve-
„ſtigiis pro modulo inhærentes, ut in arcam Domini ſub unitate fidei, inter ceteros
„Cumanorum multitudinem, pro parte charactere Dominico inſignitam, ſuſcepto
„baptiſmatis Sacramento, quamvis adhuc in via morum errantem, reliquam etiam
„partem a ritu paganiſmi ad agnitionem Chriſtianæ fidei, mediante venerabili, &
„ſanctiſſimo patre Dominico Philippo Dei gratia Epiſcopo Firmano, Apoſtolicæ ſe-
„dis Legato, ejuſque ſancto miniſterio, Domini cooperante clementia perducamus,
„quatenus cæleſte regnum proficiat per terrenum, ſolemniter promiſimus, & jura-
„vimus, quod fidem Catholicam, & Eccleſiaſticam libertatem ſervaremus, ac tene-
„remus, ac teneri faceremus, & ſervari in regno noſtro, & terris noſtris ſubjectis,
„quodque conſtitutiones, ac decreta ſanctorum regum progenitorum noſtrorum, &
„bonas conſuetudines eorundem, nec non omnia alia, & ſingula, quæ noſtri progeni-
„tores in ſua conſueverunt coronatione jurare, inviolabiliter ſervaremus, venerabilique
„patri Domino Philippo, Apoſtolicæ ſedis Legato, & aliis, quibus ex officio compereret,
„aſſiſteremus debito cum affectu, juriſdictionis & poteſtatis noſtræ brachio, ad compri-
„mendos, & expellendos hæreticos de regno, & terris noſtris ſubjectis.

„Secundo: juravimus in præſentia prædictorum, quod novem alios articu-
„los, qui fidem Catholicam, & Eccleſiaſticam libertatem, nec non Chriſtianorum,
„& Cumanorum ſtatum tangunt, effectualiter impleremus, & modo ſimili ſervare-
„mus, ac ſervari a noſtris ſubditis faceremus. Demum promiſimus, & juravimus
„venerabili Patri Domino Legato præfato attendere, & ſervari facere articulos in-
„fra ſcriptores, quos pro cultu juſtitiæ, & unitate fidei obſervanda, Uzu, & Tolon
„principales Cumanorum pro ſe, & univerſitate Cumanorum, quorum vicem, &
„conſenſum ſe habere dicebant, in præſentia ejuſdem Domini Legati, & noſtra ſo-
„lemniter, & publice ſe facturos, & ſervaturos ſine refragatione qualibet aſſumpſe-
„runt, & modis omnibus curabimus, & in noſtrum ſuſcipimus officium, & miniſte-
„rium regiæ majeſtatis, ſub obligatione regni noſtri, & noſtra, eoſdem principales
„Cumanorum, & univerſos Cumanos, infra ſcriptos fideliter ſervaturos, omnem ad
„hoc, quod tantum ad noſtrum ſpectat officium, curam, & operam impendendo.
„Qui quidem articuli hoc ordine declarantur, ut ſcilicet univerſi Cumani, & ſin-
„guli, cujuſcunque ætatis, & ſexus, qui nondum ſunt baptizati, volunt, & deſide-
„rant recipere baptiſmatis Sacramentum, & ſuſcipere, & tenere omnia Eccleſiaſti-
„ca ſacramenta, & quæcunque alia ſervanda docet, tenet, & prædicat Romana
„Eccleſia ſacro ſancta, & idolorum cultura, ac omnibus, ac ſingulis paganorum ritibus di-
„miſſis, & prorſus relictis, ſervare Catholicæ fidei unionem: & quod deſcen-
„dent, & recedent a tabernaculis ſuis, & dominibus filthriniis (p), & habitare, & mo-
„rari in villis, Chriſtiano more in ædificiis, & domibus ſolo fixis, expreſſius aſſumpſerunt,
„& conformare ſe in omnibus moribus, & ritibus Chriſtianis, promiſerunt expreſſe.

„Præterea in regno, & terris dominio noſtro ſubjectis, ab omnibus inſolentiis,
„& homicidiis, faciendis, ac interſectione Chriſtianorum, & eorundem ſanguine effun-

p) Petrany Tom. I. Concil. Hung. pag. 95. interpretatur has damos filthrinas, eſſe tento-
ria, nobis idiomate nativo *Sátor*.

„dendo, retrahent penitus manus ſuas, & in antea nullo unquam tempore facient, „nec patientur fieri hujuſmodi aliquatenus per ſuos famulos, & ſubjectos. Præter „hæc iidem Procuratores Cumanorum eidem Domino Legato humiliter ſupplicave„runt, quod ipſe Dominus Legatus, procuret ordinare inquiſitores aliquos fide di„gnos, qui per ſingulas generationes eorum, & generationem gradus, ſibi invicem „quacunque linea attinentes, & per omnes alios ſubjectos eorum inquirant, ut ſciant „ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis veritatem, quam Domino Legato, & nobis re„ferre, & exponere teneantur, ut is, qui in aliquo præmiſſorum tranſgreſſor inven„tus, pœnam Eccleſiaſticam, quam meretur ab eodem venerabili patre, & Eccle„ſia ipſam recipiat, & per nos temporalis vindictæ debitam ſentiat ultionem. Cæte„rum ſæpe dicti Procuratores Cumanorum procuratorio nomine pro ſe, & omnium „Nobilium, & cæterorum Chriſtianorum, quæ, & quas hactenus injuſte, & minus de„bite occuparunt, & etiam tennerunt, aſſerentes, eosdem Cumanos, & ſe eſſe pa„ratos ad remittenda, & reſtituenda juxta mandatum ejuſdem Domini Legati, omnia, „& ſingula ſupradicta.

„Promittimus etiam ſub ſponſione fidei, & præſtiti juramenti, ac obligatio„nibus ſupra dictis, quod, ut præmiſſa omnia, & quæcunque alia pro ampliatione fidei „Chriſtianæ & Eccleſiaſticæ libertatis, ac ſublimatione regalis ſolii, & ſtatu pacifico „regni noſtri faciendo, vigeſimo die poſt feſtum Joannis Baptiſtæ duxerit ordinanda, „acceptabimus, ſervabimus, attendi, & ſervari ab omnibus noſtræ dictioni ſubditis „firmiter faciemus. Quæ omnia, videlicet articulos prænotatos, & alia, quæ in „præfato convocatione per ipſum dominum Legatum fuerint ordinata, & ſolemniter „publicata, ad æternam rei memoriam in noſtris ſcriptis publicia, ſub bulla aurea ſe„riatim redigi faciemus, ac ſic redacta, & bullata Legato trademus, & tradi fa„ciemus præfato. Quod ſi præfatos Cumanos ad prædicta, & ſingula obſervanda, „& implenda, exhortationibus, perſuaſionibus, rationibus & precibus forſitan indu„cere non poſſemus; recepimus, promiſimus, & juravimus quod in congregatione „prædicta, contra dictos Cumanos indicemus, & faciemus exercitum generalem de „regno, & terris noſtris ſubjectis: ad quem noſtros, & regni noſtri invitabimus, & „invitari faciemus amicos, ad compellendum eos per dictum exercitum, & alios „quoslibet utiles modos, brachio regiæ poteſtatis ad recipienda, facienda, ac etiam „obſervanda omnia, & ſingula ſupradicta.

„Promittimus ſub obligationibus ſupra dictis, quod eos faciemus dare ne„ceſſarios obſides, cuſtodiendos, & tenendos juxta regnum, & terram noſtram ad „mandatum, & præceptum præfati Domini Legati in loco, ſeu locis, per illum, „ſeu illos, de quo, vel quibus eidem Domino Legato videbitur expedire. In quo„rum omnium teſtimonium, memoriam, & notitiam pleniorem, nec non perpe„tui roboris firmitatem præſentes conceſſimus litteras, duplici ſigilli noſtri appenſio„ne, & munimine roboratas. Datum Budæ per manus Magiſtri Nicolai aulæ noſtræ „vice Cancellarii, dilecti & fidelis noſtri. Anno Domini MCCLXXIX. Kalendis „Julii, regni autem noſtri anno. VII. (*q*).

Atque hinc perſpicuum eſt, regni turbas a Cumanis ut plurimum ortas fuiſſe, qui dum Nomadum inſtar Hungariam circumvagi oberrarent, Eccleſiarum, & Nobilium fundos per injuriam invadere, ac defenſionem parantes trucidare conſueverint. Quæ cum rex femineis illecebris captus diſſimularet, quin conniventia quoque animos illis adjiceret, mirum non eſt, mutuas animorum diſſenſiones ad apertam vim ſpectaſſe: quod cum ſacræ tum profanæ in primis reipublicæ exitiale futurum metueretur, plerique optimatum Pontificem de periculo edocendum cenſuere, ut malum in ipſo ortu ſua auctoritate per Legatum Apoſtolicum præfocaret: cujus

q) Raynald. ad annum 1279. & Peterfy Tom. I. concil. Hung. pag. 94. Ceterum liquet ex his litteris, quod ſupra inſinuavi, Ladislaum regni ſui annos ab anno MCCLXXIII. inire ſolitum fuiſſe, id quod ex pluribus diplomatibus conficitur. Ita in Diplomate, quo ſanctimonialibus Budenſis inſulæ novam donationem confirmat, annum 1280., ait regiminis eſſe annum VIII. Item cum Epiſcopo Zagrabienſi Timotheo donat Comitatum Gerſenze, vocat annum 1277. regni ſui annum V. In eadem cauſa, annum 1284. ſcribit eſſe annum regiminis XII. Rurſum in eodem argumento editis publicis litteris habetur annus 1274. regiminis annus ſecundus &c.

jus precibus, ac conſiliis rex ſaniora edoctus, publicis litteris, ut narratum eſt, ſe in
arbitrio Eccleſiæ futurum promiſit. Neque ipſo opere promiſſis inferior fuit: Lodo-
merium enim & natalium, & virtutum ſplendore ornatiſſimum, quem Pontifex e Va-
radienſi ſede ad Metropolitanam traduxit, ſuo itidem judicio confirmavit: tum Pe-
trum, quem Veſprimienſes ſacerdotes nulla da cauſa Epiſcopatu deturbarant, priſti-
no honori, & dignitati reſtituit.

Ea regis voluntate, tum tempore Firmanus utendum ratus, ſynodum Budæ
ad idus Septembres celebrandam omnibus Hungariæ Præſulibus indixit, in qua cum
multa de inſtaurandis Clericorum, ac religioſorum moribus, qui magnopere deflu-
xerant, ſapienter conſtituta ſunt, tum illud præcipue memoria dignum, Lodome-
rium Pontificis, ac regis voluntate, regni, ac totius Eccleſiæ Hungariæ Primatem
creatum eſſe; ex quo eam dignitatis prærogativam ad ceteros quoque Strigonien-
ſes Archi-Epiſcopos manaſſe veriſimile eſt. Collectos in ſynodo Patres haud
multo poſt Ladiſlai levitas magnopere perturbavit. Vetuerat civibus Budenſibus,
ne quidquam commeatus importari ſinerent, Patreſque urbe ejicerent, qui non mo-
do, quod imperatum erat, naviter fecere, ſed correptis etiam armis vim in ſacros
viros apparabant. Quid regem huc temeritatis adduxerit incertum eſt: ſive aucto-
ritatem ſuam per decrata ſynodi elevari videret: Firmanus enim, credo jurium Hun-
gariæ haud ſatis gnarus, diſerte vetuerat, ne quis beneficium Eccleſiaſticum a profa-
nis hominibus acciperet, quod quamquam Hungariæ regum juribus pernicioſum eſſet,
tamen tanti non erat, ut Ladiſlaum ad vim dignitati regiæ tam parum congruam pro-
gredi neceſſe fuerit, præſertim, quod prærogativis ſuis conſulendi via & planior, &
decori publico magis accommoda ſupereſſet: ſive, quod potius reor, novis Cuma-
narum mulierum amoribus irretitus vereretur, ne Patres, huc enim ſynodus præci-
pue ſpectabat, iis ſe ſuis ingratiis expeditum darent. Quidvis ſit, Firmanus, fru-
ſtra tentato rege, & urbis civibus, Epiſcopos ad ſedes ſuas dimiſit; ipſe, quod
Ladiſlaus graviter in eum animadverſurus ferebatur, fuga in Poloniam ſe ſubduxit.

Redit ad priſtina vitia.

Nicolaus, poſtquam regem in priſtina vitia relapſum, & ſynodum tam in-
dignis modis interruptam ex nunciis comperiſſet, veritus ne mali labes cum totius
regni periculo latius vulgaretur, Rudolfum Imperatorem, tum Carolum Siciliæ re-
gem, Ladiſlai ſocerum, per litteras adhortatus eſt, ut ferocientem, ac laſcivientem
juvenem ad reſipiſcendum adducerent; & ne quidquam, quod ad animum illius ex
cœno extrahendum faceret, omittere videretur, ad Ladiſlaum quoque in hæc verba
graviſſime ſcripſit (r).

Arguitur propterea graviter a Pontifice.

Regi Ungariæ illuſtri, Spiritum Conſilii ſanioris.

„Militantis Eccleſiæ pater æternus proprium filium JEſum Chriſtum, præter
„quod nemo aliud ponere poteſt, poſuit fundamentum. Ad cujus Eccleſiæ regimen
„voluit Chriſti clementia Romanum Pontificem vice ſui deputari miniſtrum, ut ejus
„fidem, inſtinctionem, atque doctrinam, eloquio veritatis Evangelicæ traditas, cun-
„cti renati fonte baptiſmatis teneant, & obſervent. Qui enim ſub hac fide lauda-
„biliter curſus vitæ peregerint, Salvatoris gratiam merebuntur; & qui ab ipſa declina-
„verint, ſunt damnationis æternæ ſententia feriendi. Hoc itaque miniſterium Apoſto-
„licæ ſervitutis expoſcit, hoc ſolicitudo noſtra requirit, & ad hoc continuis vigiliis
„anxiamur potiſſime, ut fides ipſa ubilibet ſervetur, & vigeat, ſubmotis quibuslibet
„nubibus clare reluceat, & effundat in ſingulos illam profitentibus libere ſuos
„radios claritatis, nec minus pro Eccleſiaſtica libertate ſervanda curis quotidianis
„inſiſtimus, & quietem quærimus fidelium populorum, in iis paſtoralis officii de-
„bitum exſolventes. Unde non indigne de tua, regnique tui ſalute more patris
„ſoliciti cogitantes, ac olim intellectis tumultuoſis motibus dicti regni, & ſedi-
„tioſis tumultibus incolarum illius, qui per diſſidia ſimultatum alterutrum illius,
„diſſidebant, & mutuis congreſſibus collidebantur immaniter, quæ quidem do-
„no pacis poſtpoſito regale ſolium graviter deprimebant, ejuſque depreſſo regimi-
„ne non ſolum in regno ipſo vaſtabantur bona fidelium, ſed jura Eccleſiarum, & alio-
„rum piorum locorum diripiebantur enormiter, & libertatem Eccleſiaſticam inſolen-

r) Raynald. ad eundem annum Num. 35.

1279. „tia damnabiliter conculcabat, animarum quoque ſubſequebantur deploranda pericu-
„la, nefanda perſonarum excidia, & alia fere innumera detrimenta, nos veriſimi-
„liter hæſitantes, ne ex iis fidem ipſam vacillare, libertatem eandem, & juſtitiam
„conculcari, ac errores ſchiſmaticos pullulare contingeret, licet conſideraremus inter-
„dum, ſi concurriſſet cum poſſibilitate decentia, noſtram ibidem exhibere præſen-
„tiam, ut circa hæc præſentialiter ſtudia noſtra verſando, apud Deum, & patrem
„retributorem omnium in ſic gratias, & acceptis obſequiis mereremur, tua culmina
„præſevaremus a fluctibus, & tam te, quam dicti regni populum præſentialibus re-
„ficeremus affatibus, & exhibitionibus ſpiritualium gratiarum; quia tamen id non
„patiebatur noſtra conditio, nec emergentium undique negotiorum immenſitas per-
„mittebat, venerabilem fratrem noſtrum Philippum, Epiſcopum Firmaoum, Apo-
„ſtolicæ ſedis Legatum, de cujus induſtria, circumſpectione provida, & fidei puri-
„tate confidimus, ad partes illas, tanquam pacis engelum, de fratrum noſtrorum
„conſilio duximus, deſtinandum, ut perſonam noſtram Prælatis, tibi, ac aliis illa-
„rum partium Catholicis, & aliis præſentaret, & quæ deo placitura, dictoque regno
„ad ſalutem profutura, & ad Chriſtianæ fidei, ac tui ſtatus, fulcimenta pertinere
„cognoſceret, auctoritate noſtra munitus impleret. Utinam in hac parte noſtris de-
„ſideriis ſatis fiat.

„;Profecto te affectibus paternis alloquimur, & tibi noſtræ mentis aperimus
„intrinſeca, ut de patris pectore colligas, quod tuæ proſperitatis commoda quæri-
„mus, & in tuis ſucceſſibus proſperis delectamur: devota quoque horum attentione
„percipias, quod tuæ ſalutis zelatores exiſtimus, nec omittimus actus tuos dirigere
„precibus, interdum linire commonitis, & ad te, cum expedit, correctionis pater-
„næ virgam extendere, ac ille feriente a te indecentia quæque prorſus excutere, ut
„exultent corda fidelium in lumine vultus tui, tuque proſpere procedens, & regnans,
„tandem participationem æternæ gloriæ merearis; &, ſi qua forſan ex noſtris eloquiis
„amara colligeres, tenere te volumus, quod ex amoris dulcedine talis amaritudo
„procedit, & finaliter a te grate percepta dulceſcet.

„Licet itaque in primo ipſius Legati progreſſu, diſplicuerit nobis, & meri-
„to, quod, ſicut audivimus, tu ejus reformidans edventum, & ingreſſum, for-
„ſan dubitans, illum dicebaris, quod invite referimus, impedire, cum non dece-
„ret de patre filium dubitare, nec opinari, ſeu debere præſumere, quod Romana
„Mater Ecclesia - - in te ſæviens quiquam tibi novum transmitteret, vel celſitudini
„regiæ ac regno prædicto, quod in memoria noſtra teneamus acceptum, quod Chri-
„ſti miniſtros producit electos, & viros religione fœcundos, inclytos Catholicæ
„fidei profeſſores, & in quo degit Catholicus populus, mandatorum Domini ſecta-
„tor eximius, peregrinationibus, pœnitentiis ab illis piis vacans operibus, prout in
„pluribus experimur, fomenta negaret propinare ſalutis, tamen reſumſimus in men-
„te lætitiam, gratanter audito, quod tu poſtmodum, ingreſſu dicti Legati percepto,
„te ipſius inductionibus, & ſalutaribus monitis regali manſuetudine conformaſti, &
„animum tuum ad omnipotentem Dominum, ut videbatur devote concurrens, di-
„cta tibi per eundem Legatum tam ſuper obſervatione fidei ac decretorum, & con-
„ſuetudinum progenitorum tuorum, & conſervatione libertatis Eccleſiaſticæ, quam
„hæreticorum repulſione de regno prædicto ſervare, ac in terris tuis ſervari facere,
„ſuper altare tactis Evangeliis promiſiſti: quodque ipſius Legati monita ſuper libera-
„tione Chriſtianorum, quos Cumani, & alii pagani ſub ſervitute tenebant, benigne
„recolligens, quod Chriſtianos a Cumanorum obſequiis retraheres, quod compelle-
„res Cumanos ad habitandum in domibus ſolo fixis, & eos baptizatos notiſſime ad de-
„ſtructionem cogeres idolorum, nullum etiam infidelem, vel quem ſcires excom-
„municatione ligatum, in officialem regium, vel familiarem admitteres, quod tam
„in te, quam in illis, de regno tuo, dimiſſo paganorum abuſu, reſumeres Chriſtia-
„norum habitum tam in veſtibus, quam capillis, Cumanos inſuper reſtituere mo-
„naſteria, & Eccleſias, occupata per ipſos, ac apoſtatas dicti regni ad ordines redi-
„re compelleres, cum ab eorum Prælatis exiſteres requiſitus, & quædam alia dire-
„ctionem regni, & ſalutem continentia ſtatus tui coram ligno crucis ſolemniter in al-
„tari, primo, & iterum regia fide data Ungarico more juraſti. Et dum exſpecta-

„retur,

 An. Chr.
„retur, quod in bujusmodi propoſito ſalutari concreſceres, prædicta ſic promiſſa 1279.
„pluries, & jurata per te non fuerunt, proh dolor, ut ſperabatur impleta, quam-
„quam Cumanorum nuncii certos recepiſſent, & approbaſſent articulos, uno exce-
„pto, videlicet de barbis radendis, & crinibus breviandis, ad quod te Pælatis, &
„Baronibus regni prædicti eundem Legatum inducentibus, tu eidem Legato, quod
„cætera alia ſervari faceres, promiſiſti, coronam, & regnum tuum propter hoc ſpe-
„cialiter obligando. Et poſtmodum pro eo, quod præmiſſa, quæ promiſeras, &
„juraveras, ut prædicitur, adimplere diſtuleras, te graviter deliquiſſe humili ſpiritu
„recognoſcens iterum cum obligatione ſimili, per manum dextram regia fide data,
„Ungarico more ſimiliter, & denuo te excommunicatum, & regnum tuum propter
„hoc juſte interdicto fuiſſe ſuppoſitum recognoſcens, tactis ſacro-ſanctis Evan-
„geliis juraſti, & renuntiando appellationibus, exceptionibus, & impugnationibus
„quibuslibet, promiſiſti etiam implere per omnia ſupradicta.

„Sed nec iis non ſine nota tui nominis, prout decuit, obſervatis, miramur,
„& mirando tibi compatimur, & compatiendo dolemus, quod te famam regalis no-
„minis reprehenſivæ inconſtantiæ, in Pri..ipe maxime, lacerari remorſibus negli-
„gentiæ, ac in vetita toties, non ſine Dei offenſa, & inconſtantia notabili, relaben-
„te, prædicta ſic per te jurata toties, & promiſſa, & obligationibus roborata, ne
„dicamus contemta, reperiuntur amiſſa: & demum, audito quod te impro-
„vido appellationis refugio, imo potius diffugio commiſeras, & prætextu appel-
„lationis hujuſmodi, quaſi baculo arundineo inhærens, non ſolum Legato non parebas,
„eidem ſecundum te ipſum, nec non & alios ab ejus Prælatorum ſibi adhærentium
„obedientia, non abſque notæ macula, interdum comminationibus, inductionibus,
„interdum pœnarum inflictionibus retrahebas, in eo potiſſime tanto graviori dolore
„perpungimur, & anxiamur anguſtia, quanto incautius ſuper his te ipſum, animam,
„& regnum tuum diceris involviſſe, unde progredi videris in deorſum, &, niſi re-
„ſilias, in ruinam.

„Nos itaque more paſtoris de commiſſo nobis grege dominico, & ſalute tua,
„juxta offi..ü noſtri de..itum, ne videamur in te, ac regno prædicto negligere, quod
„in Catholicis Chriſtianis amamus, ſedulo cogitantes, ac licet nondum ad nos ex
„parte tua ſuper proſecutione appellationis hujusmodi nuncii, ſeu procuratores tui
„venerint, præmiſſis abſque intermiſſione temporis occurrentes, te, ne ſub talibus
„nubibus ceſpitando præcipites, paſtoris miniſterio non adjutus, ad tuam, & re-
„gni tui ſalutem, ſub ſpe ſummi patris promptis adhibitis ſtudiis prævenimus.

„Attende igitur rex inclyte! cogita, & revolve, quo duceris, & a quibus?
„quid poſtpoſueris, & cui, vel quibus inhæſeris? attende te ipſum, & vide quod
„dicitur, dum auditur, quod regalis domus Ungarica, quæ conſuevit ad latus Chri-
„ſti contra infideles producere, ac inſurgere ad reprimendam aſtutiam barbarorum,
„& quæ viros enutrivit electos Catholicæ fidei profeſſores, Deum, & Matrem Ec-
„cleſiam reverentes, Cultores juſtitiæ, religionis Chriſtianæ ſervatores præcipuos,
„& piorum operum ſedulos ſectatores, tali, & tanto, quod ex præmiſſis colligitur,
„nefando contagio maculetur. Attende, quod in præſenti negotio agitur cauſa Chri-
„ſti, a quo non eſt appellationibus divertendum; nam ipſe ſcrutator cordium judicat
„illos Deus. Quibus allegationibus te munies, dum, ut dicitur, juramentorum, &
„tot promiſſionum violator, maxime contra fidem, libertatem Eccleſiaſticam, in
„notoriis inſuper, in eo etiam, quod eſt tempore periturum, contra renunciatio-
„nem tuam, ac ſalutem propriam, ſub pallio talis appellationis inobediens coram
„Chriſti vicario præſentaris? reſpuunt interdum in talibus appellationes, ne dum di-
„vina, ſed humana judicia. Quibus te poteris apud juſtum judicem excuſare ſuffra-
„giis, dum ſalutem tuam & regalis nominis famam poſtpoſuiſſe ſic diceris, & pa-
„teris, quod ſub tuo prætextu in regno ſic Catholico, unde conſcripta ſanctorum
„merita colit Eccleſia, fluctuet fides Chriſti; quibus defenſionibus poteris coram
„illo ſubſiſtere, qui patiens, & humilis miſeretur, & commodat, & tandem provocatus
„ad iram mucrone duræ ſententiæ ferit, & deprimit obſiſtentes?

„Abſit, quod tu talibus contracteris inſultibus: abſit, quod tantum Prin-
„cipem, & ſic electum regnum, ſicque copioſam fidelium multitudinem periclitari

 „noſtro

1279.

„noſtro tempore videamus. O quanta producimus, & quam amara ſuſpiria, dum „te, ac dictum regnum, ſic nobis chara, tantis videmus ſubjicere periculis! O „quam profunde diſtrahimur, dum aſtutias infidelium ſubtilius judicamus, & quanto „languore diffundimur, dum timemus nequitiam ſitientium Chriſtiani populi colli„dere veritatem, nam ipſi ſchiſmatici, tecum barbaricio more luctantes; tibi ſe „ipſos ſeditioſa calliditate ſubjiciunt, ut tandem ſibi ſubjiciant tui nominis claritatem. „Ad quæ divinam clementiam rationum ſuffragiis humiliter imploramus, ut digne„tur ab oculis tuis omnem nubem excutere, per quam poſſet in te ſuperioris lumi„nis beneficium impediri, ut excluſa tenebrarum caligine, quid ſis, & ubi, quid „agas, quidque tuis merearis actibus tam exteriori, quam interiori lumine contem„pleris. Et nihilominus illius vices gerentes in terris, qui pro ove deperdita adfla„gella duci, clavis affigi, & tandem mortem ſubire voluit, ut mortem noſtram „moriendo redimeret, & quas protoplaſti delicto meruimus, miſerias tolleret infer„nales, nos, & fratres iidem, non ſolum in his adhibere, quæ videbuntur oppor„tuna, remedia, ſed nos ipſos etiam, prout tenemur, pro conſervatione Catholi„cæ fidei, ſi expedierit, exhibere proponimus, ut tuam, & regni præfati ſalutem, „& ſi oportuerit non ſolum ſpiritualibus, ſed temporalibus correctionibus procure„mus.

„Et licet ſperemus in bonorum omnium directore, quod ipſe te reducet, „ad gratiam, & diriget per ſuorum ſemitam mandatorum, ſi tamen, quod abſit, in „præſenti veritate caleſceres, firma fide tenemus, quod nobis aderit ipſe propitius, „& ſua potentia prævalebit. Digne quoque confidimus, ſic Prælatos, Barones, „& populum regni præfati, ad Deum, & matrem Eccleſiam ſincera devotione fer„vere, & in divinis beneplacitis radicatos, quod non ſolum te in talibus non con„foverent flagitiis, ſed zelo fidei, & fervore Chriſtianæ religionis accenſi potius „tuos actus reprobandos inſurgerent pro conſervanda gloria Redemtoris.

„Exſurge igitur per te ipſum, & imbutus Spiritu ſalutari, mente conſurge: „animum tuum regali conſtantia, & ad creatorem tuum ſincera magnanimitate refor„ma; & illi pure, ac ſimpliciter irrefragabili ſoliditate ſtudioſius te conforma, ejus „nutibus dirige actus tuos, a quo dependent omnium mors, & vita. Exſurge, nec „tepeas illius te beneplacitis humili ſpiritu devovere, cujus eſt proprium miſereri „ſemper, & parcere. Conſurge fortis, & prudenter audi verba, quibus te Chriſti „Vicarius alloquitur. Illa ſume, ſumtaque diligenter attende: nam te dante cauſam, „deducunt ad verbera, ut te ipſum correctione paterna reformes, nec avertas man„ſuetudinem matris Eccleſiæ, filium trahentis ad ubera, ut ipſum materna dul„cedine liniat, & reficiat gratia ſalutari. Et exſurgens humiliter de tua vel cujuſvis „alterius contra Deum potentia non confidas; ſicque faciens, ſicut Catholicus Chri„ſtianus, regalibus circumfultus virtutibus, de quadam Deo placita neceſſitate vir„tutum, & in dicto Legato perſonam noſtram devote contemplans, ſicut nobis in „prædictis, & aliis Legato parere, prætextu cujuſquam appellationis indebite, vel „incauti conſilii non dimittas eidem, ſed ei potius ſic promte, & humiliter aquieſcas, „promtitudine regali corrigas per te in hac parte commiſſa, & pœnitudine plena, & „intentione perfecta places altiſſimum, quod nos, & dicti fratres per ipſius Legati, „tuas, Prælatorum, & Baronum regni præfati litteras, & alias etiam optata, & Deo „accepta gaudia cum efficaci, & devoto regali promtitudine de tuis actibus, dante „Domino velociter colligamus: ipſe quoque pius pater tibi placatus arrideat, ſolium, „& regnum prædicta ſolidet, dirigat, & reformet, ac te, dictumque regnum uber„tate fœcundet, tuque progenitorum tuorum ſequens clara veſtigia, quolibet nubi„lo fugato, reluceas, & plene percipiens nominis divini fragrantiam, & efficacius „ad amorem ejus allectus, ad dona cæleſtis gratiæ valeas tandem benedictionis filius „pervenire: nec cogamur, quod faceremus invite, circa hæc alia remedia cogita-

1280. „re. Datum Romæ apud S. Petrum V. Idus Decembris anno II.

Cujus monitis perſtrictus meliora iterum ſpondet.

Ladislaus his litteris perſtrictus, ac agentibus præterea Rudolfo Cæſare, tum Carolo Siciliæ rege ad frugem ſequente anno rediit, Apoſtolicum Legatum e Polonia revocans, ſummaque honoris, & benevolentiæ ſignificatione complexus. Incredibile dictu eſt, quanto ſolatio pius Pontifex, ac optimatum Hungariæ plerique

„in-

inceſſerint, cum regem facti pœnitentem intuerentur, præſertim, quod ſuapte ingenio, & Legati coolilio centum argenti marcis quotannis in uſum egenorum diſtribuendis ſe ipſum mulctari, & errores ſuos in publicis litteris vulgare non refugerit. Dignæ prorſus ſunt, ut poſterorum memoriæ conſignentur (*s*).

Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque rex omnibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, ſalutem in auctore ſalutis.

Cum ad Catholicos, & Deo devotos Principes, & quoslibet alios Chriſtianæ fidei profeſſores principaliter quaſi ſpectare noſcatur, culpas ſuas agnoſcere, & Eccleſias, ac alia pia loca ad uſum pauperum, & egenorum, ac infirmorum Chriſti ædificare, notum fieri volumus univerſis, quod cum tempore ſacri concilii per venerabilem patrem, dominum Philippum Dei gratia Firmanum Epiſcopum, Apoſtolicæ Sedis Legatum in caſtro Budenſi devote, & ſolemniter celebrati, nos fervore juventutis contra noſtram ſalutem accenſi, & quorundam pravorum conſiliis depravati, atque ſeducti, in noſtram hoc inferri injuriam æſtimantes, quod erat ad propagationem virtutum, excluſionem etiam vitiorum, judici, & civibus dicti caſtri Budenſis ſub gravibus pœnis dedimus in mandatis, ut Prælatos regni noſtri, ad mandatum domini Legati præfati ibi occaſione dicti concilii congregatos, de caſtro ipſo excluderent, nec aliquas in dictum caſtrum permitterent introire, quodque eis, & familiæ eorundem victualia, & venalia prohiberent. Tandem paterna manſuetudine ab ipſo Domino Legato pie, & leniter informati, ad eruditionem, & frequentem inductionem ipſius exceſſum noſtrum in hujuſmodi cupientes miſericordiæ operibus expiari, cum crimina eleemoſinis redimantur, in perpetuam eleemoſinam ad mandatum ipſius Domini Legati donamus, concedimus, atque offerimus eidem reverendo patri, domino Legato, recipienti nomine, & vice egenorum, ac pauperum, & infirmorum Chriſti centum marchas argenti annis ſingulis perpetuis temporibus, ipſorum pauperum, & egenorum, ac infirmorum nomine percipiendas, ad opus conſtruendi unum hoſpitale pro ſuſtentatione dictorum pauperum, egenorum, ac etiam infirmorum, & in ſolatium eorundem in regno noſtro, ubi, quando, & ſicut præfato Domino Legato videbitur expedire, & per ſe, vel per alium duxerit ordinandum: irrefragabiliter ſtatuentes, quod dictæ centum marchæ per nos, & ſucceſſores noſtros annis ſingulis perpetuis temporibus perſolvantur de argenti fodina noſtra, Quiyluylch bana vocata (ſſ), circa Scepes (t), qui per ipſum, vel alium, qui de mandato ipſius, aut per venerabilem patrem Lodomerium, Dei gratia Strigonienſem Archiepiſcopum, ad curam, miniſtrationem, & gubernationem dicti hoſpitalis fuerint deputati, nos, & cameram noſtram, noſtroſque ſucceſſores ad prædicta omnia & ſingula per præſens privilegium obligantes. Quod ſi caſu aliquo dictam argenti fodinam deficere, diminui, vel deperire contingeret, quod dictæ centum marchæ de ipſius argenti fodinæ proventibus ſolvi non poſſent, aſſumimus, promittimus, ordinamus atque ſtatuimus, nos, & Cameram, & ærarium noſtra, ut ſupra obnxi obligantes, quod dictæ centum marchæ de camera, vel ærario noſtris, annis ſingulis perſolvantur, tam pro ſatisfactione præfatæ injuriæ, & offenſæ per nos Deo, & Eccleſiæ irrogatæ, quam pro noſtro, & progenitorum noſtrorum remedio peccatorum. In cujus rei memoriam ſempiternam, & perpetuam firmitatem præſentes conceſſimus litteras duplicis ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum per manus diſcreti viri, Magiſtri Bartholomæi, aulæ noſtræ vice Cancellarii, dilecti, & fidelis noſtri, anno Domini MCCLXXX. XV. Kal. Septembris, regni noſtri anno VIII.

Hæc quaotum ad ſe privatim attinerent: nihilo minorem curam ceterorum quoque geſſit, quos exemplo ſuo ad mali conſecutionem pertraxiſſet; illud in primis accurrans, ut ne hæretici, qui conniventia ſua malum latiſſime ſparſerant, Eccleſiæ periculum afferrent. Graviſſimas in eos leges hoc anno Nicolaus promulgavit, quas, ne fidei decus in regno obſoleſceret, a ſuis ſervari Ladislaus quoque mandarat, editiſque litteris omnes ſine diſcrimine ea religione teneri voluit. Poſtulat rei gravitas, ut has prioribus conjungamus (*u*).

s) Raynald. ad an. 1280.

ſſ) Nomen videtur legentis autographum errore contortum: nam hujus quidem nominis metallurgica urbs nuſpiam exſtat.

t) Videtur Scepuſium innuere: itaque fodina illa haud procul iſthinc quærenda.

u) Raynald. ad eundem an, Num. 9.

Editque adverſum hæreticos litteras.

Ladislaus Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque rex omnibus Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in omnium ſalvatore.

Ad univerſorum tam præſentium, quam futurorum notitiam harum ſerie volumus pervenire, quod nos ad imitationem ſanctorum progenitorum noſtrorum, cupientes ſanctam fidem Catholicam in regno noſtro, miſerante Deo, per ipſorum progenitorum noſtrorum miniſterium propagatam, atque firmatam, evulſis atque deſtructis inde erroribus, & eliminatis, atque exterminatis hæreticis cujuſcunque erroris, vel ſectæ, qui Eccleſiam, & fidem Catholicam demoliri damnabiliter moliuntur, & ſpecialiter de Ducatu noſtro, ac Diœceſi Boſnenſi, & quibuſdam adjacentibus terris ſub noſtra jurisdictione, ac dominio conſtitutis, in quibus diverſæ hæreticæ pravitatis ſectæ, peccatis exigentibus, in contumeliam Creatoris, & fidei Chriſtianæ opprobrium, noſtrum, & regni noſtri ſcandalum, & infamiam manifeſtam jam dudum miſerabiliter pullulaſſe, & damnabiliter excreviſſe noſcuntur, per regalis noſtræ auctoritatis, & poteſtatis officium, at miniſterium dilatari; omnia ſtatuta, conſtitutiones, leges, & jura, atque decreta contra hæreticos, & hæreticam pravitatem quibuſcunque nominibus cenſeantur, per ſanctam ſedem Apoſtolicam edita, accepta, & quomodolibet approbata, ad requiſitionem & commonitionem Reverendi patris, Domini Philippi, Dei gratia Firmani Epiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Legati, devote recipimus, acceptamus, at etiam approbamus; præſenti pagina ſtatuentes: quod hujuſmodi ſtatuta, conſtitutiones, leges, & jura, atque decreta in regno, & omnibus terris nobis ſubjectis, tam per nos, noſtroſque ſucceſſores, quam per Duces, Comites, Barones, Nobiles, Judices, Officiales, ac populos univerſos regni noſtri, & terræ noſtræ juriſdictioni ſubjectæ perpetuis temporibus inviolabiliter obſerventur, decernentes, ſtatutorum, conſtitutionum, legum, & jurium, ac decretorum hujuſmodi transgreſſores, ſeu violatores, pœnis Canonicis, atque legitimis in eiſdem ſtatutis, conſtitutionibus, legibus, juribus, ac decretis contentis ſubeſſe, & ſubjacere debere; ipſaſque pœnas, & alia, quæ in eiſdem ſtatutis, & legibus continentur, nec non & ſententias, quas auctoritate eorum ferri contigerit, per nos, noſtroſque ſucceſſores, ac regni noſtri judices, & officiales, & alios quoſcunque in regno noſtro juriſdictionem habentes, executioni debitæ irrefragabiliter mandari debere. Si qui autem hujus ſtatuti noſtri tranſgreſſores exſtiterint, indignationem noſtram merito ſe noverint incurriſſe, & regiam ſentient ultionem. Datum per manus diſcreti viri, Magiſtri Bartholomæi aulæ noſtræ vice Cancellarii, anno Domini MCCLXXX. Indictione VIII. regni autem noſtri anno VIII.

Ejus ſtudio ſuam mater operam conjungit.

Boſnenſes hæretici, quos præcipue exſtinctos rex voluerat, ſine dubio Paterenorum reliquiæ fuerint, de quibus & prolixe, & crebro ſuperioribus annis a nobis memoratum eſt. Filii ſtudio ſuam quoque operam mater Eliſabetha conjunxit, mulier, quamquam ex Cumanis orta, proba tamen, &, niſi animum nimia rerum cupiditate inquinaſſet, inter lectiſſimas cenſenda. Ediderat ejuſdem argumenti litteras adverſum hæreticos, quibus conatus Ladislai adjutum ibat; quæ, etſi prioribus perſimiles ſint, tamen quod eas omnium primas, quas Hungariæ regina vulgarit, eſſe putem, haud prætermittendæ erant (x).

Eliſabeth (y) Dei gratia major regina Hungariæ, Duciſſa de Machow, & de Boſna, omnibus Chriſti fidelibus præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in omnium Salvatore.

Ad univerſorum notitiam harum ſerie volumus pervenire, quod cupientes ſanctam fidem Catholicam in Ducatibus de Machow, & de Boſna, & in Comitatibus de Poſega & Valcon, ceteriſque Comitatibus noſtræ jurisdictioni ſubjectis, ac aliis, quos juvante Deo, nos habere contigerit in futurum, deſtructis erroribus, ac eliminatis, atque deſtructis inde hæreticis, qui Eccleſiam ſanctam, & fidem ipſius demoliri, atque deſtruere damnabiliter moliuntur, per noſtræ regalis manſuetudinis, ac poteſtatis, nec non juriſdictionis officium, & miniſterium dilatari; ad requiſitionem, & commonitionem reverendi patris noſtri Philippi, Dei gratia Firmani Epiſcopi, Apoſtolicæ ſedis Legati, promittimus, & aſſumimus per præſentes, quod omnia ſtatuta, jura, atque decreta contra hæreticos, & hæreticam pravitatem, quibuscunque nominibus cenſeantur, per ſanctam Sedem Apoſtolicam edita, aut approbata, ſeu etiam acceptata obſervabimus, & ad mandatum Eccleſiæ ſanctæ Romanæ, & per nos etiam ea faciemus a noſtris ſubditis in Ducatibus, ceteriſque Comitatibus, noſtræ regnali

poteſtati

x) Idem ibid.

y) Majorem ſe ſcribit, ad diſcrimen junioris Eliſabeth, ſeu Iſabellæ, quæ Ladislai filii conjux erat.

poteſtati ſubjectis, inviolabiliter obſervari, decernentes ex nunc, ſtatutorum, & decretorum hujuſmodi tranſgreſſores, atque violatores per pœnas Canonicas, atque legitimas compelli, eiſque pœnis ſubjacere, & ſubjacere debere. Si quis autem contra hujuſmodi ſalubria ſtatuta, & ſanctam ordinationem fidei Catholicæ contraire præſumpſerit, iram omnipotentis Dei, & noſtram indignationem ſe noverit incurſurum. Ut igitur hujuſmodi ſponſionis, ſeu promiſſionis ſeries robur obtineat perpetuæ firmitatis, nec poſſit ullo unquam tempore in irritum revocari, præſentes conceſſimus litteras, ſigilli noſtri duplicis munimine roboratas. Datum per manus Magiſtri Lucæ, Strigonienſis Eccleſiæ Præpoſiti, aulæ noſtræ Cancellarii, fidelis noſtri anno Domini MCCLXXX. XIII. Kal. Septembris, Indictione octava.

1281. Ladislao toties, & data fide publica ad frugem reverſo, reſpiratura videbatur tantiſper Hungaria, cùm repente, nihil tale opinantibus pleriſque, rex laxato cupiditatibus fræno, inſania rurſum Cumanarum mulierum amoribus irretitus, non modo barbarorum mores, ſed habitum quoque reſumſit, ex quo illi cognomentum Chuni, aut Cumani poſtea adhæſit. Inde optimatum pleroſque, quos patriæ charitas in paucis agebat, mæror ingens accepit: Firmanus præcipue Pontificia Legatus, qui tot ſuos labores in irritum cecidiſſe videret, regis levitati indoluit, egitque omnia, & incredibili ſtudio, ut errantem revocaret. At ubi conatus omnes fruſtra fuere, Ladislaum publico anathemate percuſſit, duoſque Epiſcopos, qui juvenis libidinibus turpiſſime ſubſerviebant, ſacrorum poteſtate privatos, ex ſedibus ſuis deturbavit, pari ſententia eos perſtringens, qui Cumanos corporis habitu, amictuque referrent. Bona enim Hungarorum pars, faſtidito patrio more, Aſiaticum luxum ſectabatur, in gloriæ parte reponens, quod præeuntem in inſania regem haberent. Ea re ſic efferatum fuiſſe Ladislaum perhibent, ut Legatum miſſis ſatellitibus objecto mortis metu, ſi rediret, regno exterminari juſſerit. Agebantur hæc majore ſtrepitu, quam ut non ad pleroſque pertinerent; qui, ne Cumani, quod non obſcuris indiciis cognitum eſt, regnum per vim invaderent, regem etiam ingratiis ad ſaniora cogendum unanimi conſenſu decrevere. Itaque, depulſis cum ignominia Cumanis pellicibus, comprehenſum cum uxore, honeſta cuſtodia claudunt, ut libidini poneret modum, & regno hæredem daret (z).

Fruſtra tamen omnia: in priores mores relapſus.

Honeſta cuſtodia a Proceribus detinetur.

1282. Cumani viſo regem in optimatum Hungariæ arbitrio eſſe, ſibi, ſuiſque rebus veriti arma, & vim circumſpectabant. Collatis conſiliis omnium una vox, & ſententia fuit, regem, qui Cumanorum cauſa comprehenſus ab Hungaris eſſet, ſuo etiam periculo, & ſanguine ex horum manibus in libertatem aſſerendum eſſe; poſtulare id favores, & beneficia, quibus ſe olim repugnantibus Hungaris complexus fuerit; niſi id facerent, extrema omnia ab iis metuenda eſſe, qui regem in cuſtodiam tradere non ſint veriti. Oldamur Cumanorum Princeps collaudato ſuorum ſtudio alia omnia meditatus, breviter, quid ſibi animo, inſideat, aperit; e re omnium magis videri, ſi conſcripto viritim exercitu regnum ipſum invadant, quo ſi potiantur, neque precariam ſibi deinceps, ut hactenus, vitam futuram, neque ex Hungarorum arbitratu rationea inſtituendas eſſe. Si regem libertati reſtituerent, facturos quidem rem gloria haud indignam, ſed rebus ſuis parum utilem, quod favorum, quos ſperare propterea a rege poſſint, idem, qui vitæ finis futurus eſſet. Ad hæc haud ſatis exploratum videri, quo animo rex, quem verſatilis ingenii eſſe non ignorarent, deinceps in Cumanos foret; Procerum autem certa odia; quos ſumta acerbiſſima ultione gentem omni ærumnarum genere exercituros ſibi perſuaſum haberent. His caveri poſſe, ſi ſe ducem ſequi velint, nec opportunum tempus inutili mora corrumpere: complanatam eſſe viam ad regnum invadendum; qui vim propulſaturi ſint, paucos repertum iri, quod & regis exemplo plerique mollitia defluxerint, & ob turbas inteſtinas ad defenſionem inparati eſſent.

Inde Cumani bellum ob-movent.

His momentis facile omnes perſuaſi, omnia, quæ futuro bello neceſſaria erant, magno ſtudio parant, brevique ingentes copias cogunt, populatione in finitimos quaquaverſum circumlata, Hungari id, quod erat, ex apparatu ſuſpicati, captatis temporibus regem, jam ſuopte ad meliora proclivem, adeunt, quid Cumani molirentur, edocent, orant, ut ſe reſpiceret, ac regni calamitate tangeretur: barbaros non modo favoribus, quos in eos intempeſtive prodegiſſet, indignos, ſed

Ladislaus ad ſaniorem mentem reductus viciſſim arma parat.

z) Longinus hiſt. Polon. Lib. VII.

omne cruciatuum genus præterea commeritos eſſe, qui io beneficiorum loco, ipſi regnum, & vitam ereptum irent. Ladislaus ſuorum charitate permotus, militem ſub ſigna cogi imperat, & primo quoque tempore profectiooem in hoſtem edicit. Obſequentes habuit omnes, Cumanis multas ob cauſas perinſenſos.

Et hoſtem memorabili prælio vincit.

Barbari caſtra ad *Hoodum* paludem habuere, ut vicina impune infeſtantes, ita haud mediocriter conſternati, cum Hungaros infeſtis ſignis eminus intuerentur. Id mxxime rationes eorum cooturbarat, quod regem in exercitu adeſſe comperiſſent, ignari, quem in modum haud ita dudum a ſuis comprehenſus, ounc ſublatis partium ſtudiis concordi voluntate Cumanis immineret. Pugnæ tamen, quam neceſſariam inſtare videbant, diligenter ſe comparant: neque multo poſt facto a noſtris impetu acre prælium exoritur, in quo Lorandus maximam fortitudinis laudem tulit. Hujus enim virtuti, & perruptos Cumanorum ordines, & noſtrorum rem inſtauratam, domeſtici adſcribunt. Neque Oldamur ſuis uſpiam deeſſe, qui, quod ſuo conſilio pleroſque huc diſcriminis adduxiſſet, voce, & exemplo fortiſſimos quoſque per intervalla in hoſtem ducebat, ut partim ſuis ſpatium reſpirandi daret, partim, quo cum reliqua copiarum mole evaſurus eſſet, iocertos Hungaros redderet. Ea re in multam diem anceps dimicatio protracta eſt, quoad cælum ipſum in partem victoriæ veniret: coorta enim repente tempeſtas largiſſimum imbrem in ora Cumanorum deferebat, qui cum difficilem illis inprimis pugnam, tum laxatos humore arcus prorſus ioutiles fecit. Noſtri cognito remiſſius rem ſagittis ab hoſte agi, fortius in barbaros connixi ingentem ſtragem edunt, nutanteſque in ſugam conjiciunt. Fugitivi, qua temere ferebantur, ab incolis cæſi; plerique relictis conjugibus & liberis Tartarorum ſe fidei, quam victorum ferociæ dedere malebant. Rex victoria potitus paucas Cumanorum reliquias, eorum, quorum virtus in prælio enituerat, ſervituti addixit (*a*).

In propoſito a Pont. confirmatur.

Abhinc ſpes omnibus inceſſit, regem, qui tam ſiogulari pœna in Cumanos animadvertiſſet, ab eorum conſuetudioe deinceps abſtenturum; ipſeque Pontifex, ubi victoriæ, & commutatæ voluntatis nuncium accepiſſet, propoſita periculi, quod illi inſtabat, magnitudine in propoſito confirmabat, illud ante omnia obteſtatus, ut ejectis turpiſſimis adulatoribus, viros probos, ac prudentes ſibi adſciſceret, quorum conſiliis, & ſapientiæ, ſe, & rempublicam tuto poſſet credere.

Regi Ungariæ illuſtri.

Paterna nos monet affectio, zelus tuæ ſalutis inducit, tua, regnique tui deſiderata proſperitas interpellat, ut exacta pericula, quæ per opitulationem ſolius divinæ gratiæ ſuperaſti, repetitione ſummaria tuæ mentis obtutibus exponentes, excellentiam regiam ad debitam de tanta tibi conceſſa gratia gratitudinem excitemus, te proinde in concedendis beneplacitis confortantes. Et quidem fili Chariſſime! ſi multiplicata in te tui beneficia redemtoris ſcrutinio ſolerti recenſeas, ſi præteritorum eventuum qualitatem devota meditatione recogites, habes procul dubio, unde Creatori tuo, humiliato ſpiritu in vocem confeſſionis erumpas, ſoloque ipſius beneficio te vivere, ac regnare humiliter fatearis. Recogita itaque, quam paratus eras ad caſum, quam diſpoſitus ad ruinam, quando regno tuo diverſarum guerrarum convulſo diſſidiis, & quaſi totaliter tuæ ditioni ſubtracto, in manus tuam quærentium animam incidiſti. Recognoſce, quam gratioſe in te, iniquorum ſeductionibus impulſum, & verſatum, ut caderes, quam benigne ſuſcepit. Quomodo ipſius dextera tecum virtutem faciens, te a ruigentibus ad eſcam paratis eripuit, præfatum regnum tuum tranquillitati reſtituit, & in eo regium ſolium ad exaltationem ſtatus ſoliti præparavit, excellentiæ tuæ ſatis jam datis auſpiciis, quod te in ſuorum mandatorum ſemita perſiſtente thronum tuum in ſtatu conſueta altitudinis ſolidabit.

Perſta igitur, & ab omnibus, quæ contrarii poſſent ſuſpicionem inducere, mentem tuam prorſus averte, teque diligenter attendens de ſanctorum ſtirpe progenitum, abhorre ab illorum laudabilibus ſemitis deviare, ſed eorum veſtigia imitando proſequere, fidemque Catholicam totis viribus devotus amplectens ad dilatationem illius ſolerter intende. Mores ab illa quomodolibet, etiam in cultu corporis, & habitu alienos penitus aſpernare. Pravos con-

a) Simon de KEZA in fine Chronici ſui.

conſiliarios abjice, conſilia illorum obaudi, juſti, & in fide ſinceri vias tuas regant, & di-
rigant, ne impinguet peccatoris oleum caput tuum. Aſveſce virtutibus: illis ita juvenilem
animum imbue, ut eas in provectiori ætate præſentet. Illis taliter aſveſce, quod per conſue-
tudinem mores fiant, nec ab ipſis facile poſſis averti, converſis quoddammodo in naturam.
Nec excellentiam regalem deterreant litteræ quædam, quas ſuper tuis corona, & regno per
miniſtrorum tuorum malitiam conquereris fraudulenter extortas; ſciturus, quod non eſt in-
tentionis Eccleſiæ in jura celſitudinis regalis obrepere, vel tecum agere captioſe, imo potius
tuis ad id concurrentibus meritis, velut chariſſimum filium, prout eam decet, Apoſtolico fa-
vore protegere, ipſiuſque ubertate, quaſi maternis uberibus, confovere. Datum apud Mon-
tem flaſconem II. Kalendas Octobris anno II. (b).

Videbatur rex his litteris non nihil detuliſſe, ac ſenſim dato conſiliis loco 1284.
mentem in melius commutare, cujus altero abhinc anno argumentum nec leve, & *Matre ad-*
annalium memoria haud indignum dedit. Interceſſerant Eliſabethæ matri, ac Timo- *monita*
theo Zagrabienſi Epiſcopo lites fuodorum cauſa, quos illa ad reginarum Hungariæ *pulchram*
jura, hic contra ad Eccleſiam pertinere contendebant. Re ad Ladislaum delata, ex *de ſe ſpem*
omnium fere optimatum ſententia pro Epiſcopo pronunciatum eſt. Tulit judicium *præbet.*
id regina graviter, occupatiſque per vim latifundiis ſpolia ex populo ſuos agere im-
perabat. Quod ubi rex comperiſſet, litteras ad matrem dedit, quibus dolorem ſuum,
quem illius cauſa concepiſſet, prolixe explicat, oratque, ut, quæ præter æquitatem
ſibi aſſeruiſſet, Eccleſiæ redderet (c).

Ladislaus Dei gratia rex Hungariæ, Chariſſimæ
Matri ſuæ, Dominæ Eliſabeth Reginæ ſalutem,
Quam ſibi optat intimo cordis cum affectu.

Cum nos regnum noſtrum, & coronam, ac regiminis noſtri proceſſum ſuffraganti-
bus meritis ſanctorum progenitorum noſtrorum, & præſertim ſanctiſſimi regis Stephani patro-
cinio ſuffulti indubitanter credamus propenſius gubernari, admiratione vehementi, Mater no-
ſtra chariſſima, cor noſtrum concuti non immerito compellitur, quod in quibuſdam noſtris agen-
dis, & præſertim in Spiritualibus veſtræ dilectionis conſilio, & regimine, etiam noſtros ju-
veniles actus eſſet expediens emendari unde hoc proveniat, ut in perſona veſtræ dilectionis jam
vergente deorſum virtute corporea attentetur, & invaleſcat, poſſeſſionum Eccleſiaſticarum in-
vaſio, & deſolatio, ac occupatio indebita, contra Deum, & juſtitiam attentata. Cum
etenim per noſtros frequentes nuntios, & litteras noſtri ſinceri amoris deſideratam amoris unio-
nem ſæpius requiſiſſemus, ut poſſeſſionem Eccleſiæ ſanctiſſimi regis Stephani de Zagrabia
Vaska vocatam, occupatam contra Deum, & juſtitiam relinqueretis, & reſtitueretis, nul-
lum effectum tam timor divinus, quam noſtra ſunt precamina conſecuta; ſed potius, ut re-
fertur, & nobis conſtat per nuntios noſtros, ipſa poſſeſſio ad exinanitionem extremam ſeve-
rius, & miſerabilius eſt deducta. Quapropter adhuc petimus affectione, qua poſſumus, qua-
tenus relinquatis, & remittatis poſſeſſionem præfatam Eccleſiæ memoratæ, & de injuriis,
& damnis illatis ſatisfieri faciatis ad plenum. Alioquin ſi præfatus Venerabilis pater, tam
evidenti neceſſitate compulſus, contra perſonam veſtram, & veſtros Eccleſiaſticam proceſſerit
per cenſuram, nec nobis, qui ſæpius vos requiſiverimus, nec eidem poteritis imputare. Nos
enim ex regalis debito officii eidem Domino Epiſcopo deeſſe non poſſumus, nec poſt tot admonitio-
nes iteratas, licentiam proſecutione juris ſui aliquatenus denegare. Datum in Patak, in fe-
ſto S. Dominici Confeſſoris. Anno Domini MCCLXXXIV. Sed quamdiu ſibi rex ea-
tenus conſtiterit, mox exſequemur: Locus certe, in quo litteras ſignavit, haud va-
nam conjecturam ſuppeditat, vehementer rurſum in Cumanos eum inclinaſſe. 1285.

Atque horum quidem præcipui, qui cum Oldamuro Principe ab infauſto *Cumani*
prælio victorum manus evaſerant, ad Tartaros in Aſiam delati, ſummis apud barba- *ſociis Tar-*
ros precibus, ac propoſita prædarum ſpe agebant, ut Hungariam nova incurſione *taris Hun-*
infeſtarent, interpoſita fide polliciti, regno, quod variis factionum ſtudiis laceratum *gariam*
vaſtant.

eſſet

b) RAYNALD. ad annum 1282. Eſt autem epiſtola a Martino Pontifice ſcripta, qui anno 1281. menſe Februarii Nicolao III. ſucceſſerat.

c) PETERFY Tom. I. Concil. Hung. p. 105.

1285.

eſſet, nullo negotio potituros, ſi omnes moras exuti profectioni ſe accingerent. Neque illi, partim præteritorum temporum memoria, partim divitiarum cupiditate illecti abnuebant, coactoque ingenti exercitu, ſociis Cumanis in nudatum omni præſidio regnum irrumpunt, totamque Hungariam Peſtinum uſque impune pervagati, cædibus, rapinis, & incendiis oppleverunt. Inde tranſmiſſo danubio in Græcorum ditiones illati pari licentia, & barbarie obvia quæque populabantur. Ladislaus ſiva copia hoſtis territus, ſive ad priſtinam vitæ ſocordiam relapſus, nuſpiam congredi auſus, regnum Barbarorum libidini proſtituit: neque difficile eſt conjicere, quæ Hungariæ fortuna rurſum futura fuerit, niſi Deus ſingulari beneficio impuriſſimam gentem partim inedia, partim peſtifera lue attriviſſet, ceteris, qui iram Numinis evaſerant, ab accurrentibus Hungaris magnam partem cæſis, & in captivitatem abductis (d). Quos tamen, ubi priſtino gratiæ loco apud regem conſtitiſſent, magnas turbas dediſſe

1286. paulum infra narraturi ſumus.

Rege in fœdas libidines relapſo. Ladislaus enim vagæ libidini ſupra modum inſuetus, habita parum humaniter conjuge, fœdis Cumanarum mulierum amoribus rurſum ſe implicuit. Ex quo non modo regnum civilibus diſſidiis miſere diſtrahi, ſed ea etiam, quæ Majorum cura, & labore parta erant, ſenſim amitti neceſſe fuit. Nam & urbes oræ Adriaticæ partim a Venetis occupatas, partim a Banis pro arbitrio adminiſtratas fuiſſe ſcriptores perhibent, & Uroſius, Serviæ regulus, Maſovienſem Ducatum ſibi aſſerere, Patareni Boſniam omnem turbis miſcere cœperant (e). Acceſſit quoque optimatum Hungariæ ambitus, qui ut clientelis, ac fortunarum affluentia ceteris præcellebant, ita neglecto rege, quas terras olim adminiſtrandas acceperant, ſuo jure pene in modum provinciæ hæreditariæ curabant. Atque inter hos præcipua Comitum Ginſienſium fuit auctoritas, & potentia; qui pro temporum habitu coactis jam ex Hungaria, jam ex Auſtria ſpoliis ad immenſas opes eluctati bella magnis copiis & inferebant, & propulſabant.

Hungari Stiriam & Auſtriam infeſtant. Et hoc quidem anno Ivanus Henrici illius, quem a Stephano rege ad Ottocarum tranſiſſe narratum eſt, filius magnas ex finitima Stiria prædas egit; cui dum Abbas Admontenſis, provinciæ illius Prætor collecto tumultario milite occurrit, ad inſidias pellectus cæſis pene omnibus ægre fuga evaſit, cladem, & provincialium odia pro navatæ rei pretio referens. Ivanus hoc ſucceſſu lætus ex Stiris in Auſtriam divertit, ſummaque celeritate eam plagam, quæ inter Viennam, & Neoſtadium tenditur, percurrens, ſpoliorum dives, victorque Ginſium redit. Albertus Rudolfi filius, qui Auſtriæ quinto abhinc anno bona patris, & Imperii Procerum venia præfectus erat, tot procurſionibus irritatus, hoſtem in ipſa Hungaria aggredi conſtituit. Itaque Hermano Landenbergio provincia datur, ut conflato ex Auſtriis, & Stiris exercitu Ginſienſem tractum populatione corrumpat, ſique fors fortuna ferret, manus cum Hungaris conſerat. Is quamquam militiæ non expers, tamen locorum, & Hungarorum in pugnando moris prorſum ignarus, ut primum in confinio paucos, eoſque paſſim ſparſos reperit, majore impetu, quam prudentia in eos fertur, Suevis, quos non exiguo numero ſub ſignis habuerat, omnium primis dimicationem auſpicantibus. Hungari dedita opera fugam capeſſunt, tanquam viribus inferiores, & metu perculſi. Landenbergius fugientes magis calore militum, quam ſua voluntate acriter inſequitur, cumque victoriam ſuam eſſe exiſtimat, repente erumpentibus cum Ivano Hungaris iniquiſſimo loco clauſus deditionem facere cogitur.

Albertus accepto cladis nuncio, quod miles alius, quem ad jacturam reparandam ſufficeret, in promtu non eſſet, Neoſtadio ſe concludit, & Hugonem Tauferium, magnum ab eloquentia, ac prudentia virum mittit, qui cum Ivano de pace tractaret. Faciles apud victorem aures reperit, & condictus Haimburgi colloquio dies,

d) Stero in annal. ad annum 1285. „Tempore Ladislai regis - - - Tartari in tanta „multitudine intraverunt Hungariam, quod „dicebant cum exercitu ſuo undecim milliaria occupare; qui tandem non humano auxilio, ſed divino judicio perierunt. Superveniit enim grando, nix, pluvia in tanta' quantitate, quod ſe de loco movere „non poterant, & ſic a Chriſtianis in circuitu poſitis ſunt occiſi. „ - - De lue peſtifera & inedia Longinus Hiſt. Polon. lib. VII. memorat.

e) Du Fresne de famil. Dalm. & Sclav. pag. 159.

diet, ubi de conditionibus agatur. Conventum in hæc pacta eſt; Ivanus captivos omnes redderet; Albertus contra, ſi adverſus Ladislaum regem bellum movere neceſſum eſt, Ivano ſuppetias veniret (f). Adeo deſpicatui ſuis Ladislaus fuit. Ceterum quando, aut quem in modum Ginſienſes Comites ad tantam potentiam excreverint, non ita exploratum eſt: opinor cum provinciæ exteris finitimæ ſuos ex regni conſuetudine Comites haberent, eum, qui caſtri ferrei Comitatum adminiſtraverat, dum Bela cum Stephano filio diſſidebat, captato tempore privatas fortunas ad tyrannidem adduxiſſe. Cujuſmodi Henricum, qui ad Ottocarum, ab hoc rurſum ad Hungaros defecerat, primum omnium fuiſſe veriſimile eſt, & ſedem Ginſii, loco ad agendas ex Auſtria, Stiria, & Hungaria prædas peropportuno conſtabilitam filio Ivano, ſeu Joanni reliquiſſe.

Optimates, cum hunc in modum Hungariam regis oſcitantia lacerari, & peſſumire vident, Andream, cognomento Venetum, Andreæ Hieroſolymitani nepotem ex Italia accerſendum cenſuere, ſpe ducti, hujus opera regno, tot calamitatibus pene oppreſſo non nihil conſultum iri. Andream hunc aliquot ante Ladislai cædem annos in Hungaria vixiſſe tam noſtri (g), quam exteri ſcriptores (h) paſſim memorant: atque iſti, Sclavoniæ Ducem fuiſſe præterea perhibent. De quo etſi nihil habeo, quod pro comperto affirmem, opinor, tamen exteros ſimilitudine nominis deceptos, quæ ad Andream Ladislai fratrem attinebant, Andreæ Veneto perperam tribuiſſe, quando Sclavoniæ ac Dalmatiæ Duces fere regum filios, aut fratres fuiſſe, ex iis, quæ hactenus narrata ſunt, conſtat. Sed id in medio relinquo: illud extra dubitationem eſt, Andream Venetum collapſis domi rebus bona omnium pene Procerum venia in Hungariam accitum, ac eodem hoc anno cum Clara Euphemia, Alberti II. Goritiæ Comitis filia nuptias celebratas eſſe (i). Video geminum conjugis hujus nomen nonnullis ſcriptoribus viam ad errorem aperuiſſe; quorum aliqui eandem cum Agnete Auſtriaca exiſtiment (k), alii ex una duas efficiant (l): Illorum poſtea nobis recurret mentio: iſti *Euphemiæ* nomen male in Fenenam detorquentes, alteram ex hac Andreæ conjugem, & Gloggovienſis Ducis filiam moliuntur, illo maxime in hanc opinionem adducti, quod diploma anno abhinc ſexto Andreæ nomine ſignatum Fenenæ nomen referat. Si quid conjicio, aut male id nomen ex autographo deſumtum eſt, aut eo ex Hungarorum nomenclatione Euphemiam deſignari opinor. Certe in principio anni milleſimi ducenteſimi nonageſimi ſexti Euphemiam hanc in vivis adhuc fuiſſe illud aperte conficit, quod a matre cognomine mille ac ducentos denarios Aquilejenſes quotannis pendendos acceperit (m). Quod ſatis oſtendit, quam anguſtæ tum res Andreæ fuerint, qui uxorem domo paterna pro dignitate ali neceſſe haberet.

Itaque Andream Venetum optimates in regnum accerſunt.

1287.

Auſtrii rurſum in Hungariam incurrunt.

Hæc inter fœdera, quæ Alberto Auſtriæ Duci cum Ginſienſi Comite interceſſerant, haud diu ſibi conſtitere: ſequente enim anno adducta a Bambergenſi, Seccovienſi, Friſingenſi, & Patavienſi Epiſcopis magna auxiliariorum copia, conflatoque ex his quindecim millium exercitu, ipſe Albertus in hoſticum profectus eſt; & Ivanum ob confectam nuper pacem, ſecurum, ac ad vim propulſandam imparatum arctiſſime concluſum tenebat. Captis Mertersdorfio, Rechnicio, oppido S. Margaretæ, & omnibus pene vicis, qui inter Sopronium, & Ginſium jacent, Ovarino exercitum circumfudit, admotiſque machinis brevi in poteſtatem redegit (n) Torpebat ad hæc omnia Ladislaus, magiſque amorum ſuorum, quam reipublicæ cauſa ſolicitus, nihil minus, quam de refrænando hoſte cogitabat. Ea oſcitantia non paucos Proceres commoverat, ut labanti regno aliunde opem ferrent. Itaque ad Honorium Pontificem qui Martino ſucceſſerat, nuncios cum litteris mittunt, qui-

f) Hantallervs in faſtis Campililien. ad hunc annum.

g) Thvrocz. Chron. cap. LXXXII. Et Bonfin Dec II. Lib. IX.

h) Repertorivm Auſtr. Parte II.

i) Illuſtriſſ. ac Doctiſſ. Rudolfus S. R. I. Comes Coronini de Quiſcha L. B. a Cronberg in Tentamine Genealog. Chronologico pag. 163.

k) Timon in Epit. Chronol. ad annum 1291.

l) Ladislaus Thvroczy in regibus Hung. pag. 327.

m) Illuſtriſſ. Coronini ex Repertor. Auſtr. In Chronico Goritienſ. ad annum 1296. pag. 335.

n) Chronic. Mſ. Claravallense ad annum 1287.

bus non modo priſtinis amoribus abſorptum regem, ſed Tartarorum quoque, qui a nuperna clade remanſerunt, conſuetudine familiariter uti perſcripſerant, periculumque ſubeſſe, ne Ladislaus, qui mores barbarorum jam combibiſſet, religionem quoque ad eorum normam exigeret. Honorius partim regni periculo commotus, partim Ladislai torporem miſeratus, graviſſimis verbis ad eum ſcripſerat, ut recepta in torum uxore ad frugem rediret, niſi reſipiſcat, comminatus, ſe Archiepiſcopo provinciam daturum, ut crucis ſignum, adverſus Tartaros, reliquaſque barbaras gentes, quarum conſuetudine uteretur, promulgaret (o).

Chariſſimo in Chriſto filio Ladislao, regi Ungariæ illuſtri.

Pont. regem ob ignaviam, & vitia caſtigat.

Si ſparſa ſemina de gremio matris Eccleſiæ ſeminata colligeres, divinæ gratiæ participatione ſentires, quod ipſa Eccleſia progenitorum tuorum merita clara rememorans, te bajulare, ac lactare cæpit, ut filium, & tandem cauſa ſuggerente maternis allocutionibus, neſciarum germen decideret, te informavit, ac direxit, indefeſſis ſolicitudinibus, & ſtudiis opportunis, ſpecialiter a tempore felicis recordationis Nicolai Papæ prædeceſſoris noſtri, prout ipſius prædeceſſoris actus ſalutiferi repræſentat.

Sed proh dolor! ſicut diverſis ſcripturis, & relatibus, ac alias fama divulgante, amore percepimus, tu deſiſtis, progenitorum eorundem veſtigiis fallibili concluſione degenerans, licet interdum ejusdem matris exhortationibus aquieſcere ore prætenderes, tamen in ruinam ſponte proſilire dignoſceris, dum Deum contemnere non vereris, vel revereri contemnis, & alias in præcipitium te devolvis, deſtructionem famæ propriæ non aſpernans, cujus notabiliter prodigus, poſitus es in notabile ſpectaculum gentibus, ut tanquam criminoſus merearis a ſingulis denotari, pro eo maxime, quod religione Chriſtiana poſtpoſita, vel potius abjecta in contemtum divini nominis, te cum Tartaris, Saracenis, Neugeriis, paganis converſatione damnata confœderare te diceris, ſpecialiter vivendi cum eisdem Neugeriis, norma ſumpta, & abjecta, imo potius carceri tradita immaniter uxore propria, videlicet, chariſſima in Chriſto filia noſtra E. regina Ungariæ, illuſtri, deſæviens in te ipſum, & regiam domum Ungariæ, quæ conſuevit claris germinibus fœcundari, in ipſius domus exterminium, thorum fœdare non metuis conjugalem, ſicque, cum præmiſſis veritas ſuffragatur, degis divina, & humana lege vetiti criminis labe pollutus, in ſcandalum hominum, & redderis in conſpectu ſupremi Numinis odioſus.

Unde cum ex injuncto paſtorali nobis officio curam gerere teneamur, dolentes, & merito, ſi talem de te reddere nos contingat in examine ſuperni judicii rationem, & cupientes, ut ſalutis vitato diſpendio, electorum aggregari conſortio merearis, celſitudinem regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus eorundem Tartarorum, Saracenorum, Neugeriorum, & paganorum, ac aliorum infidelium dimiſſis erroribus, in quorum obſervatione a via lucis deviatur, & itur in tenebras; quæ docet, & ſervat univerſalis Eccleſia, velut plantatus in Domo Domini, devotæ converſionis ſtudiis amplectaris, & eandem reginam reſumens, & in ſecuro ſtatu conſervans, eam, ut teneris, maritali affectione pertractes, ita, quod tu per hæc plene percipiens ſalutis divinæ flagrantiam, efficacius ad amorem ejus allectus, ad dona cæleſtis gratiæ valeas pervenire, ac fugato nubilo, dicta domus Ungariæ reluceat titulis ſolitæ claritatis.

Et ne videatur correctio paterna tepeſcere circa filium delinquentem, venerabili fratri noſtro, Archiepiſcopo Strigonienſi, de cujus circumſpectione, ac examinata probitate confidimus, per alias litteras noſtras injungimus, ut in hac parte datas ſibi a Domino virtutes exercens, te a ſic nefandis erroribus retrahat, & ad viam ſalutarem ſtudioſa operatione reducat. Et ſi dicti Tartari, Saraceni, Neugerii, & pagani damnatos ſuos conatus contra Catholicæ fidei profeſſores exercitare voluerint, ne ipſorum invaleſcat temeritas in diſpendium fidei Chriſtianæ, contra prædictos Tartaros, Saracenos, Neugerios, & paganos, ac alios adhærentes eisdem, vel eos in iis quomodolibet confoventes, cujuſcunque ſtatus, aut conditionis exſtiterint, per ſe vel per alium, ſeu ſtudeat ſolicite proponere verbum crucis, & contra te ſpecialiter niſi prædictam reginam reſumſeris, & eam, ut prædicitur, tute tractaveris, alias exerceat cenſuram Eccleſiaſticam, auctoritate noſtra munitus. Et nihilominus ceteris regibus, Ducibus, Comitibus, & Baronibus ac populo illarum partium ſcribimus, ut ſuper iis

Archi-

o) RAYNALD ad eundem annum.

Archi Epiſcopo aſſiſtant eidem: nec ceſſabimus, quantumque invite, ſi oportuerit, quod non credimus, ad tuum correctionem partes Apoſtolicæ ſolicitudinis, ſicut expediet, adhibere. Per ... hæc autem, quod te in præſenti littera cum ſolicitæ benedictionis eloquio ſalutamus, quia non-dum de hujuſmodi tuis actibus patet nobis veritas narratorum, ſcutum alicujus confidentiæ non aſſumas, quo minus hominis, & Canonis ſententiis, ſi eas forſan incurreris, ſis ligatus. Datum Romæ apud S. Sabinam IV. idus Martii, anno II.

Fruſtra tamen optimi Pontificis conatus fuere: rex enim turpiſſimo libidi- 1288.
num cœno altius immerſus erat, quam ut tam leni manu extrahi poſſet; ſive Hono-rii, qui non dum poſt miſſas litteras elapſo menſe obierat, comminationem deſpica-tui haberet, ſeu improborum hominum conſiliis in propoſito confirmaretur. Illud compertum eſt, Saracenorum, ac Tartarorum conſuetudine ita barbaria devinctum fuiſſe, ut horum ritus imitari eum non puderet, illos primis regni Magiſtratibus contra omnium voluntatem admoveret. Hinc ſacra profanis fœdum in morem miſ-ceri, ac potentiorum, Eccleſiaſticorum præſertim virorum fortunæ, rapacitati turpiſ-ſimæ gentis proſtitui, ut adeo metus eſſet haud vanus, avitam religionem, & priſti-num ſacrorum uſum ad extremum diſcrimen, & profanas Aſiæ ſuperſtitiones addu-ctum iri. Nicolaus, qui Honorio ſubrogatus eſt, de diſcrimine, quod Eccleſiæ in Hungaria imminebat, crebris nunciis edoctus, Lodomerio Strigonienſi Archi Epi-ſcopo graviter præcepit, ut, ſi barbari aliter ad officium revocari non poſſent, reje-cta omni mora cruce ſignatorum copias in eos educi juberet (*p*). „Fraternitati (in-„quit) tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi dicti Saraceni, Neuge-„rii, & pagani damnatos ſuos conatus contra Catholicos fidei profeſſores exercere „voluerint, ne ipſorum invaleſcat temeritas in diſpendium fidei Chriſtianæ, contra „prædictos Tartaros, Saracenos, Neugerios, & paganos, ac alios adhærentes eiſ-„dem, vel eos in iis quomodolibet confoventes: .. omnibus Chriſti fidelibus per „regnum Ungariæ, ac per Poloniam, Boemiam, Auſtriam, Stiriam, Carinthiam „Sclavoniam, & Iſtriam per te, vel per alios ſtudeas ſolicite proponere verbum cru-„cis, & ad illam aſſumendam, & proſequendam Chriſtianorum populum de ipſis regno „& terris hujuſmodi exhortari. Nos enim omnibus vere pœnitentibus, & confeſ-„ſis ex prædictis regno, & terris, quæ crucis ſignaculum contra infideles memora-„tos aſſumpſerint, & efficaciter exſtiterint proſecuti, juxta indigentiam negotii hu-„juſmodi, & tuæ diſcretionis, ac diſpoſitionis arbitrium, ſuper quo ſtricte tuam „conſcientiam intendimus onerare, illam concedendi indulgentiam tibi concedimus „poteſtatem, quæ in terræ ſanctæ ſubſidium proficiſcentibus concedere ſedes Apo-„ſtolica conſuevit. Datum Reate VI. idus Auguſti anno I.„ Ejuſdem prorſus argu-menti litteras dedit ad optimates Hungariæ, Poloniæ, ac Sclavoniæ, ut, ſi rerum uſus poſtularet, tam ſanctum Archi Epiſcopi ſtudium, conſilio, ac re adjuvarent. Rudolfum quoque, & Albertum Ducem Auſtriæ orabat, ut arma pro aſſerendo Chriſtianæ religionis ſplendore adverſum barbaras in Hungaria gentes expedirent.

Sed fruſtra cum eſſet, Archiep. Strigon. & Auſtriæ Ducem in barbaros concitat.

Verum Albertus correptis partim vindictæ partim religionis ſtudio armis bel- 1289.
lum Ivano Gioſienſi Comiti indixit; patrique in Burgundia, ac Suevia occupato ſcri-pſerat, ne legiones auxiliarias ſibi mittere moraretur. Interea fortunam periclitari cupiens conſcripto ex Auſtriis, Stiris, ac Carinthiis, quibus Bavaros quoque, a Bohemos non paucos adjecerat, exercitu, recta Ginſium properat, urbemque ac-cerrima obſidione premit (*q*). Ivanus, qui periculum id multo ante proſpexiſſet, communita pro temporis anguſtia civitate, nobiliſſimorum filios obſides accepit, ut cives in fide conſtantiores haberet. Neque illi fidem fefellerant, acri ſtudio in ob-ſidentes, quid quid illi molirentur, obnixi. Albertus ubi magna ſuorum jactura op-pugnationem in longius, quam ſpe præceperat, tempus produci videret, inſanæ mo-

Hic converſo ſtudio Ginſiū oppugnat, & capit.

p) RAYNALD. ad annum 1288.

q) Ad hunc annum expeditionem Alberti affigendam eſſe docet tabularium Zwetlenſe, in quo hæc donatio habetur. „Ego Hadma-„rus, Miniſterialis dictus de Schönberch te-„nore præſentis paginæ mando notitiæ om-„nium tam præſentium, quam etiam poſtero-„rum, quod ego anno Domini MCCLXXXIX. „in die S. Georgii Martyris, 8. videlicet ca-„lendas Maji in conventu expeditionis quæ ab „Illuſtri Principe Alberto, Duce Auſtriæ ad-„verſus Yvanum Comitem Ungariæ primitus „eſt edicta Viennæ, conſtitutus in ipſa expe-„ditione cum ſereniſſimo Principe profecturus „----„ tum donationem recenſet.

1289. lis machinas advehi mandat, quibus urbs die nocteque quateretur, neque ullum quietis ſpatium obſeſſis ſuper eſſet. Eo modo fatigata quidem, non exſtincta civium virtus eſt, quoad crebra verberatione murus ingentem cum ruina hiatum feciſſet: quem dum Suevi ac Auſtrii primi omnium magno conatu irrumpere connituntur, pertinaciſſima dimicatio aborta eſt, civibus ad arcendum hoſtem omni telorum genere, quæ fors fortuna ſuppeditarat, accurrentibus. Mulierum quoque fortitudo enituit, quæ periculorum intrepidæ, viriſque, qua parte pugna maxime calebat, immiſtæ, ſupra quam dici poſſit, virtutis argumenta dedere: muro enim conſcenſo partim lapidibus, partem fervente aqua eluctantes in ruinam hoſtes abigebant, cumque miſſilia id genus tela jam deficerent, congeſta iſthic magno numero alvearia in adverſariorum ora vultuſque proruebant. Ad extremum cives deſperata urbis ſalute, tectis ignem ſupponunt, & in arcem ſe conjiciunt. Quam dum omnibus viribus victores impeterent, neque facile ullus obſeſſorum reperiretur, qui vulnere non perſtrictus eſſet, deditionem faciunt, ſuamque, conjugum, ac liberorum ſalutem cum fortunis omnibus pacti, data fide, & commeatu dimittuntur (*r*). Itaque *calendis Novembribus DCCC. feminæ, CCCC. viri exceſſere. Arcem ſuæ fidei commiſſam Emerbergicus novis ſubinde munimentis amplius firmavit* (*ſ*).

Cæſar quoque in Hungariam arma parat. Sub hæc Rudolphus domitis Suevis, qui imperata facere detrectabant, magnis itineribus Alberto ſuppetias properabat, veritusque, ne quid ſe abſente temere aggrederetur, per epiſtolam admonuit, ſe primo quoque tempore, ut pœnam ex hoſte, Auſtriæ toties moleſto, ſumeret adfuturum. *Suevis illis* (inquit) *qui calcaneum indevotionis contra nos erexerant, ſubjugatis, nunc contra Ungaros movere intendimus vexilla, & præpotentia caſtra, qui Romani regni fines invadunt, & in tua perſona noſtram, tanquam patris in filio, ſauciant majeſtatem.* Albertus futuro patris adventu, & litteris recreatus, viciſſim qua fortuna rem in Hungaria geſſiſſet, in hæc verba reſcripſit. *Lectis veſtræ Serenitatis apicibus nova gaudia noſtro cordi ſerenius illuxerunt, ſed & nos majeſtati regiæ facimus boni nuntii relativam: quia noſter exercitus de præſumtoribus Ungaris in congreſſu campeſtri jam ſemel & iterum feliciter triumphavit* (*t*). Ex quibus perſpicuum fit, annum hunc non modo urbis obſidione, ſed collatis aperto marte ſemel, atque iterum ſignis memorabilem fuiſſe. Ginſio expugnato, urbeque, ac arce inſtauratis nobiliſſimum eum Hungariæ tractum Albertus in ſuam ditionem redegit (*u*).

1290. *Ladislaus fratrem per inſidias e medio tollit.* Eo belli tumultu, qui Hungariam ex Auſtriæ limitibus perſtrepebat, tametſi plerique metu perculſi fuerint, Ladislaus tamen minime experrectus eſt, apud Cumanos, haud procul caſtro *Kereszeg*, quod in deliciis habuit, libidini, ac deſidiæ litans. Quin, ut vitium id nunquam ſolitarium eſt, a libidine ad ſanguinarium prorſus, & inhumanum facinus evaſit. Cum enim Proceres Andreæ regis fratri cum ob egregiam Principis indolem, tum ob ſpes, quas de eo conceperant, impenſe ſtuderent, veritus, ne ſe vivo ad regnum eveheretur, juvenem ingentibus odiis exercuit. Qui, ne quid acerbius in ſe frater conſtitueret, in Poloniam ad materteram Cunegundem fuga ſe ſubduxit, a qua Premiſlao Cracovienſi Duci commendatus, magno apud Polonos in honore, & gratia fuit. Ladislaus elapſam ſibi manibus prædam vehementer dolens, aliquot familiarium, hoc eſt, improbos ſubornat, qui in Poloniam delati quacunque poſſint vi, Andream neci dederent. Illi ut primum Poloniam attigere, ſalutato Principe, & captata ejus conſuetudine, a Ladislao ob ſua in

An-

r) Chronica AVSTRALIS, & PAPPENHEIMIVS in hiſt. Auſtrali ad hunc annum.

ſ) Hiſt. Ducum Styriæ pag. 127.

t) Edidit utramque epiſtolam ex cod. Ober-Altaichenſi Cl. Pezius cod. diplom. Parte II. pag. 165.

u) Juvat ad illuſtrandam medii ævi Hungariæ Geographiam loca, quæ Albertus occuparit, ex Chron. Auſtrali afferre, ex quibus facilis conjectura fit, quam late Hungaria verſus Stiriam, & Auſtriam tum pertinuerit. Sunt autem ſequentia. „Martinsdorff, „Junetpodendorf, Chervellenpurch, Rorpach, Paumgarten, Walbramsdorf, Creniſdorf, ſanct Margarethen, Oedenburg, Necrendorf, Edbelsdorf, Landeſer, Trauerdorf, Retzinez, Steinperge, Pilgreimsdorf, „Vilamſtorf, Pinckevelde, Rederſteichen, „Alberndorf, Stegreiffebach, Oreiveze, Nicolaſturn, Sleunz, Bercholſtorf, Rumpolſtorf, Neuſbaden, Weyerſtorf, Brandorf, „Warteſchirchan, Ludenshuſem, Zuchanochſen, Awet, Iſtanenburch. „

Andream ſtudia ad mortem ſe quæſitos comminiſcuntur. Facile ſicariis, quod vere narrare viderentur, fidea habita eſt, dignoſque Premiſlaus cenſuit, quos Andreas familiaritate ſua dignaretur, magno olim futuros uſui, ſi Ladiſlaus improlis decederet. Verum illi, poſtquam exploratis temporibus omnia in numerato habuiſſent, comprehenſo clam Principe, ac in Nidam flumen præcipitato in Hungariam tanquam re egregie patrata revertunt. Accepit eos Ladiſlaus comiter, magniſque præmiis donatos futurorum ſpe implevit (x). Atque hac occaſione fortaſſis evenerit, ut Andreas quoque Venetus Ladiſlai intemperias metuens in Auſtriam ſe ſubduceret. Certe plerique rerum Auſtriacarum ſcriptores Andream cæſo Ladiſlao ad capeſſendum regnum ex Auſtria evocatum perhibent (y), ipſeque adeo rex publico diplomate, cujus in loco mentionem faciemus (z), ſatis aperte indicat, ſe ab Alberto Auſtriæ Duce exquiſita amoris ſignificatione, ac beneficiis excultum eſſe.

Andreæ aquis merſo haud diu ſuperſtes Ladiſlaus fuit. Nam cum præter pellices, ex quibus, etſi idmodi feminæ poſterorum memoria prorſus indignæ ſint, prima omnium Edua fuiſſe fertur, alienos quoque thoros promiſcue invaderet, Cumani ſuarum injuriarum parum patientes de rege e medio tollendo conſilium iniere. Auctores tam nefarii criminis tres præcipuos ex Cumanis Duces, *Arbuz*, *Turtule*, & *Kemenecbe* fuiſſe comperio; qui habito ſæpe cum ſuis conventu regem in tentorio cubantem medio noctis ſilentio aggreſſi, multis confoſſum vulneribus trucidarint. Ubi cædis patratæ rumor percrebuit, quamquam multi vivum averſarentur, tam miſerabili tamen fato ſublatum vindicandum omnes cenſuere. *Myze* Palatinus, ex Saraceno ad Chriſtiana ſacra, tum ad hanc dignitatem regis beneficio traductus, olciſcendi inhumani facinoris partes præ aliis ſibi ſumſerat. Itaque adſcitis ſuorum fidiſſimis concubia nocte ad Cumanos defertur, & ſub ipſum auroræ diluculum comprehenſos parricidas exquiſito mortis genere affecit. Arbuzium bifariam dividi, Turtulen membratim concidi imperat: tum ultionis ſtudio in neceſſarios, & propinquos eorum converſi ad annum omnes contrucidant; ipſa quoque Edua pellex ſimili morte e medio ſublata eſt: morte fortaſſis regi, & regno utiliore, ſi vivo Ladiſlao eveniſſet. Corpus regis Chanadini urbe Cumanis finitima, conditum (a) ut criminis, quo ſe inquinaſſent, memoria, propinquitate loci, perpetua eſſet.

Ipſe haud multo poſt ſimili mortis genere per Cumanos ſublatus.

ANDREAS III. DICTVS VENETVS.

Tertio ae decimo a cæde patrata die Andreas conſpirantibus omnium voluntatibus rex inauguratus eſt. Ferunt miſſis clam nunciis, ut in Hungariam eluctaretur, admonitum, monachique habitu amictum inſalutatis omnibus Vienna exceſſiſſe. Metuebant enim Proceres, ſi publica legatione ad capeſſendum regnum evocaretur, fore, ut pacta, quæ regno iniqua eſſent, coactus iniret (b). Sed hæc Germani Scriptores. Erat Andreas Stephani, quem Andreas Hieroſolymitanus ex Beatrice Eſtenſi poſthumum ſuſtulerat, filius, ex Thomaſina nobiliſſimo Maurocenorum apud Venetos genere prognatus (c), ex quo Veneti cognomentum accepit; male ab exteris ſcriptoribus Andreaſil nomine paſſim nuncupatus.

Cæſo Ladiſlao inter Andream Venetum.

Ab adito regno potentiſſimum in Carolo Martello æmulum nactus difficilem

Et Caroli Martelli

Xxxx omni

x) LONGIN. Hiſt. Polon. Lib. VII.

y) HANTALLERVS in faſtis Campililiens. ad ann. 1291.

z) Ad annum 1297. cum dotem Conjugi Agneti deſignaſſet.

a) Chronicon BVDENSE Tom, I. ſcript. rer. Hung. in notis ad Thuroczy caput. LXXXI.

b) HAGENVS, & Hiſtoria AVSTRAL. ad an. 1291.

c) Ipſe rex in diplomate anni 1294. id nomen innuit in hæc verba: *Ladislao -- Magiſtro Tavarnicorum Dominæ Th. Dei gratia reginæ ſenioris*, *matris noſtræ*, Ex quibus non male forſan conficio, Andream jam tum matrimonio illigatum fuiſſe, cum matrem ad diſcrimen conjugis, ſeniorem reginam nuncupet, ut ad annum ſeculi hujus 86. memini, eſtque eadem Fenena ſeu Euphemia.

1290.

lis de regno oritur. omni ex parte provinciam reperit. Ut primum enim cæſi a Cumanis Ladislai nuncius Neapolim allatus eſt, Carolus, qui Mariam, Ladislai ſororem, in matrimonio habuerat, regni hæreditatem ad conjugem pertinere ratus, Carolum filium ex ea genitum, & Martellum dictum magna ſolennitate per Legatum Pontificium regem inaugurari, & proclamari juſſit (*d*). Id cum Pontifex ratum ſuo quoque judicio haberet, Hungari contra magnopere ab eo abhorrerent, magnis, & crebris in

1291. Hungaria turbis occaſio fuit, ut in loco exequemur,

Acceſſit tertius æmulus Rudolfus Cæſ. Andreas ut aditam regni poſſeſſionem conſtabiliret; Venetos ſibi conciliandos inprimis ſtatuit, faciles prorſus habuit ad fœdera, qui ex ſuo genere regem ſe Hungariæ dediſſe gloriari poſſent. Eam ob rem matrem quoque & clientelis, & fortunarum affluentia potentem Venetiis in Hungariam accerſiverat, cujus partim conſilio, partim theſauris ad devinciendos animos uteretur (*e*). His occupatum ſtudiis aliud ut improviſum, ita majus periculum excepit, Rudolfo Imperatore ſuum quoque inter regni æmulos nomen profitente. Contendebat enim Ladislao ſine prolibus exſtincto regni poſſeſſionem ad ſe, aut filium Albertum pertinere, credo ſtipulatione, quam Bela IV. cum Friderico II. inierat, ad hanc opinionem præcipue adductum. Sed id alio loco prolixe a nobis convulſum eſt. Jamque re ipſa Rudolfus filium Hungariæ regem, ſed Imperio fiduciarium, creaverat, cum Nicolaus IV. Pontifex, cognitis tot æmulorum ſtudiis, aperte intercedens, ad Joannem Epiſcopum Æſinum, quem Legatum in Hungariam jam antea expedierat, litteras exaravit, quibus eum graviter admonet, ut Imperatorem ab eo propoſito averteret, non obſcure indicans, arbitrii partes ad ſe præ omnibus attinere (*f*).

Venerabili fratri Joanni Epiſcopo Æſino.

Nuper ad noſtrum pervenit auditum, quod cum quondam Ladislaus rex Ungariæ *Intercedit Pontifex.* *rebus ſit humanis exemptus, turbationes, pericula, & ſcandala gravia in regno Ungariæ ſunt exorta diverſis aſpirantibus ad ſolium dicti regni. Cum itaque regnum ipſum ad Apoſtolicam ſedem multipliciter pertinere noſcatur, te ad partes illas pro certis inibi exſequendis negotiis fiducialiter deſtinamus, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus, cum ad partes illas contigerit pervenire, coram Chariſſimo in Chriſto filio noſtro, Rudolfo rege Romanorum illuſtri, & dilecto filio, nobili viro -- Duce Auſtriæ inſimul, vel diſjunctim per te, vel per alium ſeu alios ex parte noſtra expreſſe, manifeſteque denunties, prædictum regnum ad nos, & Romanam Eccleſiam ex cauſa multiplici pertinere, aperte & publice noſtro, & ipſius Eccleſiæ nomine proteſtando, ut nullus, cujuſcunque ſit præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus jura quælibet in eo regno ad nos, & Eccleſiam ipſam ſpectantia quomodolibet invadere, occupare, vel uſurpare præſumat, aut in noſtrum, & ejuſdem Eccleſiæ præjudicium, & gravamen aliquid attentare. Alioquin contra præſumtores hujusmodi, prout qualitas facti ſuaſerit, & expedire viderimus, procedemus. Datum apud urbem veterem IV. nonas Januarii anno III.*

Alias quoque ad eundem Legatum litteras dederat, quibus graviter præcipit, ut, quanta poſſet diligentia, naviter inquirat, num Ladislaus eo tempore, quo a Cumania cæſus eſt, Catholicis ſacris, an ſectæ hæreticorum, vel ritibus Cumanorum addictus fuerit, ſeque re comperta quantocius edoceat, ut pro negotii gravitate dignum ſe judicium poſſet conſtituere. Ad Rudolfum vero, qui Carolo Martello maxime metuendus erat, ne in aliena jura temere invaderet, in hæc verba ſcripſit (*g*).

Nico-

d) Antoninus III. part. Tit. 20. „ In „ Neapoli rex fecit magnam ſolemnitatem, „ militem creans filium ſuum primogenitum, „ vocatum Carolum Martellum, ac per Legatum Papæ fecit eum coronari : -- nec alius „ erat hæres, niſi regina Maria uxor Caroli „ regis Siciliæ, & Mater Caroli hujus Martelli, cui hæreditariæ ſuccedebat deinde „ regnum Ungariæ. Quidam tamen Andreas „ ſos nomine, de progenie genitus regum Ungariæ, ingreſſus dictum regnum, majorem „ partem ſibi aquiſivit vi, vel voluntate ſe „ ſubjicientium ei, & fecit ſe fieri, & vocari „ regem Ungariæ. „

e) Lucius lib. IV. cap. X. citatque eam in rem monumentum publicum urbis Tragurinæ.

f) Raynald ad an. 1291.

g) Idem ibid.

Nicolaus Chariſſimo in Chriſto filio, Rudolpho regi Romanorum illuſtri.

Licet fili Chariſſime, intentionis noſtræ non ſit, juri, ſi quod tibi in regno ipſo competit, derogare, nolumus tamen ignorare Celſitudinem regiam, quod regnum ad Romanam Eccleſiam, matrem tuam, ab antiquo etiam dignoſcitur pertinere, propter quod circa illud aciem ſolicitæ conſiderationis extendimus, & de ſtatu ejus ſolicite cogitamus: ideoque regalem magnificentiam rogandam attente duximus & hortandam, quatenus pro divina, & Apoſtolicæ ſedis, ac noſtra reverentia, jura quælibet ad nos, & eandem Eccleſiam in regno memorato ſpectantia, per te, vel per alium, ſeu alios non invadas, aut occupes, vel uſurpes, ſive aliquid facias in noſtrum, & ipſius Eccleſiæ præjudicium, vel gravamen, quæ potius manutenere ſolicite, ac illibata, & integra plenis favoribus ſervare te convenit, utpote ſpecialem advocatum ejuſdem Eccleſiæ, ac præcipuum defenſorem. Sic ergo ſuper hoc precibus noſtris obtemperes, ſic noſtræ inſtantiæ acquieſcas, ut devotionem regiam, quæ ſemper erga præfatam Eccleſiam claruiſſe conſpicitur, uberibus in Domino laudibus attollamus. Datum apud urbem veterem II. Kalendas Februarii, anno III.

Scriptis tam ob cauſam ad Rudolfum litteris.

In eandem ſententiam Alberto Duci ſcripſit: Lodomerio autem Strigonienſi Archi-Epiſcopo ſuboffenſus, quod neque de Ladislai cæde, nec de iis, quæ deinceps in regno conſecuta ſunt, ſe certiorem reddidiſſet aliquanto acriorem epiſtolam miſerat, jubetque, ut deſidiam, quæ ſibi eatenus obrepſiſſet, diligentia compenſet. *Cum præfatum regnum* (ſic inter cetera Pontifex loquitur) *ad Romanam Eccleſiam ab antiquo etiam pertinere noſcatur, & per dictum regem ſub obligatione ſua, & regni ſui tempore, quo Venerabilis frater noſter Firmanus Epiſcopus in ipſo legationis officio fungebatur, nonnulla promiſſa & jurata fuiſſe, quæ poſtmodum non ſervavit, volumus, tibique præcipimus, ut ad perſonarum Eccleſiaſticarum, & ſecularium regni prælibati notitiam, quantæcunque, ſeu cujuſcunque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus exſtiterint, ad illarum maxime, quæ ſibi dicunt jus aliquod competere quomodolibet in regno præfato, perducere ſtudeas, regnum ipſum ab antiquo etiam ad Romanam Eccleſiam pertinere, ſibique fore, prout præmittitur obligatum, ut hæc illæſa, & integra eidem Eccleſiæ in poſterum conſerventur, & ne quivis illa quomodolibet invadere, occupare, vel uſurpare præſumeret in noſtrum, vel ejuſdem Eccleſiæ præjudicium, & gravamen aliquod attentare. Volumus autem, quod ea, quæ in hac parte feceris, nobis per tuas litteras plene, & serioſe, ac fideliter ſtudeas intimare; ac nihilominus ſuper denunciationem, & poteſtatem hujuſmodi confici facias duo publica inſtrumenta, quorum unum tibi retineas, & reliquum per fidelem nuncium nobis mittas. Datum apud urbem veterem II. Kalendas Februarii, anno III.* (*b*). Senſit Lodomerius ſe maxime a Nicolao perſtringi, qui Andream inconſulto Pontifice regem ſolemni ritu inauguraſſet: ſed res Optimatum & totius regni conſenſu patrata, infecta reddi jam non poterat, neque liquet, quid Archi-Epiſcopus eatenus moliri cœperit, & num inſtrumenta, ut Papa poſtularat, confecta ſint, quando nemini in mentem opinor venerit, litem, quam a Gregorii VII. ætate nullus Pontificum regno de clientela intentarat, tam alieno tempore a Nicolao ſuſcitatum iri.

Reprehenditur Archiepiſc. Strigonienſ.

Ceterum Andreas, quem Pontifex Adminiſtratoria ſolum nomine dignatus eſt, & re, & publicis litteris regem ſe geſſit, ex æmulis omnium maxime Albertum Auſtriæ Ducem, quod & finitimus eſſet, & patrem potentia formidabilem haberet, veritus. Sed huic aliunde negotium conflatum eſt, quo minus Andreæ, ut metuerat, moleſtus eſſe poſſet. Cum enim ex patris imperio Suevorum conſiliis præcipue regeretur, hoſque ſibi provinciales anteponi ægre ferrent, de ejiciendo cum Suevis Alberto tacite agebant. Seditionis Principes in Trebenio oppido e regione Tulnæ ſito; convenerant, ex Auſtriis quidem Cunringius caput, auctorque conſpirationis, Sumeravius, & Liechtenſteinius: ex Stiriis Fridericus, & Wolfingus Stubenbergici, ex Carnis Scharfenbergius, Otto Weiſſenekius, & Udalricus Hainburgicus. Summa conſultationum in eo vertebatur, ut Ducem omnibus provinciis exuerent Rudolfo apud Turingos occupato: advocandos in fœderum communionem Reges Hungariæ, ac Bohemiæ, Ottonem Bavarum, & Salisburgenſem Antiſtitem: quibus, ne illicia quoque deeſſent, præda nondum præſtiti operis ex æquo divideretur, Epiſ-

Andreas æmulos, & obſtacula ſuperans.

b) Raynald. ad an. 1291.

1291. copo quidem Auſtria ſuperior, inferior Bohemo, Bavaro Stiria, Vindorum Marchia Hungaro (*i*).

Auſtriam infeſtis armis petit.

Andreas fœderum conditiones neque accepit, neque renuit, ſed captatis temporibus occaſione utendum ratus, Legatos ad Albertum mittit, qui non modo ea, quæ ad Poſonium occupaſſet, ſed Ginſienſem quoque tractum, quo haud ita pridem Joannem Comitem exuerat, repeterent: ſimul coacto octoginta millium exercitu Auſtriæ infuſus, ab injuria, & populatione quidem ſuos primum temperare jubet, poſtea autem, quam Albertum difficiliorem expertus eſſet, flamma, ſerroque a Leitha flumine ad ipſos Viennæ muros omnia impune pervagatus Ducem, qui ob Viennenſium Seditionem ad Cetium montem ſalutis cauſa ſe receperat, ad ineundam pacem coëgit (*k*). Convenerat utrinque ita: ut, ſi Andreas ab inferendo deinceps bello abſtineret, Albertus oppida omnia, quæ in Hungaria (*l*) invaſerat, reddat. Sunt, qui de nuptiis quoque inter regem, & Agnetem Alberti filiam transactum putent: quas Timon hoc anno coaluiſſe, & Agnetem Rudolfi Cæſaris fuiſſe filiam opinatur (*m*). Sed neutrum recte, ut ex ipſius Andreæ regis litteris poſtea liquido conficiam, alioquin Fenenam ſive Claram Andreæ conjugem hoc anno ſuperſtitem adhuc fuiſſe exploratum eſt (*n*). Ex eodem fonte Alberti Argentinenſis errorem, an convicium, illuſtraturus ſum, qui negatam regi ab Duce filiam in litteras retulit, quod Andreas mercatoris duntaxat filius fuiſſet (*o*): homo magis dicax, quam doctus, qui regem eo nomine obſcurare connisus ſit, cui Albertus filiam non ingratiis collocarit.

Boſnia ab Serviis occupatur.

Interea cum Andreas rem in Auſtria proſpere gerit, Stephanus Serviæ rex abſentia Hungarorum uſus Boſniam fere totam in ditionem ſuam redegit, utque tutam ſibi poſſeſſionem provinciæ faceret, datis ad Nicolaum Pontificem litteris, confirmari, quæ ſibi aſſeruiſſet, ejus auctoritate majorem in modum orabat. Pontifex, crediderim, quod Andreas ſe imprudente Hungariæ rex creatus eſſet, Stephano perquam humaniter reſcripſit, eumque cum ditionibus omnibus in Eccleſiæ clientelam recepit (*p*).

Chariſſimo in Chriſto filio Stephano, regi Serviæ illuſtri.

Quanto devotiori ſtudio ſacroſanctam Romanam Eccleſiam revereris, quanto propenſiori affectu conjungeris ad noſtra, & ipſius Eccleſiæ beneplacita proſequenda, tanto circa tuum, & regni tui ſtatum proſperum in poſterum conſervandum libentius apoſtolici favoris præſidia apponimus, tuis providendo utilitatibus, & indemnitatibus præcavendo. Ut igitur noſtri manum auxilii tua ſerenitas ſibi ſentiat in ſuis opportunitatibus favorabiliter adjutricem, perſonam tuam, & regnum tuum cum civitatibus, caſtris, terris, villis, & bonis aliis, quæ in præſentiarum, juſte, & rationabiliter poſſides, ſub beati Petri, noſtraque protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes, ut ea omnia integra permaneant, & quieta, nec quiſquam in iis te perturbare præſumat, aut quomodolibet moleſtare - - Datum apud urbem veterem idibus Martii anno IV. (*q*).

1292.

Dalmatinos in fide nutantes.

Diſſimulanda hæc Andreæ fuerant, quod majus a Carolo Martello periculum ingrueret, qui non modo palam Hungariæ regem ſe ferebat, ſed datis Nuceriæ litteris Spalatenſes immunitatibus quoque donarat; ſic enim litteræ habent (*r*). *Carolus primogenitus Illuſtris Jeruſalem, & Siciliæ regis, D. G. Ungariæ, Dalmatiæ - - rex, Princeps Salernitanus, ac ejus in regno Siciliæ Vicarius Generalis - - Mercatores de Spaleto de pertinentiis regni bene tractentur - - Datum Nuceriæ MCCXCII. die XXVII. Junii.* Qua beneficentia Spalatenſes in primis, tum reliquos Dalmatas ab Andrea abſtrahe-

re

i) Gerardus de Roo Lib. I. & Chron. Mſ. Teutonicum apud Cl. Bernardum Linck Profeſſum Zwetlenſem.

k) Pappenheim in Chron. Auſtral. & Chron. Auſtral. apud Cl. Linck.

l) Hantallervs in faſtis Campililienſ.

m) In Epitom. Chronolog. ad hunc an.

n) In diplomate de anno 1294., ut ex verbis ſupra laudatis patet, quibus matrem ſuam rex ſeniorem reginam vocat; non aliam utique ob cauſam, quam quod uxor regina junior eſſet, hanc autem non fuiſſe Agnetem conſtabit poſtea.

o) In Chron.

p) Raynald. ad an. 1291.

q) Electus eſt Nicolaus juxta Langlet. anno 1288. Februarii die 22.; itaque idus Martii anni 1291. cadunt in quartum annum ejus Pontificatus.

r) Lvcivs Lib. IV. cap. X.

re Martellus nitebatur: quin miſſis adeo ad Tragurienſes & Sibenicenſes nunciis ma- 1292.
gnopere agebat, ut, deſerto Andrea, fidei ſacramantum ſibi dicerent, adjectis favo-
rum pollicitationibus, quibus eos, ſi morem gererent, complexurus eſſet. Re ad
deliberationam adducta in varias partes animi diſtrahebantur: fuerè, qui inconſulto
Paulo Bano litteras Martalli cum Dalmatiæ urbibus communicandas ſolum cenſarent:
alii contra ſentiebant, periculum in primis oggerantes, quod omnibus immineret, ſi
litterarum indicio ad Banum aliunde affarrentur: qui Andreæ partes ſectabantur, re-
mittendos ſine mora Martelli nuncios contandebant, & ſine ambagibus reſponden-
dum, tum ſe in ejus fide futuros, cum conſueta regni corona, & in Hungaria regis
titulum capeſſiverit. Id cum ad extremum omnibus probatum eſſet, Legati re infe-
cta in Siciliam abiere (*s*).

Andreas per fidos nuncios de re edoctus continuo in Croatiam advolat, &
Zagrabiæ, ut in propinquo rebus Dalmaticis conſuleret, copiis, quas adduxerat, *Andreas*
ſtativa deſignat (*t*). Haud multo poſt Carolus quoque Martellus, ſive repulſa irri- *victo Mar-*
tatus, ſive clam ab Hungaris, qui jam tum Andream faſtidiebant, accitus cum exer- *tello con-*
citu adfuit, collatiſque ad Zagrabiam ſignis da ragno contendit. Sed cum inferior *firmat.*
ex arena axcederet, & Andreas victoriam acriter perſequeretur, convaſatis rebus, &
impoſito navibus milite ex Dalmatia diſceſſit (*u*). Altero abbinc anno Romam cum 1294.
patre profectus cum Cæleſtinum Pontificem exquiſitis officiis percoluiſſat, ab eo vi-
ciſſim rex Hungariæ coronatus aſt, novaſque Andreæ curas confecit (*x*). Erat per
id tempus Andreas Strigonii litium cauſa, quæ Lodomerio Strigonienſi Archi-Epiſco-
po cum civibus ejus urbis interceſſerant; quos cum Antiſtites ob graviſſimas injurias
celebrata ſynodo communione ſacrorum privaſſet, rex ſententiam publico diploma-
te confirmavit. Juvat id compendiaria ratione annalibus inſerere, tum ut regiam di-
gnitatem Andreæ manifeſto argumento adverſum Italos ſcriptores aſſeramus, qui eum
Adminiſtratoris titulo ſolum nuncupare ſolent, tum ut errorem eorum, qui nuptias
inter Agnetem Auſtriæ Ducis filiam, & regem celebratas longo tempore præcipiunt,
illuſtremus (*y*).

„ Andreas Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Gal- *Regis, non*
„litiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque rex, omnibus Chriſti fidelibus tam præ- *admini-*
„ſentibus, quam futuris præſentem paginam inſpecturis ſalutem in eo, qui regibus dat *ſtratoris*
„ſalutem. Sopitas definitivæ ſententiæ calculo perverſæ, & impudicæ calumniantium *titulo in*
„quæſtiones, ne in recidivæ diſſenſionis relabantur ſcrupulum, vivaci litterarum teſti- *litteris*
„monio commendari, non ſolum Canonicalium, civiliumque dacernere cognitiones *utitur.*
„jurium, ſed & ipſe regalibus, & Principalibus ratificatum faſtigiis, cujus non levis
„debet aſſa authoritas, ne immortales aſſe valeant lites bominum calumnioſorum,
„obviando malitiis, irrefragabili ſanctione, ſtatuit mos antiquus. „ Tum relatis cauſæ
„in utramvis partem momentis ſententiam in bunc modum decernit. „ Nos igitur Ve-
„nerabilibus Patribus, & Dominis, Andrea Agrienſis, Benedicto Veſprimienſis, Pau-
„lo Quinque Eccleſienſis, Benadicto Jaurinenſis, divina diſponente Clementia Eccle-
„ſiarum Epiſcopis, Dominico Magiſtro Tavarnicorum Dominæ Reginæ chariſſimæ
„conſortis noſtræ, Ladislao, filio Lucæ, Magiſtro Tavarnicorum Dominæ Th. Dei
„gratia reginæ ſenioris, matris noſtræ, & aliis quam plurimis Baronibus, & Nobili-
„bus regni noſtri, & ſpecialiter aſſiſtente nobis eadem Domina Th. regina ſeniori,
„Chariſſima Matre noſtra, eisdemque ſemel, ſecundo, & tertio, pluribuſque con-
„ſultis vicibus, ex ipſorum omnium conſilio, convenientia, & conſenſu, & eviden-
„ter falſa, & iniqua præfatorum civium turbativa inquietatione dictos Venerabilem
„patrem, Capitulum ſuum, Præpoſitum, & Eccleſiam S. Thomæ pure, & ſimpli-
„citer duximus abſolvendos, ipſis civibus ſuper præmiſſis, eorum inquietativa tur-
„bationa tam in poſſeſſorio, quam in petitorio perpetuum ſilentium imponentes. --
„Ut igitur hæc noſtra definitiva ſententia robur obtineat, perpetuæ firmitatis, præ-
„ſentes conceſſimus duplicis ſigilli noſtri, Conſortis noſtræ Chariſſimæ, Dominæ Th.

s) Idem ibid.
t) Hiſt. Zagrab. pag. 94.
u) Ibid. pag. 92. ſecundum Tomci opinionem.
x) RAYNALD. ad annum 1294.
y) PETERFY Tom. I. Concil. Hung. p. 133.

1294. „Matris noſtræ, ac Prælatorum prædictorum nomine roboratas. Datum per manus
„diſcreti viri, Magiſtri Theodori, Albenſis Eccleſiæ Præpoſiti; aulæ noſtræ Vice
„Cancellarii, dilecti, & fidelis noſtri. Anno Domini MCCXCIV. IV. Kalendas Au-
1295. „guſti, regni autem noſtri quarto.

Fœdera cum Auſtriacis ſancit.

Ex quibus opinor judicium ſatis certum conſtitui, Agnetem Auſtriacam, ut
nonnulli ex noſtris ſcriptoribus exiſtimant, Andreæ nondum collocatam fuiſſe, cujus
conjecturæ rationem perſpicuam in loco daturum me polliceor. Hæc inter nuncius
affertur regi, Martellum e vivis ſublatum eſſe: quo accepto tametſi metu ingenti ſe
expeditum videret, tamen Robertus, quem filium Martellus reliquerat, haud mi-
nus, cum ob potentiam, tum multiplices clientelas formidandus erat; cui, quod
non paucos ex factioſis Hungaris ſtudere comperit, non aliter obviari poſſe arbitra-
tus eſt, quam ſi ſe adverſum molitiones nova fœderum ſocietate communiret. Com-
modum ſequente anno Conjugis mors intervenerat. Itaque adjecto ad novas nuptias
1296. animo Legatos ad Albertum Auſtriæ Ducem mittit, qui ſuo nomine & de recupera-

Ducis filia in conjugem accepta.

ta valetudine, paullum enim ante ex porrecto toxico æger erat, illi gratularentur,
& Agnetem filiam in Conjugis defunctæ loco uxorem peterent. Albertus quamquam
primum ob ereptum nuper Poſonium & Ginſienſem plagam difficiles Legatis aures
præberet, tamen, quod nec ipſe res ſuas partim ob Salisburgenſem Epiſcopum, Sti-
riæ per intervalla infeſtum, tum ob nondum penitus ſedatos provincialium animos
ſatis in tuto collocatas videret, ad extremum Andream in generum non invitus ad-
ſcivit. Celebratas eodem anno Viennæ ingenti apparatu nuptias Chronica Auſtralis
perhibet, etſi de pompa, quam regiam fuiſſe veriſimile eſt, ſingilatim nihil conſi-
1297. gnarit (z).

Hanc inſigni dote ornat.

Andreas deductæ in Hungariam novæ conjugi, partim ut ſocero gratus eſſet,
partim ut uxoris amorem captaret, Poſonienſem provinciam cum arce, & latifun-
diis illo pertinentibus, dotalitio nomine, quoad viveret, donum dedit. Exſtat in
Seccovienſi tabulario diploma, quod & conjugis nomen, & dotis partem in hæc ver-
ba conſignat (a).

„Andreas Dei gratia rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ,
„Gallitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, & Bulgariæ - - ad univerſorum præſentium, fu-
„turorumque notitiam volumus pervenire, quod, quia Magnificus Princeps Alber-
„tus D. G. Dux Auſtriæ, & Styriæ, pater noſter Chariſſimus nos paternali affe-
„ctione dilexit, & confovit, nos tantæ dilectionis fervorem, & amorem nobis im-
„penſum attendentes, cupienteſque ex animi noſtri deſiderio mutua viciſſitudine,
„pari & conſimili dulcedine, ſeu amore eidem Domino Alberto, Duci Auſtriæ &
„Styriæ, patri noſtro, ac ſereniſſimæ Dominæ Duciſſæ, matri noſtræ aſſiſtere, & con-
„digna ſatisfactione præmiſſa, ac remuneratione regia reſpondere - - Comitatum Po-
„ſonienſem cum Caſtro Poſonienſi, & aliis caſtris, eidem Comitatui conjunctis, &
„annexis, villis, tributo, ſeu aliis pertinentiis, ac utilitatibus univerſis, dedimus,
„donavimus, tradidimus, & contulimus ſereniſſimæ Dominæ Agneti Dei gratia regi-
„næ Hungariæ, filiæ ipſius Domini Alberti Ducis, Conſorti noſtræ Chariſſimæ, tam
„in vita noſtra, quam poſt mortem noſtram poſſidendum, uſque dum eidem Do-
„minæ Agneti reginæ, Conſorti noſtræ, fuerit vita comes. In cujus rei memo-
„riam, ſtabilioremque firmitatem præſentes conceſſimus litteras, duplicis ſigilli noſtri
„munimine roboratas. Datum per manus diſcreti viri, Magiſtri Gregorii Albenen-
„ſis Eccleſiæ electi, aulæ noſtræ Vice Cancellarii, dilecti fidelis noſtri. Anno Do-
1298. „mini MCCXCVII. IV. Nonas Novembris, regni autem noſtri anno VIII.

Procerum in Andream factiones.

Atque id fortaſſe in cauſa fuiſſe ſuſpicor, cur Procerum quidam, inter quos
Henricum Banum, & Ugrinum præcipuos fuiſſe comperio, ad Bonifacium Pontifi-
cem nuncios cum litteris miſerint, quibus orabant, ut alium Hungariæ regem con-
ſtitueret, Carolo Roberto, Martelli filio, non obſcure deſignato, in quem Papa id
honoris tansferret. Neque Andream factioſorum molitio, tametſi clandeſtina, &
pau-

a) „MCCXCVI. Andreas rex Ungariæ „magna cum ſolemnitate duxit filiam Alberti „Ducis Auſtriæ.„ In eadem fere verba duo Chronica Mſ. Zwetlenſia. Pappenheim. in Hiſt. Auſtral. Cuſpinianus in Cæſaribus & Auſtria.

a) In Diplomat. Stiriæ inter Seccovienſia Num. CXXIX.

An. Chr. 1298.

paucorum fuit, diu latuerat, quam ut penitus elideret, Wenceſlaum Bohemiæ regem per nuncios commonefecit, ne matrimonium, quod inter ejus gnatum, & Andreæ filiam ex Clara Euphemia ſublatam facta ſtipulatione ineundum utrinque poſt cid ſunt, porro differre vellet. Wenceſlaus quamquam filium haberet nondum hyr e- neo maturum, nihil tamen amico regi negandum ratus, locum nuptiis Viennam Au- ſtriorum deſignat, ubi & de conjugii apparatu & fœderum communione tractaretur. Andreas ineunte Februario menſe ſplendidiſſimo Antiſtitum & Procerum comitatu, tum lectiſſima Hungarorum, ac Cumanorum militia ſtipatus in urbe adfuit, quo haud multo poſt præter finitimarum Provinciarum Duces Wenceſlaus Bohemiæ rex cum filio cognomine advenerat. Qua pompa nuptiæ confectæ ſint, quoniam id video pene ab omnibus Bohemicis ſcriptoribus præteritum, verbis Chronici Auſtralis, ab auctore, ut mihi quidem videtur pene ſynchrono conſcripti, in medium proferre operæ precium putavi (*b*). „Poſt octavam (ſcribit) Purificationis B. Virginis con- „venerunt ad Ducem Auſtriæ in Wienna illuſtris rex Hungariæ Andreas, Magnifi- „cus Wenceſlaus rex Boemiæ, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgenſis, Dux „Apuliæ (*c*), Dux Opaviæ, Marchio Dephile, & alii quam plures nobiles, Baro- „nes, miniſteriales & milites. Epiſcopus Baſileenſis, Epiſcopus Conſtantienſis, Epi- „ſcopus Olmucenſis, Epiſcopus Patavienſis, electus Archiepiſcopus Strigonienſis, „Epiſcopus Jaurinenſis (*d*), Epiſcopus Pragenſis, Epiſcopus Friſingenſis, Epiſco- „pus Veſprimienſis, Epiſcopus de quinque Eccleſiis, Epiſcopus Secovienſis, Epi- „ſcopus Ghymenſis (*e*), Epiſcopus Colocenſis, Epiſcopus Vacienſis, Frater Amo- „nius Epiſcopus Agrienſis (*f*) Ordinis fratrum Minorum, & alii quam plures per- „ſonæ ſolennes, Abbates, Præpoſiti, Canonici, & Comites Hungari multi. Certe „ab antiquis temporibus eſt inauditum, ad unum Ducem tot, & tam illuſtres con- „venire perſonas, & venerunt cum tanta multitudine Hungarorum, & Cumanorum, „quod vix poterant invenire hoſpitia in civitate, imo circumquaque extra partes ci- „vitatis receperunt ſe cum equis ſuis, in cubiculis, & ſtabulis, & cameris. - - Qui „cum ſuas nequitias cum uxoribus, & filiabus, & ancillis proborum virorum, cum „quibus hoſpitabantur; cuperent exercere, extra portam ſtubæ a convicinis, & „concurrentibus decem in una ſtuba ſunt occiſi. Dicitur, quod unus eorum fuerit „filius Abrammi regis Cumanorum. In eadem ſeptimana feria III. in præſentia tan- „torum nobilium ſupradictorum copulavit rex Hungariæ filiam ſuam, filio regis Boe- „miæ, cum ingenti tripudio, & ſolennitate, ut decuit tantos Principes, & tota ter- „ra gaviſa eſt de pace, & concordia tantorum Principum, Deo referentes gratiam, „& gloriam, & ſic omnes reverſi ſunt ad propria.„ Filiam hanc Eliſabetham fuiſſe dictam nonnulli volunt (*g*) ex Fenena Gloggovienſis Ducis filia prognatam: ſed er- ror hic ex priore, quem ſupra refellimus, ſponte ſua jam conficitur: neque ſatis rite cum annorum ratione congruit, quando virginem, ſi ex ſecunda conjuge in lucem edita fuiſſet, cum nuptui daretur, vix dum octennem fuiſſe oportuerat.

Alteram hanc nuptiis cum Bohemo fœderibus ſe munit.

1299.

Carolus Martelli filius rex a Pont. creatur.

Poſtremo loco haud obſcure Chronici hujus ſcriptor innuit, fœderum quo- que tractationem Principibus interceſſiſſe: crediderim Andream in eo cum primis ela- boraſſe, ut, ſi quid e Sicilia Roberti cauſa, aut factioſis in Hungaria periculi ſibi crearetur, vires ad comprimendas hoſtium molitiones in promtu haberet. Neque metum hunc de nihilo fuiſſe paullum poſt eventus docuit: Bonifacius enim, quem Proceres nonnulli litteris convenerant, & alium Hungariæ regem conſtitui orabant, Carolum Robertum ſua auctoritate regem Hungariæ creat, Andreæ contra, quoad puer adoleſceret, Adminiſtratoris regni nomen & poteſtatem relinquit. Satis men- tem ſuam eatenus Papa explicuit, cum ad Gregorium electum Strigonienſem, ut Joannem Comitem Caſtri ferrei ab anathematis vinculo ſolveret, in hæc verba ſcri- bit (*b*).

b) Apud Cl. Linck in annal. Claravallen- ſibus ad an. 1298.

c) Suſpicor legi debere Opoliæ, cum e veſtigio Opaviam Sileſiæ itidem Ducatum ſubjunget.

d) Chronicon habet: *Gearmenſis*, ex Hun- garico *Gyirienſis*.

e) Quis hoc nomine Epiſcopatus veniat, neſcio; forte Chanadienſis.

f) Chronicon habet ex Germanica voce *Erlienſis*, ſubſtitui notius vocabulum.

g) Ladislaus Thuroczius in regibus Hun- gariæ pag. 227.

b) Raynald. ad an. 1299.

„Porrecta nobis ex parte nobilis viri Joannis Comitis Caſtri ferrei, Jaurien-
„ſis diœceſis, nati quondam Henrici Bani de Ungaria petitio continebat, quod cum
„ipſe olim venerabili fatri noſtro Joanni Auximano tunc Epiſcopo, & in partibus il-
„lis Apoſtolicæ ſedis nuncio, fidem, & devotionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ debi-
„tam obſervare cum reverentia promiſiſſet, ita, quod nulli tanquam regi Ungariæ
„pareret, aut intenderet, ſeu obediret, niſi deſtinato, ſeu approbato a ſede præ-
„dicta, quia tamen obedientiam, & reverentiam Andreæ, qui rex Ungariæ nomi-
„natur, ignorans ipſius regimen per ſedem approbarum eamdem, noluit exhibere,
„tam idem nobilis vir, quam ſui complices, & fautores per bonæ memoriæ L. Ar-
„chiepiſcopum Strigonienſem, & Jaurienſem, & Weſprimienſem Epiſcopos, ac alios
„ſuos ſuffraganeos fuerunt auctoritate ordinaria excommunicationis ſententia inno-
„dati. Quare ex parte ipſius nobilis fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut ſibi, &
„eiſdem complicibus, & fautoribus de abſolutionis beneficio provideri miſericorditer
„faceremus. Nos igitur ipſorum ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apo-
„ſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, per te, vel per alium præfatos
„nobiles, complices, & fautores, a dicta excommunicationis ſententia ad cautelam
„juxta Eccleſiæ formam abſolvas, injungens eorum cuilibet, quod pro ipſorum ſa-
„lute, tua diſcretio eis viderit injungendum. Datum Laterani IV. idus Martii,
„anno V.„ Atque hinc Raynaldus Carolum Robertum a Bonifacio legitimum regem habitum, Andream contra Adminiſtratoris ſolum nomine inſignitum fuiſſe arguit. Libens graviſſimo ſcriptori aſſentior, at illud mihi prorſus obſcurum eſt, quid cauſæ ſit, cur, cum Andreæ regimen a Sede Apoſtolica approbatum Papa diſerte fateatur, nominetenus duntaxat regem compellet: alioquin, ſi etiam fiduciario jure regnum Pontifici, ut Nicolaus nuper contendit, obnoxium fuiſſe quis ſibi perſuadeat, credibile non eſt, Bonifacium ſine cauſa Andream regno privaſſe, quem ceteri Pontifices ſuo judicio confirmaſſent.

Andreas litem inter Epiſcopos componit.

Ceterum Andreas, tametſi eum Bonifacii mens, ac voluntas non lateret, non modo in profanis, ſed ſacris etiam rebus regis poteſtate, & auctoritate uſus eſt. Cum enim lis inter Agrienſem, & Tranſilvaniæ Epiſcopos ob Marmaroſienſem provinciam exorta eſſet, quam uterque ſuæ diœceſeos limitibus comprehendi optabat, cauſam per Archiepiſcopum Colocenſem illuſtratam, ſuo judicio, & diplomate in hæc verba confirmavit (*i*).

„Nos Andreas Dei Gratia rex Hungariæ præſentium per tenorem ſignifica-
„mus, quibus expedit, univerſis. Quod cum mediantibus litteris noſtris, & nun-
„cio, venerabili Patri, Domino Andreæ Dei Gratia Epiſcopo Agrienſi inhibuiſſe-
„mus, ne licentia a nobis minus legitime obtenta, jure diœceſano in Maramaruſio
„uteretur, antequam coram venerabili Patre, Domino Johanne Archiepiſcopo Co-
„locenſi Metropolitano, & Domino Petro, Epiſcopo Tranſilvaniæ de hoc munere
„experiretur, utrum terra Maramarus vocata intra terminos, & limites diœceſis Tran-
„ſilvaniæ exiſtat, nec ne, cumque idem venerabilis Pater, Dominus Tranſilvanus
„ſecundum tenorem - - litterarum noſtrarum recepto nuncio, a Domino Johanne
„Archiepiſcopo prædicto ipſum Dominum Epiſcopum Agrienſem ad præſentiam
„ejuſdem Domini Archiepiſcopi, & aliorum Prælatorum vocari percuraſſet, Domi-
„nus Epiſcopus Agrienſis ad vocationem Prælatorum venire renuens abſque hujus-
„modi cauſæ cognitione receſſit, prout nobis per litteras ejuſdem Archiepiſcopi Co-
„locenſis conſtitit evidenter. Unde nos convocatis nobilibus partis illius diligenti
„inquiſitione per venerabilem Patrem Emericum, Epiſcopum Varadienſem, & Do-
„minum Ladislaum, Præpoſitum Tytilienſem, aulæ noſtræ Vice Cancellarium præ-
„miſſa, quia invenimus terram Maramarus prædictam eſſe, & fuiſſe intra limites &
„terminos diœceſis Tranſilvaniæ, pro eo habita deliberatione una cum Baronibus,
„& Conſiliariis noſtris poſſeſſionem juris Diœceſani, quæ per licentiam, per nos Do-
„mino Epiſcopo Agrienſi datam, turbata videbatur, Domino Epiſcopo Tranſilva-

„niæ

i) In MSS. Huſztiania.

„nitæ, & per eum Epiſcopatui Tranſilvanico duximus adjudicandam, & ſententiona- 1299.
„liter reſtituendam in ea parte, qua Eccleſia Tranſilvanica per nos læſa, vel offenſa „videbatur, & in pacificam poſſeſſionem prædicti juris per Mathiam Sacerdotem, di- „lectum & fidelem Capellanum noſtrum, ipſum Dominum Epiſcopum Tranſilvanum „fecimus introduci. Datum in caſtro Budenſi in Feſto Beati Laurentii, anno Do- „mini MCCXCIX.„

1300.
Dum hæc ab Andrea in Hungaria geruntur, haud ſegnius ſuas quoque Carolus in Sicilia partes agit. Pleroſque Dalmatinorum partim benevolentia, partim ſplendidiſſimis promiſſis ſibi jam conciliaverat, neque videbantur Croatæ ab eo abhorrere, quin Paulus Banus exemplo quorundam Hungariæ procerum ductus, apertis ſtudiis Carolum ſectabatur, miſſique, qui eum ad capeſſendum regnum e Sicilia acceſſerent. Neque ille deſideria ſuorum longe moratus, impetrata a patre claſſe, quæ tuendæ dignitati par videretur, Adriaticum ſecundis ventis emenſus Spalatum Auguſto menſe incolumis applicuit. Hic alterum pene menſem commoratus, riteque conſtitutis omnibus, quæ ad ſtabiliendam regni poſſeſſionem facere viſa ſunt, placuit Croatarum quoque animos pertentare, utrum eadem fide, & voluntate adverſum ſe futuri eſſent. Itaque Bano Comite, ceterorumque Dalmatarum ſatellitio ſtipatus Zagrabiam venit, ubi ab Ugrino, quem primum omnium ad Caroli partes tranſiſſe narravimus, regium in morem accipitur, & certa ſpe potiundæ propediem Hungariæ recreatur (k).

Dalmatini Carolo Roberto ſtudent.

Andreas ubi Dalmatiam, Croatiamque ad Carolum defeciſſe comperit, neque aliter Sclavones quoque facturos provideret, ad hæc pleroſque itidem ex Hungaris in fide nutare, non obſcuris indiciis cognoſſet, animo æger contracto paullum poſt morbo e vivis eripitur, Budæ in Eccleſia D. Joannis Baptiſtæ apud fratres Minores ſepultus: ultimus omnium regum, qui ex virili ſtirpe inde ab Geiſæ Ducis temporibus Hungariæ imperitarint (l).

Hinc mœrore oppreſſus Andreas exſtinguitur, ultimus regum ex virili ſtirpe.

Carolus, intellecto Andream e vivis exceſſiſſe, Dalmatiæ, ac Croatiæ Procerum conſilio Zagrabia citatis itineribus in Hungariam contendit, iſthicque captata paucorum optimatum voluntate, Gregorium quoque electum Strigonienſem in ſuas 1301.
partes tanto facilius attraxit, quanto crebrius hic a Bonifacio Papa jam ante admonitus eſt, ut Carolo præ Andrea ſtuderet, regemque Hungariæ inauguraret. Facile obſequutus eſt Gregorius, præſertim quod Matthæum Omodeum, & Ugrinum, clientelis, & partium ſtudiis præpotentes Carolum conſtanti fide ſectari intueretur. Itaque Strigonii, neque ſolita regni corona, Carolum ungit, regemque promulgat (m). Credibile eſt urbem ab adverſa parte, quæ Robertum a regni poſſeſſione excluſum voluit, jam occupatam, aut certe coronam in eorum poteſtate fuiſſe.

Regnum factionibus ſcinditur, quibuſdam Carolum,

Ea res claſſici inſtar ad ciendas inteſtinas turbas fuit, quibus Hungaria decennium fere diſtrahebatur. Etenim plerique Procerum, ubi Carolum ab Strigonienſi oleo delibutum comperiſſent, & cum Joanne Colocenſi maxima Antiſtitum pars,

Aliis Wenceſlaum Bohemum ad

Zzzz quod

k) Lucius lib. IV. Cap. X.

(l Subnecto Laterculum genealogicum Andreæ III.

m) Du Fresne de famil. Dalm. & Sclav. pag. 160. Thurocz Cron. Cap. XXXIV. Et ſonuit id Bonifacius VIII. Pontifex in litteris ad annum 1303. ut ſuo loco memorabimus: tametſi addat corona quoque redimitum eſſe.

Andreas II. Hieroſolymitanus. Uxor III. Beatrix Aldrovandini Eſtenſis March. filia, non vero Eſonis, qui virginis patruus fuit.

Stephanus Poſthumus. Uxor Catharina Thomaſina ex Maurocenorum genere.

Andreas III. Venetus I. Ux. Clara Euphemia.
II. Agnes Auſtriaca.

Eliſabetha. Maritus. Wenceslaus III. rex Bohemiæ.

Filia anonyma.

ſolium vocantibus.

quod negarent, Pontifici unquam in conſtituendos Hungariæ reges jus fuiſſe, obedientiam aperte detrectabant; libertatemque gentis, & regni ea re maxime lædi querebantur. Quare collatis in commune conſiliis, Wenceslao Bohemiæ regi Hungara matre edito, regnum decernunt: miſſique extemplo Legati, qui, quæ Hungarorum mens eſſet, edoctum regem orarent, ut ne regnum, cui cum Bohemia veteres neceſſitudines interceſſiſſent, deſtituere velit, & oblatam ſponte dignitatem adverſus æmulum tueatur. Wenceslaus acceptis comiter Oratoribus humaniſſimas gratias agit, haud gravate tamen eos ferre debere, ſi optimæ nobiliſſimæ gentis voluntati morem non gereret, qui duorum regnorum, haud ita pridem enim Polonia quoque ad Bohemum devoluta eſt, curis, & adminiſtratione ita jam diſtineretur, ut citra ambitus ſuſpicionem, tametſi Hungariæ poſſeſſionem maximopere cupiat, adire non poſſet. Daturum ſe, ſi illis ita videretur, filium Wenceslaum, magnæ ſpei adoleſcentem, neque eo favore indignum, adfuturum ſe ei copiis, ceteriſque, quæ ad eam dignitatem tuendam facerent, auxilio. Id ſi Hungaris probari intellexerit, viſuros, ſe beneficium nec in immemorem, nec in ingratum contuliſſe. Joannes Colocenſis Archi-Epiſcopus, qui primum inter Oratores locum tenuit, omnium nomine reſpondit: regem de Hungarorum voluntate, cujus interpretes ipſi huc veniſſent,

Hi prævalent Wenceslao coronato.

minime dubitare debere, filium in patris loco perinde acceptum iri, neque, quarum meminiſſet, copiis ad tuendam dignitatem opus eſſe; Hungaros, qui regem petere noſſent, ſcituros etiam, ubi uſus tulerit, armis defendere. Neque multis moratus, tabulis, quæ utrinque confectæ ſunt, jure jurando firmatis, Wenceslaum ſplendido Bohemiæ Procerum comitatu ſtipatum in Hungariam deducit, Albæque magna concurſantium frequentia, ex ritu, & conſuetudine gentis corona incingit (n).

WENCESLAVS BOHEMVS.

Pontifex ad ſopiendas turbas Legatum in Hungariam mittit.

Wenceslao, cui noſtri nomen Ladislai indidere, rite inaugurato, reſpublica, contra quam exiſtimatum ſit, majoribus turbis agitari cœpit; Carolo Dalmatarum fere, & Croatarum, tum nonnullorum ex Hungariæ Proceribus clientela fulto, Wenceslao contra cum pleriſque Hungaris, & Bohemis adeptam recens dignitatem acriter tuente. Interceſſit quoque Pontifex, qui, poſtquam Bohemum Carolo a potiore regni parte antepoſitum fuiſſe intellexiſſet, acerbas ad Nicolaum Oſtienſem, Velletrenſem Epiſcopum, quem haud multo ante Legati Apoſtolici dignitate ornatum in Hungariam miſerat, litteras dedit, quibus acriter in Colocenſem Archi-Epiſcopum invehitur, quod ſe inconſulto in aliena jura involans, Wenceslaum regem coronaſſet, cui tamen cognitum eſſe oportuerat, regnum,

n) Idem ibid. Fueritne Wenceslaus ſanguine proximior Hungariæ regibus, quam Carolus, ex ſubjecta tabella patebit.

Bela IV. Ux. Maria Laſcaris.

Anna. Maritus Radislavs Haliciæ Dux & Machovienſis.

Cvnegvndis. Maritus Ottocarvs rex Bohemiæ.

Wenceslavs II. Ux. Gvtha Rudolfi Imp. filia.

Wenceslavs III. Hung. rex. Ux. Elisabetha. Andreæ III. filia.

Caroli Roberti genealogiam, quantum ad præſens argumentum attinet, alio loco exhibebimus.

gnum, ſi hæres non adeſſet, ad Pontificiæ ſedis arbitrium pertinere. Sed præſtat ipſum Boniſacium Papam audire (o).

„Nicolao Oſtienſi, & Velletrenſi Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis Legato.„

- - - „Provide ſanctæ memoriæ prædeceſſores noſtri, Romani Pontifices,
„etſi eos diverſum regum, & regnorum cura ſolicitaverit officii paſtoralis, ſpecialiter
„tamen ſua ſtudia converterunt, ut regnum Hungariæ, quod ad Apoſtolicam ſedem
„peculiarius pertinet, præſervaretur a noxiis, & ſalubria ſuſciperet incrementa, & ma-
„xime contra Cumanorum, Tartarorum, & Paganorum, ac Schiſmaticorum hoſtiles
„incurſus, quibus exſtitit hactenus plurimum impugnatum, ut ex quibus ad magnum
„exterminium, & diminutionem habitatorum fidelium eſt deductum. Nos quidem
„prædeceſſorum ipſorum veſtigia imitari volentes, intellecto nuper ſtatu miſerabili di-
„cti regni, quod proh dolor! in ſpiritualibus, & temporalibus multipliciter eſt col-
„lapſum, & in quo undique bella fremunt, Eccleſiarum Prælatis, & perſonis Ec-
„leſiaſticis, nec non Baronibus, & Nobilibus, ac popularibus diſſidentibus in eo-
„dem, de tua circumſpectione confiſi, te ad regnum ipſum cum plenæ legationis
„officio duximus deſtinandum.

„Verum poſt tuum diſceſſum a nobis ad notitiam noſtram fide digna relatio,
„ſed nimis amara perduxit, quod Venerabilis frater noſter Colocenſis Archi Epiſco-
„pus, ſi tamen, dum conſonent facta relatibus, venerabilis ſit dicendus, ſtipatus
„nonnullis Epiſcopis, & Eccleſiarum Prælatis, ac Baronibus prædicti regni in tan-
„tam porupit audaciam, & temeritatis exceſſum, quin potius ad tantam devenit
„inſaniam, quod dilectum filium Wenceslaum, natum Chariſſimi in Chriſto filii no-
„ſtri Wenceslai, Boemiæ regis illuſtris, in regem ejusdem regni Ungariæ de facto,
„cum de jure non poſſet, coronare præſumpſit, ingreſſum tuum in ipſum regnum ne-
„quaquam exſpectans, cum eſſes illud cum hujuſmodi legationis officio e veſtigio in-
„traturus. Nec attendit dictus Archiepiſcopus, quod nunquam ad ſe, vel præde-
„ceſſores ſuos, Colocenſes Archi Epiſcopos regum Ungariæ coronatio de jure, vel
„de conſuetudine pertinebat, nec aliquatenus pertinebat, ſed hujuſmodi reges ſolent
„per Strigonienſem Archiepiſcopum, qui eſt pro tempore, coronari, ut non proſe-
„quamur ad præſens, quomodo nec ex ſucceſſione, ſeu jure aliquo, quod occur-
„rat, regnum ipſum debeatur Wenceslao nato prædicto, ſuper quibus in dubio ſal-
„tem nos, vel te, qui gerebas in illis partibus vices noſtras, conſulere debuiſſet.
„Cum enim inter lepram & lepram variaretur judicium, erat ad nos, qui ſummi ſa-
„cerdotis Levitici generis vices gerimus, locumque tenemus, in tam arduis caſi-
„bus recurſus habendus; maxime, cum Magnificus vir Carolus, nepos Chariſſimi
„in Chriſto filii noſtri Caroli, Siciliæ regis illuſtris, per dilectum filium, Strigonien-
„ſem electum, & adminiſtratorem auctoritate noſtra in ſpiritualibus, & temporali-
„bus Strigonienſis Eccleſiæ conſtitutum, in ejusdem regni Ungariæ regem fuiſſet an-
„tea coronatus.

„Ad hæc nolumus te latere, aut in dubium revocari, quod memoratum
„Ungariæ regnum Sacro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ a beato Stephano, primo rege Un-
„gariæ Chriſtiano cum omni ejus jure ac poteſtate devote oblatum fuit, & tradi-
„tum reverenter, qui etiam ad ipſius regni ſolium noluit auctoritate propria ſubli-
„mari, ſciens, quod nemo ſibi ſumere debet honorem, niſi qui vocatur a Deo, &
„ideo non a quolibet, ſed a Vicario JEſu Chriſti, & ſucceſſore Petri aſſumpſit re-
„gium diadema. Fuerat quidem divinitus revelatum, quod ei primum in gente Un-
„garica corona debeatur & regnum, ſicut hæc plenius documenta, quæ ſervantur in
„archivis memoratæ Eccleſiæ Romanæ, teſtantur, & ad ipſius Archiepiſcopi potue-
„runt notitiam perveniſſe. Unde cum ſupradictus Archiepiſcopus culpabilior fuerit in
„hac parte, eſt amplius puniendus.

„Nolentes igitur hujuſmodi audaciam exceſſus, & inſaniam dicti Archiepi-
ſcopi, ſicuti nec debemus, ſub diſſimulatione tranſire, quamvis adeo ſint notorii,

o) Raynald. ad an. 1301.

,, quod nulla poſſunt tergiverſatione celari, ut tamen ſibi, ſi quam forſan habet, de-
,, fenſio relinquatur, quæ ipſum, & ſi non excuſaret a toto, ſaltem excuſaret a tan-
,, to, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per te, vel per
,, alium, ſeu alios præfatum Archiepiſcopum Colocenſem ſub pæna privationis, & de-
,, poſitionis archiepiſcopalis oneris, officii, & honoris, quam, ſi ſecus fecerit, ipſum
,, incurrere, volumus ipſo facto, ex parte noſtra peremptorie citare procures, ut in-
,, fra quatuor menſium ſpatium poſt citationem hujuſmodi ſuſpenſus ab omni benefi-
,, cio, & officio perſonaliter compareat coram nobis, ſuam, ſi poterit, innocenti-
,, am oſtenſurus, ac pariturus noſtris beneplacitis, & mandatis. Ceterum ſi præſen-
,, tiam ipſius Archiepiſcopi tute vel commode adiri non poſſe credideris, ad citatio-
,, nem hujuſmodi faciendam, tu in aliquo, vel aliquibus ipſi Archiepiſcopo, vel Co-
,, locenſi Civitati vicinis, ſeu alio, vel aliis loco vel locis ſolemnibus, de quo vel
,, quibus expedire videris, ſimiliter per te, vel alium, ſeu alios ejuſdem citationis
,, edictum publice, ac diligenter proponere ſtudeas, ita, quod veriſimile ſit, quod
,, citatio ipſa pervenire poſſit ad eum. Quam quidem citationem, ut prædicitur, fa-
,, ciendam ſufficere volumus, atque decernimus, ac ſi fieret coram Archiepiſcopo
,, prælibato. Diem autem hujuſmodi citationis, & propoſitionis, & formam, &
,, quidquid fieri contigerit in præmiſſis, nobis per tuas litteras, harum ſeriem conti-
,, nentes, fideliter intimare procures. Datum Laterani XVI. Kalendas Novembris
,, anno VII.

Quid his litteris effectum ſit, non conſtat, quod Legatus Apoſtolicus ſequente primum anno in Hungariam delatus, re infecta, ut narrabimus, iterum regno exceſſerit. Ceterum, ſi Bonifacius documenta Divi Stephani, *quæ in archivis Eccleſiæ Romanæ* aſſervari diſerte perhibet, in medium protuliſſet, dubium non eſt, non modo Archiepiſcopum Colocenſem, ſed ceteros quoque Proceres, qui jus legendorum regum ſuum, & regni eſſe arbitrabantur, in ejus vota facile conceſſuros fuiſſe. Sed hæc, ut alias monui, nondum lucem videre, ex quibus invidioſa hæc lis penitus, & liquido complanaretur.

Regem Bohemiæ orat ut filium ex Hungaria revocet.

Similes quoque litteras eadem die ſignatas ad regem Bohemiæ Wenceslai junioris partem dederat, majorem in modum obteſtatus, ut, quæ alter inique patraſſet, ſoa prudentia irrita redderet, filiumque continuo ex Hungaria revocaret; alioquin, ſi quid juris in Hungariam, ſe, aut natum ſuum habere exiſtimaret, hac una via recuperari poſſe, ſi citra cunctationem dictis morem gerere pergeret (p).

Chariſſimo in Chriſto filio Wenceslao, Regi Boemiæ illuſtri.

Etſi reges, & Principes orbis terræ, Catholicæ fidei profeſſores; & Eccleſiæ Romanæ devotos paterna benevolentia proſequamur, perſonam tamen tuam, dignitate regia inſignitam ſincera charitate conſtringimus, & ſingularis benevolentiæ brachiis amplexamur, ideoque tibi familiarius ſcribimus, teque alloquimur confidenter. Miramur ſiquidem & turbamur, quod ſerenitas tua ſuſtinuit, & præſtavit aſſenſum, quod dilectus filius Wenceslaus natus tuus, in regem Ungariæ ſit aſſumptus, & a Colocenſi Archiepiſcopo, & nonnullis ſuis complicibus paſſus eum fueris coronari. Utinam diſcuſſiſſes ex quo capite, ex quo jure, qua ſucceſſione, quo titulo præfatus natus tuus ad ipſius regni regimen ſit aſſumptus, & quomodo coronam ab eo recipere debuit, qui auctoritatem regis Ungariæ coronandi non habebat de conſuetudine, vel de jure. Nec debuit Apoſtolica ſedes, mater omnium, & magiſtra contemni, quin ſaltem in dubiis, & majoribus cauſis, ad ipſam fuerit recurſus habendus, ſine cujus etiam auctoritate ſanctæ memoriæ Stephanus, rex Ungariæ, divina revelatione præmonitus, noluit in ipſius regni ſolium ſublimari (q). Sed tanquam Aaron vocatus a Deo, ab ipſa ſede accepit humiliter coronam, & regnum. Hunc Stephanum Deus de tenebris infidelitatis eripuit, & vocavit in admirabile lumen ſuum, qui fuit primus rex Ungariæ Chriſtianus, a quo deſcenderunt perſonæ magnæ ſanctitatis, miræque virtutis, quorum beatitudines tranſierunt aliis in exemplum.

Sed

p) RAYNALD. ad an. 1291. Num. X.

q) Hujus revelationis, quod ſciam, nemo prætarea meminit. Carthuitius, & noſtri plerique eam revelationem Geiſæ, & Saroltæ factam memorant, ut in veteribus Hungarorum annalibus prolixe docui.

Sed heu! hodie regnum tam nobile, tam præclarum & in ſpiritualibus, & in temporalibus eſt collapſum, & quaſi datum in prædam, & per Cumanorum, Tartarorum, Schiſmaticorum, & paganorum hoſtiles incurſus fere ad nihilum eſt deductum, & ideo plus turbamur de novitatibus per dictum Colocenſem Archiepiſcopum circa prædictum natum tuum noviter attentatis, quæ diſcordiam pariunt, & diſpendia graviora minantur, niſi Deus ex alto in regno ipſo pacem effundat, quæ eſt vinculum charitatis. Ad quam procurandam inter diſſidentes in eo Venerabilem fratrem noſtrum, Nicolaum Oſtienſem, & Velletrenſem Epiſcopum, Apoſtolicæ ſedis Legatum, magnum utique Romanæ Eccleſiæ membrum, cum plenæ Legationis officio duximus deſtinandum. Quapropter Serenitatem tuam rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica tibi ſcripta diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus per te ipſum corrigere ſtudeas, & remediare procures, quæ circa præfatum natum tuum in hac parte minus provide, & inconſulte attentata noſcuntur, & tam tu, quam tui, & tui filii memorati ſequaces ejusdem Legati aquieſcatis ſalubribus monitis reverenter, & vos ejus beneplacitis coaptetis, qui ut pacis angelus, nuntiuſque ſalutis, non abſque multis ſolicitudinibus & laboribus ad regnum acceſſiſſe noſcitur prælibatum.

Ceterum ſi qua jura tibi, vel memorato nato tuo competerent in regno Ungariæ ſæpe dicto, aliiſque provinciis, eaque profecuti fueritis coram nobis, illa diſponimus illibata ſervare, nec minuere, ſed augere. Sic igitur habere te ſtudeas in præmiſſis, quod a Deo præmium, & dictæ ſedis gratiam merearis, noſque reddas ad tua, & ejusdem nati tui promovenda commoda promptiores. Datum Laterani XVI. Kalendas Novembris anno VII. 1302.

Tam ſolicitum Pontificis ſtudium ipſe Carolus ſequente anno corrupiſſe ex parte videri poteſt, qui, ſive diſſidentium ſtudia exoſus, ſive modum concordiæ faciliorem ſe abſente futurum ratus, in Illyricum, & Dalmatiam abſceſſit. Acceptus eſt ab omnibus liberaliter, neque tamen impetrare potuit, ut regis nomen in publicis tabulis conſueto alias more proponerent, tametſi ipſe Carolus regiminis ſui annos in diplomatibus ab anno MCC. inire conſueverit, ut poſtea narrandi locus erit. *Carolus in Dalmatiam ſecedit.*

Hæc inter Nicolaus Oſtienſis Apoſtolicæ ſedis Legatus ſecundo itinere Viennam Auſtriæ advenit, indeque in Hungariam delatus convocatis regni Antiſtitibus, quæ mens Pontificis eſſet, ſine ambagibus aperit, hortatur, ut impendens reipublicæ diſcrimen, & præſentes calamitates miſerarentur, ſeque ſuis conſiliis in conciliando utroque rege adjutum irent. Singilatim Colocenſi Archiepiſcopo, quam graviter Pontifex ferret Wenceslaum ab eo regem coronatum eſſe, ſignificat, habereque ſe in mandatis, ut ad dicendam cauſam eum Romam ire juberet, ubi facti rationes redditurus eſſet. Credibile eſt Joannem comminatione hac territum ad Caroli partes tranſitionem poſtea feciſſe, neque enim morte hoc anno ſublatum veriſimile eſt (r), minime autem omnium, quod ſcriptor quidam vitæ Archi Epiſcoporum Colocenſium exiſtimat (ſ), Ladislaum hujus nominis primum a Zagrabienſi infula ad Colocenſem ſedem traductum eſſe, quem certum eſt ante annum MCCXXIV. ea infula non potitum (t). Reliqui Antiſtites ubi non obſcure comperiſſent, Legatum ad Caroli partes inclinare, communicata cum Optimatibus re, ex conventu diſceſſere. Addit Spondanus Legatum, ubi operam ſe vidiſſet ludere, Budenſibus templis, & ſacris omnibus auctoritate Pontificia interdixiſſe: Clericos contra viciſſim, ſummum Pontificem, & Hungariæ Epiſcopos, qui Carolo ſtuderent, non modo ſacris omnibus privaſſe, ſed ut aqua & igni quoque interdicerentur, publico decreto caviſſe (u). Nicolaus Epiſcoporum conſtantia offenſus Viennam rediit, iſthincque, quo loco res in Hungaria eſſent, Pontificem edocuit (x). *Legatus revocandæ quieti fruſtra ſtudet.*

Neque minus fortiter Wenceslaus miſſis ad Bonifacium Legatis filii ſui cauſam tuebatur, id inprimis contendens: unanimi omnium pene conſenſu, & ritu legitimo regem Hungariæ creatum, neque indignum eo honore videri, qui ex *Bohemus adverſus Papam jura ſua tuetur.*

 Im-

r) Hiſt. Zagrab. pag. 98. inter vivos adhuc cenſet anno 1303.

ſ) R. P. Michael a SS. Trinitate e Clericis regularibus piarum Scholarum pag. 68.

t) Hiſt. Zagrab. pag. 123. Ex qua præterea conſtat Michaelem ab anno 1295. ad annum 1303. Zagrabienſi Epiſcopatui præfuiſſe, huic vero Auguſtinum Gazotum eſſe ſuffectum, itaque Ladislaus ad annum quidem, ut habet laudatus auctor, 1302. certe ſuppoſitus eſt.

u) In Epitom. ad an. 1301.

x) Hiſtoria Auſtralis ad hunc annum.

Imperatorio Auſtriorum, & regio Hungariæ ſanguine ortum haberet; qua in re etſi Carolus quoque in contentionem venire poſſet, illud tamen obeſſe, quo minus filio ſuo præferendus videatur, quod a paucis, iiſque factioſis in regnum accitus, neque corona redimitus eſſet, ſine qua neminem in legitimi regis loco ab Hungaris haberi exploratum ſit. Itaque oratum velle Pontificem, ut filium ſuum, cui tot tituli fuiſſent regni adeundi, non modo ſingulari amore complectatur, ſed adverſum omnes hoſtes auctoritate ſua tueri pergat. Pontifex acceptis Venceslai litteris cum intelligerret, regem jura ſua perſequi velle, neque facile a propoſito diſceſſurum, nuncium in Bohemiam cum prolixa epiſtola remiſit, ex qua, quid in animo conſtitutum haberet, rex nullo negotio cogniturus eſſet. Nos, quæ ad præſens argumentum attinent, ex ea ſolum dilibabimus (y).

Wenceslao regi Boemiæ illuſtri.

Pontifex reſcribit. *Dilectum filium magiſtrum Ulricum de Pabenia Doctorem decretorum, Canonicum Pragenſem, nuntium tuum, & litteras regias, quas ipſe nobis ex parte tua detulit, paterna benignitate recepimus, & ipſarum litterarum tenore diligenter inſpecto, & auditis iis, quæ dictus nuncius coram nobis expoſuit viva voce, ex eis in ſumma percepimus, quod ad hoc intendebat tua intentio, tuaque id petitio poſtulabat, ut tui nati negotium, quem in regem Ungariæ concorditer, & canonice proponis electum, & te, ac tuos, & ſuos in hac parte ſequaces in benevolentiam noſtram reciperemus, & gratiam, ac tibi, & ipſi adjutores, directores, favorabiles, & benignos nos in ipſo negotio redderemus.*

Sed quam id in tam perturbato Hungariæ ſtatu non modo moleſtum, ſed fortaſſe iniquum etiam eſſet, prolixe pergit oſtendere, &, quando ad res illius regni inſtaurandas omnia conatus fruſtra hactenus fuiſſet, ad ſopiendas turbas quæ ex æmulorum contentione in dies ſemper novæ orirentur, aliam viam non ſupereſſe, quam ſi omnes ad cauſam agendam definito temporis ſpatio Romam accerſeret, in hæc verba ſignificat. „Verum cum longo jam tempore dilata ſit reformatio dicti re-
„gni, deformati taliter, & collapſi, & a tempore obitus claræ memoriæ Ladislai
„(z) regis Ungariæ, ac deinde, dum Andreas in eodem regno ſe pro rege gerebat,
„Chariſſima in Chriſto filia noſtra Maria, regina Siciliæ illuſtris ad ſe, ac dilectum
„filium, nobilem virum Carolum, nepotem ejus, præfatum regnum aſſeruerit, &
„adhuc aſſerat pertinere de jure, hujuſmodi petitionem tuam propoſitam ut præfer-
„tur abſque juris injuria, & alieno præjudicio ad gratiam exauditionis admittere non
„valemus. Sed iis, qui in regno præfato jus ſe proponunt habere, nos ad redden-
„dam juſtitiam convertentes per alias litteras noſtras te, ac reginam, nepotem ip-
„ſius, ac filium tuum prædictos, veſtrumque ſequaces, & alios, qui ſua crediderint
„intereſſe, de quibus expedire viderimus, per peremtoriæ citationis edictum pro-
„ponimus ad noſtram facere præſentiam evocari, ut cum omnibus juribus, actis, &
„munimentis, hujuſmodi negotium contingentibus, compareatis legitime coram no-
„bis, recepturi juſtitiæ complementum, & facturi quæ pro bono ſtatu dicti regni
„duxerimus ordinanda.

Offenſum ſe præterea memorat Pontifex, quod Wenceslao iis litteris, quas per Canonicum Pragenſem ſibi miſerat, regem Poloniæ ſe nuncupaſſet: quod quamquam ab æquitate alienum eſſet, tamen ſi hujus quoque juris titulos legitimos evicerit, facturum ſe, ut æquam ea in re ſuam voluntem cognoſcat. *Nos enim* (inquit) *tibi paratos efferimus ad manutenendum & conſervandum jura, ſi qua in ipſa Polonia*
1303. *oſtenderis tibi competere legitime coram nobis. Datum Anagniæ IV. idus Junii, anno VIII.*

Revocat Legatum ſuum, & Auſtria Cognitis poſtea ad ſequentem annum Hungariæ rebus, maxime quam execranda audacia Clerus in Budenſi conventu ſe ſacrorum communione privaſſet, Legatum Romam revocat, ut quem in modum Hungaria conſtituta eſſet, ex ipſo Legato

y) RAYNALD. ad an. 1302.

z) Exemplar habet *Wratislai*, ſed liquet errorem ſcribentis eſſe, & Ladislaum deſignari, quod Andream illi ſucceſſiſſe in regno diſerte habeat.

Ducem in Boemiam concitat.

gato coram intelligeret. Ne tamen civiles interea diſſenſiones incrementa majora ſumerent, Albertum Romanorum regem magno ſtudio cohortatus eſt, ut ob arctiſſimam cum Carolo affinitatem, nulla Bohemo auxilia præſtaret, quin contra, ſi uſus ferret, illum præ iſto ad recuperandam regni poſeſſionem ſummo conatu adjutum iret. „Excellentiam (inquit) regiam rogamus, & hortamur attente in filio Dei Patris, „quatenus pro reverentia Apoſtolicæ ſedia, & noſtra, intuitu defendendæ juſtitiæ, „& amore ſanguinis, quo idem Carolus rex Ungariæ tibi obnixus alligatur, circa „defenſionem, recuperationem, manutentionem, & conſervationem regni Unga„riæ memorati, dictis reginæ, ac regi Ungariæ favens efficaciter, & præſidiis op„portunis aſſiſtens, præfatis regi Boemiæ, aut filio circa occupationem, invaſionem, „uſurpationem, ſeu defenſionem in occupatione prætacta nullum præſtes per te, „vel per alium auxilium, conſilium, aut favorem, nec præſtari per alios, quos tua po„tes juriſdictione compeſcere, patiaris, ut dicta regina, & rex Ungariæ de tuæ po„tentiæ brachio, eorum jure congaudeant, & erga te, tibique conjunctos, & ſub„ditos in interioria amoris dulcedinem ſerventer exurgant, tuque poſſis exinde in „conſpectu Dei, & hominum, noſtroque pariter tam de affectu juſtitiæ, & chari„tatis odore, quam de devotionia promptitudine commendari. Datum Anagniæ III. „idus Junii, anno IX. (*a*).

Hujus expeditio nullo fructu ſuſcepta.

Albertus, cui alioquin cum Wenceslao ob Cuttenbergenſes fodinas, argenti feraciſſimas, male convenerat, Bonifacii litteria animatus, bellum in Boemos decernit. Adjunxerat ſe illi Carolus cum nonnullis Hungaris, & XX. Cumanorum millibus, ut adeo ex utriuſque copiis quinquaginta millium exercitus facile conflaretur. Inde magno apparatu in Bohemos itum, nullo tamen operæ precio. Primum enim a metallicis, qui rivos veneno infecerant, haud parvam jacturam accepit, tum adveniente cum copiis Wenceslao, & pugnæ copiam offerente, in eas anguſtias redactus eſt, ut, cum nihil ad ſummam rei expedire poſſet, inglorius domum repeteret. Cumani, cum prædarum ſpe excidiſſent, in reditu nullo hoſtis, aut amici diſcrimine omnia promiſcue populabantur, ut Albertus germanum militem in eos immittere neceſſum haberet, quo ſuos ab ſociorum injuriis tueretur (*c*).

Neque felicius res in Hungaria geſtæ.

In Auſtriam reverſus alibi periclitari fortunam volens, quod Carolus id maxime flagitaret, in Hungariam copias traduxit. Quo eventu expeditio terminata ſit, nuſpiam conſignatum reperio; illud nonnulli perhibent, Albertum Budam uſque penetraſſe, & exemta ex vinculis Agnete ſorore, Andreæ III. conjuge, corruptaque in reditu pene omni Hungaria, expugnatoque monte Pannoniæ Viennam cum Camlo revertiſſe. Agnes cum filiola, quam ex Andrea genuerat, quamquam ampliſſimam dotem accepiſſet, in Kunigsfeldenſi monaſterio vitam deinceps traduxit (*b*). Tam parum ſecundi eventus cum Pontifici per nuncios afferrentur, rurſum jure agere conſtituit. Offerebat ipſe Boemus cauſam, qui cum nuncios ad Bonifacium non ad exponenda jura, ſed eludendum judicium miſiſſet, Maria autem Siciliæ regina, & Carolus per oratores ſe in arbitrio Pontificis futuros promiſiſſent, diu multumque agitata re, ſententiam ex Cardinalium ſenatua conſulto ita pronunciavit, ut Carolum omnes legitimum regem haberent, ejus nomen publicis deinceps tabulis inſereretur, qui contra facere auſint, ſacrorum omnium communione privati eſſent: & ne Bohemus querelas inſtaurandi cauſam ſumeret, veniam dedit; ut quatuor menſium ſpatio per oratores jurium ſuorum rationes perſequi poſſit. Atque id judicium Pontifex editis litteris per Europam vulgavit, ut non modo ſententiæ ſuæ rationem reddere, ſed æquitatem etiam confirmare videretur. Quas, quoniam pleriaque eorum, quæ hactenus memorata ſunt, atque deinceps narrabuntur, lucem magnam affundunt, huic loco inſerendas duxi (*d*).

Ad perpetuam rei memoriam.

Spectator omnium, cunctorum præſcius rex æternus, civitatem Jeruſalem initu. *Pontifex Carolo*

a) Raynald. ad an. 1303.

b) Bohusl. Bald. Epit. rer. Bohem. lib. III. cap. XVI. Et Chronic. MS. apud Clar. Linck ad annum 1304.

c) Timon. in epitom. ad annum 1301. & Hiſt. Ducum Stiriæ pag. 149. ſed ad annum 1302.

d) Raynald ad annum 1303. Num. XVII.

Hungariæ rege declarato Bohemum ad dicendam cauſam evocat.

ram prævidens flevit compaſſibiliter ſuper illam. Numquid igitur, & nos ejus officium vicariæ poteſtatis habentes, fletus arcere poſſumus, mitigare punctionis aculeos, gemitus cohibere, videntes acerbe regni Ungariæ collapſi per plurimum diſſidia gravia, inculcata frequentius diminutionis incommoda, & ruinam totaliter imminentem! Illud utique violenti diripiunt, & apprehenderunt jam inter anguſtias perſequentes: gemunt ſacerdotes ipſius, luget populus confuſionis involutione perplexus; parvuli ejus captivi ſunt ducti ante faciem tribulantis, ſilet ibi belli diſſidio coacta juſtitia, corrupti ſunt mores hominum eradicatis virtutibus, vitiis propagatis, zelus Chriſtianæ fidei tepuit, imo jam friguit, & divini cultus obſervanda religio dormitavit, & dum inibi de regnandi jure contenditur, promiſcuis actibus ſurſum deorſum miſcentur confuſe ſingula, & in aperto caduco ruit populus, cum certus non appareat gubernator. Dolendum in iis pariter, & lugendum, illa maxime ratio piæ conſiderationis inducit, quod regnum ipſum retrorſum rediens, reges lactavit hactenus, reginaſque, Catholicos; & in eminentiam cæleſtis exercitus mira vigente ſanctitate produxit; litteratos utique viros alios, intelligentes, & providos, ſcientiæ claritate perſpicuos, & eloquentiæ facunditate diſertos: in quorum vices ſucceſſere proh dolor! diffidentes, & ſtolidi, modicæ devotionis, & fidei, abjicientes jugum diſciplinæ laudabilis, & debacchantes improbe ſine freni conſtrictione pro libito vaſtatores. Numquid igitur ſuper iſtis noſtra conſilia inhumane deficient, opportuna remedia, eclipſante charitatis ſomite, & omiſſa lima juſtitia deliteſcent! Neceſſe quidem adeſſe conſpicimus, ut ruinas hujuſmodi paſtoralis cura noſtræ proviſionis impleat, collapſa reparet, juſta confoveat, vaſtata reſtauret, & paterna benignitas apta præſidia pro ipſorum congrua reparatione producat, ſedando præcipue, quantum nobis ex alto permittitur, contentionis præfatæ de jure regnandi turbinem, & de regno ipſo aufferendo pro viribus omnem per noſtræ reparationis ſuffragium tempeſtatem,

Sane diebus non longe præteritis chariſſimus in Chriſto filius noſter Wenceslaus, Boemiæ rex illuſtris per ejus nuncium, & expreſſas litteras nobis ſupplicavit attente, ut negotium dilecti filii nobilis viri Wenceslai, ejuſdem regis filii, quum in regem Ungariæ concorditer & canonice proponebat electum, & eundem regem Boemiæ, ac tam ſuos, quam ejuſdem filii in hac parte ſequaces in benevolentia noſtram reciperemus, & gratiam, ac nos eis adjutores, & directores benignos, & ſavorabiles in ipſo negotio redderemus. Super cujus ſupplicationis inſtantia, pia, & rationabili meditatione penſantes, quod præfatum regnum Ungariæ tam nobile hactenus tam præclarum in ſpiritualibus, & temporalibus per colliſiones varias, ſicut prætangitur, eſt collapſum, quodque chariſſima in Chriſto filia noſtra, Maria regina Siciliæ in eodem regno Ungariæ, tanquam hæres proximior habere ſe jus aſſerebat, & aſſerit, & dilectus filius nobilis vir Carolus, nepos ejus regnum ipſum in parte non modica, ex perſona jam dictæ ſuæ paternæ aviæ poſſidebat, & poſſidet, de quo etiam in Strigonienſi Eccleſia juxta ritum antiquum Ungariæ per perſonam idoneam regale ſuſceperat diadema, ut tolleremus invicem peccandi materiam; & concertandi diſcrimen exhiberemus juſtitiæ debitum, ac viam reformationis dicti regni accommodam ſumeremus inter contendentes eoſdem, tractatum pacis & compoſitionis amabilis more patris ſimiliter aſſumere cupientes memoratos reges Boemiæ, ipſius filium, & ſæpe dictum Carolum, eorumque ſequaces, & alios, qui ſua crederent intereſſe, per Venerabilem fratrem noſtrum, Nicolaum Oſtienenſem Epiſcopum, tunc præfati regni Ungariæ Legatum peremptorie citari mandavimus, ut infra determinati & convenientis temporis ſpatium, in ipſa citatione præfixum, cum omnibus juribus, actis, & munimentis ſuis, & contingentibus memoratum negotium, coram nobis legitime comparere deberent, ſuper iis complementum recepturi juſtitiæ, ac facturi, quæ pro dicti regni ſtatu proſpero per nos eſſent provide ordinanda. Eodem vero Legato, prædictos regem, & filium, ac Carolum citante legitime, ſicut per ipſius certas litteras & verbum poſtea nobis evidenter innotuit, ac adveniente peremptorio termino in ipſa citatione ſtatuto, præfata regina Siciliæ, intimato jam ſibi ex noſtra parte per alium, quod ipſa, ſi etiam ſua intereſſe putabat, in memorato termino compareret, & jam dictus Carolus per procuratores idoneos, ſufficienter inſtructos, tamquam devotionis, & reverentiæ filii, comparuerunt cum debita obedientia coram nobis, Venerabilibus fratribus noſtris N. archiepiſcopo Colocenſi (e), M. Zagabrienſi, (f), T. Jaurienſi (g), & B. (h) Veſprimienſi epiſcopis,

e) Videtur littera S. ſubſtituenda, qua Stephanus innuatur, qui anno 1304. Colocenſis fuiſſe legitur.

f) Michaelem notat ad Strigonienſem poſtea Cathedram traductum.

g) Theodorus fortaſſe, nam hic in diplomate apud Belium Tom. I. pag. 586. Jaurienſis fuiſſe reperitur anno 1297.

h) Benedictus qui in diplomate Andreæ III. de anno 1290. habetur.

pis, ac dilectis filiis non nullis archidiaconis, & Præpoſitis de ipſo regno Ungariæ, ex citationis præfatæ vigore comparentibus ſimiliter cum eisdem.

Jam dicti vero Boëmiæ rex, & natus non comparuerunt per ſe, vel per alium in termino præfinito, nec poſtea; ſed ſub cujuſdam palliationis aſtutia excuſantes miſerunt ad noſtram præſentiam dilectos filios Untior. doctorum decretorum Joannem Cantorem Eccleſiæ de veteri Buda Clericos, ac Joannem Romanum jurisperitum laicum, excuſantes eosdem, quod procuratores ad nos non miſerant ſufficienter inſtructos, cauſas circa hoc minus rationabiles, immo inanes, & frivolas prætendentes. Et in pluribus Conſiſtoriis per nos ab ipſis ſerioſe petito, ſi alias cauſas rationabilis excuſationis haberent, vel ampliori forent poteſtate ſuffulti, in excuſatione culpa contumaciam geminantes, dixerunt improbe, quod præfatus rex Boëmiæ nullo unquam intendebat tempore de ipſo regno Ungariæ litigare: procuratoribus ipſis & nuntiis eorundem reginæ Siciliæ, ac nepotis inſtantibus, ut ob contumaciam ipſorum Boëmiæ regis, & filii ad declarationem, & determinationem, juris, reginæ, ac nepoti competentis eisdem procedere deberemus,

Nos vero habita ſuper iis cum fratribus noſtris examinatione ſolenni, profunda maxime meditatione penſantes ſtatum præfati regni Ungariæ miſerabilem, & depreſſum flebili quidem compaſſione condignum, quod re vera ex prætacta maxime contentione regnandi in pejus continue labitur, quia dum utrinque contenditur involuto diſſidio, animarum, & corporum pericula prodeunt, & ipſius cives, & incolæ in illo regnantibus cum debita obedientia non intendunt, quodque, ſicut facti notorium permanens evidenter oſtendit, & licet non in figura judicii nobis eſt notum, prædicta regina Siciliæ, ſicut primogenituræ jus obtinens claræ memoriæ Stephani regis Ungariæ, patris ſui, in eodem regno propinquior eſt ſucceſſor, & heres, quondam Ladislao regi Ungariæ fratri ſuo ex utroque parente, per quod opitulatur eidem communis juris præſumptio, quæ tali caſu probandi onus in adverſarium juſto transfert, quia etiam quondam Carolus ipſius reginæ primogenitus, dicti Caroli genitor, habitus eſt quaſi communiter, & præcipue per Romanam Eccleſiam pro Ungariæ rege, dum vixit, nec ex porte dictorum Boëmiæ regis, & filii de jure competente ipſis in Ungariæ regno prædicto allegatum eſt aliquid, vel aſſertum, niſi ſola electio, quæ de ipſo filio regis facta proponitur, quæ procul dubio diverſis ex cauſis, prout rationum prima facies indicat minus legitima, immo prorſus inutilis eſſe videtur, eo maxime, quod, ſicut ſcripti canonis ſeries aperit, regnum ipſum Ungariæ ſucceſſionis jure provenit, electionis arbitrio non defertur, rationibus præmiſſis, & cauſis, aliisque motivis plurimis, quæ religionem debent judicantis inſtruere, in trutina rectæ deliberationis appenſis expedientia commixta licentiæ, ac benigna humanitate ſervata, de plenitudine poteſtatis in apertam contumaciam eorundem Boëmiæ regis, & filii, in præſentia Prælatorum plurium, Capellanorum, familiarium noſtrorum, & aliorum in conſiſtorium vocatorum, præſentibus eorundem Boëmiæ regis & filii nuntiis, ac excuſatoribus ſupra ſcriptis, de fratrum noſtrorum conſilio decernimus, definimus, declaramus, & volumus, quod prædicta Maria in toto ipſo regno Hungariæ, & pertinentiis ſuis omnibus, ac ubique terrarum regina Ungariæ, & dictus Carolus nepos rex nuncupentur apertis labiis, ſcriptionibuſque vulgatis, & in documentis publicis titulentur, quodque Prælati, Clerici, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, aut conditionis fuerint, & religioſi alii, cujuſcunque ſint ordinis, nec non Comites, ſive Banri (i), *Barones, milites, cives, incolæ cujuſcunque ſtatus, præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis exiſtant jam dicti regni Ungariæ, omnium jurium, & pertinentiarum ejus, ac aliarum regionum annexarum ſibi, etiamſi regnorum titulum habeant, dictis reginæ Ungariæ, & regi nepoti, tanquam ejuſdem regni Ungariæ reginæ, & regi legitimis parere, & intendere, ac de fructibus, reditibus ſervitiis, juribus, & obventionibus aliis conſuetis, & regi Ungariæ debitis devote reſpondere procurent; Prælatis, Clericis, & religioſis, Comitibus, ſive Banris, Baronibus, militibus, civibus, incoliſque præſcriptis ſub pœna excommunicationis injungentes expreſſe, quam eo ipſo, ſi fecerint ſecus, incurrant, ut iisdem reginæ, & regi Ungariæ circa recuperationem, defenſionem, & conſervationem regni prædicti auxiliis, conſiliis, & favoribus opportunis aſſiſtant.*

Et quia in prædictis eosdem efficaciter, obedienter, & placide ſic agere cupimus, ut a contrariis prorſus abſtineant, & deſiſtant, Prælatis, Clericis, & Religioſis, Comitibus ſive Banris, Baronibus, militibus, civibus, incoliſque præfatis ſub ſimili pœna excommunicationis, & eodem modo præcipimus, ne memoratos regem Boëmiæ, vel

i) Suſpicor legendum eſſe: *Bani*, quorum prima in Sclavonia, ac Croata ſolet eſſe dignitas.

ejus filium, regem Ungariæ nominare, vel titulare aliqua nominatione, vel deſcriptione præſumant, neve ipſis, aut miniſtris eorum de fructibus, reditibus, proventibus, ac juribus aliis dicti regni, & præfatorum ſibi adjacentium reſpondeant quoquomodo, vel aliis circa occupationem, invaſionem, detentionem, ſeu uſurpationem memorati regni Ungariæ, & præmiſſorum, quæ annexa ſunt ſibi, occulte vel publice conſilium, vel auxilium afferant, vel alicujus præſidium favoris impendant. Nos enim Prælatos, Clericos, & religioſos, Comites, ſive Banros, Barones milites, cives, & incolas memoratos ab omnibus homagiis, Sacramentis fidelitatis, colligationis, aut conjunctionis, quæ prælibati regi Boëmiæ, filio, aut miniſtris eorum præſtiterunt, aut cum ipſis in præjudicium dictorum reginæ, & regis Ungariæ aliquatenus inierunt, etiam ſi ea fuerint juramentorum, perſonarum adjectione, vel quovis alio vinculo roborata, quæ viribus vacua, & nulla fore cenſemus, & carere decernimus omni robore firmitatis, abſolvimus, & ad eorum obſervationem quomodocunque, aut quantumcunque, ſe aſtrinxerint pro obſervandis eisdem, ipſos decernimus non teneri.

Cæterum, ut quæ gravitati ſedis Apoſtolicæ congruunt, cum debita maturitate ſervemus, nec excludamus a noſtris proceſſibus amicam in throno ſedentibus æquitatem, regi Boëmiæ, filioque præfatis peremptorium terminum quatuor menſium, a die datæ præſentium numerandum in & peremptorie præfinimus, infra cujus temporis ſpatium ipſi per ſe, vel alios, aut alium, ſi qua jura de proprietate dicti regni Ungariæ habere ſe credunt, nobis & Apoſtolicæ ſedi reverenter oſtendant, illaque gerant, & proſequantur, ut expedit, ordine debito, & rationabile fuerit, ſicut ipſis melius videbitur expedire. Super poſſeſſorio tamen cujuſcunque ſpeciei, vel generis pro dicto regno Ungariæ memorato regi Boëmiæ, vel filio competente, propter eorum contumaciam ſic contractam perpetuum ſilentium eis duximus imponendum: ultra præmiſſi vero temporis ſpatium quadrimeſtre, ne in poteſtate ſit prædictorum Boëmiæ regis, & filii, inquietare pro libito, moleſtare frequenter, & ut vitandi ſcandaoccaſionem tollamus, & cauſam: ex nunc, prout ex tunc in jure, ac proprietate, competentibus ipſis forſitan in regno præfato, jurisdictionis noſtræ, & Apoſtolicæ ſedidenegamus immutabili edictione præſidium, & eis in tribunali quocunque tam de juſtitiæ ſemite, quam de ipſius poteſtatis plenitudine perpetuum ſilentium imponimus de fratrum conſilio prædictorum. Ita quidem, quod prædicto termini præfinitio, juriſdictionis denegatio, impoſitio ſilentii ex nunc, elapſo jam dicto quadrimeſtri ſpatio perinde vigorem habeant, & effectum, ac ſi in ejusdem Boëmiæ regis, & filii notitiam per formam citationis ſolitæ perveniſſent, cum magiſtratus alii etiam non majores de juris licentia per edicta in ſcriptis publice, vel in ædes propoſita citare valeant; nec ſit veriſimile, vel præſumtum, ut præmiſſa in notitiam, & conſcientiam dictorum Boëmiæ regis, & filii debito tempore devenire non valeant, quæ in præſentia ipſius conſiſtorii, prædictorum Prælatorum, aliorumque plurium, & eorundem nuntiorum, ac excuſatorum maxime, ſunt tam vulgate, tamque ſolemniter publicata, de reformatione præfati regni collapſi diſponere cum ipſorum fratrum conſilio, prout tempora ſe apta præbuerint, prævisis conſiliis, opportuniſque remediis, auctore Domino, ſolicite proponentes, ut in ipſo, gratia diſponente ſuperna, tranquilla tempora redeant, inquieta recedant, ſicque ipſius regni ſtatus reformetur in proſperum, quod læta pax, & amænitas in locum tam gravium adveniat ſcandalorum ---. Datum Anagniæ II. Kalend. Julii, anno IX.

Oratores Hungari ad Caroli avum divertunt. His in hunc modum procuratis oratores, qui utriuſque regis cauſa advenerant, Anagnia diſceſſere; & Archi-Epiſcopus quidem Colocenſis, cum Zagrabienſi in Siciliam ad Caroli Roberti avum delati, de ſtabiliendo nepoti regno diligenter egere. Quibus conſtitutis dum reditum in Hungariam parant, afferuntur illis ad Neapolim litteræ a Bonifacio, quibus jubebat, ut, quæ ſancita eſſent, quam primum Hungariam tenuerint, vulgare non omittant, ne Bohemiæ rex, tamquam rerum earum, quæ Anagniæ de regni juribus actæ eſſent, imprudens novas turbas moliretur, & graviſſimum Pontificis judicium tergiverſatione eluderet. Illi, ubi Sclavoniam attigerant, continuo, quid eatenus profeciſſent, Bonifacio ſignificant, publicæque fidei inſtrumenta per nuntios Anagniam remittunt (*k*).

Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & Domino, Domino Bonifacio divina providentia ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici St. Dei, & ſua gratia Archi-Epiſcopus Colocenſis, & Michael eadem gratia Epiſcopus Zagrabienſis devota pedum oſcula beatorum. Litteras ſanctitatis veſtræ nobis directas, cum in procinctu noſtri itineris veniendi verſus Hun-

k) RAYNALD ad eundem an. 1303.

1303.

Hungariam eſſemus circa Neapolim, omni reverentia, obedientia, humilitate, quibus decuit recepimus, & honore - - -. Veſtræ beatitudinis mandato cum devota, & humili filialitatis ſubjectione obtemperare cupientes, ut ex debito, ſic ex voto, quamquam parvitas noſtra man- datis veſtræ ſublimitatis digne exſequendis non ſufficiat, ambo perſonaliter, & alter noſtrum ipſius veſtræ prænuntiationis, diffinitionisque ſeriem, & tenorem in non nullis locis & ter- ris, in quibus propter ſtatum impacati regni, & inſidias adverſæ partis fieri potuit, divul- gavimus, & publicavimus ſolemniter, & divulgari, ſeu publicari per alios, & per alium legitime fecimus, ſicut ex inſtrumentis, ſeu litteris teſtimonialibus ſuper hoc confectis, quæ, & quas ad pedes veſtræ beatitudinis per nuntium noſtrum ſpecialem, latorem præſentium, humiliter dirigimus, celſitudo veſtræ ſanctitatis poterit colligere evidenter. Quamobrem ſan- ctitatis veſtræ - - proni ſupplicamus, quatenus, ſi quidquam in præmiſſis omiſſum eſſet, vel peractum minus digne, habere dignemini nos excuſatos in hac parte. Datum in Vaſca, in diœceſi Zagrabienſi V. idus ſeptembris, anno Domini MCCCIII. Indictione I.

Promulgato Pontificis edicto mira apud pleroſque animorum converſio ſubſe- quuta eſt: magna Antiſtitum pars anathematia metu perculſi deſerto Wenceslao, ad Carolum tranſiere: Procerum autem ſtudia in utramvis partem ambigua fluctuabant. Non nulli, quod Wenceslaus vino deditus haud obſcura ignaviæ, & temeritatis indi- cia daret, facile obedientiam detrectabant, quidam aperte de arrogantia Pontificis queſti, libertatem, quam in legendis regibus inviolatam hactenus tenuiſſent, præ- ter jus, & fas graviſſime lædi contendebant, quam ut ad poſteros perinde, ut a Ma- joribus acceperant, intemeratam tranſmitterent, plerique in Ottonem Bavarum in- clinabant, ea ratione, & jus ſibi indemne futurum rati, nec Pontificem, qui Wen- ceslao addictos ſacro fulmine perſtrinxiſſet, ejuſque juſſa deſpicatui expoſitum iri: pauciſſimi in Wenceslai fide conſtantes manſere.

Wenceslaus a pleriſque deſtituitur.

In deſtitutum ſe pene videns nuntios ad patrem celeriter mittit, qui refer- rent, quo loco res ſuæ in Hungaria eſſent, in qua præter inane regis nomen nihil ſive poteſtatis, ſeu auctoritatis obtineat: regno domeſticis factionibus miſere con- vulſo aliquos ad Carolum ſeceſſiſſe, pleroſque Ottoni ſtudere, perpaucos ſupereſſe, quorum fidei ſe tuto credat. Vereri magnopere, ne in ſe, cui vires ad tuendam dignitatem nullæ eſſent, gravius aliquid conſtituant, hoc ſe periculo ut eximeret, patrem vehementer orare. Wenceslaus diſcrimine, & probro filii, tum Pontificis com- minationibus permotus, coacto ingenti exercitu in Hungariam Peſtinum, Danubio Buda diremtum, defertur, poſitiſque illic caſtris, primos Procerum, quos ſecum ex Bohemia adduxit, Budam ad filium mittit, qui ſuo nomine illi edicerent, caveret, ut ſine corona, cujus auſpicio regnum adiiſſet, Patri ſe ſiſtat: cupere ſe, quem re- gem in Hungariam miſiſſet, talem ſe quoque ex Hungaria educere. Imperata cum feciſſet filius, conniventibus ad hæc non nullis Hungariæ Optimatibus, qui in illius, quam Caroli, poteſtate theſaurum illum malebant, Wenceslaus Petermanno Budæ re- licto, qui præfecturam urbis gereret, in Bohemiam cum filio revertit (*l*). Vix Hungaria exceſſerat, cum nuntii ex Italia afferuntur Bonifacium quinto idus Octobris extinctum, illique decimo poſt die Nicolaum Oſtienſem, quem Legati munere paul- lum ante in Hungaria perfunctum narravimus, ſubrogatum eſſe, & Benedicti XI. no- mine inſignitum.

A patre in Bohemiam cum regni corona reducitur.

Ea fama, poſtquam certis indiciis comprobata fuiſſet, Caroli res in Hunga- ria vehementer afflixit. Optimates, qui illius partes vulgata ſacrorum comminatione territi ſectabantur, exſtincto Bonifacio, eorum, qui Ottonem Bavarum regem deſignabant, conſiliis, & voluntati certatim acceſſere; ut aperte jam de eo in re- gnum accerſendo ageretur. Movebat illud pleroſque, quod, ſi Carolum ex Pon- tificis voluntate rerum potiri ſinerent, electionis juri graviſſimum præjudicium creari arbitrarentur, cujus periculum haud aliter amoliri quirent, quam ſi Ottonem com- munibus ſuffragiis regem poſcerent, quem ſanguinis neceſſitudo, quippe qui ex Eli-

1304.

Inde Proceres Ottonem Bavarum ad ſpem regni vocant.

 ſabe-

(*l*) DUBRAVIUS Hiſt. Bohemicæ Lib. XVIII. Et Chronic. Mſ. apud Clar. Linck. quod in- ter alia ſic habet ſed ad an. 1304. *Circa fe- ſtum Pentecoſtes rex Boëmiæ Wenceslaus cum maxi- ma armatorum multitudine Hungariam intrans - - inſignia regni Ungariæ, id eſt, gladium, & tu- nicam beati Stephani regis Ungariæ, & coronam abſtulit.*

1304. ſabetha (*m*), Belæ IV. filia ortum duceret, Carolo alioquin coæquaret. Itaque Legati in Bavariam mittuntur, Joannes Henrici Bani filius, aliique ex primo ordine Proceres, qui Ottoni, ſi ſacram regni coronam a Wenceslao in ſuam poteſtatem transferre poſſet, regnum offerrent. Bavarus tametſi non neſciret, quam difficilem provinciam nacturus eſſet, habitis tamen ampliſſimis gratiis, daturum ſe operam reſpondit, ut, ſi Wenceslaum pro derelicto regnum habiturum intellexerit, eorum voluntati, & conceptæ de ſe ſpei reſponderet, ſimulque magnis ab ſe donatos muneribus in Hungariam remiſit.

Carolus cum Auſtriacis fœdera adverſus Bavarum ſancit.

Hæc inter Carolus ſuis quoque rebus conſultum ibat: pleriſque Hungariæ Epiſcopis in ſuas partes pellectis: quorum tametſi magna eſſet in regno auctoritas, turbatis tamen reipublicæ temporibus minor potentia, quam ut ſibi aut regnum aſſererent, aut æmulum, ſi armatus, ut metuebatur, Hungariæ ingrueret, propulſare poſſent. Itaque Rudolfum, quem Albertus pater Auſtriæ præfecerat, adeundem ſibi cenſuit, cum quo pactis fœderibus armorum ſocietatem iniens, ſatis ſibi adverſus Ottonem cautum eſſe putabat. Confectæ ſunt pactorum tabulæ, quas Carolus regis Hungariæ nomine inſignivit, & in hunc modum habent (*n*).

Nos Karolus D. G. rex Ungariæ, univerſis, quibus expedit, ſignificamus præſentium per tenorem, quod cum juri conſonum & conſentaneum rationi, ac naturali æquitati exiſtat, ut quos divinæ diſpenſationis pietas, proxima a progenitoribus ſuis linea conſanguinitatis, & attinentiæ univit, dilectionis quoque, & charitatis alternus fervor connectat, ut, qui ſunt unum corpore, ſint unum mentis, & affectus unione, & quamvis inter tales naturale fœdus proximitatis, nihil diſſenſionis, & nihil ſævi permittat diffidii ſuſpicari, tamen, quia omne id quod in fœdera pacis venit, tunc ſolidius permanet, & ſubſiſtit, cum juramenti hoc interpoſitio roborat, omne etiam, quod cognatorum animos conciliat, tunc fidelius durat, cum hoc ſacramenti vincula ligant; nos fratri noſtro Chariſſimo D. Rudolpho D. G. Duci Auſtriæ, de Baronum, & Nobilium noſtri regni conſilio, conſenſu, & unanimi voluntate in manus Venerabilium patrum, & Dominorum, Michaelis Strigonienſis, & Stephani Colocenſis Archi-Epiſcoporum præſtito corporaliter ſacramento, fide noſtra debita, Deo mediante promittimus, & ſpontanei, ac idonei obligamus firmiter, & ſpondemus, quod perſonam ipſius fratris noſtri prædilecti, ac Baronum, ac Nobilium ſuorum fidelium eodem affectu, & favore, conſilio, & auxilio, quo noſtram, expoſitis perſonis, rebus, ſumptibus, & laboribus noſtris, & noſtrorum in omnibus tota poſſe, & totis viribus proſequemur contra quoslibet infideles, & rebelles, & pacis perturbatores, & invaſores jurium, & terrarum, intra terminos, & extra terminos dominii ſui, & Principatus, & amici erimus amicis ſuis, & inimicis inimici, adjicentes, & firmiter pollicentes, quod nullum, & nullos, infidelem, & infideles ſuos regno noſtro colligemus favori, & non minus quam idem Dominus Dux, in quibuslibet partibus eos perſequemur, dummodo infidelitatis ejus, vel eorum cauſa per ejuſdem Domini Ducis litteras, vel nuncios nobis conſtet. In cujus rei teſtimonium præſentes conceſſimus, duplicis ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum anno Domini MCCCIV. (a). Hactenus Caroli litteræ: ex quibus, opinor, perſpicuum fit, magnam procerum, & Epiſcoporum Hungariæ partem ſibi faventem habuiſſe, ac Michaelem quidem, cujus diſertim meminit, ex Zagrabienſi ſede, bona Pontificis venia, ad Strigonienſem Cathedram traductum reor, poſtquam Gregorius ſuperiore anno, cum in Italiam, incertum ob quam cauſam, proficiſceretur, ab Columnen-

1305. ſium Ducibus trucidatus fuiſſet.

Bavarus recuperata a Wenceslao corona rex inauguratur.

Haud minore tamen ſtudio ii, qui Ottonem ſectabantur, interea Hungariam permiſcebant, præcipue, quod ſpes eſſet, Bavarum propediem cum Corona adfuturum. Adierat is Wenceslaum, coramque de recuperanda corona precibus, ac pre-

m) Subjicio ſchema, quo Otto cum Hungariæ regibus nexu jungatur.

HENRICVS. Dux Bavariæ. Ux. ELISABETHA Belæ IV. filia

OTTO Dux Bavariæ. Uxor CATHARINA Rudolfi 1. filia juxta aliquos: alii contra negant.

n) In diplomatario Styriæ Eruditiſſ. Eraſmi FROELICHII. Inter Seccovienſia Num. CXXXV.

o) Monet hoc loco FROELICHIVS in hæc verba: *Ita copia MS. ſed utrum etiam in originali ipſo, aut ejuſdem copia authentica locus, & dies ſit, n.a latet.*

precio egit, verum duriorem opinione ſua regem nactus, filium blanditiis pertentare conſtituit, qui cum tam facilis ad offerendum diadema eſſet, quam libens regno exceſſerat, haud gravate Ottonis voluntati gratificatus eſt, præſertim quod patris mors commodum interceſſiſſet, qua duorum regnorum potentiſſimum hæredem ſe conſtitutum videbat; &, ut beneficium undequaque cumulatum eſſet, conſignato in Ottonis manus regni theſauro, juri quoque, quod in Hungariam haberet, renunciavit (*p*). Eo munere lætus Otto in Hungariam contendit, ſed cum inſidias ſibi ab Rudolfo Auſtriæ Duce haud procul Bruna ſtrui comperiſſet, ſuperato nocturnis itineribus inſidiarum loco, multiplici errore Sopronium, tum Albam regiam incolumis appellit (*q*). Hic illum Procerum, & Antiſtitum, qui a Carolo abhorrebant, haud mediocris manus ob reſtitutam regno coronam lætiſſime accipiunt, & ritu ſolenni per Benedictum Veſprimienſem, ac Antonium Chanadienſem Epiſcopos regem inaugurant.

OTTO BAVARVS.

Auſtriacus bello vexat.

Vt primum ex ritu gentis regnum Otto adiit, continuo novo cum Auſtriis bello implicitus eſt. Rudolfus enim tam opimam prædam manibus ſuis elapſam graviter ferens, Caroli cauſa novum regem infeſtis ſignis petendum cenſuit. Itaque Hungariam cum valido exercitu ingreſſus quidquid a Leitha flumine ad Arabonem ingenti ſpatio tenditur, ferro, igneque vaſtat, cumque hoſtes nuſpiam in conſpectum ſe darent, ſpoliis onuſtus revertitur. Verum id illi haud diu impune fuit: Otto collectis celerrime militibus viciſſim Auſtriæ infuſus cædibus, ac incendiis latiſſime graſſabatur, hoſte ad manum venire non auſo: atque ita bellum inter mutuas rapinas, 1306.
ac populationes exactum cum anno finem quoque accepit (*r*).

Hi viciſſim Hungariam infeſtant.

Rudolfus, ut jacturam, ab Ottone illatam, reſarciret, magnos ad ſequentem annum apparatus fecerat, rurſumque Hungariæ ex pactis cum Carolo fœderibus imminebat, cum repente cognita Wenceslai cæde, ab Alberto patre mandatum accipit, ut omiſſa ad tempus Hungaria copias in Bohemiam traduceret, & regni illius jura, quæ ex mutua conventione ad Auſtriacos devoluta eſſent, ſibi vindicaret (*ſ*). Morem geſſit patri Rudolfus, & Bohemiam cum milite ingreſſus Procerum ſtudia ſic diviſa reperit, ut ſpes adeundi regni pene nulla ſupereſſet. Plerique enim Henricum Carinthiæ Ducem, qui Annam cæſi Wenceslai ſororem in matrimonio habuerat, præ Auſtriaco optabant. Otto eorum, quæ in Bohemia agerentur non ignarus, ut Rudolfum ab Hungaria penitus amoliretur, nuncios ad Stephanum fratrem expedit, jubetque, ut miſſis Henrico in Boemiam ſuppetiis, ipſe cum bona copiarum parte ad Anaſum arma circumferret, hoſtemque in metu contineret (*t*).

Otto Tranſilvaniæ Vayvodæ filiam ducit.

Itaque nihil hac parte regno jam veritus, ad diſſipandas Caroli factiones ſtudia convertit. Id cum ſe haud aliter obtinere poſſe videret, quam ſi Procerum, quos infenſos ſibi norat, animos captaret, atque inter hos Ladislaus Tranſilvaniæ Vayvoda potentiſſimus omnium eſſet, hominem omni benevolentia, ac exquiſitis officiorum generibus excolendum cenſuit, miſitque, ſi Aventino (*u*) fides ſit, Legatos, qui ſuo nomine filiam illius ſibi uxorem efflagitarent. Ladislaus ſive ſua intereſſe arbitratus ſit, regem generum habere, ſeu potius, quod conſilia dudum cum animo ſuo exacta, ea occaſione felicius ſe ad finem adducturum ſperaret, fi- 1307.
liam regi adducendam, Legatis non invitus permiſit.

Pontifex fulmine perſtringit Ottonis aſſeclas.

Eo affinitatis vinculo conſtabiliſſe ſibi regnum utcunque videri poterat, niſi novæ illi moleſtiæ a novo itidem Pontifice Clemente V. creatæ eſſent. Is in defendendis Caroli partibus Bonifacio nihil ſegnior, non modo quæ prior Papa conſtituiſſet, rata habuit, ſed ipſum quoque Ottonem, quod Hungariam injuria invaſiſſet, regia auctoritate privavit, ſolutoque ſacramenti vinculo, quo ſibi Hungaros obſtrinxerat,

 in

p) Chronic. MS. apud Clar. Linck ad an. 1305. Hic (Wenceslaus mortuo patre) inſignia regni Ungariæ Ottoni Duci Bavariæ reſignavit, ſimulque regno Ungariæ abrenunciavit.

q) Chronic. MS. apud Cl. Linck.

r) Idem Chronicon,

ſ) Hiſt. Ducum Styriæ pag. 151.

t) AVENTINVS Annal. Boic. Lib. VII.

u) Idem ibid,

in Cſanadienſem Epiſcopum graviter primum invehitur, quod ſua unius auctoritate
Ottonem corona cinxiſſet, tum ſententiam anathematis in omnes fulminat, qui ei
obſequium, tanquam regi deinceps delaturi eſſent. Recenſitis enim comminationi-
bus, quas Bonifacius altero abhinc anno in Wenceslaum Bohemum intentarat, ſuum
ipſe judicium adverſus Bavarum in hæc verba conſtituit (x).

„Eodem autem rege Boemiæ viam deinde univerſæ carnis ingreſſo, præfato ad-
„huc ipſius regis vivente filio, nonnulli ex præmiſſis Prælatis, Clericis, & religio-
„ſis, Comitibus, ſive Banis, Baronibus, militibus, incolis, atque civibus in ſen-
„ſum dati reprobum, & ſpiritu obcæcati nequitiæ in multiplicationem exceſſuum, in-
„juriarum contemptus, & offenſarum auſu præcipiti collabentes, contra eosdem
„Carolum regem, & reginam Ungariæ, nobilem virum Othonem Bavariæ Ducem
„nequiter convocarunt, ſe potius obduxerunt, adhærendo, & aſſiſtendo ſibi po-
„tenter, & publice ad invaſionem, occupationem, & detentionem dicti regni Un-
„gariæ, vel alicujus partis ipſius, ac præſtando auxilium, conſilium, & favorem,
„ex quo etiam ipſos tenet excommunicationis præfatæ laqueus alligatos, idemque
„dux, ipſorum, & aliorum potentia ſultus, & auxiliis communitus prætextu convo-
„cationis, ſeu obductionis hujuſmodi ad invaſionem, occupationem, & detentio-
„nem prædictam Ungariæ regni temeraria præſumptione ſe transferens, per ipſum
„B (y). Veſprimienſem, & quondam A (z). Chanadienſem Epiſcopos ſe coro-
„nari, ut dicitur, in regem Ungariæ procuravit, in hoc etiam officium jurisdictionis
„Strigonienſis Archiepiſcopi, ad quem regis Ungariæ coronatio pertinet, faciens
„uſurpari, & eosdem Carolum regem, & Mariam reginam Ungariæ in adjudicata,
„ut præfertur, eis poſſeſſione dicti regni nequiter moleſtare, inquietare, & per-
„turbare præſumit, invadendo, occupando, & uſurpando violenter, & injuſte pro
„viribus terras, loca, bona, & jura regni ejusdem, ac etiam detinendo in ipſius
„regni ſubverſionem, & ſcandalum, ſuæ, ac ſuorum complicum, & ſequacium in
„hac parte ſalutis diſpendium, & prædictorum reginæ, ac regis grave damnum, præ-
„judicium, & jacturam. Propter quæ pro parte prædictorum reginæ, ac regis Un-
„gariæ pro adhibendo ſuper iis optimo remedio, ad noſtram, & dictæ ſedis providen-
„tiam humiliter habitus eſt recurſus.

„Nos itaque nolentes hæc, non abſque divina, & præfatæ ſedis injuria, &
„contemptu attentata taliter, & præſumpta, ſicuti nec debemus, conniventibus o-
„culis præterire, quin circa ea, cum ſimus omnibus in juſtitia debitores, officii no-
„ſtri debitum, prout tenemur, & expedire credimus, exſequamur, Prælatis, Cle-
„ricis, & religioſis, Comitibus, ſive Banis, Baronibus, militibus, civibus, inco-
„lis, complicibus, & ſequacibus memoratis, excommunicationis in perſonas, & in-
„terdicti in terras, & loca eorum, ac privationis omnium officiorum, & beneficio-
„rum, privilegiorum, & gratiarum, atque bonorum, quæ a Romana, ſive ab aliis,
„vel in aliis quibuscunque tenent, vel habent Eccleſiis, pœnis, atque ſententiis,
„quas ipſo incurrant facto, ſi ſecus egerint, diſtricte præcipimus, ut a præmiſſis
„omnibus contra prædictos Carolum regem, & reginam Ungariæ in auxilium, & fa-
„vorem Ducis præfati per eos attentatis taliter, & præſumptis ceſſent penitus, &
„deſiſtant: & tam eosdem Prælatos, Clericos, & religioſos, Comites, ſive Banos,
„Barones, milites, cives, incolas, complices, ſequaces, quam omnes alios, &
„ſingulos tam de præfato regno Ungariæ, ac ipſius pertinentiis, & juribus, quam
„de aliis regionibus quibuſcunque, ſive annexis, ſive non annexis eidem regno,
„cujuſcunque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, & ſtatus, etiamſi
„regali, vel alia quavis præfulgeant dignitate, attente monemus, eis omnibus, &
„ſingulis auctoritate prædicta ſub eisdem pœnis, & ſententiis, quos, ſi contra fece-
„rint, eos incurrere volumus ipſo facto, diſtrictius injungentes, ne in præjudicium
„prædictorum reginæ, ac regis Ungariæ præfatum Bavariæ ducem, vel quemvis
„alium regem Hungariæ nominare, titulare, vel deſcribere, ſeu ha-
„bere, vel tenere præſumant, neve ipſum, vel miniſtros ejus quomodolibet reci-
„piant, vel admittant, nec ei, vel hujusmodi miniſtris ipſius in invaſione, occupatio-
„ne, uſurpatione, vel detentione dictorum regni Ungariæ jurium, & pertinentiarum
ejus,

x) Raynald. ad an. 1307. Num. XIX. & ſeqq. y) Benedictus. z) Antonius.

„ejus, aut annexorum, ſibi, vel alicujus partis eorum præſtent auxilium, conſilium, „vel favorem, publicum vel occultum, vel de aliquibus ejusdem regni reditibus, „bonis, & juribus quoquomodo reſpondeant, vel miniſtrent, neque cum eis, vel „pro eis ullam faciant colligationem, conjurationem, vel convocationem, commotio„nem, ſeu alias noxiam novitatem, donec de juribus, & proprietate dicti regni „per eamdem ſedem plene fuerit definitum.

„Ipſum quoque Ducem Bavariæ attente monemus, ſibique diſtricte injun„gimus ſub ſimilibus excommunicationibus, & interdicti ac privationis pœnis, & „ſententiis, quas ex nunc, prout ex tunc, ſi contra fecerit, proferimus contra eum, „ac eas ipſo facto eundem incurrere volumus, ne ſe regem Ungariæ nominet, neve „de illo titulum ſibi dignitatis regiæ, vel alterius dominationis aſcribat; neque præ„fatum regnum, vel aliquam ejus partem occupare, invadere, vel detinere præſu„mat, neve prælibatum Carolum Ungariæ regem, vel miniſtros ipſius in poſſeſſione „prædictorum regni Ungariæ jurium, & pertinentiarum, vel quorumcunque annexo„rum eidem, per ſe, vel per alium, ſeu alios impediat, perturbet quomodolibet, „vel moleſtet: ſed a qualibet eorum occupatione, invaſione, uſurpatione, ac de„tentione ceſſet, & deſiſtat omnino, quouſque ſuper ipſius regni jure, ac proprie„tate plena præfatæ ſedis, ut præmittitur, definitio ſubſequatur. Et ne dici poſſit, „quod quemquam a proſecutione ſui juris ſuper proprietate dicti regni excludere in„tendamus, ipſi Duci Bavariæ uſque ad annum continuum, poſtquam hæc in dicto „regno, vel vicinis partibus juxta tenorem aliarum litterarum noſtrarum exſtiterint „publicata, peremptorium aſſignamus terminum, infra quem per ſe, vel alium, „ſeu alios, ſi qua de proprietate prædicti Ungariæ regni jura ſe habere crediderit, „illa nobis, & ſedi Apoſtolicæ reverenter oſtendere, petere, ac coram nobis, vel „ipſa ſede proſequi debito procuret ordine, ac ſicut rationis exſtiterit, vel melius „ſibi videbitur expedire: parati enim ſumus exhibere ipſi favorabiliter, & benigne „ſuper hoc juſtitiæ complementum —. Datum Pictavis, IV. idus Auguſti, anno ſecundo.„

In eandem pene ſententiam Strigonienſi, ac Colocenſi, Archi-Epiſcopis ſcripſit, quibus provinciam dedit, ut decreta ſua per Hungariam vulgarent, & Cſanadienſem Epiſcopum ad reddendas rationes, cur Ottonem ſuo injuſſu coronaſſet, Romam adire, interpoſita ſacrorum comminatione, adigerent. Adjecit, ſe Gentilem Cardinalem presbyterum Legati Apoſtolici auctoritate ornatum in Hungariam miſſurum, qui ſuo nomine collapſam rempublicam reſtauret, monuitque, ut ejus conſiliis, ac ſapientiæ ſuam quoque operam naviter commodarent.

Qui cum in Tranſilvaniam condendit, a Vayvoda capitur: & reddita corona dimiſſus in Bavariam redit.

Otto ſub hæc rerum omnium, quas Pontifex in ſe conſtituiſſet, imprudens, iter in Tranſilvaniam apparabat, ſive, ut vult (a) Aventinus a Ladislao ſocero invitatus, ſeu ut ſua præſentia Tranſilvanorum animos in fide, & ſtudio adverſus Carolum, confirmaret. Ferunt, dum iſthuc contenderet, coronam regni, quam ſecum ſemper geſtabat, famulorum oſcitantia deperditam eſſe, ac poſtridie, tametſi commeantium frequentia ingens eſſet, non ſine prodigio repertam: quæ res in mali ominis loco a pleriſque accepta eſt, non diuturnum Ottoni regimen præſagientium, ut eventu ipſo poſtea comprobatum fuit. Ut enim ad Ladislaum Vaivodam appulit, liberaliter primum, ac, ut regem decebat, acceptus, tum in vincula conjectus eſt, neque antea dimiſſus, quam tradita regni corona, juri quoque in Hungariam concepta verborum forma renunciaſſet. Aventinus contra (b), miniſtri opera ex carcere evaſiſſe ſcribit; deinde peragrata multis erroribus Ruſſia ac Polonia, dum per Sileſiam fertur, a Gloggovienſi Duce agnitum; a quo, ducta ejus filia uxore, ampliſſimo, ac ſplendido commeatu in Bavariam deductus ſit. De quo nihil habeo, quod pro comperto affirmem; illud exploratum eſt: Ottonem poſtea, quam ex Hungaria ſeu emiſſus, ſeu ejectus eſſet, regis tamen nomine in publicis litteris conſtanter uſum fuiſſe (c).

a) Annal. Boic. Lib. VII.

b) Ibid.

c) Chronicon MS. apud Cl. Liock ad annum 1308. „Dux Bavariæ Otto ab Ungaria, „cum in regnum non proficeret, domum revertitur, hac ſola apud Ungaros potitus felicita„te, quod eorum, ac Rutenorum, in quas „traditus fuerat, Deo miſerante captivitates „evaſit. Regni tamen gloriam non uſquequa„que deſperans, titulum ſibi ejuſdem in ſuis „interim litteris aſcribebat.„

Legatus Apoſtolicus Comitia Peſtinum edicit.

Abhinc ſine capite Hungaria fuit, noviſque factionum ſtudiis miſerrimum in modum diſtracta. Quibus calamitatibus non paucos Procerum adeo permotos noſtri perhibent, ut, qui prius Bohemo, aut Bavaro ſtuduerant, in Carolum ſenſim reſpicerent, eumque non inviti Dominum acciperent, ſi jus legendi reges liberum, ac indemne ſibi ſineretur. Commodum Carolus ad maritimam Dalmatiam ineunte Junio appulerat, quem paullum poſt Gentilis Legatus Pontificius Spalati conſequutus, comperto Ottonem ab Tranſilvaniæ Vaivoda interceptum eſſe, in Hungariam deduxit. Hic communicato cum Epiſcopis, & Proceribus, qui Carolum ſectabantur, conſilio Peſtinum comitia edicit, ad quæ cum ingens omnium ordinum ex toto regno concurſatio fieret, Legatus Carolum in Comitiorum loco aſpectabilem omnibus ſiſtit. Ipſa juvenis ſpecies, tum ſanguinis Hungarici prærogativa, ac præteritarum calamitatum memoria, quibus regnum ab Ladislai obitu pene vicenos annos conflictatum fuiſſet, miram animorum converſionem exciverat, quam cum Legatus ex præſentium vultu legeret, ſermonem exorſus eſt, quo ærumnas, quæ Hungariam hactenus exercuiſſent, ex ordine in memoriam revocavit, neque his aliter conſuli poſſe graviſſimis momentis in medium allatis contendit, quam ſi Carolum, quem ut Hungariæ poſſeſſionem adiret, deſerto Siciliæ regno, præſentem intuerentur, Dominum, ac regem ſuum ſalutarent. Mereri id adoleſcentem cum ob ſpes, quas de ſe pulcherrimas daret, tum ob ſanguinis nobilitatem, quem ex Hungarico, Gallico, Auſtriaco, omnium in Europa potentiſſimarum gentium, fonte duceret, ut cui Antiſtitum, ac Procerum pars major adeundi regni ſpem feciſſet, communi voluntatum conſenſione regnum ipſo opere offerrent. Accepta eſt Legati oratio magna omnium gratulatione, tacite jam Carolo faventium, ſed poſtquam ad eum locum ventum eſſet, quo Pontificis voluntatem, ac tantum non imperia afferebat, palam obſtrepere omnes, diſerteque queri, jus gentis, ac regni, quod intemeratum adhuc fuiſſet, ſumma injuria violari, nuſquam hactenus auditione acceptum eſſe, ut Romani Epiſcopi Hungaris regem dederint; Divum Stephanum corona quidem Roma exornatum non inficiari, ſed quem populus, ut primum ad Chriſtiana ſacra traductus eſt, ad normam aliarum Europæ gentium communibus ſuffragiis regio nomine ſibi præeſſe voluerit: eam voluntatem ab Silveſtro Papa liberaliſſime confirmatam eſſe: abhinc autem penes Epiſcopos, ac Optimates jus fuiſſe, ut, quem ex regia proſapia reipublicæ idoneum exiſtimaſſent, regem juberent. Afferre quidem Carolum magnas ad capeſſendum regnum virtutes, ad hæc neceſſitudine ſanguinis Divis Hungariæ regibus arctiſſimo vinculo colligari, non commiſſuros ſe tamen, ut hac prærogativa nullo ſuo merito priventur. Sineret itaque ſuam Hungaris conſuetudinem, tum, ſi rogatis omnium ſententiis Carolus rex eſſe juberetur, ne nihil ſibi dari Legatus exiſtimet, regem Pontificio nomine confirmaret.

Proceres plerosque perſuadet, ut Carolum eligant.

Legatus, ne rem hactenus adductam tergiverſatione corrumperet, diſerte profeſſus eſt, nihil ſe, aut Pontificem regni juribus derogatum velle, modo electo rege calamitatibus, quibus Hungaria ad extremum pene diſcrimen adducta fuiſſet, finem facerent; ſe, quemcunque legiſſent, Eccleſiæ auctoritate, ut poſtularant, confirmaturum. Neque Hungari, intellecta Legati ſententia, diu morati, eborta repente omnium conclamatione Carolum ſalutant, & humeris ſublatum lætiſſima vociferatione regem jubent, ſeque in illius fide conſtantes fore pollicentur. Hunc finem Comitia habuere; & publico inſtrumento, quidquid actum fuiſſet, conſignatum. Fortaſſe a non nullis gratiam inibo, ſi rei geſtæ ſeriem, ut in tabulas relata eſt, legentium quoque oculis ſubjiciam (*d*).

Inſtrumentum electionis ſuper ea re confectum.

In nomine Domini amen. Anno ejuſdem MCCVIII. indictione ſexta, menſis Novembris die XXVII. Pontificatus Domini Clementis Papæ V. anno III. Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & dominus dominus Gentilis, Dei gratia tituli S. Martini in montibus presbyter Cardinalis, in regno Hungariæ, ac partibus illi conterminis Apoſtolicæ ſedis Legatus. Ex quo cum ipſius Legationis partes acceſſit, quod fama prænoverat, ex rei evidentia, & facti experimento præcipiens, tempeſtatis videlicet fremitum, qua regnum ipſum multæ fertilitatis olim, ut aſſeritur, jucunditate refertum, multaque ſolitum devotione clareſcere, beſtis antiquus pacis æmulus, ac zizaniæ ſeminator, generali turbine conquaſſarat, particularibus *que-*

d) Apud Peterffy Tom. I. Concil. Hung. pag. 150.

quoque diſſidiis, fere in ſingulis ejusdem regni partibus ſuſcitans, ex quibus adeo invaluerat commotionis horror in illo, & locum ſibi diſſenſio, quæ detrimenta ſolet vaſtitatis inducere, vindicarat.

Quod ex cæleſti Principe, Domino Carolo, Hungariæ rege illuſtri, ac nonnullis Baronibus, & Nobilibus regni dicti ab invicem diſſidentibus, & inter eos odii, ac rancoris ignes accenſo detrahebatur, ſubditorum averſione regalis munificentiæ culmini ab eis ipſius regis avertebatur affectus, ac mutuus hinc inde incommodis deperibat, cœpit circa ipſius regni ſedanda ſcandala indeſinenter ſolerti ſtudio vigilare, ac favore officioſi exuberare favoris inſtantius, pro ipſius Domini regis, quem infra clauſtra pectoris in ſingularitate dilectionis habet, ut filium, ac incolarum regni ejusdem ſtatu proſpero, & tranquillo cogitationes pacis aſſiduæ meditando.

Poſt adventum igitur ejusdem Domini Legati Budam, per nuntios ipſius, & litteris pro ejusdem regni negotiis, ſuæ commiſſis Legationis officio, promovendis feliciter, generali Prælatorum, ac Baronum, & nobilium, aliarumque Nobilium perſonarum Eccleſiaſticarum, quam ſæcularium concilio, ad Octavam feſti B. Martini Confeſſoris tunc inſtantis ſolenniter convocato, circa ipſam octavam ad idem concilium eorundem Prælatorum, ac Baronum plurimi, ac multitudo Nobilium, & perſonarum ipſarum copioſa perſonaliter, aliqui vero eorundem Baronum, quorum perſonalem adventum ad idem concilium longa diſtantia præpediit, per procuratores idoneos convenerunt.

Sane Henrico Magiſtro, & Bano Sclavoniæ, ac nonnullis Baronibus aliis, & Comitibus, Nobilibus, quibus ad ſuperius caſtrum Budæ, ubi nunc Legatus ipſe cum ſua curia morabatur, propter armatorum multitudinem, quam ſecum habebant, nequaquam patebat aditus ultra Danubii flumen, ex ipſius caſtri oppoſito conſtitutis, ipſe Dominus Legatus inſiſtens cœptis alacriter, ſuique ſtatus præeminentiam, & dignitatem officii non attendens, quin immo ſeipſum humilians una cum præfato rege, aliiſque Prælatis, & Baronibus citra flumen ipſum cum eo manentibus, ſpecioſam fluminis ejuſdem planitiem, piſcatoris more, aquarum intrepidi, cymba tranſiit, ac in loco Fratrum Prædicatorum juxta flumen ipſum ſito, cum ipſo Domino Legato Prælatorum, Baronum, & Nobilium, & tot dictarum perſonarum multitudo, cives etiam, & advenæ copioſi, quos eximii ſpectaculi rumor, ac vulgata conventionis dicti concilii celebritas excitarat, inſperatæ pacis admiratione ſtupidi, & diſcordium animorum unitatis increduli, paciſque avidi convenerunt. Quibus in ejusdem domini Legati, ac mei, aliorumque Notariorum, ac teſtium ſubſcriptorum, ad hoc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum præſentiam conſtitutis, dictoque Domino rege, ac Venerabilibus in Chriſto patribus Dominis, Dei gratia Thoma Strigonienſis, ac Vincentio Colocenſis Archiepiſcopis, & H. Vacienſis (e), ac Benedicto Veſprimienſis, Joanne Nitrienſis, Petro Quinque Eccleſienſis, Martino Agrienſis, & Auguſtino Zagrabienſis Epiſcopis, & Nicolao poſtulato Jaurinenſis ad dexteram, & magnificis Dominis viris Henrico Prælato Magiſtro, & Bano Sclavoniæ, Magiſtro Nicolao, filio Gregorii nepote ejus Homodeo Palatino (f) & de genere Haba, Magiſtro Dominico Magiſtro Kakos, & Ladislao Bano de Ratold Kapos pro ſe, ac Bëka Magiſtro Tavernicorum reginæ Dominæ, fratre ſuo, filiis Thomæ de genere Bonſæ, ac Petro filio Campoldi de genere Aba, ad ſiniſtram ipſius Domini Legati ſedentibus, & nuntiis, ſeu ambaſciadoribus, & procuratoribus Magnificorum virorum Ugrini, Magiſtri Tavernicorum regis, ac Ladislai Vaivodæ Tranſilvani, & Comitis de Zonik (g), ac Mathæi Trincke Palatini ibidem præſentibus, ac preſſa nobilium aliorum, & vulgi ſtante ibidem corona, idem Dominus Legatus propoſuit verbum Dei aſſumpto Evangelico illo themate: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? *ſerioſe retexens agri ſemina, id eſt regni Hungariæ, quæ in illo Dominus ſeminarat, ex quibus reges Catholici tantæ ſanctitatis, & vitæ claritate conſpicui prodierunt, quod ſacrorum adſcribi catalogo meruere, quodve coronam regni primus rex regni Hungariæ ſanctus Stephanus, a Romano Pontifice conſecratam acceperit, prout Hungarorum hiſtoriæ, quas Legatus ipſe prænominatus aſſeruerat præſtari, alias etiam thema ipſum ad ſuæ intentionis propoſitum ſuper ſtatu ejuſdem regni mirabiliter reducendo.*

Poſtquæ ſub ſpecie tuendæ libertatis ejusdem regni inter ipſos Barones, & Nobiles murmur, quod ipſius Domini Legati attigit aures, per querelam patulam in publicum productam

e) Heymonem notat.

f) Aliqui Omodeum, & Amadeum maluut legere.

g) Melius *Zonuk*, quod litteræ ejus nomine ſignatæ exprimunt.

1308. *ductam exoritur, videlicet: quod nolebant, nec erat aliquatenus intentionis eorum, quod Eccleſia Romana, vel ipſe Dominus Legatus, ejus nomine ſæpe dicto regno de rege nullatenus provideret, ſed placebat eis, quod illum, quem ipſi ex antiquo, & approbato ejusdem regni more vocaverant, & in regem aſſumpſerant, præfatus Dominus Legatus ejusdem Eccleſiæ Romanæ nomine in regem verum Hungariæ confirmaret, & quod etiam perpetuis futuris temporibus veri ſummi Pontifices, & ipſa Romana Eccleſia haberent jus confirmandi, & coronandi reges Hungariæ de vera regali progenie propagatos, quos ipſi unanimiter, & concorditer de dicta progenie ducerent eligendos.*

Ipſe vero Dominus Legatus ad conſummationem captorum per eum feliciter, & ferventer anhelans, ad eorundem Prælatorum, Baronum, & Nobilium ſupplicationem, petitionem, & expreſſum conſenſum, Dominum præfatum Carolum de prædictorum regum Hungariæ ex Domina Sereniſſima Domina Maria Siciliæ, & Hungariæ Domina regina illuſtri, nata claræ memoriæ Stephani regis Hungariæ vera progenie propagatum (b), cujuſque in eodem regno ſucceſſio legitima per eandem Eccleſiam exſtitit declarata, ſibique de jure deberi regnum hujusmodi definitum, in ejuſdem regni verum regem, ipſius Eccleſiæ Romanæ nomine cum ſolemnitate debita confirmavit, & prædicta ipſius Eccleſiæ Romanæ nomine acceptavit, & ſubſequenter omnes unanimiter, & concorditer poſt confirmationem hujuſmodi, tam adhærentes, quam adverſantes hactenus eidem Domino Carolo receperunt, & cognoverunt, ſingulariter, & diverſum ipſum Dominum Carolum, verum regem, ac regni Hungariæ ſucceſſorem, ſibique ſervire, & obedire teneri, tanquam vaſalli legitimi, & fideles Domino naturali, de quibus per eoſdem firmiter adimplendis, & inviolabiliter obſervandis junctas manus, prout ſolet a profitentibus regulas fidei, infra ſæpe dicti Domini Legati mittentes manus, juramentum, & fidem ſuper veræ Crucis ſignum, ipſique, ac dicto Domino regi ſingulariter pacis oſculum præſliterunt, ſtatimque ipſum Dominum Carolum regem, catervatim elevatum ſuſtollentes manibus, plauſus, ac vocibus extulerunt regium lætis ad ſidera nomen, ſubſequenter Te Deum laudamus ſolemniter decantando. Actum ut prædicitur, in dicto loco Prædicatorum prope civitatem Peſtenſem ultra ipſum Danubium ex oppoſito dicti caſtri, præſentibus Reverendo in Chriſto patre, Domino Thoma Epiſcopo Veglienſi, ac Venerabilibus, & religioſis viris Fratribus Paulo, priore Prædicatorum, & Haymone Miniſtro Minoris Fratrum, Ordinum Provincialibus, & Salomone Vicario Prioris Provincialis Fratrum Eremitarum in provincia Hungariæ, cum eorundem Fratrum multitudine, ac Venerabilibus, & diſcretis viris Magiſtris Philippo de Sardinia Arborenſi, & Joanne de Aretio Auximanenſis Eccleſiarum Canonicis auditoribus, nec non Magiſtris Guitto de Sanguinetto, Joanne Angico, & Alberto de Parma, Capellanis Domini præfati Legati, & notariis publicis, ac inferius ſubſcriptis (i) ad hoc ſpecialiter vocatis, & rogatis, & alias diverſarum copioſa multitudine nationum.

1309. *Pacatæ hactenus Hungariæ Matthæus Trenchinienſis obturbat.*

Pacata hunc in modum Hungaria videbatur, & quietis magno impendio quæſitæ fructum captura, cum ſequente rurſum anno aliæ ex aliis cauſæ ſubnatæ ſunt, quæ regnum majori factionum ſtudio implicabant. Fuere id temporis clientela, & divitiarum affluentia potentiſſimi, qui Palatini dignitate ornati ex privato ambitu publicas turbas concirent, Matthæus Trenchinienſis Wenceslai, & Copoſcus Ottoni Bavari beneficio ad eum Magiſtratum eluctati. Ac Matthæus quidem, qui Oratores ſuo nomine ad ſuperioris anni conventum miſerat, palam Comitiorum auctoritatem elevare

b) Propaginis hujus nexus id modi eſt.

Carolvs Clavdvs rex Siciliæ. — Uxor Maria Stephani V. regis Hung. filia

Carolvs Martellvs. — Uxor Clementia Rudolfi I. Cæſ. filia

Carolvs Robertvs

i) Sunt autem hi ſubſcripti. *Et ego Joannes de Pontecurvo Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius, prædictis omnibus interfui, ipſoque mandato & auctoritate præfati Domini Legati, nec non a prædictis Prælatis, Baronibus, & nobilibus unacum præfatis Notariis rogatus, ſcripſi & publicavi, meoque ſigno conſueto, & ad majorem prædictorum roboris firmitatem, ac memoriam futurorum, ſupra dicti Domini, Legatus, Rex, Prælati, & Barones fecerunt præſens inſtrumentum publicum Prædictorum Notariorum ſubſcriptionibus communitum, ſigillis etiam propriis roborari.*

Et ego Guittus de Sanguinetto, publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritate prædictus Notarius omnibus una cum prædictis teſtibus, & Notariis præſens interfui, ac de mandato præfati Domini Legati, nec non a prædictis Prælatis, Baronibus, & Nobilibus rogatus huic inſtrumento publico me ſubſcripſi, & ſignum meum appoſui conſuetum.

vare nitebatur, quod ſuo injuſſu, ad quem ea poteſtas ex regni, & gentis more attineret, conventus coactus eſſet; diſerteque inficiari omnia, ac irritare, quæ iſthic in tabulas relata fuiſſent. Itaque conventum ſe toti regno in ſequentem annum ſua auctoritate indicere, ad quem præter Legatum Pontificium, bona fide omnes adeſſe poſſent, ut regem liberis ſuffragiis, & ex Majorum conſuetudine legerent. Quæ cum late per Hungariam vulgarentur, metus Legatum non de nihilo habuit, futurum, ut regnum novis diſſenſionibus diſtrahatur, præſertim, quod non paucos Procerum, qui ſuperiore anno fidem ſuam Carolo obſtrinxerant, Matthæo aſſentiri comperiſſet. Itaque rurſum Budam Epiſcopos, ac Optimates accerſit, ut collatis in commune ſententiis malum in ipſo ortu elideretur. Videbant turbas omnes jugulari poſſe, ſi Carolus, quem ſuperiore anno mira conſenſione regem juſſiſſent, corona inauguraretur; ſed cum hanc Ladislaus Vaivoda in poteſtate haberet, neque redditurus videretur prius, quam muneribus, & ſpe præmiorum allectus ad Caroli partes tranſitionem faceret, conſilium, quamquam unum, & neceſſarium, in ipſo principio adhæſit. Ad extremum periculo huic ita conſulere placuit: ut in Tranſilvaniam Oratores mitterentur, qui Coronam a Vaivoda repeterent; ſi renuat, aliam confectum iri, quæ ſacrata ex ritu Eccleſiæ, dignitatem auctoritatemque prioris in coronando rege obtineat. His conſtitutis acta prioris anni novo conſenſu rata habentur, adjecta comminatione, omnes, qui Carolo obedientiam detrectarent, ſacrorum communione privandos eſſe. Edidit in eam rem Legatus publicas per regnum litteras, in quibus cum multa de regia dignitate generatim proloquutus eſſet, in hæc verba ſententiam pronunciat (*k*).

Interdicto ſacrorum uſu, ſi quis Carolum regem non agnoſceret.

Sane per divinam providentiam regno Hungariæ reges Catholici præfuerunt, quorum primus S. Stephanus rex, & alii nonnulli Sanctorum catalogo meruerunt adſcribi; relinquentes ex ſe legitimos ſucceſſores, ſub quorum felici regimine regnum ipſum fertilitate floruit, obtinuit pacis dulcedinem, & inter ipſius incolas viguit unitas animorum. Ex quo nunc regnum ipſum reges exteri uſurpabant, fertilitati ſterilitas, pacis dulcedini tempeſtatis fremitus, & concordibus animis diſſenſio deteſtanda ſucceſſit. Nos itaque ad ejuſdem regni ſtatus reformationem per Sedem Apoſtolicam deſtinati, cupientes ſuper his omnibus ſalutare remedium adhibere, Prælatorum, Baronum & Nobilium convocavimus generale concilium, in quo Prælati & Barones iidem communiter magnificum Principem Dominum Carolum, ex primorum ſanctorum regum vera progenie propagatum, recognoverant verum, & legitimum regem Hungariæ, ac eorum Dominum naturalem. Igitur cum non liceat a capite membra diſcedere, ſacro præſenti approbante Concilio, irrefragabili conſtitutione ſancimus, quod ipſi eidem Domino Carolo, illuſtri regi Hungariæ, quem, ut prædicitur, omnes Barones communiter, & Prælati dicti regni, juxta ipſius regni antiquam conſuetudinem receperunt, & ut verum regem, & legitimum recognoverunt, ut evidenter appareret per publica documenta, & nos etiam vice Romanæ Eccleſiæ petentibus approbavimus, & earum receptionem, & recognitionem confirmavimus, ipſumque regem Hungariæ naturalem, & legitimum promulgamus, cui, tanquam vero, naturali, ac legitimo Hungariæ regi omnes obediant, diſtrictius inhibentes, quod nullus dictum Dominum Carolum, verum, & legitimum regem Hungariæ, pro rege Hungariæ habere recuſet, aut aliam perſonam pro rege Hungariæ advocet, vel deliberate nominet: qui vero ſuæ famæ prodigus, & proprii perſecutor honoris, dictum Dominum Carolum pro rege Hungariæ habere recuſaverit, aut aliam perſonam pro rege Hungariæ advocaverit, vel deliberate nominaverit, per ſe, vel per alium, publice, vel occulte tam recuſans, advocans vel deliberate nominans, quam advocatus hujuſmodi eo ipſo, quod advocationi conſenſerit, cujuſcunque præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis exſtiterit, excommunicationis, ſi fuerit ſingularis perſona, ſi univerſitas, interdicti, & nihilo minus principales perſonæ ipſius univerſitatis, excommunicationis ſententia, & in morte Eccleſiaſtica ſepultura privati, præſentis ſint conſtitutionis authoritate ligati, & a gremio ſanctæ matris Eccleſiæ, ac totius Chriſtianitatis conſortio ſeparati. Faventes etiam recuſanti, deliberate nominanti, vel advocanti, aut, ut prædicitur, advocato hujuſmodi, aut dantes conſilium, auxilium, vel favorem, publice vel occulte, cujuſcunque dignitatis exſtiterint, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, vel regali fulgeant dignitate, niſi intra ſex dies a notitia con-

 ſtitu-

k) Apud PETERFY Tom. I. Concil. Hung. pag. 154. & ſeqq.

ſtitutionis hujuſmodi computandos, ab hujuſmodi propoſito ex toto deſtiterint, eo ipſo excommunicationis prædictæ ſententia involvantur.

Si vero ab hujuſmodi non recedentes propoſito ſententiam prædictam incurrerint, & eam poſtmodum per menſem animo ſuſtinuerint contumaci, omnes eorum vaſalli, Caſtellarii, Comites, Jobbagiones, & officiales alii, quocunque nomine cenſeantur, a fidelitate, homagio, & alia qualibet præſtatione, qua eis tenebantur, adſtricti juramento, aut alia qualibet firmitate vallata, ſint abſoluti, & liberi præſentis authoritate decreti. Et nihilominus, ſi eis extra debitam fidelitatem manentibus, quoquo modo adhæſerint, cum per hoc eos in ſua malitia videantur confovere, excommunicationis vinculo innodati, terra etiam, quæ eis medio tempore obediens fuit, ſit Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, quod interdictum omnes Eccleſiaſtici, Clerici, & Prælati exempti, & non exempti in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto incurrant contrarium facientes, ſervare inviolabiliter teneantur. Et ſi abſque digna, ac debita ſatisfactione dicto Domino Carolo regi Hungariæ, prout convenit, impendenda, deliberate nominantes, advocantes, & advocati, qui ut prædicitur, advocationi prædictæ conſenſerint, vel facientes hujuſmodi deceſſerint, eorum corpora perpetuo Eccleſiaſtica ſepultura privamus, diſtrictius inhibentes, venerabilibus in Chriſto Patribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, eorumque vices gerentibus, ac Eccleſiaſticis perſonis ſæcularibus, & Religioſis, nec non Eccleſiarum Capitulis, & Conventibus exemptis, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, S. Benedicti, Minorum Prædicatorum, S. Auguſtini, & aliorum ordinum, nec non Magiſtris, Præceptoribus, & Fratribus militiæ templi, Hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani, & beatæ Mariæ Teutonicorum, non obſtantibus aliquibus indulgentiis, privilegiis, & litteris eis, vel eorum aliquibus, aut ipſorum ordinibus ab Apoſtolica Sede conceſſis; ne advocantium, nominantium, faventium, aut advocatorum, ut præmittitur, decedentium corpora tumulare, aut eorum tumulationi quoquo modo intereſſe præſumant.

Si quis autem prædictorum contra præmiſſa venire tentaverit, ſi Clericus fuerit ſæcularis circa Epiſcopalem ordinem conſtitutus, omnibus beneficiis Eccleſiaſticis cum nota infamiæ præſentis conſtitutionis authoritate privatus: ſi regularis, pro tanta inobedientia carcerali cuſtodiæ condemnatus excommunicationis vinculo ſe noverit innodatum. Et nihilominus loca, in quibus talium corpora ſepulta fuerint, ſint Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto. Cupientes denique non ſolum regno Hungariæ honorem, & ſtatum debitum obtinere, ſed & quemlibet alium noſtræ Legationi commiſſum ſic in ſua juſtitia conſervari, ut jus alterius non uſurpet, edicto perpetuo prohibemus, ut nullus Epiſcoporum, aut Archiepiſcoporum, aut quivis alius, cujuſcunque conditionis, & ſtatus exiſtat, præter Strigonienſem, ad quem de antiqua, & approbata conſuetudine pertinere dignoſcimus, aliquem, ſed nec ipſe, nec verum, & legitimum præſumat de cætero in regem Hungariæ coronare. Qui vero prohibitionis noſtræ temerator, & transgreſſor extiterit, a temporalium adminiſtratione ſuſpenſus, excommunicationis vinculo ſit ligatus, a qua excepto mortis articulo, & tunc etiam, debita niſi ſatisfactione præmiſſa, abſolvi nequeat, abſque Sedis Apoſtolicæ, vel ipſius Legati de latere licentia ſpeciali. Volumus etiam, propter contemptum conſtitutionis hujuſmodi, quod quamdiu in dicta excommunicatione perſtiterint, omnes ſui Clerici ſint ab ejus obedientiæ debito abſoluti, & in nullo ſibi pareant, vel intendant, & in morte nihilominus careat Eccleſiaſtica ſepultura. Publicata Budæ octavo idus Maji.

Eadem auctoritate, ne quis violentas in regem manus auſit injicere, in hunc modum cavit.

Aut violentas in eum manus injiceret.

Quamvis leges ſæculi per ora Principum divinitus promulgatæ, læſæ Majeſtatis reos capitalis damnatione ſententiæ juſte damnent, fuerunt tamen nonnulli de regno Hungariæ, qui debitæ fidelitatis, & ſuæ damnationis immemores, prædictis legibus damnata præſumptione calcatis, Celſitudinem regiam, cui fidelitatem debitam ſervare convenerant, læſiſſe corporaliter referuntur (l). *Ne igitur infidelitatis hujuſmodi crimen in regno præfato ſubrepat, & in exemplum ab impiis futuris temporibus aſſumatur, per prædictas leges jam proviſis remediis, aliaque ipſarum rerum experientia indicavit utilia, ſubjungentes præſenti decreto de conſenſu præſentis concilii duximus ſtatuendum: ut ſi quid in hoc flagitii genus irrepſerit, quod in Dominum Carolum, illuſtrem regem Hungariæ, manus violentas injecerit,*

aut

l) Banconem Banum videtur innuere, & eos qui adverſus Belam IV. conſpiraverant, ut ſuo loco a nobis memoratum eſt.

aut aliquod nocumentum in perſonam ipſius procuraverit, vel ſocius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel conſilium dederit, aut favorem, aut receptaverit ſcienter eundem, præter pœnas, quas dictæ leges reis hujuſmodi criminis ingerunt, & infligunt, omnibus feudis, gratiis, privilegiis, indulgentiis, & beneficiis ſpiritualibus, & temporalibus, eis, ab Eccleſia quacunque conceſſis, ſit privatus, & perpetuo ſpoliatus. Et nihilominus vaſalli, Comites, Caſtellani, Jobbagiones, & alii officiales ipſius a fidelitate, homagio, obedientia, & alia qualibet præſtatione, qua ei tenebantur adſtricti juramento, vel quacunque alia firmitate vallata, eo ipſo ſint abſoluti, & liberi, præſentis authoritate decreti. Et ut tanti criminis ultio feratur non ſolum in authores ſcelerum, ſed in progeniem damnatorum, cum dignum ſit, ut nefandi ratione flagitii ultionis ſeveritas amplius extendatur, & propter enormitatem delicti pœnarum modus exuberet, præſenti adjicimus ſanctioni: quod nulli talium filiorum aperiatur janua dignitatis Eccleſiaſticæ, vel honoris, imo perpetuo ad quodlibet miniſterium Eccleſiaſticum præſentis conſtitutionis authoritate reddatur inhabilis, nec ad aliquod Eccleſiaſticum beneficium, niſi per diſpenſationem Sedis Apoſtolicæ, vel Legati de latere poſſit quomodolibet reaſſumi. Inſuper, quia prædictum Dominum Carolum illuſtrem, Hungariæ clariſſimum regem, Romanæ Eccleſiæ filium interna charitate complectimur, privilegium Canonis, ab Innocentio II. editi, in favorem totius ordinis clericalis, quo cavetur, quod injiciens manus violentas in Clericum, excommunicationis ſententia ſit ligatus, ad dictum Dominum Carolum regem ex cauſis, quæ juſte noſtrum animum movent, de ſpeciali gratia duximus extendendum, irrefragabiliter ſtatuentes, ut quicunque in dictum regem Carolum manus violentas injecerit, aut aliquod perſonale nocumentum ei procuraverit, præter pœnas alias ſuperius impreſſas, excommunicationis pœnam contrahat ipſo facto, & cum Juda proditore, ipſe proditor ſuſcipiat portionem. Publicata Budæ octavo idus Maji.

De ſacra autem regni corona, ſi eam Ladislaus Tranſilvaniæ Vaivoda reſtituere aut nollet, aut tergiverſaretur, ita decrevit. *De ſacra regni corona decretum Legati.*

„Antiquorum habet relatio, declarat quoque hiſtoria inclyti Confeſſoris Bea-
„ti Stephani regis Hungariæ, qui in ipſo felici primordio, quos Dominus noſter
„JEſus Chriſtus, per miniſterium præfati regis regnum ipſum ad fidem Chriſtia-
„nitatis adduxit, ipſius in terris vicarius, Romanus Pontifex regi præfato, ſuiſque
„in perſonam ejuſdem Catholicis ſucceſſoribus univerſis ſacram deſtinavit Coronam,
„ut dicti regis, & regni eo evidentius appareret & nobilitas, creſceretque devotio,
„quo ipſius caput nobilior, atque devotior decoraret ornatus. Quia vero Coronam eam-
„dem, ut de aliis mobilibus ſæpe contingit, poſſibile eſt, effractione, ignis conſumptio-
„ne, ac innumerabilibus quaſi caſibus inopinatis deficere, vel confundi, nonnunquam
„vero abſcondi ad tempus, vel occupatam per violentiam detineri, ut pluries retro actis
„eveniſſe temporibus, & ad præſens facti evidentia manifeſtat, officio noſtro congrue-
„re arbitramur, ut circa Coronæ præfatæ violentiam, occupationem, quæ in præſen-
„tiarum imminent, & quæ poſſent multipliciter imminere, ſalubre deinceps apponentes
„remedium, Magnifici Principis Domini Caroli, inclyti regis Hungariæ, ſuorumque ſuc-
„ceſſorum, & regni prædicti præſentibus, & futuris incommodis occurramus. Si
„enim præſenti ejuſdem Coronæ, vel futura durante, regnum ipſum debita informa-
„tione curreret, illud ſequetur abſurdum, quod ea irrecuperabiliter occupata, ſeu
„cujuſcunque caſus eventu deperdita, vel conſumpta, irreparabiliter confundere-
„tur & regnum; cui etiam conſequens eſſet, quod non ſolum potentes, & nobiles,
„verum etiam inferiores quilibet eidem regi & regno frequenter illudere poſſent, ac
„eorum tota poteſtas ex illorum videretur dependere arbitrio, ſicque Domino præ-
„valeret, & furis melior foret, quam regis, conditio violenti. De conſilio igitur,
„& aſſenſu Venerabilium in Chriſto patrum, & Dominorum Archi-Epiſcoporum,
„Epiſcoporum, & Baronum regni prædicti præſentium duximus ſtatuendum, quod
„Corona præfata, quæ per nobilem virum Ladislaum Vaivodam detinetur ad præ-
„ſens, niſi uſque ad proximum futurum concilium in præſenti Concilio ordinatum,
„nobis libera, & expedita reſtituta fuerit, ex nunc præſentis Conſtitutionis vigore
„ſit penitus interdicta, & pro interdicta, profana, & reprobata tamdiu ab omnibus
„habeatur, quamdiu per ipſum L. vel per quemcunque alium ſic detenta fuerit, &
„quouſque ad manus noſtras, ſeu legitimi regis, vel Albenſis Eccleſiæ, ad quam ſpe-
„ctare dignoſcitur, libere fuerit reſtituta, & quod alia fabricetur, quæ per nos no-

„mine Romanæ Eccleſiæ eidem regi, & regno donetur, & per nos, ſeu authoritate noſtra benedicatur ſolemniter, qua in locum ſuccedente prioris, dictus rex, ſucceſſoreſque ſui coronentur, eamque authoritate noſtra, ut prædicitur, benedictam, rex, & ſucceſſores prædicti, quam Barones, & Nobiles, ac univerſus populus pro vera, & legitima Corona perpetuo recipere debeant, & habere. Juris enim declarati exiſtit, quod in locum alterius eadem authoritate ſubrogata res quælibet, jure, quo illa, cenſeatur eadem, illiuſque generaliter ſortiatur naturam, in cujus locum ſubſtituitur, & honorem.

„Quod ſi contra præfata rehabita, ſeu alia fabricata, authoritate noſtra benedicta, de novo occupari, abſcindi, deperdi, vel ſic deficere, quod ad uſum debitum non poſſit haberi, quoquo modo contingat, volumus, quod per Venerabiles in Chriſto Patres, Dominos Strigonienſem, & Colocenſem Archi-Epiſcopos de conſilio, & de conſenſu omnium, vel majoris partis ſuffraganeorum ſuorum indicatur, ſic occupata, vel perdita, quouſque occupatione ceſſante, prædicta Corona eadem in Albenſi Eccleſia repoſita fuerit, ſeu regi legitimo liberaliter reſtituta, & alia ſimiliter nomine Romanæ Eccleſiæ fabricetur, & benedicatur, quæ taliter benedicta pro vera, ac legitima habeatur ab omnibus, ut de benedicenda authoritate noſtra ſuperius eſt ſtatutum. Si autem præfati Epiſcopi inter ſe concordare, vel conſenſum majoris partis ſuffraganeorum ſuorum habere nequiverint, ſuper eo, quod fieri debeat, ſedes Apoſtolica conſulatur, totieſque prædicta juxta modum ſuperius declaratum fieri poſſint, & debeant, quoties eventus neceſſitatis fuerit, & agendum. Cupientes inſuper, & quos reverentia Dei amorque virtutis a malo non revocat, formidine ſaltem perterriti pœnæ aſſueſcant odiſſe peccatum, ſtatuimus, ut, ſi quis deinceps in temeritatem proruperit, quod præfatam ſacram Cnronam, ſeu eam, vel eas, quas illius loco ſubrogari contigerit, per ſe, vel per alium, publice, vel occulte, furtive ſubripiat, vel per violentiam occupet, ſeu in læſionem, & damnum legitimi regis, qui pro tempore fuerit, atque regni ejuſdem quoquo modo detineat, vel uſurpet, ſeu ſubripienti, occupanti, detinenti, vel uſurpanti, prædictis ſub quovis colore quæſito auxilium, conſilium dederit, vel favorem, cujuſcunque præeminentiæ, ſtatus, & conditionis exiſtat, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrat.

„Et ſi quidem prædicta, vel eorum aliquid publice fecerit, ſeu fautor fuerit facientis, omnibus feudis, conceſſionibus, privilegiis, vel quibuſvis gratiis, quæ a Romana, vel quacunque alia Eccleſia obtineat, ſine ſpe reſtitutionis, præſentis conſtitutionis vigore perpetuo ſit privatus. Si vero Clericus fuerit dignitatibus Eccleſiaſticis, beneficiis omnibus, quæ obtinet, ſe privatum, & ad obtinendum inhabilem, & nihilominus excommunicationis ſententiam, etiamſi Epiſcopali, & ſuperiori dignitate præfulgeat, incurriſſe noverit ſe ipſo facto. Si autem univerſitas fuerit, interdicto, & nihilominus univerſitatis ejuſdem principales authores excommunicationi ſubjaceant, & demum, niſi ſic offendentes reſipuerint, cum Dathan, & Abiron, quos terra vivos abſorbuit, accipiant portionem. Nullus inſuper, præterquam in mortis articulo, & ſatisfactione præmiſſa, a dicta ſententia excommunicationis abſolvi, nec ipſum interdictum relaxare valeat ſine Apoſtolicæ ſedis, vel noſtra ſententia ſpeciali. Publicata Budæ octavo idus Maji.

Strigonienſis Archiep. opera recuperatur.

Hæc ubi per regnum vulgata eſſent, non deerant, qui aut mitiorem animo Legatum, aut cautiorem in abroganda vetere corona deſiderarint; quod Hungaros majori in eam religione ferri conſtaret, quàm ut tam leviter aliam ſubrogari paterentur. Certe Matthæus Trenchinienſis, qui ſe eo edicto in primis deſignari videbat, ratus omnium ejuſmodi ſanctionum auctnrem, caputque Thomam Strigonienſem eſſe, collectis tumultuarie copiis, Strigonium, & finitimos urbi vicos, qui fere in Archi-Epiſcopi arbitrio ſunt, fœdiſſima populatinne vaſtabat, ut adeo collecti in Budenſi Concilio Antiſtites, Proceresque ſalutem in tuto collocarent, Legato cum pleriſque Epiſcopis Poſonium delato, unde, ſi vis ingrueret, facilis in Auſtriam receptus erat (m). Hic indicta Clericis ſynodo ſaluberrimas leges ad inſtaurandos mores con-

m) Hæc Joannes Archidiac. ſatis prolixe exſequitur. Et Ciacconivs in Gentili Legato.

condidit, nihilque diligentiæ prætermiſit, ut Caroli res, paucorum improbitate pene labantes, fulciret. Qua in re Thomæ Strigonienſis Archi-Epiſcopi ſtudium mirifice eluxit, qui nec itineris longinquitate, neque ullis periculis territus in Tranſilvaniam ad Ladislaum eluctatus, captata ejus benevolentia, hominem cum regni Corona in Caroli partes, ac fidem traduxit.

1310. *Indictis rurſum Peſtinum Comitiis.*

Recepto tam nobili theſauro rurſum conventus in ſequentem annum indictus eſt, in quo lites omnes coronato rege ad vivum reſecarentur. Adfuere, quamquam, Matthæus Trenchinienſis nihil non contra moliretur, præter omnium ordinum viros tanta certatim confluentis populi multitudo, ut campum *Rákos*, qui abhinc comitiorum Hungariæ locus eſt, Peſtino per ingentia ſpacia excurrentem replerent, quos partim futurarum rerum novitas, partim reducendæ pacis ſpes, ipſa enim turbarum frequentia faſtidium jam plerisque pepererat, ex toto late regno excivit. Legatus in Caroli, Antiſtitum, ac, ſi Matthæum Trenchinienſem demas, Procerum pene omnium comitatu Budam, inde Peſtinum delatus, Comitiis initium fecit, revocata eorum memoria, quæ Carolo anno abhinc altero interpoſita jurisjurandi religione polliciti fuiſſent. Tum, ne quid bonorum omnium vota, ac deſideria moraretur, Auguſtino, Zagrabienſi Epiſcopo, viro ſupra ceteros, ut ſanctimoniæ laude, ita eloquentia conſpicuo data provincia, ut quæ in præſente cauſa obſcura eſſent, facundia ſua illuſtraret, & juſtiſſimas Caroli res omnibus commendaret: qui, ubi loquendi copiam nactus eſt, turbati regni ſtatum a primordio exorſus hunc ad Proceres ſermonem habuit (*n*).

Zagrab. Epiſ. ſermonem ad Proceres habet.

„Poſtquam Dei gratia, Legati authoritate, afflictiſſimæ patriæ conſulturi in „hunc locum, ab exordio regni Hungarici publicis negotiis agendis adoptatum, con„venimus, cumque mihi omnium aliorum minus apto, ſed qui nihilominus in pro„movendo publicæ rei noſtræ bono, ardore, & ſtudio nulli facile ceſſerim, dicendi „provincia demandetur, nequaquam diſerta, ſed ſortia ſectando, juxta ſancti Cypriani „Carthaginenſis Epiſcopi ſententiam, poſthabita omni verboſitate, & omni eloquen„tiæ lenocinio, ut Epiſcopum decet, brevibus demandatam provinciam expediam, „præſertim, quia in conſpectu ſanctiſſimorum univerſi regni Procerum, nec non le„ctiſſima regnicolarum Nobilitate perſtrinxiſſe potius, quam exaggeraſſe rem, ſatis „ſuperque expoſuiſſe illam, perſuaſum jam mihi habeo. Quod me præſtiturum „exiſtimo, ſi prius aliqua de plebis petulantia, cujus impetu regnum diſtrahitur „ampliſſimum, tum de authoritate Romanæ ſedis in ejuſmodi occaſionibus, de jure „optimo Caroli regis in ſacram noſtram Coronam Hungaricam delibavero.

Exponit cauſas perturbatæ Reipublicæ.

„Et quidem quo ad primam partem, ſatis exploratum eſt omnibus, annum „jam nonum ab eo tempore, quo Bonifacius VIII. Romanorum Pontificum ſapien„tiſſimus, Legatum ad haſce partes ad inſtantiam ſanioris partis regnicolarum, poſt „mortem Andreæ, ultimi regis, ex regum noſtrorum ſtemate ſuperſtitis miſit, com„munem hanc noſtram patriam ad inſtar Oceani adverſis ventorum procellis ab imo „agitari, turbarique. Cauſam quoque rei, non eſt, cur refricem, tanquam omni„bus apertiſſimam. Cum nempe bonus Cardinalis, ſacrorum Præſulum, & optima„tum, nec non melioris Nobilitatis voto ſolicitatus, nullum modum conciliandi ani„mos aliquorum Clericorum, & Hungariæ plebeculæ potuiſſet invenire, cenſuris Ec„cleſiaſticis potius, quam armata vi, ut Eccleſiaſticum miniſtrum decebat, interdicto „ſacrorum uſu ad ſanam mentem reducere conatum fuiſſe. Nec novo quidem e„xemplo, ſed per univerſum Chriſtianum orbem ejuſcemodi malo, aliisque ſimilibus „ſanandis ab Apoſtolica ſede ſemper uſitato. Verum talis medicina ſalutis loco „phræneſim inauditam excitavit, ut obſervatum eſt a medicis in iis corporibus, quæ „malo congruentes medicinas vel non admittunt, vel eo, quo deberent, modo „iis non utuntur. Nam ut paucis concludam, quod longo tempore mirabundi ſu„ſpeximus, & ſuſpiravimus, Clericulorum turba, plebis armata furore, peſtilens „virus (*o*) in medicum eructando, Apoſtolicam ſedem, quæ a nemine judicatur in

 „terris

n) Exhibet eum Sigismundus Ferarius Part. III. Lib. IV. Et Hiſt. Zagrabienſis pag. 111. Et facile mihi perſuadeo Auguſtini eſſe, quod cum ea oratione, quam in Synodo Zagrabienſi ante duos annos dixerat, ſententiarum gravitate, & ſtilo perſimilis ſit.

o) Hiſt. Zagrab. habet *peſtilentem virum*, typographi, ut reor, oſcitantia.

„ terris, anathemate percutiendum (*p*) ſtrepitu campanarum cenſuit, efficta cauſſa,
„ quaſi Romanus Pontifex electionem regis Hungariæ ſtatibus Reipublicæ Hungaricæ
„ perpetuo liberam, violenta, ut jactabant, intruſione Caroli Andegavenſis, vio-
„ laſſet. Atque talis inſania eo uſque proceſſit, ut diverſis aliis Principibus in re-
„ gnum hoc ad ſacram coronam evocatis, octo annis integris Pannonicæ reipublicæ
„ viſcera ſuorum gladiis foderentur. At quæſo, paululum mecum ſapientiſſimi audi-
„ tores recogitate, an ullo unquam tempore turbæ, niſi turbis excitandis, rebus-
„ que publicis, & quietis turbandis, & feſtæ pacis centro extirpandis potuerunt eſſe
„ aptiores, vel ex eo, quia turbarum, & turbulentiarum infauſtiſſimarum nomina ab
„ iisdem turbis emanarunt. Quippe ad res agendas nihil ineptius turbis, quæ ſi ali-
„ quando veritatis ipſius, Chriſti videlicet ſervatoris noſtri, monitis audiendis alle-
„ cta ad illum voluit accedere, nonniſi compreſſione, & offenſione cœleſtis Magi-
„ ſtri id tentavit, irruendo nempe in illum, ut tradit Evangeliſta, Et ſi idem alias
„ omnipotens, verum ut homo, ne ab illa penitus opprimatur, alium modum non
„ cenſuit expeditiorem, quam ut ſe in naviculam, quæ erat Simonis Petri, inter
„ multas alias in litore Genezareno exiſtentes, reciperet, & rogaret per eundem
„ Petrum paullulum a terra abduci. Etenim nec ipſam pietatem abſque irreveren-
„ tia, & vitio inhumanitatis turba novit exercere. „ Cui ſententiæ confirmandæ cum
multa ex ſacris, & profanis litteris momenta adduxiſſet, primam ſermonis partem in
hæc verba concludit. „ Et mirabimur turbam Hungaricam, brutorum more in Chri-
„ ſti ſæviiſſe Vicarium? turbæ autem facinus contra pia ſenſa ſacrorum Antiſtitum,
„ Illuſtriſſimorum Procerum, & ſapientimæ Nobilitatis, ſacrilegium abſolute fuiſſe; cum
„ certo certius cognoverimus, quodque hic adſumus, vel ex eo nihil immorandum
„ ſuadet ratio, ut turbarum turbulentas vanitates, & falſas inſanias proturbando nos
„ de noſtra Republica. immo de ſalute noſtra libere, ſancteque deliberemus, & a vul-
„ gi ſententia recedamus, nos ſapientes eſſe oſtendamus,

Caroli jura, & prærogativas ad regnum oſtendit.

Tum alteram partem ingreſſus, quid juris, & auctoritatis in regna turbis in-
teſtinis agitata Pontifex, tanquam communis omnium Chriſtianorum pater habeat,
præſertim, ſi ex his, ut fere fit, Eccleſiæ periculum creetur, prolixe oſtendit, ac,
re externorum exemplis ſtabilita, ad domeſtica delapſus, „ ut finem (inquit) huic
„ rei faciam, ipſe ſanctiſſimus Apoſtolus Hungariæ Stephanus, de cujus ſucceſſore
„ agimus, a Romano Pontifice Silveſtro ſecundo rex eſt declaratus, & perpetua Le-
„ gatione Apoſtolica decoratus. Quod ſi fatemur in ſonte, cur non admittemus in ri-
„ vulo? ita tamen, ut inde libertati illi perpetuæ, qua Hungari ſuos Principes eli-
„ gunt independenter a qualibet alia poteſtate, nullum præjudicium oriri profitear.
„ Nulla itaque dubitandi ſupereſt occaſio, quo jure Romanus Pontifex Hungarica diſ-
„ ſidia miſeratus, ſanioribus, & potioribus etiam Hungaris id expoſcentibus, Caro-
„ lum authoritate ſua tanquam univerſalis pater -- tuendum in regno, jure ſanguinis
„ ſibi debito ſuſceperit. Jure autem ſanguinis, æquo, optimo, ſuper alios competi-
„ tores Carolo deberi diadema aviticum, ſole meridiano clarius eſt; cum matrem
„ habuerit Mariam, Stephani V. Hungarorum regis filiam, ſororem Ladislai
„ III. (*q*), & ultimæ ex Bela propaginis ſacræ maſculæ Hungaricæ. Wenceslai Bohe-
„ mi conditionem longe diverſam eſſe, non eſt, cur ambigamus; quippe
„ quem ex filia filiæ Belæ IV, natum agnoſcamus. Bavarus Otho, quo gluti-
„ ne ſtemati noſtrorum regnum poſſit agglutinari, nequaquam mihi probatur. Sed
„ Caroli juribus illud quoque, idque rarum in terris additur, quod ipſius ſtemma, Cœ-
„ lo teſte, ex ſanctiſſimis regibus noſtris profluere comprobatur. Ut enim Bela IV.
„ ipſius proavus Elizabetham ſororem Germaniæ (*r*), aliam Elizabetham ex alia
„ ſorore neptem Hiſpaniæ, Margaretam filiam Dalmatiæ, tanquam concivem meam,
„ Tragurii nempe editam, Cunegundem aliam filiam Poloniæ, ſanctitatis gloriæ ſy-
„ deribus inſertas produxiſſe lætatur, ita ex Mariæ nepote mater Caroli noſtri, Lu-
„ dovicum ſanctiſſimum Toloſæ Præſulem primo Italiæ, in qua vitales hauſit auras,
„ de-

p) Eadem habet: *ſe percuſſiſſe*, ſed totam ſententiam vitioſam reddit.

q) Rectius dicendus erat IV. ut ſuis locis oſtendimus.

r) Ludovicum Turingiæ Landgravium innuit, cui nupta Eliſabetha fuit.

„demum Galliæ, ex qua ad æternitatis evolavit præmia, Caroli noſtri fratrem, ſtirpem agnoſcit ſuam, perinde, ſicuti cælo, terræque acceptiſſimus, Francorum regum præſtantiſſimus Ludovicus IX., qui ab adoleſcentia ſua ad ultimum uſque ſpiritum, nunquam ſibi, ſed Chriſto militavit, regem noſtrum Carolum, per fratrem Carolum pronepotem ſuum, ſtatibus incly ti regni Hungarici ſceptris ſacratiſſimis tractandis natum, poſteritatem ſuam fatetur, ſic & commendat *(r)*. Addo præterea, quod omnibus eſt liquidum, Carolum regem noſtrum, nunquam ſe regno Hungarico obtruſiſſe, quippe, cui tanquam primogenitæ proli Parentis ſui Caroli ſecundi feliciſſimum totius orbis regnum Siciliæ naturali prærogativa deſtinabatur, ſed, unde ipſi immortales gratias habere debemus, & agere, ab melioribus ſenatoribus ſolicitatum, juſſu Romani Pontificis labanti Hungariæ, & alienis nationibus in prædam concedenti præſto futurum, poſthabito nobiliſſimo, & ditiſſimo Siciliæ regno, adcurriſſe, Quæ ut bene nota omnibus, ſicuti initio ſum præfatus fortioribus, quam diſertioribus argumentis, quemadmodum decet Epiſcopum, cum hactenus innuerim, bonorum omnium votis, bono patriæ, juſtitiæ ipſi, Romani ſummi Pontificis, ejuſque hic adſtantia Legati monitis feciſſe ſatis non dubitaverim.

Ubi dicendi finem fecit Auguſtinus, lætiſſima omnium vociferatio exorta eſt, Carolo vitam, Carolo felicitatem comprecantium, ſolutoque conventu, ut erant copioſiſſimo milite ſtipati, trajecto danubio Albam regiam petunt, ubi rege ex ritu inaugurato, pax tanquam poſtliminio in regnum revocata, florentiſſimam deinceps Hungáriam reddidit *Hunc proceres unanimi conſenſu regem Albæ coronant.*

Fffff IN-

r) Quæ lectori obſcura oe ſint, ſubjicio genealogiam Caroli regis Hungariæ.

LVDOVICVS VIII. rex Galliæ.

- LVDOVICVS IX. ſanctus.
- CAROLVS
  - CAROLVS CLAVDVS rex Neapolis. Ux. MARIA Stephani V. Hungariæ regis filia
    - CAROLVS MARTELLVS. Ux. CLEMENTIA Rudolfi I. Cæſ. filia.
      - CAROLVS ROBERTVS rex Hungariæ. I. Uxor. CATHARINA. II. MARIA. III. BEATRIX. IV. ELISABETHA Wladislai Lokici filia.
        - I. CAROLVS.
        - II. LADISLAVS.
        - III. LVDOVICVS. I. Ux. MARGARETA Caroli Cæſ. filia. II. ELISABETHA Stephani Boſniæ regis filia.
          - I. CATHARINA.
          - II. MARIA. Marit. SIGISMVNDVS Cæſar.
          - III. HEDWIGIS Marit. JAGELLONIVS Lithuaniæ Dux.
        - IV. ANDREAS. Ux. JOANNA Neapolit. Regina.
          - CAR. MARTELLVS.
        - V. STEPHANVS. Ux. MARGARETA Ludovici Bavari Roman. Regis filia.
          - Joan. Dal. Croat. & Sclav. Dux.
          - ELISABETHA Alberto III. Auſtriæ Duci deſponſa.
    - ROBERTVS
      - CAROLVS Dux Calabriæ.
        - JOANNA Andreæ Ludovici fratri nupta.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

A.

Pag.

Aba, alias Samuel dictus, Petro ſuccedit 46. Chanadini coronatur. 47. ab Henrico Imp. in regno confirmatur ibid. ex Auſtria cum clade rejicitur 48. crudelis in ſuos 46. pugna per Henricum victus a ſuis cæditur. 49

Abrammus Cumanorum rex. 365

Adelhais Belæ II. ſoror Bohemiæ Duci deſpondetur. 124

Adleta Andreæ I. ſoror Bohemiæ regulo nuptui collocata. 59

Agmunda Andreæ I. conjux, & proles ex ea. 54

Agnes Henrici Auſtriæ Ducis filia Stephano III. jungitur. 157

Albais Comitis Pictavienſis ex Giſela Stephani ſorore filia Adalberto Auſtriæ Marchioni locatur. 35

Almus Geiſæ I. filius Croatiæ rex conſtituitur 88. cum Colomano rege diffidia fovet. 99. Ad Germanos, tum Polonos fugit 106. recipitur in gratiam 107. Rurſus ad Henricum Imp. fugit ib. cujus ope regi conciliatur 108. Jeroſolymas profectus cum Græcis amicitiam init. 109. regis juſſu oculis privatur 111. Condit Demeſienſem Eccleſiam, & in Græciam evadit 112. iſthicque moritur 122. an decennium integrum ſepultura caruerit. 129

Andreas I. fuga in Poloniam evadit 40. revocatus in Hungariam rex ſalutatur. 50. turbulenta regni initia 51. in Petri ſicarios animadvertit 52. Henricum Imp. legatione pacat. ibid. Celebratis comitiis leges condit. 53. Henricum Imp. voto, & fame ex Hungaria exigit. ib. primus omnium diviſo in partes regno Hungariæ Ducem creat 54. cum Moravis bello implicatur 55. Henricum Imp. Hungariam infeſtantem arte profligat 56. pax conficitur agente Pontif. 57. qua conditione 58. filios Angliæ regis remittit ib. Abbatiam Tyhonienſem fundat 59. Interamnenſis Sclavoniæ partem in provinciam redigit. ib. a Bela fratre diſſentit 60. Hic ſe ad Polonos recipit, fratremque bello petit 61. victus, ex vulnere obit. 62

Andreas II. Belæ III. filius, Haliciæ rex creatur 175. ejicitur a Polonis & Ruſſis 176. Croatiæ præficitur 181. Semel atque iterum de hoſte triumphat 182. cum Emerico fratre confligit, primum victor 187. tum captus, & carceri incluſus 188. conciliatur fratri 190. Ladislai tutor conſtitutus 193. regnum invadit 194. idque defuncto Ladislao omnium conſenſu occupat 195. Conjugis fratrem ad ſedem Colocenſem poſtulat 196. renuit Pontifex, & cur. 197. Jus coronationis Strigonienſibus Archiep. aſſerit 198. Colomanum filium ab hoſte interceptum liberat. 200. In Haliciam concedit 201. abſenti Gertrudis conjux nefarie trucidatur. ib. rem Pontif. perſcribit 204. ſacram expeditionem apparat. 207. a Conſtantinopolitanis Imperator eligitur. ib. minus in eo faventem ſibi habet Pontificem 208. Jolantam Petri Antiſſiodorenſis filiam ducit ib. Conſtitutis domi rebus in Sclavoniam movet. 210. ex Dalmatia mari ſolvens ad Cyprum claſſem applicat. 211. rem in Syria præclare agit. 212. Sed ob ſtructas inſidias reditum parat. 213. ſacris propterea interdicitur. ib. affinitatem cum Leone Armeniæ rege contrahit ib. Mariam Theodori Laſcaris filiam Belæ filio conjugem adducit. ib. res domi turbatas reperit 214. Pontifici cauſas ſui reditus ſcribit ib. Litem cum Conſtantia Imperatrice habet. 219. a filio Bela diffidet ib. Libertatibus ampliſſimis Hungaros exornat 220. nova cum filio diſſenſio 225. Conciliatur. 227. Saxonibus privilegia confirmat ib. ad necem a ſuis quæritur 231. regni officia Judæis, & Saracenis committit 232. pollicetur ſe vitia, quæ in remp. irrepſerant, correcturum 237. parum memor promiſſorum a Pontifice monetur. 239. Nuptias cum Beatrice Eſtenſi celebrat 242. dotemque conſtituit. ib. nuptiis haud diu ſuperſtes moritur, ac Varadini ſepelitur. 243

Andreas III. quibus parentibus ortus, & unde cognomentum Veneti adeptus 359. in Hungariam ab optimatibus evocatur 355. defuncto Ladislao Chuno Vienna clam in Hungariam diſcedit & rex ſalutatur. 359. duos potentiſſimos æmulos habet. 360. Pontifex quoque ejus electioni intercedit. ib Auſtriam invadit, & Hungariæ partem recuperat 362. Carolum Martellum in Croatia profligat 363. ſancito cum Auſtriacis fœdere Ducis filiam conjugem accipit. 364. huic dotem aſſignat. ib. obortis domi factionibus cum Bohemo ſocietatem per novas nuptias init. 365. Carolo æmulo prævalente partim morbo, partim moerore obit. 367

Aſtricus ex Brewnovienſi Bohemiæ monaſterio in Hungariam delatus 5. Romam ab Stephano ligatur. 6. coronam a Pontif. cum litteris affert 7. Archi-Epiſcopus Colocenſis 25. Cancellarii dignitate fungitur. 26

B.

Banorum dignitas apud Croatas uſurpata 88. dignitatis varietas ib.

Beatrix Andreæ II. Conjux Stephanum poſthumum enititur. 244

Bela I. alio nomine Adalbertus dictus. 63. rem adverſus Pomeranos ſtrenue agit. 40. Poloniæ Ducis filiam uxorem ducit. ib. primus Hungariæ Dux conſtituitur. 54. metuens ſibi a fratre in Poloniam fugit. 61. redux cum copiis fratrem profligat. 62. eique in regno ſuccedit. 63. dimiſſis vectigalibus rem nummariam inſtaurat. ib. plebem ſacra avita repetentem compeſcit. ib. bellum in Auſtriam apparans moritur. 64

Bela II. ſeu Cæcus, Stephano III. ſuccedit 124. celebrat Arodini comitia, & quam ob cauſam ib. in Borichium regnum affectantem movet. 125. eumque profligat. 126. cum Bohemis fœdus inſtaurat. 127. Lotharium Imp. legatione, & muneribus excolit. 128. Lis cum Pontif. oborta ob beneficio Eccleſiaſtica 129. Patri funebres honores habet. ib. Sophiam filiam Conrado Henrici Imp. filio deſpondet 130. paulumque poſt mortem obit. 132. Cum vixit vinoſior. 134

Be-

Pag.

Bela III. Manuelis Græcorum Imp. gener ſtatuitur. 150. Alexius dictus Deſpotæ dignitatem obtinet ib. a Colocenſi Archiep. rex coronatur. 164. Judiciorum, & aulæ rationem inſtaurat ib. Manueli Imp. ſuppetias in Perſiam mittit. 169. Mariam filiam Iſaaco Manuelis nepoti collocat. 170. cum Epiſcopis beneficiorum cauſa transigit. 171. Dalmatiæ partem recuperat. 172. tum reliquas quoque urbes in poteſtatem redigit. 173. electionem Archiep. Spalatenſis irritat. ib. Emericum filium corona incingi jubet. 174. Haliciæ regnum juri Hungarico aſſerit. 175. Helenam filiam Arragonum regi deſpondet. ib. Conſtantiam hujus filiam viciſſim Emerico ſuo filio collocat. 176. Cum Polonis inducias facit. 177. Fridericum Imp. in Syriam euntem commeatu juvat. ib. ejuſque filio ſuam filiam deſpondet. 178. Stiriæ cauſa cum Auſtriacis litem habet. ib. Venetos maritimo prælio profligat. ib. Ladislaum I. inter Divos referri orat, impetratque. 180. fœdus cum Polonis Haliciæ cauſa pangit. 181. Ejus mors, & regiminis aud. 183

Bela IV. a patre diſſidet 219. 225. in Auſtriam cum conjuge fugit. 226. conciliatur patri 227. Pontifici ad exſtirpandos hæreticos jure jurando ſe obſtringit 241. patri in regno ſuccedit 244. ſevera regni initia ib. domeſticis propterea turbis exagitatur 245 Auſtriacos profligat. ib. Fridericum Imp. tributum petentem rejicit. 246. in Bulgariam arma parat, 247. qua occaſione novas a Pont. gratias petit. 248. non impetrat omnes 250. Cumanos in Hungariam recipit. 251. tumultuantes ſeorſim per varias regni partes habitare jubet 252. Ex Ruſſis victoriam refert 253. Tartaris irrupturis Palatinum opponit 254. hoc profligato auxilium a Friderico Imp. petit. 255. non impetrat. ib. Tartaris caſtra ad Peſtinum objicit. 256. ad Sayonem fl. in eos movet. 250. rejicit primum Tartaros 260. tum profligatur 261. fuga elapſus in Auſtriam defertur 262. Spoliatur omnibus theſauris 265. inde in Croatiam cum Conjuge & prolibus evadit ib. tum in Dalmatiam 269. revertitur in Hungariam 273. exinanitum per Tartaros regnum reſtaurat 274. Cum Venetis fœdera init 278. Auſtriacos bello petit 280. rurſus iſtorum provincias populatur 286. Cum Ottocaro Bohemo bellum gerit. 294. Stiria potitur 295. refractarios Stiros primum armis compeſcit 299. poſtea provinciam pene omnem amittit 300. Affinitatem ab Tartarorum Chano oblatam reſpuit 302. Novo cum Bohemis bella implicatur. 305. victus ad Moravam amnem Poſonium ſe recipit. 306. pacemque cum Ottocaro conficit. 307. pacis conditiones 308. Cunegundem ex filia neptem Ottocaro deſpondet. 309. Tartaros Hungariam ingreſſos magna clade rejicit. ib. a Stephano filio diſſidet, eique conciliatur 310. Mutuis pactis pacem confirmant 311. novaſque conditiones adjiciunt 314. Rurſus affinitatis titulos Tartari a Bela poſcunt 316. filio Pontificis opera rurſus conciliatur 317. Belam filium natu minorem nuptiis illigat. 318. in Dalmatinos durior 321. ſummo omnium dolore elatus Strigonii conditur. 323. ejus encomium ibid.

Buda vetus ſecernenda a nova 35. hæc Belæ IV. ſtudio in urbem coaleſcit. 296

Pag.

Bulgaria primum juri Hungarico aſſerta 323.

Bulgaros Stephanus divinitus profligat. 34

Bulthontus illis cum Colomano rege fœderibus commeatum in Syriam obtinet. 96

Buſila Rogerii Siciliæ Comitis filia Colomani regis uxor. 97

C.

Carolus Caroli Martelli filius rex Hungariæ a Pontifice creatur. 365. ejus partes Dalmatæ, & Croatæ ſectantur 367. in regem Strigonii contra plerorumque voluntatem ungitur ib. in Bohemiam, & Hungariam infeſta ſigna infert. 373. adverſus Ottonem Bavarum fœdus ſancit, 378. in Peſtinenſibus Comitiis rex ex more a Proceribus legitur 382. Electionis inſtrumentum 383. intercedit Matthæus Trenchinienſis Comes Palatinus 385. interdicto coguntur refractarii Carolum regem agnoſcere ib. Coactis rurſum Peſtini Comitiis ab omnibus unanimi conſenſu rex confirmatus Albæ coronatur. 391

Ceanus Bulgariæ regulus bellum Stephano obmovet. 19. vincitur, & ex victi ſpoliis Eccleſiæ ditantur ib.

Cicha ex Croatiæ regum ſanguine, veriſimiliter S. Emerici conjux. 37

Colomanus Hungariæ rex, fueritne Epiſcopus Varadienſis 94. Ladislao ſuccedit. 95. Croatiam occupat. ib. Cruce ſignatos partim cædit, partim liberaliter habet. 96. Siciliæ Comitis filiam conjugem ducit. 97. nuptiarum apparatus 98. Venetis adverſus Nortmannos auxilia mittit. 99. Ejus cum Almo diſſidia ib. contra Ruſſos inproſpere bellum gerit. 100. Croatas defectionem molientes ad fidem revocat 101. Libertatibus exornat. 103. litem cum Pont. habet ibid. Dalmatiam occupat. 105. Cum Venetis ſopita lite amicitiam colit. 106. Almum cum Polonis profligat ib. Traguriniis ampliſſima privilegia indulget 107. Cum Almo Henrici Imp. opera conciliatur. 108. Clerum Dalmatiæ eodem, quo Hungariæ Eccleſiaſticos, jure donat 109. Juribus inveſtituræ primus omnium regum renuntiat 110. qua conditione ib. Uxorem Ruſſam ob adulterii ſuſpicionem ſuis remittit ib. Stephano filio coronato in Almum ſævit 111. parum fortiter mortem obit. 112. Ejus virtutes & vitia. ib.

Colomanus Andreæ II. filius Salomeam Leſconis Poloniæ Ducis filiam ducit. 198. & cum ea caſtimoniam ſervat ib. Haliciæ rex creatur. 199. Capitur ab hoſtibus ib. ejus contra Patarenos hæreticos ſtudium 241. tum in Boſnia 252. Tartaros primum profligat. 260. tum vincitur ib. fuga elapſus in Sclavoniam defertur 262. obit ex vulnere, ſepultus Chaſmæ. 265

Comitatus, certum provinciæ in Hungaria genus, quot, & unde ſic dicti. 2

Conradus Imp. bellum Stephano obmovet, & quam ob cauſam 37. Caſtra ad fluvium Arrabonem figit. 38. vincitur precibus Stephani ib. pax inter Hungaros, & Germanos inſcio Conrado confecta. 38

Conſtantia Arragonum regis filia Emerico Belæ III. filio deſponſa 176. Cum filio Ladislao Viennam evadit 194. hoc defuncto nubit Friderico Siciliæ regi, poſtea Imperatori. ib.

Con-

Pag.

Conſtantia Emerici regis ſoror Bohemiæ duci deſpondetur. 186

Corona regni Hungariæ a Silveſtro II. Pont. transmiſſa, angelica dicta 6. *coronationis ritus* 9. *Coronæ forma, & pretium* 10. *nequaquam a Græcis Imperatoribus miſſa* 11. *cuſtodiæ olim locus.* 10. *Cuſtodia primum Eccleſiaſticis viris credita.* 183. *jus coronandi reges Strigonienſibus Archi-Epiſcopis peculiare.* 198. *Si perderetur, ſtatuitur altera corona ejuſdem vigoris, & juris.* 387

Croatia. Ejus limites 86. *juribus Hungariæ aſſeritur* 88. 95. *a fide deficit* 99. *rurſus ad obedientiam redit.* 101

Cumani. Patzinacitarum genus 67. *in Hungariam erumpunt. ib. vincuntur memorabili prælio.* 68. *a Salomone in Hungaros concitantur* 83. *a Ladislao ſemel atque iterum profligati, pars in Hungaria reſtituit* 88. *Colomanum vincunt* 99. *Tartaro Duce ſedes in Hungaria ſtabiliunt* 110. *ad ſacra Chriſtiana traducuntur* 228. *novas ex Cumania colonias accipiunt* 251. *turbas in Hungaria cient* 252. *Tartaris ſe conjungunt, & cædibus graſſantur* 258. *denuo in fidem recipiuntur* 274. *turbant rempublicam* 336. *edictum in eos promulgatur* 343. *tyrannidem arripiunt* 351. *vincuntur memorabili pugna* 352. *ad Tartaros in Aſiam evadunt. ib. redeunt cum iiſdem in Hungariam* 353. *divinitus profligantur* 354. *turbas Viennæ cient.* 365

Cunegundis Belæ IV. filia Boleslao Cracoviæ Duci nubit. 251

Cupa Simegienſis Dux ſeditionem commovet. 4. *Veſprimium occupat* 5. *profligatus a Stephano inſigni pœna mulctatur ib.*

Cuthenus Cumanorum regulus ſuſpicione laborat, quaſi Tartaros in Hungariam advocaſſet 257. *crudeli nece propterea a vulgo trucidatur.* 258

D.

Dalmatiæ limites 86. *quo jure ad Hungaros devoluta.* 87. 102. 105. *an jus regni hujus Hungari Venetis unquam transſcripſerint.* 210

Deda Quinque Eccleſienſis Epiſcopus cum Gerardo martyrio affectus. 51

Deſiderius Jaurinenſis Epiſcopus Salomonem cum Geiſa, & Ladislao conciliat. 66

Dextra S. Stephani incorrupta. 78

E.

Edmundus & Eduardus Angliæ regis filii 28. *a D. Stephano liberaliter accipiuntur.* 27. *Iis filiam ſuam, huic Agatham fratris Imp. filiam collocat.* 28. *in Angliam ſplendido comitatu remittuntur.* 58

Eliſabetha Andreæ II. filia Ludovico Thuringiæ Landgravio deſpondetur. 203. *ejus virtutes, & ſanctitas.* 230 & 31

Emericus D. Stephano naſcitur 20. *a Baſilio Græcorum Imp. donum accipit* 21. *pie a teneris educatur* 24. *voto caſtimoniæ ſe obſtringit.* 29. *ad gubernandam rempublicam ſaluberrimis præceptionibus a patre inſtituitur* 30. *juſſu patris matrimonium init.* 86. *Virginitatem tamen ſervat ib. quæ, aut cujus generis fuerit conjux.* 37. *immaturo fato extinguitur* 38. *ejus virtutes ib. paradoxa de ejus morte opinio ib. inter Divos cum patre refertur.* 82

Emericus, alias quoque Henricus, Belæ III. filius vivo patre coronatur 176. *Conſtantiam Arragonum regis filiam uxorem accipit,* 174. *in Sclavoniam ad coercenda latrocinia proficiſcitur* 179. *Valachos domat* 183. *patri ſuccedit.* 184. *Vacienſem Epiſcopum parum humaniter habet ib. res Dalmatiæ curat. ib. ab Andrea fratre primum profligatur* 187. *tum captum carceri includit* 188. *Jadram amittit ib. reſarcit jacturam in Servia* 189. *conciliatur fratri* 190. *lis cum Pontif. oborta* 191. *filium infantem coronari impetrat* 193. *Agriæ mortem obit.*

Eſcandali civis Budenſis Hungarus fidem Chriſtianam apud ſinas promulgat. 23

F.

Fenena, alias Clara Euphemia Goritienſis Comitis filia Andreæ III. conjux. 355. *ex hac ſcriptores perperam duas faciunt. ib.*

Fridericus Imp. Belæ regi adverſum Tartaros non ſuccurrit. 255. *ejus ad regem Angliæ de Tartaris epiſtola* 263. *Hungariam feudi jure ſibi obnoxiam eſſe contendit.* 280. *a nonnullis ferebatur Tartaros in Hungariam advocaſſe.* 265

Fridericus Auſtriæ Dux Belæ ſuppetias contra Tartaros venit. 255. *egregium ejus militare facinus* 257. *Belam profugum hoſpitalitatis ſpecie omnibus theſauris inhumaniter ſpoliat* 265. *in Hungariam incurrit* 267. *Tartaros Neoſtadio abigit.* 270.

G.

Geiſa I. Salomoni ſponte regnum cedit 65. *in Poloniam cum fratre fugit ib. Iſthinc cum exercitu in Salomonem profectus eidem conciliatur.* 66. *in Cumanos fortiter pugnat* 67. *nova cum Salomone diſſenſio* 70. *ad necem ab hoc quæritur. ib. cum eodem parum proſpere ad Tibiſcum confligit.* 71. *tum inſigni victoria potitur* 72. *eique in regno ſuccedit. ib. Henricum Imp. arte militari ex Hungaria exigit.* 73. *a Pontifice pro rege non habetur* 75. *condit Vacienſem Eccleſiam* 76. *regnum Salomoni vult cedere* 77. *huic conatui immoritur ib.*

Geiſa II. Saxones in Tranſilvaniam evocat. 132. *contra Auſtriacos bellum feliciter conficit.* 134. *Conradum Imp. in Palæſtinam moventem commeatu juvat* 135. *ſimiliter Ludovicum Galliæ regem ib. Minoslai Ruſſiæ Principis filiam conjugem ducit.* 136. *repetit ex Monialium clauſtro ſororem ſed fruſtra.* 137. *Ruſſicum bellum in ſoceri gratiam feliciter conficit.* 138. *Inde Græcanicum obortum.* 139. *parum proſpere geſtum.* 140. *Sirmium amittit.* 141. *pacemque cum Græcis conficit.* 142. *Rurſus bellum in Græcos movet, ib. alternaque fortuna gerit* 143. *a fratre Stephano moleſtias habet.* 144. *Cum Friderico Imp. pacem colit.* 146. *præter opinionem moritur.* 149

Gerardus primus Chanadienſis Epiſcopus. 23. *Abam coronare renuit.* 47. *ad Budam martyrio afficitur.* 52

Gertrudis Andreæ II. conjux trucidatur. 201. *domeſticorum ſcriptorum de hac cæde opinio refellitur.* 202. *aliorum auctorum ſententiæ.* 203

Pag.

Gertrudis Geiſæ II. ſoror Miecislao Poloniæ Duci deſponſa. 136

Giſela Henrici Rixoſi filia Stephano I. jungitur. 15. *errores circa eam.* 14. *nuptiarum annus ib. Eccleſiam Veſprimii fundat.* 20. *male ab domeſticis ſcriptoribus crudelitatis accuſatur.* 40. *a Petro illiberaliter habita Paſſavium concedit, & ſanctimonia claret.* 44

Guntherus S. Stephani cognatus in Hungariam ſemel atque iterum vocatus venit. 24. *ejus probitas, & ſanctimonia.* 25

Gyula Stephani avunculus, Tranſilvaniæ Dux bellum in Hungaros movet. 17. *profligatus in Hungariam cum conjuge, & prolibus abducitur ib. abhinc Wayvodarum origo & dignitas.* 18

H.

Halicia Hungariæ juribus aſſeritur 175. *illi primum Andreas Belæ III. filius præficitur.* 176. *tum Colomanus Andreæ II. filius dotis nomine regni poſſeſſionem adit.* 198

Hedwigis Belæ II. ſoror Adalberto Auſtriæ Duci nupta. 124

Helena Stephani III. ſoror Leopoldo virtuoſo Duci Auſtriæ collocatur. 162

Helena Belæ III. filia Arragonum regis conjux. 171.

Henricus II. Imp. Brunoni fratri per Stephanum conciliatur. 18

Henricus III. Petrum ex Hungaria profugum hoſpitio accipit. 45. *regno reſtituere nititur.* 47. *novo propterea bello Hungariam petit.* 49. *Legatos ab Andrea rege accipit.* 52. *rurſum Hungariam infeſtis armis petens profligatur.* 55. *contracta affinitate pacem conficit.* 58. *Salomonem in regnum reducit.* 65. *hoc pulſo iterum bellum obmovet.* 72. *ſed re infecta redire cogitur.* 73

Hungariæ limites, & provinciæ. 1. 2. *fueritne unquam Pontifici Romano jure clientelari obnoxia.* 8. 9. 75. 80. *itidem an feudum Imperii Romano Germanici.* 16. 45. 49. 52. 73. 267

I.

Inveſtituræ uſus apud primos Hungariæ reges 110. *ei Colomanus renuntiat. ib.*

Jojada Andreæ I. filia Wilhelmo Thuringiæ Marchioni nupta. 62

Iolanta Petri Antiſſiodorenſis, poſtea Orientis Imp. filia Andreæ II. conjux. 208

Iolanta Andreæ II. filia Jacobo Arragonum regi deſponſa. 243

L.

Ladislaus I. invitus regnum adit. 77. *litteras a Pontifice accipit.* 79. *an in Polonos bellum ſuſceperit* 81. *Salomonem in carcerem retrudit.* 82. *paululum poſt liberat ib. & cum Cumanis profligat.* 83. *A Croatis in auxilium vocatur* 87. *Sclavoniæ & Croatiæ partem armis, & deditione juri Hungarico aſſerit. ib. auctorum de hac re ſententiæ* 86. *Croatiæ Almum præficit.* 88. *in Cumanos movet, & ſemel atque iterum vincit.* 89. *Habito regni conventu ſaluberrimas leges ſancit.* 90. *Zagrabienſem Epiſcopatum fundat.* 91. *an etiam Varadienſem* 68. 92. *Imperator Germaniæ deſignatur.* 93. *Dux ſacræ expeditionis in Palæſtinam communibus votis electus ib. bello Bohemico immoritur* 94. *an cælebs fuerit. ib. inter Divos refertur.* 180

Ladislaus II. Stephano III. ſubſtituitur. 148. *venatur Græcam conjugem* 144. *a fratre de ſolio deturbatur.* 149

Ladislaus III. infans vivo patre coronatur. 193. *Andreæ patrui tutelæ commiſſus ib. cum matre in Auſtriam fugit.* 194. *grave propterea ab Auſtriacis bellum imminet. ib. ſed Ladislai morte ſopitur. ib.*

Ladislaus IV. cognomento Chunus Stephano V. ſuccedit. 233. *cum Ottocaro Bohemo bellum inproſpere gerit* 334. *reddit cladem.* 335. *Cumanis præ Hungaris ſtudet.* 336. *ab Rudolfo Imp. in filium cooptatur.* 337. *cum hoc fœdus conficit. ib. eique ſuppetias adverſus Ottocarum adducit* 339. *& rem in prælio præclare gerit.* 440. *Germanorum Scriptorum error, aut turpe commentum. ib. repudiata uxore Cumanis mulieribus conſueſcit.* 341. *Pontificis opera ad frugem reducitur* 342. *redit ad vomitum* 345. *arguitur propterea a Pont. ib. ſpondet meliora* 348. *ſed in priſtinam libidinem relapſus honeſtæ cuſtodiæ a Proceribus mandatur* 351. *Inde data fide emiſſus in Cumanos movet, eoſque profligat.* 352. *Rurſus priſtinis vitiis inſueſcens Hungariam heſtibus vaſtandam relinquit.* 354. *acriter propterea a Pontifice caſtigatur.* 356. *is monitis inſuper habitis fratrem in Poloniam profugum per ſicarios cædi jubet* 358. *ipſoque quoque haud multo poſt a Cumanis interfectus.* 359

Lucas Archiep. Strigon. ex Banſiorum genere. 233. *ſanctimonia & miraculis clarus ib.*

M.

Manuel Græcorum Imp. bello Serviis indicto 139. *Hungaris arma infert.* 141. *pace confecta rurſus arma apparat.* 142. *Stephanum Geiſæ II. fratrem hoſpitio accipit.* 144. *ejuſque cauſa Hungares bello petit.* 145. *victoria potitus cogit Stephanum III. ut Ladislao regnum cedat* 148. *Belam III. in generum adſciſcit, & Conſtantinopolim abducit.* 150. *hujus cauſa infeſtis armis Hungariam petit.* 151. *pace confecta* 152. *Bellum recrudeſcit.* 153. *Sirmio potitur* 155. *Tranſilvaniam aggreſſus* 157. *novum in Hungares bellum apparat.* 159. *acri prælio confligit* 161. *ambigua victoria ib. Belam Hungaris regem adducit* 163. *ſuppetias adverſum Perſas ab Hungaris petit, & obtinet* 167. *infeliciter confligit. ib.*

Margareta Belæ IV. filia natu minor Cliſſæ mortua, & Tragurii ſepulta. 276

Margareta ejuſdem natu major in inſula Leporum Monialis ſanctimonia celebris. 325

Maria Belæ III. filia Iſaaco Manuelis Nepoti collocatur. 170

Maria Theodori Laſcaris filia Belæ IV. uxor 213. *repudiata primum* 225. *poſt viro iterum conciliata.* 226. *in Dalmatiam fuga evadit* 256. 265. *redit in Hungariam.* 276. *patrem cum filio conciliare nititur.* 310. *a filio injuria afficitur.* 318. *in Dalmatinos implacabilis* 321. *marito ſuperſtes.* 328

Pag.

N.

Nehemias Archiep. Strigon. Ladiſlaum I. inſcio Pont. coronat. 77

Nummaria Hungariæ res primum omnium a Bela inſtaurata. 63

O.

Oldamur Cumanorum regulus Hungariam occupare nititur 351. victus ad Tartaros in Aſiam evadit 352. redit cum iisdem 353. & Numinis beneficio profligatur. 354

Ordelaphus Venetorum Dux quinquenales inducias cum Colomano paciſcitur 106. cum Græcis adverſum Hungaros fœdus init. 111. Jadram obſidet, & capit. 114. prælio confligit, vincitque, 115. rurſus inita pugna cadit. ib.

Ottocarus Bohemiæ rex ab Auſtriis Dux eligitur 287. Styriis ad Hungaros inclinantibus. ib. Margaretam Auſtriacam uxorem ducit 291. Hinc illi bellum cum Hungaris obortum. 294. pacem hac conditione obtinet, ut Stiriam Hungaris cedat. 295. hanc ab Hungaris avellere nititur 298. inde novum bellum obortum 305. Hungaris primum, tum Bohemis prælio ſuperioribus 306. pacem cum Bela conficit 307. Stiriamque ex pactis recuperat. ib. repudiata uxore Cunegundem Belæ regis neptem ducit 310. nuptiis Belæ junioris Poſonii intereſt. 318. bellum adverſus Stephanum V. in Hungariam traducit. 326. quod pace redintegrata paulo poſt ſopitum eſt. 327. recrudeſcit bellum 334. cum Rudolfo Imp. pacem init. 338. ſcriptorum de ea pace commentum ib. exorta rurſum bello vincitur a Rudolfo, & ceditur. 340. Ladiſlai Cumi in bello virtus. ib.

Otto Bavarus, Wenceslao in Bohemiam abeunte a pleriſque rex ſalutatur 377. Carolus ſe opponit 378. Ille tamen impetrata a Wenceslao corona rex inauguratur 379. filiamque Vaivodæ Tranſilvani uxorem ducit. ib. ejus coronatio a Papa irritatur 380. a Socero captus reddita corona juri in Hungariam renuntiat. 381

Ovo alias Aba, vero nomine Samuel Petro ſuccedit 46. in Nobiles crudeliter ſævit 48. obtruncatur. 49

P.

Palatinus: prima a rege in regno dignitas 13. ejus præcipuæ partes. ibid.

Pécbvard Abbatia a D. Stephano fundata. 25

Petrus ex Stephani ſorore rex creatur 44. Hungarorum in ſe odia, & cur, concitat. ib. fruſtra ab Epiſcopis admonitus in Auſtriam ejicitur 45. Henrici Imp. ope reſtituitur 49. exauctoratur. ib. fuga volens evadere capitur, oculiſque privatus moritur 52. Quinque Eccleſiis conditus. ibid.

Pyriſca Græcis Irene dicta Joanni Comneno nupta. 94

R.

Rado Palatinus Hungariæ Sclavoniæ partem ſubjugat. 59

Rama Serviæ portio 104. non videtur a Colomano ſubacta. ib. neque a Bela Cæco 127. ſed probabile eſt a Bela III. Hungariæ aſſertam fuiſſe. 169

Ratiſlaus Haliciæ Dux Belæ IV. gener. 253. ſoceri ope Ruſſos ſemel atque iterum profligat. ibid.

Ravennas Italiæ urbs. Cœnobium iſtbic a D. Stephano fundatum. 41

S.

Salomon Sophiam Henrici Imp. filiam ſponſam accipit. 58. vivo patre in regem coronatur 60. cum matre in Auſtriam fugiens regno excluſus. 61. ab Henrico Imp. in regnum reducitur 65. nuptias cum Sophia celebrat. ib. Geiſæ, & Ladiſlao conciliatus 66. Cumanos profligat 67. bellum in Serviam traducit 68. Belgradum obſidet, & capit 69. Geiſam inſidiis occupare nititur 70. & inito ad Tibiſcum prælio vincit 71. non multo poſt profligatus 72. in matrem impius regno privatur. ib. Pontificis opem fruſtra implorat 73. obſidetur a Ladiſlao Poſonii 75. in hunc regni jura transfert 81. mox inſidiarum convictus in carcerem retruditur 82. paullum poſt liberatus. ib. ad Cumanos ſecedit 83. cum his in Hungariam irrumpens a Ladiſlao profligatur. ib. inde in Bulgaros movet, victuſque videri deinceps deſiit 84. de mortis loco variæ opiniones. 85

Saxones ab Geiſa II. in Tranſilvaniam evocantur 132. ob rem in Græcos bene geſtam privilegiis donantur 144. quæ ab Andrea II. poſtea confirmata ſunt. 237

Sophia Henrici Imp. filia Salomonis conjux. 58. 65

Sophia Belæ cæci filia Conrado Henrici Imp. filio deſpondetur 130. eo defuncto in cœnobio Admontenſi religionem profeſſa ſanctimoniæ fama claruit. 137. & 38

Sophia Geiſæ I. filia Magnoni Saxoniæ Duci nupta 77

Stephanus I. Geiſa patri in regno ſuccedit. 1. turbata regni initia 2. bello domeſtico implicatur 3. voto, ſi victoria potiatur, ſe obſtringit 4. Cupam Simegienſem ad Veſprimum profligat 5. Epiſcopatus deſignat 6. Aſtricum propterea Legatum Romam mittit. ib. Is re feliciter geſta coronam cum litteris affert 7. per has Legatus Apoſtolicus conſtituitur 8. diademate redimitus leges condit 13. Palatinum ceteroſque magiſtratus inſtituit. ib. nuptias cum Giſela celebrat 14. belli Tranſilvanici initia, & cauſa 17. Id feliciter conficit 18. Gyula ad Chriſtianam fidem una cum provincia traducto. ib. Hoc mox Bulgaricum excipit 19. victor ſpolia templis, & Deo dicat. ib. Emericum ex Giſela ſuſtulit 20. Templa condit Conſtantinopoli, & Romæ 21. Veſprimienſis, & Quinque-Eccleſienſis epiſcopatuum initia 22. Sororem Duci Venetiarum deſpondet. ib. Chanadienſem Epiſcopatum inſtituit 23. Similiter Abbatiam in Pecbvárd 25. Comitiis celebratis leges promulgat 26. regis Angliæ filios exules liberaliter hoſpitio accipit 27. unique filiam ſuam deſpondet 28. Emericum ad capeſſendam remp. erudit 30. matrimonio cum regia virgine jungit 36. Bulgaricum bellum divinitus imminere cognoſcit, profligatque 34. templum Jeroſolymis condit 36. Legatum Conradi Imp. commeatu excludit. 37. hinc belli Germanici initia, quod feliciter Dei virtute conficit 38. Proceres in eum conſpirant 39. Morbo diuturno op-

preſſus

Pag.

preſſus obit 43. miraculis clarus inter divos refertur. 82

Stephanus II. Colomano patri ſuccedit. 113. res Dalmatiæ turbatas reperit ib. maximam illius partem Veneti occupant. 114. geminum cum iis propterea bellum. 115. Auſtriam ſemel, atque iterum infeſtus percurrit. 116. Indicto Græcis bello rem parum proſpere gerit. 118. pacemque conficit. 119. quibus conditionibus. ib. Dalmatiam in fidem recipit. ib. celebratis nuptiis in Ruſſos movet. 120. Infeliciter confligit. ib. Foedus cum Bohemis initum errore interrumpitur 121. novis pactis inſtauratum ib. Belam Almi filium ſucceſſorem conſtituit. 123. Ejus mors. ib. Stephano III. patri ſuccedit. 147. mox ob metum a Manuele Græcorum Imp. intentatum regno cedit. 148. haud multo poſt reſtituitur 150. & Manueli bellum obmovet 151. confecta pace ſopitur 152. mox recrudeſcit. ib. Sirmium occupat. 154. rurſumque amittit. 155. itaque pacem cum Græcis init. 156. Iterum bellum movet, & Duce Dionyſio feliciter gerit ib. Agnetem Auſtriæ Ducis filiam conjugem accipit. 157. factoque cum Auſtriis foedere in Dalmatiam movet. 158. & pleraſque urbes recuperat ib. Iterum Græcos bello appetit ib. qui utrinque apparatus 159. ambigua fortuna geſtum dirimitur 160. Dalmatiam amittit 162. Improlis defungitur. 163

Stephanus IV. ad Græcos fuga evadit, uxoremque iſthic ex Imperatoria ſtirpe ducit. 144. Inde ad Fridericum Imp. in Germaniam ſecedit. 145. ſuccedit Ladislao fratri in regno. 149. ſed ob Græcos mores Hungaris inviſus regno privatur. 150. iſtis bellum obmovet. 152. Sirmio ſe includit 153. urbemque acriter adverſus Hungaros tuetur ib. ad extremum veneno potatus obit. 154

Stephanus V. Stiriæ Dux præficitur. 295. rem adverſus Bohemos feliciter gerit. 306. a patre diffidens eidem conciliatur 310. mutuis pactis pacem ſtabiliunt 311. hanc nova conventione roborant. 314. in matrem injurius 318. Bulgaros profligat. 323. patri in ſolio ſuccedit. 324. In Ottocarum movet. 325. hic viciſſim Hungariam infeſtat. 326. pax utrinque conficitur. 327. quibus conditionibus ib. filiam Græcorum Imp. natu maximo deſpondet. 331. mortuus in inſula leporum conditur. ib.

Schyra Bavariæ caſtrum, in quo nuptiæ Stephani cum Giſela celebratæ. 15

T.

Tartari in Hungariam irrumpunt. 256. miſſo ad Belam nuncio regnum ſubjici ſibi petunt. 257. ad Peſtinum caſtra figunt. ib. Epiſcopum Varadienſem aſtu deludunt. 258. recedunt ad Sayonem fluvium 259. a Colomano regis fratre vincuntur. 260. occupato ponte Hungarorum caſtra circumvallant, & prælio ſuperiores ſunt. 261. eorum crudelitas & fraus 262. mores, & vivendi norma 264. Peſtinum, & Varadinum capiunt. 266. Strigonio urbe, non item arce potiuntur. 268. regem in Dalmatiam fugientem ſequuntur 269. Neoſtadium in Auſtria obſident 270. repelluntur ib. quod illis natale ſolum, mores, corporis habitus, vultuſque, ac religio 271. Hungaria excedunt. 273. Legatos a Pontifice miſſos parum liberaliter habent. 283. redeunt in Hungariam, & affinitatem regis expetunt 301. Poloniam pervagantur 303. iterum in Hungariam redeunt, & memorabili clade vincuntur. 309

Tranſilvania Daciæ olim pars 18. Gyula ejus Dynaſta bellum Stephano obmovet. 17. victus in Hungariam abducitur ib. abhinc provincia juri Hungarico aſſerta per Wayvodas plerumque regebatur. 18. Tranſilvanorum adverſus Perſas in Aſia militaris virtus. 167

Turcorum Sultanus Andreæ II. neptem ſibi deſponderi petit. 215

Tybon Abbatia ob Andrea I. rege fundata 53. 59

V.

Vathà dux eorum, qui avitas ſuperſtitiones repetebant. 58

Wencelinus copiarum dux ſub S. Stephano 5. Cupam ſingulari certamine obtruncat. ib.

Wenceslaus a potiori Optimatum parte ad regnum poſtulatur. 368. . coronationi intercedit Pontifex 369. qui propterea ad Wenceslai patrem ſcribit. 370. hic ſua jura tuetur 371. Pontifex contra Auſtriæ Ducem in Bohemos incitat 373. & æmulos omnes ad dicendam cauſam evocat 374. Hinc magna Antiſtitum pars ad Carolum ſecedit 376. & Wenceslaus a patre in Bohemiam cum corona regni Hungariæ reducitur. 377

Veſprimium a refractariis obſidetur 4. haud procul urbe Cupa profligatur. 5. Giſelæ in Veſprimienſem Eccleſiam liberalitas. 20. Epiſcopatus initia 22. Epiſcopi Reginarum Hungariæ Cancellarii. 28

Wilhelmus Thuringiæ Marchio ab Hungaris captus 62. filiam Andreæ I. regis uxorem ducit. ib.

Z.

Zoërardus martyrio affectus. 24

Zolomirus Croatiæ poſtremus rex. 86. ab ejus morte regnum ad Hungaros Devolutum ib. quo titulo id factum. 87

Zoltanus D. Stephani cognatus, primus Tranſilvaniæ Waivoda. 18

Zothmundus claſſem Henrici Imp. aſtu mergit in danubio. 56

Zupania regionis, ac ditionis apud Croatas nomen. 86